3 1761 07839053 1

THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

Ad mentem S. Alphonsi M. De Ligorio Episcopi et Doctoris

PIO IX PONTIFICI M. DICATA

AUCTORE PETRO SCAVINI

IN COMPENDIUM REDACTA

Angelici Præceptoris D. Thomæ Aquinatis auctoritate confirmata
Ac pluribus Conscientiæ Casibus explanata

ADDITIS

LEONIS XIII PONTIFICIS M.

Literis Encyclicis cæterisque ab Eo hucusque peractis,
Constitutione, quæ Censuras limitat, Commentariis illustrata
Juris civilis, ubi opus sit allegatione,
Et aliis quampluribus ad hodiernam praxim.

Cura et studio J. A. DEL VECCHIO
Ecclesiæ Cathedralis Novariensis Canonici

EDITIO NOVA LOCUPLETISSIMA

TOMUS SECUNDUS

De Justitia et Jure, de Restitutione, ac de Sacramentis.

MEDIOLANI
Apud Hæredes ERNESTI OLIVA Edit. Propriet.
1880

Proprietas Literaria

BX
1758
S33
1880
t.2

Mediolani, Typis Wilmant.

TRACTATUS SEPTIMUS

DISPUTATIO PRIMA

DE JUSTITIA ET JURE.

1. **Justitia**. Justitia interdum accipitur pro virtutum omnium complexu, ita ut *vir justus* idem sit *ac vir omni virtutum genere donatus*. Hoc sensu de s. Josepho dicitur Matth. I: *Joseph autem... cum esset justus*. In præsenti tamen justitia sumitur prout est virtus specialis, et definitur ab Augustino: *Virtus quæ sua cuique tribuit*. Communiter autem definiri solet: *Virtus moralis constanter firmans voluntatem ad reddendum alteri jus suum, ad æqualitatem*.

Dicitur *Constanter firmans voluntatem;* nam virtutis est jugiter et efficaciter inducere ad bonum — Dicitur *ad reddendum alteri,* atque ideo justitia requirit personarum diversitatem; neque enim proprie quis justus dicitur erga seipsum, vel sibi facere injuriam quæ est læsio alterius juris: justitiæ proprium est (ait Angelicus, 2, 2, *q.* 57 *et* 58), ut ordinet hominem in his quæ sunt ad alterum — Dicitur *jus suum,* id est quod alteri debetur. Unde objectum justitiæ immediatum non est ipsa persona proximi (hæc enim est objectum caritatis); sed est jus seu res quæ proximo debetur, et quidem tota; atque ideo additur *ad æqualitatem*.

2. **Divisio**. Justitia generatim considerata triplex distinguitur. *Legalis* una, quæ conducit privatum ad reddendum communitati quod ipsi debitum est propter bonum commune. Dicitur *legalis,* quia habet pro objecto quod communitati debetur *vi legum,* quibus obtemperandum est.

Distributiva altera, quæ conducit voluntatem superioris ad bona et onera communitatis distribuenda juxta merita et vires subditorum; seu, ut habet Angelicus q. 61, *est distributiva communium secundum proportionalitatem.* Ad justitiam distributivam revocantur tum justitia *remuneratoria* quæ subditorum merita remunerat, tum *vindicativa* quæ malis pœnam infligit ad bonum publicum tuendum.

Tertia *commutativa,* quæ conducit privatum ad reddendum alteri privato ad æqualitatem quod eidem rigorose debetur, ratione pacti vel contractus vel alterius tituli peculiaris. Et hæc est justitia stricte sumpta; cum alteri reddat quod stricto jure ei debetur, id est juxta æqualitatem rei ad rem, nullo habitu respectu ad conditionem personæ.

3. **Objectum.** Objectum justitiæ *materiale* est quidquid alteri debitum est; *formale* est ratio ob quam aliquid alteri debetur; et huc venit præcipue jus, quod est justitiæ fundamentum.

4. **Jus.** Definitur: *Legitima facultas ad aliquid,* idest ad aliquid agendum, acquirendum vel retinendum (1). Jus a *justo* derivatur, nam verum et legitimum jus esse nequit, nisi justum et rectum; ideo patet falsum esse effatum: *Quidquid per legem jubetur, justum est:* justum est, si est rectitudini conforme — Jus dividitur præcipue in jus ad rem et jus in re.

Jus ad rem est illud quod quis habet, ut res fiat sua; ideoque dat actionem non in rem, sed tantum in personam: efficit nempe, ut persona possit per judicis sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat. Non autem efficit, ut res ante judicis sententiam possit occupari.

Jus in re est illud quod quis habet in re jam sua; ideoque confert actionem realem, id est jus in ipsa re insistendi, eamque retinendi.

Species autem juris, e quibus jus emanat, sunt: *dominium proprietatis;* et *servitus* sive *realis* sive *personalis.*

(1) Juris significatio multiplex: 1) Significat quod est rectæ rationi consentaneum. 2) Scientiam ipsam æqui et boni: et ideo in hac scientia versatos *Jurisperitos* nuncupamus. 3) Ipsam collectionem legum, quibus regitur homo in religiosa ac civili societate. 4) Judicis sententiam vel locum ubi judicia fiunt: unde dicitur judex *jus* dicere, et reus *in jus* vocari. 5) Rem ipsam quæ rigorose debita est: sic res nostra dicitur *jus nostrum;* et jus ita sumptum est justitiæ objectum. 6) *Legitimum titulum* seu *facultatem ad aliquid*, sub quo sensu venit tum dominium jurisdictionis, nempe jus superioris seu potestas gubernandi subditos; tum proprietatis seu jus disponendi pro libito de re propria, de quo nunc.

CAPUT PRIMUM

De Dominio Proprietatis.

5. **Dominium proprietatis.** Est: *Jus possidendi, utendi et disponendi pro libito de re propria, nisi id prohibeatur.* Potest enim prohiberi tum a lege: sic minor etsi suorum bonorum sit dominus, ea non potest alienare; tum a privati voluntate, ut si quis fundum legasset alicui, sed ea conditione, ut illo non fruatur nisi post annum. Dicitur *pro libito;* ita tamen ut ideo nulli damnum eveniat.

6. *Divisio.* Dominium privatorum vel *plenum* est vel *non plenum. Plenum* (seu perfectum) est jus disponendi de re simul et de ejusdem fructibus etiam cum rei ipsius destructione (1). *Non plenum* (seu imperfectum) est jus disponendi vel de re sola, et dicitur dominium *directum;* vel de solis fructibus rei, et habetur dominium *utile.*

Hæc de dominio proprie dicto; solet etiam adsignari dominium *altum* seu *publicum,* quod definiri potest: *Facultas quæ convenit reipublicæ disponendi de bonis subditorum, sic exigente bono publico.* Hinc patet dominium altum non esse dominium proprietatis; cum eo respublica uti nequeat nisi in casu necessitatis, quæ quidem necessitas vera sit oportet; et domino rei tunc retribui debet, ultra pretium, æqua indemnitas *(a.* 438); neque enim respublica est bonorum ac civium domina, sed potius curatrix ac vindex.

7. **Dominii origo.** In mundi exordio res omnes fuerunt communes, seu nemini in particulari adjudicatæ. Sed vix crescente mortalium numero, ipso naturali jure compellente, necesse fuit a prima illa rerum communione pedetentim discedere; quia aliter non poterat discordiæ evitari, quæ in re communi solent oriri, ob ingenia diversa, diversasque indoles.

(1) Utique dominus non debet rem suam destruere sine causa, sicut neque illa male uti, v. g. vino suo ad se inebriandum. Sed si sine causa de sua re disponit aut illam destruit, quantum est ex vi dominii quod habet in re sua, valide agit neque violat justitiam commutativam, cum disponat de eo quod suum est. Etsi ita agendo peccet contra rectum ordinem et justitiam legalem; nam expedit reipublicæ, ne quis re sua male utatur. *Alasia, Grueber.*

Juxta alios qui re sua male utitur esto quod non violet proprietatem quatenus ista sita est in physica et materiali rei possessione; sed violat jus proprietatis; jus enim rectitudinem dicit, at recte non agit qui rem suam inconsulto destruit vel ea abutitur; igitur abusus non stat cum jure proprietatis.

Nil ergo mirum, si fere ab ipsis mundi exordiis bona a particularibus apprehensa et occupata fuerint, et sic rerum divisio induci cœperit, et jus proprietatis. Sic Abel pastor effectus, ovile proprium habuit offerens Deo *de primogenitis gregis sui;* et Cain effectus agricola sibi vindicabat fructus, etc. Semel autem facta apprehensione, occupatione ac divisione, rerum dominium evasit inviolabile et sacrum :

1) De *jure naturæ,* nam illo sublato, nulla posset institui societas; quisque enim vellet omnibus dominari, et nulli servire, nec laborare — 2) De *jure divino,* ut patet ex septimo et decimo Decalogi præcepto, ubi furari prohibetur, et domum proximi concupiscere — 3) De *jure humano,* ecclesiastico et civili, quod in eo totum est, ut jus proprietatis cuique tueatur. Ex his patet absurditas Communismi, Radicalismi, Fourierismi, Facti completi (seu materialis) et Pacti socialis.

8. **Communismus.** Qui proclamat omnium civium æqualitatem in bonis, seu omnia bona esse in mundo communia, a Pio IX fuit damnatus Encycl. *Qui pluribus.* Hoc enim systema est *impium,* cum ordinem a Deo statutum subvertat; *societati noxium*, cum hæc sine jure proprietatis stare nequeat; *absurdum,* quia attentis circumstantiis vitæ humanæ, impossibilis evadit bonorum communio.

Radicalismus. Qui proclamat æqualitatem omnium civium in auctoritate, in imperio et jurisdictione. Hujusce systematis absurditas statim patet; societas enim absque capite et directione consistere nequit. Et statim ac in effectum vellet illud reduci, horrenda anarchia succederet, et societas ipsa periret (1).

Fourierismus. Qui unicuique adsignat communes domos ad domicilium, ad victum, ad artes, ad lucra; ideo tamen ut quisque nonnisi transitorie quantum necessitas exigit, minime vero stabiliter et permanenter retinere valeat rerum possessionem et usum cum aliorum exclusione. Qui item impossibilis est in tanta diversarum gentium multitudine, indole, genio, tenacitate, contentionibus ac pertinacia. Et omnino pugnat cum recto rationis ordine; jus enim stabilis et permanentis dominii *est necessarium ad humanam vitam,* ut ait d. Thomas, *propter tria. Primo quidem quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid, quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum; quia unusquisque laborem fugiens relinquit alteri id quod pertinet ad commune.... Secundo quia ordinatius res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandæ; esset autem confusio, si quilibet indistincte quælibet procuraret. Tertio quia per hoc magis pacificus status hominis conservatur, dum unusquisque re sua contentus est: unde videmus quod*

(1) Communismus et radicalismus sub *socialismi* nomine designari solent: est illorum systema qui nullum jus proprietatis admittunt, nullum jus auctoritatis; sed contendunt omnes homines tam in bonis tam in imperio esse prorsus æquales. En lethifera pestis, quæ hac nostra ætate societatem in extremum discrimen adducit, quamque in celeberrima Encycl. *Quod Apostolici* 28 dec. 1878 Leo XIII tam paterno animo tantaque sententiarum altitudine lamentatur.

inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur (2, 2, q. 66, a. 2). V. Signoriellus, *Philosophia christiana*, par. 2.ª.

Factum consummatum *(fatto compiuto)*. Si jus in materiali facto consisteret, actum esset de omni proprietate et civili ordine; tunc nefas esset domino a fure rem suam repetere, quia hic jure facti materialis seu physici rem suam fecit. Tunc non ratio sed vis, non justitia sed præpotentia dominatum haberet in mundo; et proinde nulla securitas, nulla quies: quod enim hodie meum est, cras a fortiori usurpabitur et ita successive, quin reclamari possit. Regimen haberemus belluarum, non hominum. At merum factum non creat jus; usurpatio non destruit æternæ justitiæ principia; furtum sive in parvis sive in magnis semper latrocinium est a septimo Decalogi præcepto gravissime proscriptum (1). Hinc Pius IX in Syllabo sub nn. 59 et 61 contrarios errores damnavit (V. *Scavini*, l. IV, n. 117, et nn. 160 et seqq. ubi plura).

Pactum sociale. A Rousseau invectum est, qui docet statum hominis naturalem esse statum sylvestrem et solitarium, in quo homines vitam ducebant separatim; a quo tamen statu recesserunt communi consensu, et per pactum mutuum, seu contractum socialem præsentem constituerunt societatem. Hoc repugnat ipsi humanæ naturæ, cum homo ad suam vitam tuendam indigeat aliorum subsidio, infans ut alatur, infirmus ut curetur, senex ut sustineatur, etc. Repugnat historiæ quæ primos homines nobis exhibet a Deo in societate fuisse procreatos, eosque in societate plus minus perfecta semper perstitisse. Ad rem Cicero: *Prima societas in ipso conjugio est; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicæ* (De Officiis, l. I, c. 17) (2).

CAPUT SECUNDUM

De Dominii objecto et subjecto.

9. **Objectum dominii**. Sunt omnes res, quæ hominis usui subjiciuntur. Hinc Scriptura: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves: terram autem dedit filiis hominum* (Ps. VIII et CXIII). Sed subordinate ad Deum, qui solus est absolutus rerum omnium dominus, cum ab ipso solo omnia suum esse, existere et conservari habeant. Hinc illud Psalmi XXIII: *Domini est*

(1) Hoc vel ipsi quibus omnia licent, ultro fateri coacti sunt; unus eorum ajebat: « I dieci Comandamenti ci sono anche per la politica internazionale, e sul settimo io non intendo ragione; perchè non c'è ragione che valga a farmi entrare in capo, che il mio è quello degli altri. In questo caso per diritto di rappresaglia io sarei capace d'invertire i due termini, e dire che quello degli altri è mio, consegnandone le prove ad una carta geografica di fantasia. » *La voce della Verità*, 11 agosto anno 1875.

(2) Accedit tum naturalis ad societatem inclinatio, tum status hujus socialis constantia, tum ipsa loquela qua homo est instructus. *Cum homini datus sit sermo a natura* (ait d. Thomas), *et sermo ordinetur ad hoc quod homines sibi invicem communicent... sequitur, ex quo natura nihil facit frustra, quod naturaliter homines sibi communicent; sed communicatio facit domum et civitatem; igitur homo est naturaliter animal domesticum et civile* (Lib. I Polit.). V. Perin, *Le leggi della società cristiana;* Parma, 1879.

terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo (1).

Res autem quæ in hominis dominio esse possunt, sunt corporales vel incorporales, fungibiles vel non fungibiles, tandem mobiles vel immobiles.

I. *Corporales:* quæ tangi possunt (id est sensibus obnoxiæ), uti vestis, fundus, domus. *Incorporales* quæ percipiuntur tantum intellectu, et in jure consistunt, uti jus habitationis, jus fruendi, utendi.

II. *Fungibiles* sunt res, quæ aliarum rerum vice fungi possunt, et unæ aliis æquivalenter substitui. Quod maxime evenit in his quæ usu consumuntur: sic vino substituitur aliud vinum. *Non fungibiles* sunt res, quæ tradi et restitui debent in natura, seu identice; quia in earum usu salva manet substantia, uti pictura, domus, et *inconsumptibiles* dicuntur.

III. *Mobiles* sunt quæ loci mutationem de facili recipiunt: et tales sunt vel ex *natura propria*, ut massa auri, animalia; vel ex legis determinatione, ut proventus vitalitii, et syngraphæ debiti publici. *Immobiles* quæ transferri nequeunt; id vel ex *natura sua*, ut fundus, fructus nondum separati a solo, arbores nondum recisæ, fontes, piscinæ, cursus aquarum. Vel propter earum *destinationem*, uti animalia et cæteræ res quæ a fundi proprietario tribuuntur ad culturam; item specula, tabulæ aliaque ornamenta quæ sine loci detrimento auferri nequeunt; cum sint stabiliter plumbo, calce, etc. collocata. Vel propter *objectum* quod respiciunt, ut jura ususfructus, habitationis, usus immobilium, servitutes prædiales.

10. **Dominium hominis in hominem.** Homo et vel ipsa respublica in hominem dominium directum, atque plenum habere nequit ita, ut possit illum *directe* extinguere; solus enim Deus sicut vitæ hominis auctor est et conservator, ita solus est ejusdem dominus. Ideo nullus potest neque se ipsum neque alium absque divina auctoritate directe occidere, etsi petat occidi.

(1) In usu *animantium* duo cavenda (monet Stapf, § 443): *indigna affectio* et *inhumana sævities*. Primum creaturæ rationali est indignum; sane carpendi sunt quos certa animalcula ita sibi devincta tenent, ut hæc pluris videantur facere ipsis hominibus. Sed non minus ratio omnem adversus animantia petulantem sævitiem abhorret; hæc enim divinis consiliis repugnat. Hinc Prov. XII legitur: *Novit justus jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia.* Ad nostram utique utilitatem Deus animantia concessit, ut possimus etiam illa occidere; non autem ea vexare (v. d. Thomas, *Contra gentes*, l. III, c. 112) — Ideo pluribus in locis instituta est societas ad animalia tuenda contra hominum vexationes; et *Codex* ipse *pœnalis* in sævientes animadvertit: *art.* 676 et 685. Sed vide *Civiltà catt.*, ser. 5ª, vol. VIII, pag. 189, in nota. (*Scavini*, l. II, n. 503).

Dixi *directe,* quia aliquando fas est ex causa satis gravi aliquid facere vel omittere vel permittere, ex quo mors sequatur, modo non intendatur. Hinc potest quis navem incendere, ne inimici ea potiantur cum gravi reipublicæ damno: etsi prævideat et se periturum; cum sui perditio non sit directe volita, sed directe intendatur aliud, quod bonum est. Item respublica habet in necessitate ad se tuendum dominium indirectum in subditos; ideo si publicum bonum expostulat, potest illorum vitam in bello exponere. Item scelestos interficere, utpote custos tranquillitatis publicæ, eo modo quo custos vitæ suæ licite potest putridum ejus membrum resecare pro salute totius corporis (1).

11. Si vero sermo sit de dominio utili, potest homo habere dominium in alterum hominem, et in se ipsum: Deus enim reliquit hominem in manu consilii sui, ut bene agendo vitam consequatur æternam. Ideo etiam propriæ famæ dominium tenet; nam fama est fructus nostræ industriæ, ut liceat illam prodigere. Quare homo potest justa de causa se infamia afficere ad petendum consilium, ad coercendam superbiam, ad Dei misericordiam commendandam, ad famam alteri restituendam, etc. (V. *Scavini,* l. II, n. 504).

Dixi: *Justa de causa;* secus valet illud Ecclesiastici XLI: *Curam habe de bono nomine.* Imo sub gravi fama servanda est, quando infamia redundet in scandalum aliorum, aut in dedecus conditionis propriæ, v. g. Clericatus, Instituti religiosi, familiæ. Vel si officiat proprio muneri, Parochi, Magistri, Rectoris *(S. Alphonsus,* l. III, n. 366).

12. **Resolve:** I. Si homo potest se ad tempus alteri vendere seu locare quoad operas suas, cum illarum sit dominus, nil obstat, spectato jure naturæ, quod id agat in perpetuum: ideo per se non repugnat servitus seu status subjectionis perpetuus voluntarie susceptus. Dixi: *operas suas;* nam etsi servus in quantum servus aliquid domini dici possit; ast non omnino est ejus, ut de illo, ejus vita ejusque facultatibus suo statuat arbitratu. Hinc Angelicus: *Servus est res domini quantum ad ea quæ naturalibus superadduntur, sed quantum ad naturalia omnes sunt pares* (IV Sent. d. 35, q. 1, 2). Dixi: *spectato jure naturæ;* nam jure civili id prohibetur *(a.* 1628). Et contra hanc immanem negotiationem habemus Bullas Pauli III, Urbani VIII, Benedicti XIV et Gregorii XVI *(Scavini,* l. II, n. 562).

II. Quilibet habet proprietatem exclusivam in iis, quæ ingenio suo excogitavit sive in scientiis sive in artibus; et ideo violat jus alienum et tenetur de restitutione qui opus manuscriptum sine con-

(1) Item licet reo se judici sistere etsi morte puniendus; quia id est velle justitiæ ordinem (S. Alph., *Ho. ap.,* tr. VIII, n. 1).

sensu auctoris typis evulgat; nam opus quamdiu in lucem non est emissum, sub dominio auctoris remanet. Idem dicunt (pluribus tamen contra sentientibus) si quis typis daret lectiones publicas alicujus professoris, vel conciones oratoris, si eas audiendo memoria tenuerit. Aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur; aliud quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum.

Si vero liber sit jam editus et publici juris, seclusa lege positiva, Gury docet uti probabilius eum qui typis librum edidit (quod etiam valet de inventis industrialibus) non amplius gaudere jure proprietatis; nam res in communitatem tradita fit eo ipso de jure communi. Hoc tamen alii negant; nam de jure naturali homo jus semper habet in fructum industriæ suæ sive sit sub aliorum oculos positum sive non.

Cæterum lege positiva provisum fuit per privilegia concessa auctoribus et inventoribus: æquum sane est ut fructum suæ industriæ auctor percipiat; id enim allicit homines ad utilia inquirenda in bonum societatis. Et ideo ajunt legem illam obligare in conscientia (V. *Scavini*, l. II, n. 507).

13. **Subjectus Dominii.** Certum est, solam creaturam rationalem dominii esse capacem: dominium enim est legitima facultas disponendi pro libitu de re aliqua tanquam sua. Atqui sola creatura rationalis hanc facultatem habet. Ut vero quis acquirere possit, duo præcipue requiruntur: 1) Ut nulla lege prohibeatur, adeo ut vel per se vel per alium valeat acquirere — 2) Ut velit dominium acquirere; non enim acquiritur nolenti, nisi forte lex suppleat.

Art. 1. — De Dominio Parvulorum, Infidelium, Peccatorum, Ecclesiæ, Ecclesiasticorum et Personarum Moralium.

14. **Parvulorum dominium.** Parvuli sunt dominii capaces, etsi actu careant rationis usu; nam usus rationis necessarius est ad disponendum hic et nunc de bonis, non vero ad habendum dominium in potentia. Hinc Apostolus Paulus ait ad Galatas, IV: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.*

Quod etiam ad *amentes* extendi debet, cum eadem sit ratio. Idipsum firmatur omnium populorum consensu et praxi.

15. **Infidelium et peccatorum dominium.** Hus et Wiclephus docuerunt, non esse dominii nec jurisdictionis capaces qui sunt in statu peccati mortalis. Qui damnati fuerunt in Concilio Constantiensi; infideles enim, hæretici et peccatores non carent facultate disponendi de re sua; cum rationalis natura, non vero fides aut caritas sit dominii fundamentum.

16. **Ecclesiæ dominium.** Quod Ecclesia jure innato et legi-

timo polleat acquirendi et possidendi bona temporalia sive mobilia sive immobilia et frugifera, *innumera prope Conciliorum acta* (ut utar verbis Pii Pp. IX Allocut. *Quibus luctuosissimis) et sanctorum Patrum sententiæ et exempla, et romanorum Pontificum Constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant.* Concilium autem Constantiense damnavit contrariam doctrinam Wiclephi; et Pius IX eundem errorem proscripsit in Syllabo propositionibus 26 et 27; et Constit. *Apostolicæ Sedis,* sacrilegos horum bonorum usurpatores censura mulctavit (v. t. I, nn. 583, 629).

Accedit ratio: Ecclesia suam habet a Deo existentiam a Statu et principibus independentem; est ergo societas sui juris perfecta, quæ cum inter homines sit exercenda et ab hominibus, bonis temporalibus indiget; nam adsunt ministri sustentandi, ædes sacræ ædificandæ ac conservandæ, clerici educandi, cultus sustinendus, etc. Non est ergo a lege civili repetenda facultas quæ Ecclesiæ competit bona temporalia acquirendi; neque civilis respublica jus habet ea distrahendi, convertendi, commutandi, invadendi, administrandi, vel aliud ad libitum suum decernendi; cum res sua non sit (1).

17. **Bona Ecclesiasticorum.** Bona hæc sunt vel patrimonialia seu profana, vel quasi-patrimonialia, vel ecclesiastica.

1) Bona *patrimonialia* ecclesiasticis obveniunt ex titulo laicis communi, ex hæreditate, officio docendi profana, etc.

2) *Quasi-patrimonialia* ecclesiasticis, qua talibus obveniunt quidem; sed per modum stipendii, ex functionibus ecclesiasticis, ex munere docendi Theologiam vel sacram Scripturam, ex Sacramentorum administratione, concionibus, Missis, benedictionibus, funeribus, anniversariis. Item alii Parochorum proventus ex stola, vulgo *incerti;* sicut etiam oblationes fidelium; et fructus piorum legatorum ac beneficii laicalis. Item distributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis, quia etsi ex titulo Beneficii proveniant, tamen tribuuntur uti merum personale stipendium. Hæc bona dicuntur etiam *industrialia.*

(1) Anania et Saphira subita morte percussi fuerunt eo quod de bonis, quæ Deo dicaverant, fraudarunt partem *(Act.* v): ex gravitate pœnæ licet conjicere criminis gravitatem. Quamdiu bona ipsorum profana manebant, illis libera manebant; sed ex quo Deo illa dicata sunt, non amplius illis manent; temporalia adhuc bona sunt, at non amplius profana, sed sacra, Deo devota, quæ ideo ab humano commercio perpetuo subducta sunt. Attamen ex quo idea justi et honesti a moderna societate exulavit, hæc veritas pessumdatur; quam tamen vel ipsi gentiles ultro cognoverunt, quorum erat effatum: *Religio solum occupavit,* ideo sacrum est, atque inviolatum, quod sine immani sacrilegio nequit amplius profanum fieri *(Scavini,* l. II, n. 269).

3) Bona *ecclesiastica* sunt proventus illi, quos ecclesiastici immediate acquirunt ex Beneficiis ecclesiasticis: huc referuntur bona, quæ *titulo supplementi* a Gubernio solvuntur Pastoribus (et Canonicis quoad præbendam), uti declaravit S. Pœnitentiaria 19 jan. 1819. Item primitiæ de jure debitæ, ac decimæ quæ habentur uti partes præbendarum (1).

Principia: I. Si sermo sit de bonis *patrimonialibus*, ecclesiastici sunt absoluti illorum domini; habentur enim in hoc uti cæteri possessores, neque ea possident quia ecclesiastici.

II. Si sermo sit de bonis *quasi-patrimonialibus*, commune est cum Benedicto XIV, ecclesiasticos eorundem verum obtinere dominium; quia fideles bona hujusmodi illis elargiuntur uti debita ob ministerium personale, cum quilibet operarius dignus sit mercede *(S. Alph.*, l. IV, n. 180).

III. Si quæstio sit de fructibus qui proveniunt ex bonis *ecclesiasticis*, illorum ecclesiastici sunt domini, si agatur de iis qui eorum honestæ sustentationi sunt necessarii; respectu enim istorum se habent tanquam operarii qui sibi acquirunt dominium stipendii: quod tenet etsi divites sint; nam *quis militat suis stipendiis unquam? Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (I Corinth. IV) — Idem communiter dicunt de *parsimonialibus*, quæ nempe clerici studiosa frugalitate ab honesta sustentatione subtrahunt; talia enim jam data sunt, uti stipendia laborum (2).

18. **Bona ecclesiastica superflua.** Certum est beneficiarios sub mortali teneri (saltem ex virtute Religionis et præcepto caritatis) reditus omnes propriæ sustentationi superfluos in usus pios vel in pauperes erogare; nam sunt bona dicata Deo, *bona dominica, vota fidelium, patrimonia egenorum, bona pauperum*, ut ea appellant Patres et plura Concilia (3). Notant tamen com-

(1) Non sunt computanda inter bona ecclesiastica pensiones quæ tribuuntur a Gubernio usurpatore ob bona usurpata ecclesiasticis et religiosis; quia non conferuntur vi Concordati, nec ideo recognoscuntur ab Ecclesia ut bona ecclesiastica; sed tantum ut auxilia quædam ac compensationes illegitimæ ob sacrilegam expoliationem. *De Varceno.*

(2) Quid intelligendum pro honesta sustentatione, nequit definiri æqualiter respectu omnium; plus enim congruit Episcopo quam Canonico, plus Canonico in Ecclesia cathedrali quam simplici presbytero, plus in uno loco quam in alio. Ideo attendi potius debet ad usum aliorum timoratæ conscientiæ in eodem gradu, et in iisdem circumstantiis rerum, locorum et temporum *(S. Alph.*, l. III, n. 489; l. IV, n. 180. *Scavini*, l. II, n. 508).

(3) Non sunt necessario præferendi pauperes loci, quia id non præcipitur. Nomine autem *pauperum* veniunt non solum ostiatim mendicantes, sed etiam ii qui aliter nequeunt suum statum conservare. Idque maxime obtinet quoad proprios consan-

muniter, quod peccatum expendendi superflua in usus profanos, ut pertingat ad mortale, majorem requirit materiam quam in furto; cum jam plura impendantur in usus pios uti supponitur. Porro d. Thomas requirit *multum excessum;* sed quinam multus excessus disputant; videtur dicendum cum Lugo talem excessum haberi si expendantur in usus profanos quinque pro quolibet centenario, si tamen bona valeant mille, vel amplius. Nam si agatur de bonis minoris summæ, in communi æstimatione major requiritur excessus ad mortale peccatum *(S. Alph.*, l. III, n. 491).

Dixi: *Saltem ex virtute religionis et præcepto caritatis;* nam quæstio est, an beneficiatus teneatur etiam ex justitia ad superflua pauperibus distribuenda, ita ut negligens insuper teneatur ad restitutionem. Sententia mihi probabilior affirmat; quia nulla ratione probatur, beneficiatum adipisci dominium horum fructuum. Attamen negari non potest oppositam sententiam (valde communiorem inter recentiores) satis esse probabilem præsertim ob auctoritatem d. Thomæ, qui expresse docet quod si clericus abutitur fructibus suæ præbendæ, *non tenetur ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam* (Quodl. 6, q. 2, a. 12).

Cæterum (monet Bellarminus) parum refert utrum beneficiatus damnetur, quia peccavit contra justitiam; an vero quia peccavit solummodo contra caritatem aut religionem non rite distribuendo facultates ecclesiasticas *(S. Alph.*, l. IV, n. 184).

19. Exclusa autem gravi pauperum necessitate, potest ecclesiasticus bona superflua impendere in alios usus pios, puta ad Dei cultum augendum; nam Tridentinum dicit tantummodo, *ne dissipentur*. Imo ex Angelico: *Siquis necessitate non imminente providendi pauperibus, de his quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ et necessitatibus pauperum, laudabiliter facit* (2, 2, q. 105, a 4). At per testamentum citius ea in tuto ponantur, ne de die in diem differendo, veniat mors et

guineos et familiares qui videntur posse præferri extraneis etiam gravius indigentibus; nam præter titulum necessitatis, habent titulum sanguinis vel familiaritatis; et istorum paupertas quoddammodo in illorum dedecus redundat. Sed tribuendum est *moderate*, ut ait Angelicus (2, 2, q. 185, a. 7), *id est ut non indigeant, non ut ditiores fiant.*

Caute enim vitandus est scopulus, ne sub hoc prætextu eorum reditus augeantur contra decretum Tridentini, *sess.* XXV, *c.* I: quia ex hoc fonte ortus est exitiosissimus *Nepotismus;* et quoad hoc sæpissime ecclesiastici cæci sunt, ut repetebat Barbosa; at non est cæcus Deus, qui scrutator cordium judicabit hominem secundum opera sua *(S. Alph.*, l. III, n. 491).

bona illa non ad pia loca, sed ad parentes perveniant: quod non raro lugendum est *(S. Alph.,* l. III, n. 491) (1).

Accipiens a beneficiato bona superflua quin pauper sit, probabilius non peccat neque contra religionem neque contra caritatem (admissa sententia quod non sit contra justitiam superflua erogare in usus profanos) nisi petat vel inducat ad donandum; sed tamen bona fide accipiat. Non contra *religionem,* nam non cooperatur peccato donantis, quod jam per oblationem consummatum est. Neque contra *caritatem* ratione damni quod pauperibus evenit; quia caritas hominem non obligat ut cum suo incommodo damnum proximi evitet. *Lugo.*

In eorum vero sententia quod obligatio beneficiati sit ex justitia, distingue: si ille ob talem donationem non reddatur impotens ad satisfaciendum suæ obligationi, accipiens nihil tenetur restituere, cum valde sit probabile quod beneficiarius habeat dominium fructuum superfluorum, etsi gravatum onere illos in pios usus elargiendi; ergo si donat, donat suum, et aliunde jam potens est satisfacere; quod si omittat, id provenit ex sua malitia, non ex donatarii acceptatione. Si vero per talem donationem clericus reddatur impotens ad satisfaciendum, probabilius accipiens tenetur de restitutione; nam accipiendo vere influit in damnum pauperum qui jus habent ad illa bona *(S. Alphonsus,* l. III, n. 491) (2).

20. Qui pensione fruuntur ex beneficio ecclesiastico, an teneantur superflua erogare in usos pios, ut ipsi beneficiati, alii affirmant; nam cum obligatio sit adnexa reditibus beneficii, pensio utpote ab istis detracta, transit cum eodem onere. Sed alii satis probabiliter negant; etenim cum Pontifex detrahit pensionem ex fructibus beneficii, jam eosdem fructus applicat ad usus pios; ergo non est cur denuo pie applicentur *(S. Alph.,* l. III, n. 491).

21. **Persona moralis.** Persona moralis seu collective sumpta est societas pluribus personis physicis constans, et *corpus morale* vocatur, uti Capitula, Ecclesiæ fabricæ, Monasteria, Collegia, Nosocomia, Montes pietatis, Confraternitates, Loca pia; item Societates industriales anonimæ ad damna ab incendiis, a grandine reparanda, etc. Cum ipsius naturæ instinctu homo ad ineundam cum cæteris hominibus societatem impellatur, exploratum est quod personæ collectivæ hoc jus ab ipso jure naturæ derivant; igitur et a jure naturæ habere debent jus possidendi terrena bona, quibus ipsa societas sustineatur.

Id firmatur etiam lege civili, quæ eas, si legitime erectas, tuetur. Hinc ex ipsa lege positiva corpora moralia donationes, legata, terrena bona acquirere possunt, contractus inire, alienare,

(1) Sed multum sunt ponderandæ leges civiles, ne forte hisce piis dispositionibus opponantur; ut ideo opportune provideatur.

(2) Attamen ob probabilitatem contrariæ sententiæ, qui accepit in dubia fide, excusabitur quoad aliquam partem a restitutione; si vero bona fide acceperit, probabilius nihil tenetur restituere ex dicendis n. 245.

mutua exigere, in judicio agere. Sed generatim opus habent superiorum licentia (etsi recognita sint ab ipsa lege) maxime si agatur de locis piis *(a.* 2).

Art. 2. — De Patria potestate, de Filiorumfamilias et Uxorum bonis.

22. **Patria potestas**. Definitur: *Quoddam quasi imperium a lege parentibus datum tam relate ad custodiam et educationem filiorum, quam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium.* Et patri et matri hæc convenit lege, naturæ inspecta; attamen lege civili mater nonnisi in patris defectu illa potestate gaudet *(a.* 46 *et* 220).

Principia. Pro parte, qua patria potestas nititur jure naturali, nunquam dissolvitur; ideo cum officia honoris, amoris, reverentiæ filiorum erga parentes nitantur hoc jure, perpetua sunt. At pro ea parte qua hæc potestas innititur jure civili, dissolvitur: 1) Si filius compleverit annum 21, id est fiat ætate major — 2) Si filius emancipetur, ad quem actum deveniri nequit ante 18^{m} annum completum filii. Est autem emancipatio: *Actus legitimus, quo pater filium minorem a sua potestate dimittit, ut sui juris efficiatur* — 3) Si pater abutatur patria potestate, accedente sententia judicis *(a.* 233 *etc.)*.

Bona filiorumfamilias. Hæc bona *peculii* nomine solent appellari. Quousque filii legitimi vel legitimati sunt sub patris potestate habent quidem suorum bonorum proprietatem; sed parentes et administrationem tenent et usumfructum consequuntur, si quædam excipiantur bona.

1) *Administrationem tenent;* neque filii in illa ætate satis experti habentur, ut utiliter propria bona ministrent. Non tamen possunt parentes alienare, hypotecæ subjicere bona filiorum, neque alias obligationes onerosas contrahere, nisi accedente vera utilitate aut necessitate, et facultate a civili tribunali obtenta *(a.* 224).

2) *Usumfructum consequuntur,* et in propriam utilitatem convertunt proventus bonorum, quæ filiisfamilias obveniunt vi successionis, donationis vel alterius tituli lucrativi. Hoc concessum est parentibus ad eos compensandos quoad curam, educationem et alias expensas quas sustinere debent pro illis.

3) *Si quædam excipiantur bona,* quorum quidem usumfructum et administrationem ipsi filiifamilias consequuntur. Esset si filio quidquam conferatur aut hoc pacto ut aliquam

artem acquirat, aut patre contradicente, vel si filius bona sibi acquisierit causa aut occasione militiæ; vel ex alicujus officii gestione, vel ex proprio labore, arte et industria separatim a negotio patris, nempe sibi unice propria, uti pictura, musica, etsi filius habitet cum patre *(a.* 229) (1).

24. **Cessatio parentum ususfructus.** Ususfructus in bonis filiorumfamilias cessat: 1) Si filius moriatur, emancipetur, matrimonium contrahat, vel fiat ætate major, id est si compleverit ætatem 21 annorum — 2) Si genitor superstes ad secundas nuptias transierit — 3) Si pater patria potestate abutatur aut obligationes non curando, aut bona male administrando. Quo in casu poterit vel in parte vel etiam in toto usufructu privari; et tunc ususfructus devolvitur ad matrem, etsi adhuc remaneat apud patrem patria potestas — 4) Cessat respectu conjugis, cujus culpa divortium legaliter sit pronuntiatum *(a.* 156, 232).

25. Si cessante usufructu, adhuc pergant parentes illum percipere, filio apud ipsos morante et quin inita fuerit conditio reddendæ rationis, parentes vel eorum hæredes non tenentur nisi ad fructus existentes a die quo postulantur *(a.* 234).

26. *Resolve:* I. Filiifamilias non possunt sibi in conscientia vindicare aliquod lucrum seu stipendium exigere a patre, quia in ejus negotio aut ejus nomine laborantes ipsum adjuvant, si tantum impendunt laborem ordinarium, citra conventionem; censentur enim agere uti partes ipsius familiæ.

Si vero impendant laborem extraordinarium, et præ cæteris fratribus vel sororibus adlaborent, patrimonium paternum non parum augendo, ipsos aliquod lucrum super alios sibi vindicare posse docent plurimi. Nam ex una parte filiifamilias non censentur deterioris conditionis, quam sit extraneus, cui concederetur stipendium illius excessus; ex alia parte nullo jure extraordinaria illa titulo gratuito adjudicantur patri. Unde filii possunt sibi compensare illa lucra, si ex rubore non petierint, neque remiserint gratis laborare volendo, vel nisi remittere debuerint ob patris necessitatem. Sed tunc deducendæ sunt expensæ, quas

(1) Filiifamilias dicuntur quamdiu sunt sub patria potestate constituti. Porro illorum bonorum, quorum parentes non habent ullum dominium, olim dicebantur *castrensia*, acquisita scilicet in militia vel in obsequio principis; vel *quasi-castrensia* acquisita ex beneficio, professione scientiæ aut artis liberalis. Bonorum vero quorum filiifamilias habent dominium directum, sed parentes usumfructum et administrationem, dicebantur *adventitia*, quæ nempe filiisfamilias obveniunt neque a patre neque intuitu patris, v. g. ex donatione. *Profectitia* autem erant bona quæ filiifamilias acquirunt ex bonis patris vel patris intuitu, v. g. laborando cum patre; quorum quidem dominium perfectum est patris.

pater fecerit in alendo et educando filio; eas enim dare non tenebatur filio potenti lucrari et volenti *(S. Alphonsus,* l. III, nn. 544, 910).

II. Filiusfamilias in bona minuta ac mobilia, quæ sibi a parentibus tradita sunt, si non sunt illico usu consumptibilia, uti vestes, libri, utile tantum habebit dominium; nam ex communi sensu illa non censentur absolute donata. Ideo nequeunt filii illa absque parentum consensu saltem rationabiliter præsumpto donare, vendere, mutuare, alienare.

Si vero ea bona primo usu consumuntur, ut pecunia, et data sint sine ulla conditione, potest filius de iis pro nutu disponere, ut patet. Si autem data sint sub conditione aliqua, v. g., emendi libros scholasticos, solvendi pensionem, filius si ea alium in finem impenderet, v. g. in ludo consumeret, peccaret contra justitiam; cum disponeret contra jus ipsi tributum. Imo onus incurreret restitutionis, nisi rationabiliter judicaret, parentes de hoc rogatos esse condonaturos: quod non facile præsumendum, si paterfamilias non ita sit dives, et habeat alios filios educandos.

27. **Bona Uxorum.** Alia sunt *dotalia,* quæ marito dantur ad sustinenda onera matrimonii. Alia *paraphernalia* seu extradotalia, quæ uxori obveniunt extra dotem, v. g. donatione, hæreditate. Si omnia bona uxoris paraphernalia sunt, de illis ipsa tenetur ad conjugii onera concurrere. Alia sunt quæ *communi utriusque conjugis labore* acquiruntur.

Principia: I. Bonorum *dotalium* maritus usumfructum et administrationem habet; uxor autem proprietatem, de qua ideo libere potest disponere soluto matrimonio. Potest tamen constitui in contractu, quod uxor singulis annis recipiat partem fructuum pro minutis expensis. In ipsa autem dotis constitutione sponsi simul pacisci possunt de aliquo lucro super dote favore conjugis superstitis. Attamen lucrum dotale non potest præjudicare iis, qui jus habent ad legitimam, quæ semper salva esse debet. Maritus non tenetur ad assecurationem dotis, si non fuerit conventum in instrumento constitutionis. — Potest autem uxor judicialiter separationem petere bonorum dotalium a viri sui bonis, si dos in periculo sit, vel res viri vergant in malum, vel ab ipso sit judicialiter separata *(a.* 1418) (1).

II. Bonorum *paraphernalium* proprietas, ususfructus et administratio est penes uxorem sub datis limitationibus *(a.* 1425).

(1) Cum pater non teneatur dotem filiæ constituere, in illius constitutione potest ponere pactum, ut dos restituatur casu quo filia et proles præmoriatur.

Ad bona paraphernalia spectant ea etiam quæ uxor sibi comparat singulari labore omnino extraordinario, adhibita rei familiaris sufficienti cura. Item ea quæ accumulat aliquid subtrahendo de sibi concessis ad vestitum, recreationem, etc.

III. Bonorum quæ *communi conjugum labore* acquiruntur ob receptam consuetudinem, ea conditio est, ut quidquid uxor acquirit ex communibus operibus, v. g., si maritum in negotio vel in opificio adjuvet, non sibi, sed marito acquirat *(a.* 1436). Secus vero si mulier proprio nomine laboraret, uti si pictrix sit, vel propria pecunia negotietur: tunc sibi acquirit ex communi sententia.

Casus. Misella tenuiter dotata a parentibus et nupta viro mercatori prædiviti, partim ex suis industriis, partim ex mariti pecunia, ipso inscio, negotiationi exposita, sibi peculium parat, quo possit honeste vitam transigere, si forte maritus præmoriatur parum ipsi relicturus, et ipsa non possit habitare cum filiis. *Quid?*

Peculium collectum ex industriis erit licitum, si in iis industriis Misella operam navet, quin ea quæ marito debet obsequia, eam quam debet filiis familiæque curam non deserat aut negligentius præstet. Item si non ideo maritus illam duxerit, ut diuturnis industriis compenset dotis defectum, et quidem extraordinariis. Peculium item ex negotiatione licitum erit, si pecunia surrepta otiosa remanet, si ea Misella utatur animo restituendi casu quo pereat, et si revera neque maritus aut hæredes provideant viduitati ejus. Quibus occurrentibus non videtur reprehendenda uxor illa; ideo etiam quia spectatis mariti divitiis, spectato animo et securitate restitutionis, spectata otiositate pecuniæ, potest rationabiliter præsumi consensus viri; de quo certo nequit dubitari, si accedat ex parte mariti ipsius obligatio providendi viduitati Misellæ uxoris. *Zuccherius.*

Art. 3. — De Interdicto, Inhabilitato, Surdomuto, Cæco, Mortuo et Absente.

28. **Interdictio.** Est privatio exercitii actuum vitæ civilis. Interdictus declaratur incapax personam suam gerendi et bona sua administrandi, eique adsignatur tutor. Duplex autem distinguitur interdictio: judicialis et legalis.

Judicialis pronuntiatur ob statum habitualem mentis imbecillitatis a tribunali ad instantiam conjugis, consanguinei vel publici ministerii, audito consilio familiæ aut tutelæ. Qui interdictus est judicialiter (nisi a judice in pristinum restituatur) nequit ex civili lege matrimonium *(civile* ut dicunt) contrahere, testamentum conficere, bona administrare *(a.* 61 *et* 763).

Interdictio *legalis* est quæ a lege civili infligitur uti pœnæ consectarium ob aliqua crimina: nempe qui condemnatus est

ad pœnam mortis, ad ergastulum, ad triremes perpetuo, interdictus est ipso jure, qui ideo cadit a patria et maritali potestate; nequit bona sua alienare, vel hypotecæ subjicere, item neque illa administrare.

29. **Inhabilitatio.** Pronuntiatur et revocatur sicut interdictio; statuta est tum contra prodigum qui expensis inutilibus et excessivis celeriter dilapidat bona sua; tum contra illum qui laborat quidem mentis imbecillitate, non tamen ita gravi ut debeat interdici. Inhabilitatus non potest exercere nisi actus simplicis administrationis; eique adsignatur curator quoad cætera. Prodigus etsi inhabilitatus potest et matrimonium contrahere et testari. Sicut etiam infirmus mente qui non sit interdictus; si tamen constat illum eo tempore fuisse sui compotem *(a.* 339, 763).

Nullitas actuum qui fiunt ab interdictis et inhabilitatis, proponi nequit nisi ab ipsis interdictis et inhabilitatis, ab eorum hæredibus, tutoribus, curatoribus et illis quorum interest; non tamen ab iis qui cum ipsis contractum inierunt *(a.* 335, 341).

30. **Surdusmutus vel cæcus a nativitate.** Quamdiu minores sunt sub tutela; semel autem adepta majori ætate, habentur uti inhabilitati, nisi a publica potestate declarati fuerint ad rebus propriis providendum habiles *(a.* 340) (1).

31. **Mortuus.** Vel talis est civiliter, vel naturaliter. Naturaliter qui revera ex hac vita migravit; civiliter, qui in pœnam patrati criminis politica et civilia jura perpetuo amisit (et juxta Ecclesiæ leges etiam qui regulare Institutum professus est). Verum quoties *mortis* simpliciter mentio fit, mors naturalis intelligitur *(a.* 1) (2).

32. **Absens.** Si ignoretur an vivus vel mortuus sit, et absentia modis a jure civili præscriptis declarata fuerit, post annos triginta continuos absentiæ, vel post lapsos centum annos a vita absentis, præsumitur mortuus quoad successionem bonorum. Quæ tamen si adhuc vivit, ipsi sunt restituenda *(a.* 20 *et seqq.)*.

(1) Surdi autem muti cæcique simul a nativitate amentibus comparantur, et pueris (et *idiotas* vocant). Quibus tutor deputatur, parentibus defunctis. Quoad *monomaniacos* vide Scavini, l. II, n. 524.

(2) Jura quæ hominibus in civili societate competunt, alia sunt *naturalia*, quæ ex ipsa hominis natura fluunt, ut jus ineundi contractus, nuptias et quidquid honestum peragendi. *Civilia* quæ homini in societate civili constituto per leges ipsas civiles obveniunt vel saltem firmantur, uti jura testandi, hæreditatem accipiendi. *Politica* quæ ad societatis regimen quoquommodo referruntur, ut est jus eligendi deputatos, vel alia publica munia ad bonum publicum tuendum (v. *Scavini*, l. II, nn. 545 *et seqq.)*.

DISPUTATIO SECUNDA

DE DOMINII ACQUISITIONE.

33. Vel acquiritur res, quæ est nullius aut nullius censetur, et modus iste dicitur *originarius;* quia cum dominii origine nectitur. Huc venit *occupatio,* cum nempe aliquid acquirimus facto nostro; et *accessio,* cum aliquid acquirimus vi rei nostræ.

Vel acquiritur res, quæ alicujus jam est, et modus iste dicitur *derivativus;* quia per eum dominium ab uno derivat in alium. Huc maxime venit *hæreditas, præscriptio* et *conventio.*

CAPUT PRIMUM

De Occupatione et Accessione.

34. **Occupatio.** Definitur: *Apprehensio rei corporalis in nullius dominio existentis, animo eam sibi comparandi.* Occupationis autem species sunt *inventio, venatio* et *piscatio.*

1) Per *inventionem* occupatio casu fit. Res autem quæ inveniuntur, *aliæ* dominum neque habent, neque habuerunt: v. g. lapilli et gemmæ, quæ in litore maris reperiuntur. *Aliæ* dominum quidem jam habuerunt, sed nunc desierunt habere: uti sunt thesaurus, bona vacantia et derelicta. *Aliæ* dominum habent, sed ignoratur quisnam sit: ut sunt res amissæ.

2) Per *venationem* et *piscationem,* data opera, nostra facimus animalia, quæ sunt nullius in particulari. Hic animalia alia sunt *natura sua fera,* quæ libere vagantur, vel terrestria, uti lepores; vel volatilia ut aves; vel natantia, ut pisces. Alia sunt *natura sua mansueta* et *domestica,* ut oves, gallinæ, boves. Alia *cicurata,* quæ ex feris mansueta fiunt, ut columbæ in columbario, cuniculi in garena *(S. Alph.,* l. III, n. 493).

35. **Venatio et Piscatio.** Utraque licita est per se: nulli enim fit injuria capiendo quod est nullius; attamen leges utramque justis de causis prohibere vel moderari possunt. Ut autem sciatur cujusnam sint animalia venatione et piscatione capta, videndum est, an animalia sint mansueta vel mansuefacta vel fera.

I. Si *mansueta*, illa semper sunt domini sui, etsi ab ejus conspectu subtraxerint se; quia utpote domestica nunquam censentur libera. Ideo si quis lucrandi animo ea detineret, vel fructus ab iis perciperet, v. g. plumam, ova, furtum committeret.

II. Si *mansuefacta*, quoadusque retinent consuetudinem revertendi ad dominum, semper sunt domini, prout animalia mansueta. Si vero illam consuetudinem amiserunt, erunt primi occupantis, non secus ac animalia fera; quia eo in casu cum iis æquiparantur. Attamen quoad *apes* quæ alveare reliquerint, dominus ex civili lege habet jus eas insequendi per duos dies: cætera autem animalia mansuefacta quæ illius custodiam evaserint, poterit repetere intra dies viginti. Excipe, nisi agatur de columbis, cuniculis et piscibus, qui si sedem propriam mutaverint, statim acquiruntur a domino novæ sedis, si tamen illos non attraxerit arte vel fraude *(a.* 462).

III. Si animalia sunt *fera*, apud omnes definitum est eadem esse primi occupantis *(S. Alph.*, l. III, n. 604).

36. **Resolve**: 1) Peccat contra justitiam qui venatur vel piscatur in fundo alieno qui sit omnino clausus, ita ut feræ exire nequeant, quia tunc censentur ad fundi dominum pertinere. Secus non; et tunc dominus fundi non habet jus accipere prædam in suo fundo ab alio occisam, etsi possit prohibere ne in suis prædiis venetur.

2) Qui loco non clauso vel tempore a lege civili prohibito aut sine debita permissione venatur, non peccat contra commutativam justitiam, imo probabiliter neque contra obedientiam, quia hæc prohibitio non habetur communiter et per se, nisi ut lex pure pœnalis *(Quoad clericos*, v. t. I., n. 249).

3) Si fera ita vulnerata erat aut illaqueata, ut adhuc posset fugam arripere, fit primi occupantis; quia adhuc censetur in naturali sua libertate. Si vero ita vulnerata erat aut illaqueata, ut non amplius potuisset fugam arripere, propria erit vulnerantis aut illaqueantis; est enim jam inchoata ejus possessio. Si res dubia sit, dividatur; cum æquale sit utriusque jus et spes. Sed juxta alios tenet lex illa generalis: *Feræ bestiæ capientibus cedunt, non vulnerantibus* (S. Alph., *Ho. ap.*, t. x, n. 71).

4) Qui extrahit ovem ab ore lupi, non potest illam retinere; nam res semper clamat ad dominum quousque salvari potest. Ad eum fere modum quo quis subtrahens rem quamlibet ex incensa domo, etsi certo esset peritura, illam salvat non sibi, sed domino.

5) Dicunt communiter quod dominus potest occidere columbas alienas, cum graviter noceant suo fundo tempore messis aut seminationis, si alio modo damnum vitare nequeat, v. g. monendo, terricula ponendo; nam quisque jus habet damnum sibi præcavendi; occisa tamen animalia domino restituenda sunt. *Lugo, Gury* (v. *Scavini*, l. II, nn. 512 et seqq.) (1).

(1) *Titius hortum habet non tamen undique clausum; cum gallinæ vicini proprietarii hortum devastent, vult illas occidere.* Non potest, neque enim gallinæ sunt animalia fera; ideo vel melius hortum claudat, vel agat contra proprietarium pro damni reparatione. *Giornale delle leggi.*

37. **Thesaurus.** Est: *Depositio pecuniæ cujus initii non extat memoria* (ita ut nemo possit demonstrare illam esse suam). Sub nomine *pecuniæ* venit res quæcumque, pretio tamen æstimabilis, ut numisma, vasculum, campanula, urna, statua. Dicitur *depositio,* ad indicandam rem infossam et absconditam; secus ipsa non haberetur ut verus thesaurus ex communi acceptione, sed simplex res amissa, ut si aurum in terræ superficie reperies vel in angulo domus. Dicitur *cujus initii non extat memoria;* alias domini erit, vel ejus hæredum.

Principia. Thesaurus, attento solo Jure naturæ, ad inventorem spectat; quia habetur uti res nullius: unde esse debet primi occupantis. Attamen spectato jure civili, totus quidem est inventoris thesaurus, si in proprio fundo inveniatur. Verum si casu inveniatur in fundo alieno, thesaurus dividitur per dimidiam partem inter inventorem et dominum fundi. Si autem data opera quæratur in alieno fundo, totus domino fundi cedit *(a.* 714). Hinc notandum est:

1. Per dominum fundi intelligitur qui habet dominium directum fundi ipsius, non vero qui habet utile tantum. Unde usufructuario nullum competit jus in thesaurum, nisi quatenus est inventor *(a.* 494). Attamen ex lege civili hoc jus competit emphiteutæ *(a.* 1561).

2. Censetur invenisse thesaurum qui primus rem viderit aut visibilem reddiderit, etsi nondum apprehenderit. Unde si artifex coram domino laborans thesaurum videat, et dominus eum removeat ne illum apprehendat, artifex jus habet ad dimidium. Excipe nisi artifex præcise a domino conductus fuit ad quærendum thesaurum.

3. Qui invenit thesaurum in fundo alieno etiam casu, tenetur illico in conscientia dimidium reddere domino fundi. Nam hæc civilis juris dispositio est determinativa proprietatis. ratione boni communis, ut tenent fere omnes. Qui vero ex industria thesaurum invenit in alieno fundo, utrum debeat non tantum dimidium, sed totum domino reddere ante judicis sententiam, negant communiter, quia quoad hoc lex habetur uti pœnalis, quæ non obtinet ante sententiam.

4. Si thesaurus inveniatur in fundo communitatis, ecclesiæ, aut demanii, in illum jus habet una cum inventore communitas, ecclesia, demanium; quia hæc habentur uti totidem personæ *(a.* 425).

5. Qui bona fide emit arcam, in qua gemmas vel pecuniam

invenit, totum sibi retinere potest, si nulla sint vestigia ut judicetur ad quem hæc pertineant. Quia est simul et inventor et dominus.

6. Opifex, si in domo aliqua laborando inveniat in aliquo angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniæ, dimidiam partem retinere potest, si nulla adsint vestigia pecuniam illam esse talis personæ vel familiæ. Quia tunc rationem thesauri haberi videtur.

7. Qui pretio communi emit agrum credens ibi reconditum thesaurum, totum retinere potest, si inveniat; nam thesaurus nondum repertus ad dominum agri non pertinet, neque est pars fundi, quæ ejus pretium augeat *(apud* Scavini *aliæ resolutiones*, l. II, n. 519).

Casus. Blondina famula emit piscem; illum exenterando in ejus visceribus nummum veterem invenit aureum. *Nummus inventus non debetur piscatori, qui piscem vendens ignorabat aureum in illo latere; ergo neque proprie potuit illud facere suum et occupare. Alii totum adjudicant ad dominum ancillæ, etenim piscis, et quidquid in eo erat, fuit ejus sumptibus et pro eo emptum. Sed alii volunt dividendum inter dominum et ancillam sicut dividitur thesaurus; sane aureum illud non est pars piscis, adeo ut potuerit haberi ejus ratio in piscis emptione.* Carrière.

38. **Bona derelicta atque vacantia.** *Bona derelicta* sunt bona quæ dominus sponte rejicit animo a se abdicandi eorum dominium. Unde huc non veniunt quæ dominus necessitate coactus projicit, v. g. in viam, quia incensa est domus; in mare ne submergatur navis, quæ semper domini sunt. Bona derelicta ex universali consuetudine si mobilia, sunt primi occupantis. Si vero immobilia sint, ex lege civili transeunt ad hæredes ab intestato, et istis deficientibus usque ad decimum gradum inclusive, ad fiscum, nisi a tertio legitime præscribantur.

Bona vacantia sunt quæ quis reliquit ab intestato moriens, quin habeat hæredes intra decimum consanguinitatis gradum; vel habeat, sed isti hæreditatem repudiant, vel non curant. Hæc lege civili, nulla facta distinctione mobilium et immobilium, pertinent ad fiscum *(a.* 758).

39. **Res inventæ.** Si agatur de rebus inventis quæ dominum nec habent nec habuere, lege civili definitum est, ratione ipsa suggerente, eas pertinere ad ipsum inventorem. Hinc lapilli, gemmæ, fragmenta auri, margaritæ, coralla, etc., quæ in fluminum fundo reperiuntur vel scopulis adhærent, sunt inventoris. Non sunt tamen inventoris, sed domini fundi, petrolium,

fossilia, torba, lignitis, guanum; quæ considerantur tanquam pars fundi in quo inveniuntur, uti aquæ fons, qui ibi scaturiret; quæ ideo neque veniunt nomine thesauri (1).

Si vero agatur de rebus inventis, quæ dominum adhuc habere censentur, si diligentia adhibita, statim invenitur dominus, res ei tradendæ sunt; cum clament ad dominum. Hinc illud Augustini: « Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti. » At si quæras: cuinam sit in conscientia tradenda res inventa, si debita diligentia adhibita ejus dominus non potuerit inveniri, alii communius docent illam pauperibus esse distribuendam, vel in pios usus ex præsumpta domini voluntate. Alii sic verius distinguunt cum Lugo: si post adhibitam diligentiam aliqua appareat spes inveniendi dominum, res conservanda est aut ejus pretium; et si neutrum servari potest, debet distribui pauperibus, quia tali spe durante dominus habet dominium rei; ideo illa distribuenda est juxta ejus præsumptam voluntatem. Si e converso res (spectatis circumstantiis temporis, distantiæ, loci ac rerum) non sit amplius possibile, quod dominus inveniatur, illam potest inventor sibi retinere, cum sit nullius; et si casu postea dominus compareat, nihil ei debetur, cum amiserit omne jus (2).

Ad judicandum quando intervenit ista impossibilitas, norma esse potest lex civilis; ex qua res inventa syndaco consignari debet publico notificanda (alicubi parocho consignari solet, maxime si res non sit tanti momenti). Si compareat dominus, ei redditur, reservato præmio inventori (3); si dominus post lapsum biennium non inveniatur, res habetur ut derelicta et est inventoris *(a.* 717) (4) — Si tamen agatur de aliquo tan-

(1) Venæ metallicæ, lapidicinæ, salinariæ, etc. *(miniere, saline)* specialibus reguntur legibus. Facultas requiritur ad eas inquirendas: præfertur autem earum inventor quoad eas excolendas, tributo ærario soluto, et domino fundi debita præstita indemnitate.

(2) Præsumpta domini voluntas inventa pauperibus distribuendi, ne nimis urgeatur; secus et ipse thesaurus esset distribuendus pauperibus. Nostram sententiam expresse tenet d. Thomas, qui ait: *Et similiter si* (res) *pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum* (2, 2, q. 66, a. 5). S. Alph., l. III, n. 603.

(3) « Primo dovere di chi trova qualche oggetto, è di consegnarlo al proprietario. Ciò implica una certa latitudine nell' impiego dei mezzi per iscoprire il proprietario. Chi trovando una cosa in Chiesa la consegna in sacrestia, mostra senza fallo il suo buon volere di riescire più prontamente nella ricerca. Chi potrebbe avvisare nel suo operato quel dolo che è necessario a costituire un reato? Se però il proprietario non si trova, bisogna allora consegnare l'oggetto al sindaco. » *Giornale delle leggi*, 1875.

(4) Si quis bona fide rem inventam omittat modo præscripto consignare et publicare, sed cæteroquin non omittat dominum quærere, in foro interno et ante judicis sententiam, mitius tractandus erit. *Stapf.*

tum nummo ordinario et minuto amisso, illud inventor retinere potest, nisi statim dominus compareat; expectando enim vix potest inveniri ac recognosci verus dominus (v. *Scavini*, t. II, n. 518).

Casus. Uxor mercatoris porcorum stabula lustrans pretiosum annulum amisit, quem amplius non potuit invenire. Paulo post ejus maritus cuidam cauponi suem miræ magnitudinis, soluto pretio vendidit. Hic post paucos dies dum occisam belluam eviscerat, annulum amissum invenit. *Annulus debetur venditoris uxori; nam res clamat ad dominum, et mercator vendendo bestiam non intendit vendere annulum, neque ejus amissio ipsum privat re sua quam adhuc invenire potest.* Gury.

40. **Accessio.** Id est *rei ad rem unio et adhæsio:* est modus acquirendi dominium, *quo nostrum fit quod vel rebus nostris adjungitur, vel a rebus nostris producitur.* Duo igitur sunt genera accessionum:

1) Evenit quando *res una ab altera producitur* vel *naturaliter*, ut fructus agrorum, partus animalium; animal enim, quod ex nostro animali nascitur, nostrum est, etsi conceptum de animali alieno: qui enim habet matrem, jus habet ad ejus partus. Vel *civiliter*, ut pensio fundi locati; pensio pertinet ad proprietarium fundi (1).

2) Evenit quando *res alterius nostræ adjungitur,* uti fundus fundo, pecunia pecuniæ. Idque contingit per plantationem, ædificationem, et cursum aquarum quoad immobilia. Quoad mobilia vero per adjunctionem, specificationem, et commixtionem seu confusionem *(a.* 443).

41. **Accessio per plantationem et ædificationem.** Hac de re tres factorum species supponi possunt:

I. Quod dominus plantet vel ædificet in fundo proprio, sed materia aliena: et tunc evadit dominus plantationis et ædificii, sed tenetur solvere materiæ valorem, et potest etiam cogi ad compensationem damni et usurarum. Imo proprietarius materiæ habet jus ad illam sibi vindicandam, si id fieri possit, quin opus destruatur aut facta plantatio depereat.

II. Quod extraneus plantet vel ædificet in fundo alieno, sed materia propria: qui si id egit mala fide, dominus fundi habet jus vel sibi retinendi illa opera compensando materias et ex-

(1) Quidquid res fert, *fructus* appellatur. Fructus alii sunt *naturales* qui naturæ beneficio a re proveniunt, ut poma, nuces. Alii *civiles* qui non ex re, sed rei tantum occasione percipiuntur, ut pensio domus locatæ, usura pecuniæ. Alii *industriales* seu mixti, qui ex re ipsa, sed juvante hominis industria gignantur, tu sata. Lex tamen civilis fructus industriales ad naturales revocat.

pensas, vel exigendi ut e fundo penitus evellantur ædificatoris expensis. Sed si id egit bona fide, dominus fundi potest rem illam retinere solvendo alteri vel valorem materiæ et expensas operum, vel augmentum valoris fundi; at nequit exigere ut opera e fundo evellantur.

III. Quod tertius plantet vel ædificet in fundo alieno et materia aliena, v. g. si Titius in fundo Sempronii domum ædificavit adhibens materiam Caji. Dominus fundi potest exigere ut illa destruatur, vel illam sibi retinere prout tertius ille fecit in mala vel bona fide, ex dictis. Dominus autem materiæ eam sibi vindicare nequit, sed potest ejus pretium exigere *(a.* 451).

42. **Accessio vi cursus aquarum.** Huc venit:

I. *Alluvio;* contingit quando aliquid vi fluminis successive et insensibiliter ita fundo Titii adjicitur, ut intelligi nequeat quantum quovis temporis puncto adjiciatur; hoc incrementum pertinet ad Titium, cujus est fundus, sub certis clausulis. Similiter quando aqua currens paulatim unam ripam deserit alteram supergrediendo, proprietarius ripæ a flumine derelictæ incrementum acquirit; si excipiantur loca a mari relicta, quæ sunt demanii.

II. *Avulsio;* contingit, quando vi et impetu improviso, v. g. fluminis, pars aliqua notabilis (vel planta) distrahitur ab uno fundo et adjungitur alteri. Hæc semper manet in dominio illius, a cujus fundo detracta est, si intra annum vindicetur; et etiam post annum, si nondum eam ocupaverit dominus fundi, cui illa vi adjuncta fuit.

III. *Mutatio alvei;* evenit, cum flumen, primo alveo relicto, per novum decurrit. Alveus relictus eorum est qui prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque prædii.

IV. *Insula in flumine nata;* si flumen navigationi inservit, insula est fisci, nisi opponatur præscriptio (quod si fuerit impetu avulsa compensandus proprietarius fundi, a quo avulsa). Si flumen non inservit navigationi neque insula impetu sit avulsa, pertinet ad eos, qui utrinque prædia possident *(a.* 458).

43. **Accessio per adjunctionem, specificationem, confusionem.** Hæc maxime regitur principiis naturalis æquitatis, quæ quidem judex sequi debet. Attamen normæ assignantur.

I. *Adjunctio* est, quando una vel multæ res mobiles, quæ ad diversos pertinent, coalescunt alteri rei tanquam principali: v. g. si plures gemmæ plurium dominorum annulo includantur, ita ut unum annulum constituant. Si res secundaria quæ prin-

cipali adjungitur, est longe pretiosior, proprietarius rei adjunctæ (si id evenerit absque ejus consensu) potest vel totum sibi vindicare, soluto pretio rei principalis; vel petere separationem ejusdem a re principali. Si vero res secundaria non est longe pretiosior, tunc si res possunt separari absque detrimento, quilibet dominus retinet proprietatem rei suæ. Si non possunt, totum pertinebit ad dominum rei principalis, soluto pretio rerum adjunctarum.

II. *Specificatio* est quando nova species conficitur ex re aliena, v. g. si quis ex lana Titii conficiat pannum. Si res ad specificationem adhibita valde superatur a labore impenso in specificatione, industria habebitur ut principalis, et ideo artifex poterit eam sibi retinere solvendo domino valorem materiæ; esset si pictor adhibuisset ad pingendum colores non suos. Si vero res non multo superatur a labore, dominus rei poterit novam speciem vindicare sibi, solvendo pretium specificanti pro ejus labore. Quod si species fuerit confecta partim ex propria, partim ex aliena materia, si separari nequeat absque detrimento, opus erit publica hasta vendendum, et pretium perceptum ex æquo dividendum.

III. *Confusio* sive *commixtio* est quando diversæ materiæ ad complures dominos pertinentes simul commiscentur. Id contingit vel in corporibus liquidis, v. g. si vinum duorum simul infundatur in unum vas; vel in corporibus solidis, v. g. si nummi Titii cum nummis Sempronii immisceantur. Quo posito en resolutio:

1) Quando novum corpus confectum fuit ex commixtione diversarum materiarum quarum neutra potest haberi tanquam principalis, si materiæ adhuc separari valeant, ille quo inscio commixtæ sunt, separationem petere potest. Quod si separari nequeunt, novum corpus fit commune, vel publica hasta vendendum, vel æque dividendum.

2) Si materia unius proprietarii quantitate et pretio longe alteram superaret, dominus materiæ pretiosioris sibi vindicare potest corpus totum, tribuendo alteri pretium illius materiæ. Cæterum qui res alterius cum propriis commiscuerunt, tenentur etiam de damnis, si id egerint sine consensu proprietarii. Imo et pœnis subjiciuntur, si res illæ fuerint furto ablatæ *(a.* 475).

CAPUT SECUNDUM

De Hæreditate.

44. **Hæreditas**. Hæreditas proprie est universum jus defuncti in quod hæres succedit; solet tamen communiter definiri: *Successio in jus, quod defunctus habebat tempore mortis* (1). Duplex est: vel enim defertur ab hominis voluntate per testamentum, et dicitur *hæreditas*, sive *successio testamentaria*. Vel defertur ex dispositione legis, si non adsit testamentum, vel testamentum sit invalidum; et dicitur *hæreditas legitima*, sive *successio ab intestato* — Qui defert hæreditatem, dicitur *testator;* is, cui defertur, *hæres*. Hæres autem alius est necessarius, alius legitimus et alius extraneus.

Necessarius, quem testator tenetur ex lege saltem in parte instituere, nisi incapax habeatur ad succedendum. Hæredes necessarii sunt maxime descendentes, et in eorum defectu ascendentes defuncti (2).

Legitimus qui ipso jure succedit, deficiente testamento; ideo *ab intestato* ex vi legis ipsius. Legitimi habentur omnes consanguinei in linea recta ad infinitum, in collaterali usque ad decimum gradum in civili computatione; usque ad quintum in computatione canonica.

Extraneus seu *voluntarius,* qui pro arbitrio institui potest. Ubi notandum quamcumque dispositionem testamentariam nullam esse, si ille, in cujus favore facta est, testatori ipsi minime prævixerit *(a.* 890).

Art. 1. — De Testamento et Hæreditate testamentaria.

45. **Testamentum**. Est *actus legitimus et revocabilis, quo quis libere disponit de bonis suis, in toto vel etiam in parte, morte adveniente.*

(1) Ut in leg. *hæreditas* 62 § de reg. juris. Hæreditas in Jure civili appellabatur quoque *as*, *pondo* seu *libra*, cujus partes vel unciæ præcipuæ enumerantur duodecim: duæ unciæ dicuntur *sextans* (hæreditatis), tres *quadrans*, quatuor *triens*, sex *semis*, octo *bessis*, novem *dodrans*, undecim vero unciæ dicuntur *deunx*.

(2) Huc ex parte revocantur tum filii naturales si legaliter cogniti, tum conjuges si non legaliter separati, quibus aliqua portio debita est ex lege (vide n. 58). Imo ex ipso jure naturæ, etsi lex civilis non provideat, istis aliquid relinquendum est, si indigeant ob arctissimum quod intercedit inter patrem et filium, inter virum et uxorem vinculum.

Dicitur *legitimus*, id est ex legum præscriptione. Etsi enim facultas testandi probabilius sit repetenda a jure naturali, nam apud omnes ultima voluntas sacra habetur (1); attamen pertinet etiam ad jus civile illam moderari, cum agatur de bono publico — Dicitur *revocabilis*, neque enim quis potest renuntiare facultati revocandi vel mutandi ultimas suas voluntates — Additur *in toto vel etiam in parte;* quia hodie testator, contra veterem juris præscriptionem, potest etiam disponere de aliqua tantum parte rerum suarum, et relinquere ut cæteræ deferantur ad hæredes *ab intestato*. Item potest plura relinquere legatario, quam hæredi *(a.* 759).

Monitum. Ne testator differat testari de die in diem; sed præstat ut statim ac quisque liber est, de suis bonis disponat, ne post ejus mortem jurgia, lites aliaque incommoda oriantur, et provideat si quas habeat obligationes (2). Hinc illud: *Testamentum facito, dum sanus es, dum liber es, dum tuus es.*

Habet Rituale: *Si morbus gravior vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat* (confessarius), *ut dum integra mente est, rem suam omnem constituat et testamentum faciat.* Et Stub: « Il dovere di avvertire l'infermo è più urgente, quando il sacerdote sappia che vi sono obblighi speciali di giustizia.... Se l'infermo vuol consigliarsi col sacerdote intorno alle disposizioni testamentarie, questi lo istruisca precipuamente degli obblighi di giustizia, di lasciare a chi di diritto, e di provvedere ai parenti più stretti, massime se in necessità (hinc necesse est ut sacerdos noscat principales legis civilis dispositiones, ne forte suggerat quod illis contrarium est.—). Ma riguardo alle disposizioni arbitrarie, meglio è per solito, che mai se ne ingerisca, dicendo con s. Filippo Neri, che l'*infermo lasci la roba a chi vuole, purchè lasci l'anima a Dio.* E soprattutto fugga, come ordina il Rituale, la nota d'interessato; e ciò non pure rispetto alla propria persona, ma eziandio rispetto alla sua Chiesa e alle proprie opere pie da lui promosse o dirette. Si astenga altresì dal consigliare disposizioni che tornino a svantaggio di qualche terzo, non convenendo, come osserva s. Alfonso, che i ministri di G. C. si attirino odiosità per tali motivi. » Monet d. Ambrosius *(De Officiis*, l. III, c. 9): *In causis pecuniariis intervenire non est sacerdotis ;... in causa pecuniæ odia quærere insipientia est* (v. Scavini, *l.* II, *n.* 525; *l.* IV, *n.* 44).

46. *Testamenti divisio.* Testamentum duplex est: *ordinarium* et *speciale.* Ordinarium aliud dicitur *holographum*, si nempe conficiatur ab ipso testatore, quin notarius aliquam partem habeat. Aliud dicitur *publicum,* aliud vero *secretum,* prout a notario vel conficitur vel tantummodo recipitur — *Speciale* vero

(1) Testamentum, ait Troplong, triumphus est animæ liberæ et immortalis, cujus voluntas quoties alieno juri non officiat, adeo sacra permanet, quemadmodum sacra est hominis libertas et natura.

(2) Maxime, cum facile mutari possit, circumstantia diversa adveniente, si testamentum holographum fiat.

extraordinariis circumstantiis intervenientibus scribitur sine tot solemnitatibus (1).

47. **Testamentum holographum.** Ad testamenti holographi validitatem oportet: 1) Ut totum sit scriptum manu propria ipsius testatoris — 2) Ut in fine vel sub initio dispositionis indicentur dies, mensis et annus quo confectum — 3) Ut sit sub fine omnis dispositionis subscriptum ab ipso testatore; atque adeo ut sine ambiguitate constet de ipsius persona. Dies, mensis, et annus etiam numeris indicari possunt; attamen ad majorem securitatem præstat, ut totidem literis, atque per extensum exarentur.

Potest hoc testamentum paucis verbis scribi quacunque lingua ac charta, etsi non obsignata *(bollata)*; et novæ possunt fieri additiones, modo tamen referant tres conditiones supra notatas. Non autem necessario indicandus est locus, cum id non sit præscriptum nisi pro notariis. Neque officiunt lacunæ, nec lituræ aut interpositiones, modo integræ scribantur ab ipso testatore, adeo ut si vel unum verbum aliena manu sit conscriptum tanquam vera pars ipsius testamenti, tota dispositio irrita sit *(Plura pro praxi apud* Scavini, l. II, n. 526) (2).

Cum facile testamentum holographum possit lacerari ab iis quorum interesse potest; ideo præstat ut bina aut plura exemplaria conficiantur: unum ipse testator apud se retineat, alterum vel cætera apud probatum virum vel viros deponat. Cæterum, ut suam habeat vim testamentum holographum, requiritur ut deponatur morte testatoris secuta (de qua fides in carta obsignata exhibenda est) penes notarium loci, ubi successio aperta est, præsentibus prætore mandamenti ac duobus testibus. Aperitur autem successio ab ipsa testatoris morte in loco ultimi

(1) Forma extrinseca actus inter vivos vel causa mortis servanda ea est, ubi conficitur actus; *locus regit actum,* est regula juris *(Cod. civ.*, a. 9, *proœm.)*.

Ipsa autem bona si *mobilia*, reguntur legibus nationis proprietarii, nisi aliter constitutum sit a legibus loci ubi bona reperiuntur. Si *immobilia*, reguntur legibus loci ubi ipsa sita sunt. At successiones legitimæ et testamentariæ quoad ordinem et mensuram successionis, item quoad intrinsecam dispositionum validitatem reguntur legibus nationalibus personæ de cujus hæreditate agitur, quæcunque sint bona et in quocunque loco posita *(a.* 7 *et* 8).

(2) *Exemplum*: « Io sottoscritto chiamo erede universale di tutti i miei beni il mio fratello Carlo.

« Il primo gennajo mille ottocentosettantacinque. »

« Pietro Mira del fu Andrea. »

illius domicilii, ubi nempe larem, rerum fortunarumque suarum summam præcipue retinebat (1).

Id etiam notandum quod testamentum secretum a notario vel alio officiali ad id deputato receptum, si non potest ob aliquam circumstantiam valere uti tale (puta quia testis non fuit idoneus), obtinebit uti testamentum holographum, si tamen habeat omnia supra dicta requisita *(a.* 774, 804, 912).

48. **Testamentum publicum**. Hoc recipitur ab uno notario coram quatuor testibus (vel etiam a duobus notariis, et tunc ordinarie duo testes sufficiunt). Testator declarare debet coram testibus suam ultimam voluntatem notario, qui eam scribat (potest etiam ad scribendum uti opera amanuensis). Dein notarius actum perlegat intelligibili voce una simul testatori et testibus præsentibus. Quæ omnia notare debet in ipso testamento, declarando nempe se et actum per se vel per alium scripsisse juxta voluntatem a testatore sibi significatam, et illum legisse coram testibus et testatore simul.

Actus postea subscribatur a testatore, a testibus et a notario. Si autem testator subscribere nequeat vel nesciat, debet declarare causam impedimenti; et notarius tenetur adnotare et impotentiam, et declarationem impotentiæ ab ipso testatore factam *(a.* 777).

49. **Testamentum secretum**. Forma testamenti secreti recepti a notario est sequens:

1. Ut testator testamentum subscribat, et quidem in fine, si testamentum totum ipse scripserit. Si usus est ad scribendum etiam in parte opera aliena, debet testamentum subscribere ad singulas paginas.

2. Ut testamentum seu schedula claudatur, et sigillo muniatur coram notario et quatuor testibus, ita ut nequeat sine læsione legi. Si schedula jam clausa et sigillo munita sit, testator coram prædictis eam notario præsentet, declarans in ea contineri suam ultimam voluntatem.

(1) Ne confundas aperitionem testamenti cum aperitione successionis. Aperire testamentum est illud resignare cui de jure, ut aperiatur, legatur et publicetur quæ sit voluntas testatoris; aperire successionem significat incipere in hærede jus in rebus defuncti — Si testamentum est *publicum* nulla solemnitas requiritur pro ejus aperitione; sed satis est copia testamenti a notario danda. Si est *holographum*, tunc prius deponendum penes notarium coram prætore et duobus testibus cum suis subscriptionibus *(art.* 26 *et* 912). Si est *secretum*, ad instantiam interesse habentium a notario aperiendum est cum præscriptis solemnitatibus, et publicandum coram prætore et duobus saltem testibus, qui ad præsentationem (si fieri potest) interfuerint *(art.* 912 *et* 915).

3. Si testator manu aliena usus est ad scribendum suum testamentum, etiam in parte tantummodo, nec potuit illud subscribere, declarare debet in actu consignationis causam hujus omissionis; ac insuper se testamentum legisse, quorum omnium fieri debet expressa mentio a notario (1).

4. Restat ut notarius actum conficiat secutæ testamenti consignationis (absque interruptione), in qua indicet traditionem ipsam et declarationem testatoris, numerum et imaginem sigillorum, testibus continue præsentibus: actus autem debet subscribi a testatore, testibus et notario. Quod si testator actum, impedimento superveniente, nequeat signare, causa impedimenti ab ipso declaranda est, et notarius tenetur hujusce declarationis mentionem facere *(a.* 779, 783).

50. **Testes in testamento.** Testes idonei sunt illi omnes qui non reputantur incapaces Lege naturali ac civili. Quoad legem naturæ habentur incapaces ad testimonium ferendum surdi omnino et muti, si nesciant scribere; cæci; item qui testatoris linguam penitus ignorant: quia isti omnes non satis fidem facere possunt de actu exarando. De amente, qui lucida habeat intervalla, disputant.

Quoad legem civilem, si agatur de testamentis ordinariis statuitur, ut testes sint ætate majores, masculi (hodie etiam fœminæ), subditi, vel si extranei, in regno residentes (id est quasi-domicilium tenentes); fruentes juribus civilibus (id est non legaliter interdicti). Non admittuntur amanuenses seu scribæ, nec tyrones notarii qui testamentum recipit *(a.* 788) (2).

51. **Testamentum speciale.** Revocatur:

1) Ad testamentum *tempore pestis,* vel *contagii dominantis,*

(1) Qui non potest legere non potest testari, nisi testamento publico *(a.* 785). *Surdus* omnino si sciat legere et scribere, potest testari quocunque modo; at in testamento publico cum non valeat audire notarium qui illud clara voce coram testibus legit, tenetur testator legere coram tabellione et testibus, et de hoc expressa fieri debet mentio ab ipso tabellione. Quod si legere nesciat, ad testamenti veritatem melius tuendam requiruntur quinque testes, si testamentum ab uno notario recipiatur; tres, si duo notarii interveniant.

Tandem *mutus* et *surdusmutus,* si scribere nesciant inhabiles sunt ad testandum. Si sciant legere et scribere, nequeunt quidem conficere testamentum publicum, cum non valeant notario declarare propriam voluntatem: possunt tamen testari testamento holographo; et etiam secreto, sed tunc debent scribere in præsentia testium et notarii in ipso consignationis actu, quod in eo habetur suum testamentum; quod si ab alio scriptum sit, insuper declarare debet illud a se lectum. Et de his omnibus notarius mentionem facere debet *(a.* 786).

(2) Apud nos hodie admittuntur etiam fœminæ, cum ad testificandum habiles declarentur lege 9 dec. 1877: *Sono abrogate le disposizioni di legge, che escludono le donne dall' intervenire come testimonj negli atti pubblici e privati.*

quod valet receptum vel a notario vel judice vel syndaco vel ministro cultus, aut ab aliis qui dictorum vices gerant; si duo sint testes, etiam alterutrius sexus, modo sexdecim annos compleverint: et aliqua alia serventur. Valet ad sex menses post morbi cessationem, etc.

2) Ad testamentum conditum *in itinere super mari,* quod a superioribus navis potest recipi: hic pariter sufficiunt duo testes, sed mares (hodie etiam fœminæ) et ætate majores. Valet ad tres menses, ex quo testator in terra descendit, et eo venit ubi testamentum ordinarium scribere potest.

3) Ad testamentum *militare,* quod recipi potest a superiore militiæ, aut chirurgo si miles ægrotet: satis est, si duo sint testes masculi (hodie etiam fœminæ) et ætate majores. Hoc testamentum (quod valet ad tres menses a cessatione impedimenti) confici potest ab iis, qui sunt actu in expeditione militari etiam intra ditionem; vel occupant præsidia extra ditionem; vel sunt captivi apud hostes, aut in locis belli causa omni ex parte interclusis *(a. 789 et seqq.).*

52. **Testamentum extrinseca solemnitate destitutum.** Testamentum, cui desunt tantum solemnitates extrinsecæ a civili lege sub validitate præscriptæ, ut v. g. si testator morbo repentino correptus nequiverit testamentum subscribere, vel si desint designati testes, vel si notarius non compleat omnes actus ab ipsa lege præceptas, etc., quod sit nullum in foro externo, indubium est; cum id expresse declarent omnes civiles codices, etsi aliunde constet de voluntate testatoris (1).

An autem testamentum illud valeat saltem in foro interno et conscientiæ, dissident inter se Theologi.

Alii cum s. Antonino satis probabiliter affirmant; nam a voluntate oritur obligatio, cum lex civilis sit tantum in subsidium juxta illud: *Non fit locus provisioni legis, nisi quando cessat provisio hominis.* Hic porro hominis provisio habetur, licet erratum sit in forma — Alii cum Alasia contendunt testamentum nullum esse; quia lex solemnitates præscribens, cum sit lata ob bonum publicum, ad fraudes præcavendas, etiam in conscientia ligat.

Tertia sententia fere conciliando duas oppositas, docet dictum testamentum (modo libere factum, a personis quæ non sint inhabiles ex lege, et sine legitimæ læsione) non esse quidem invalidum ipso jure in foro conscientiæ; attamen irritum declarari posse per sententiam judicis si ad illum fiat recursus, cui quidem in conscientia ob publicum bonum obtemperandum est. Et vero cum satis probabile sit ex tali testamento oriri vinculum na-

(1) Cæterum præstat notare art. 1311 Cod. civ.: *La esecuzione volontaria di una disposizione testamentaria dopo la morte del testatore, inchiude la rinunzia ad opporre i vizj e qualunque altra eccezione.* Ubi supponitur vitia non ignorari.

turale, tam vocatus hæres quam legatarius jus habebunt petendi, acceptandi et retinendi (si jam possideant) id quod sibi ex certa et indubitata testatoris voluntate tribuitur, donec a parte contraria seu ab hærede ab intestato non ponatur legis civilis exceptio, et per judicem aliud declaretur. Quis sane voluntarie dimittet quod titulo testamenti vel alterius contractus minus solemnis absque fraude vel vi obtinet, dum a nemine repetitur?

Hæc sententia probabilior, cum occurrat etiam variis incommodis, in praxi amplectenda est; durius enim esset quod legatarius aut vocatus hæres teneatur renuntiare testamento quod refert genuinam et ultimam testatoris voluntatem, quæ adeo sacra est ante sententiam judicis declaratoriam; aut quod hæredes ab intestato nullitatem testamenti formis legalibus destituti petere non possint beneficio legis utendo. Porro hæc sententia ab utroque rigoris excessu rem temperat *(S. Alphonsus*, l. I, n. 35; l. III, nn. 711, 927) (1).

53. *An* (quæres) *dato quod testamentum etiam in conscientia nullum sit defectu legalis solemnitatis, valeat quoad legata?*

R. Si res sit de legatis profanis, idem currit quod supra; cum nulla specialis religionis ratio habeatur in iis constituendis. Si vero sermo sit de legatis piis, nonnulli adhuc tenent ea nullius esse valoris etiam in conscientia; quia corruente principali, nempe testamento, corruit etiam accessorium, nempe pium legatum. Verum probabilius affirmandum est illa in conscientia valida esse; nam specialis ratio hic habetur in accessorio, quæ non est in principali, nempe favor Religionis. Adde: piæ causæ cum ad Ecclesiam pertineant, ejus subjacent jurisdictioni; at Ecclesia passim declaravit per S. Pœnitentiariam talia legata firma esse debere, si duo interfuerint testes; vel si certo constet ipsi hæredi voluntas testatoris sive per verba, sive per scripturam; testamentum enim ad causas pias habetur privilegiatum, firmum et sacrum, ex c. 11 *de testam.* Et leges civiles efficere non possunt, ut in foro Ecclesiæ tale non habeatur *(S. Alph.*, l. III, n. 922) (2).

(1) Quod autem post judicis sententiam etiam in foro conscientiæ pro irrito sit habendum tale testamentum, quamvis ante sententiam pro valido haberetur, patet a simili variis exemplis, ut refert L. Ferrari. Sic quamvis contrahens cum minore sine auctoritate tutoris, naturaliter et in foro interno valide agat, et tuto retinere possit quod vi talis contractus accepit; tamen posteaquam judex contractum nullum et irritum declaraverit, acceptum restituere tenetur. V. Bouvier, Billuart, Gousset, Kerinck, Talento, etc.

(2) Sed monent pro praxi cum Gousset, ut omni quidem modo confessarius legatorum solutionem suadeat, vel inducat saltem hæredem ad rem cum piis locis

54. **Casus:** 1) Paulus ægrotans aperte declarat famulo suo, ut repositam pecuniam e scrinio sumat, quam ei donat independenter a salario. Famulus donum acceptat, sed antequam sumat herus moritur; potest adhuc pecuniam sumere et retinere? *Affirmative;* nam famulo revera donata fuit, ab eoque acceptata. *Gousset.*

2) Titius frequenter dicit famulo, nepoti, uxori se in animo habere aliquod legatum ipsis relinquere, vel partem disponibilem. Sed Titius moritur, quin aliquid pro famulo, nepote vel uxore disponat. Potest famulus, nepos, uxor pecuniam sumendo se compensare? *Negative;* nam aliud est revera donare, aliud de donando consilium et intentionem tantum prodere. Idem est, si scriptura inveniatur, ex qua eruatur quod testator in animo habebat aliquid legandi huic vel illo. *Gousset.*

3) Sabinus hæres nominatus in quodam testamento holographo quod tamen ex inadvertentia non fuit subscriptum, sua manu testatoris subscriptionem simulat. Exorta controversia, judex subscriptionem genuinam declarat, et validum testamentum. *Quid?* Sabinus non potest adire hæreditatem, cum ei sententia non faveat falso innixa. Exclusa enim fraude, a judice ab hæreditate exclusus fuisset. *Gury.*

Cæterum ultimæ voluntates generatim large sunt interpretandæ juxta illud c. 6 *de Donat.: In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda* (Aliæ resolutiones penes Scavini, l. II, n. 528).

§ 1. — De Testatore, de Legitima et Hærede.

55. **Facultas testandi.** Jure naturæ hæc competit omnibus, qui nullo laborant animi et corporis vitio, quo impediantur declarare quid de rebus suis fieri velint post mortem; neque prohibeantur a lege. Prohibentur autem a jure civili: 1) Minores ætate annorum octodecim completorum: quod si in ea minori ætate testamentum confecerint, non postea fit validum, ipsa completa — 2) Interdicti ob mentis imbecillitatem, toto tempore interdictionis — 3) Quos constat tempore conditi testamenti fuisse mentis non sanæ, uti amentes, furiosi, imbecilles *(a.* 762) (1).

Poterit autem testator vocare sive hæredem sive legatarium quemcunque voluerit; modo 1) Salvet legitimam, si cui illam debeat — 2) Non sit obstrictus aliis obligationibus, saltem in

componendam. Ast caveat ne rigidam obligationem imponat, et ideo absolutionem deneget, si renuentes viderit hæredes, eo quod testamentum sit nullum in foro civili; neque agatur de satisfaciendo obligationi justitiæ. Semper tamen posito, quod sint in bona fide.

Item non raro evenit, ut hæredes testatoris ad sæcularem potestatem recurrant pro reductione piorum legatorum. Quod si nullo opposito mendacio, id est quin falso suas exaggerent necessitates, reductionem obtinuerint, inquietandos non esse, docet idem Gousset; si nempe revera putant id sibi licere. Quæ legata pia, et quæ profana vide infra n. 66.

(1) Ex lege civili apud nos hodie religiosi etsi professi non habentur uti inhabiles neque ad testandum neque ad acquirendam hæreditatem.

conscientia — 3) Non vocet incapaces ad acquirendum *(a.* 764, 773 etc.). Vide n. 59.

56. **Legitima**. Quæ semper salva esse debet, definitur: *Portio hæreditatis defuncti pleno jure quibusdam personis debita ex legum præscripto, in proprietatem absolutam, et sine onere;* legitima enim non recipit gravamen.

Quibus legitima tribuenda est, dicuntur *legitimarii.* Sunt autem omnes filii (etiam emancipati) legitimi, legitimati et adoptivi; et omnes eorum descendentes, qui tamen si plures, non computantur nisi pro filio quem repræsentant. Deficientibus autem filiis et eorum descendentibus, jus habent ascendentes testatoris.

57. *Principia:* I. Si testator relinquat filios aut horum descendentes, quicumque sit eorum numerus, legitima ipsis de necessitate tribuenda est dimidium totius assis. Et proinde de alio dimidio liberum omnino erit ex lege civili testatori aliter disponere *(a.* 805).

II. Si vero testator non relinquat nec filios nec descendentes, sed ascendentes, legitima ipsis tribuenda erit tertia pars hæreditatis; et ideo testator poterit libere disponere de reliquo. Et tunc si superstites sint pater et mater, ex æquo illa tertia pars inter ipsos dividitur; alterutro vero deficiente, ex integro illa superstiti debetur. Quod si genitores non supersint, pars illa debita est aliis ascendentibus in linea tam paterna quam materna, ex æquo dividenda si sint in gradu æquali; quod si in gradu inæquali sint, tota spectat ad ascendentem proximiorem *(a.* 807).

Resolve: 1) Parentes non tenentur in conscientia omnia bona relinquere filiis, sed etiam de aliquo opere pio disponere valent. Ideo sufficit, si eis relinquant portionem legitimam a jure præscriptam, saltem si hæc ipsis sufficiat ad vivendum secundum propriam conditionem. Nam aliter parentes fructuarii, non domini bonorum suorum dicendi essent.

2) Si in familia adsint filii, qui de ea specialiter præ aliis sint benemeriti, nihil impedit, quominus in testamento parentes ipsis plus tribuant (pro aliis salva legitima). Ratio dictat plus merentibus plus deberi; attamen caveant, ne concitent odia et discordias.

3) Communius docent peccare parentes contra justitiam, si lædant legitimam filiorum per donationes inter vivos aut contractus simulatos; nam lex civilis quæ id vetat, justa est, et favet bono publico. Excipe nisi parentes partialiter tantum legitimam lædant in aliquo casu particulari et ex vera causa; tunc enim cessat omnino finis legis, quæ non censetur attingere illos casus particulares, qui familiæ prosunt, neque bono communi obsunt; uti v. g. si pater plus uni tribuat remunerationis gratia, vel ut minus filio dissipatori, vitioso, inobedienti obveniat, vel ut familiæ nomen, et honor perduret; cæteris tamen satis provisis.

4) Post factum non est facile inquietandus filius, qui majorem paternæ hæreditatis portionem cum alterius filii detrimento recepit, quando ex adjunctis conjici potest parentes ex aliqua juxta causa ipsi favisse, præsertim si in bona fide sit, et merito timeri possit, quod monitus renuat restituere. Imo Theologis non paucis ex Gury videtur legem non posse parentes tam rigorose obligare ad observandam æqualitatem, cum bonorum domini sint, non simplices usufructuarii; alioquin neque quidquam donare, neque pia opera valerent instituere; quia semper filiis fit detractio. Idque maxime currit, si parentes honestæ omnium filiorum sustentationi sufficienter providerint, neque mala fide moveantur ad plura uni tribuendum (1).

5) Ex civili lege nulla adest obligatio vocandi hæredes vel legatarios fratres et sorores. Imo neque in conscientia; cum non sint hæredes necessarii. Sed si graviter indigeant, tenetur illis relinquere quantum sufficit ad levandam eorum indigentiam, ex præcepto tum generali caritatis, tum speciali pietatis *(S. Alph.,* l. III, n. 946; et dicta t. I, n. 379).

58. **Conjugum ac filiorum naturalium jura.** Hæc sunt :

I. Si *conjux* non sit legaliter separata a conjuge testatore, jus habet ususfructus in hæreditatem defuncti conjugis majoris vel minoris, habita ratione ascendentium vel descendentium, quos defunctus reliquit *(v. infra n.* 79). Cæterum poterit testator cum superstite conjuge magis abundare, vel ei tribuendo partem disponibilem in proprietatem (cum limitatione tamen, si testatori supersint filii ex alio matrimonio), vel ipsi bonorum usumfructum adsignando. Verum si adsignatio ususfructus superat partem disponibilem, qui jus habet ad legitimam, si nolit talem usumfructum tribuere, debet cedere proprietatem partis disponibilis *(a.* 770, 810).

II. *Filii naturales* qui sunt a genitoribus modis præstabilitis agniti, vel tales a judice declarati, et ipsi jus habent in suorum genitorum hæreditatem, habita ratione aliorum, qui cum illis concurrunt ex dicendis n. 79. Attamen notandum est: quæ et conjugi et filio naturali debentur, portionem legitimam descendentium et ascendentium non imminuit; ideoque ea ex parte disponibili detrahenda sunt *(a.* 818).

59. **Hæredis institutio.** Est *designatio successoris in jus defuncti per testamentum.* Quicumque autem hæredes institui pos-

(1) Ad rem perdoctus Auctor *Summulæ Theol. moral. Reatinæ :* « Si rem existimare licet ex communi fere omnium parentum sensu et affectione, quasi ex quodam naturali jure, reor non esse inquietandos regulariter : 1) Quoad donationes vel largitiones quæ fiunt *brevi manu ;* vix enim est, ut quis id sibi nefas ducat ; dum ne hoc ingens aliquid sit vel in odium liberorum fiat. Nec 2) si aliquid fœminis detrahunt (præsertim nuptis), ut maribus adjiciant ; et revera vix aliquis est qui id præstare non studeat quavis arte ac fallacia ad legem eludendam adhibita. Nec demum 3) Qui ex gravi causa uni ex maribus plus relinquunt. Adeoque nec hi inquietandi erunt qui ab eis acceperint, quoad per sententiam judicis restituere cogantur. »

sunt qui a jure positivo non declarantur incapaces (1). Porro ex lege civili incapaces habentur ad succedendum in hæreditate (non tantum testamentaria, sed etiam ab intestato) alii absolute et in universum; alii vero relative incapaces sunt; alii tandem partialiter tantummodo capaces habentur.

Principia: I. *Incapaces absolute et in universum,* seu in omni casu sunt: 1) Filii nondum concepti tempore aperitionis successionis. Attamen excipiuntur filii immediati alicujus personæ determinatæ et viventis tempore mortis testatoris *(a.* 724, 764).

2) Non vitales, idest vitæ non capaces. In dubio tales non præsumuntur, sed ut vitales habentur qui enascuntur vivi, etsi brevi moriantur *(a.* 724) (2).

3) Personæ incertæ, si nullo modo certificari possint: vel si persona incerta sit determinanda ab aliquo tertio. Sed valet dispositio titulo particulari pro persona a tertio eligenda ex variis sive familiis sive corporibus, si tamen ab ipso testatore determinatis *(a.* 830, 834).

4) Instituta, Congregationes et aliæ fundationes, quarum existentia legaliter non est probata. Item dispositiones generice factæ pro anima vel favore animæ *(a.* 831, 833).

II. *Incapaces relative* ad accipiendum per testamentum (etiam per legatum) sunt:

1) Notarius vel alius officialis, qui testamentum publicum recepit relate ad ipsum testamentum. Item et testes.

2) *Indigni,* qui nempe se injuriose habuerunt erga testatorem. Hæc tamen indignitas quæ indignum privat bonis a testatore relictis, non præjudicat filiis aut descendentibus indigni; nam personalis culpa suos auctores tenere debet. Cessat indignitas, si testator indignum expresse habilitaverit *(a.* 725) (3).

3) Qui testamentum secretum conscripserunt, nisi dispositio eorum favore expresse approbetur in ipso testamento manu testatoris, vel in actu præsentationis.

(1) Si dubium sit inter duos vel plures quis primo mortuus sit, puta in communi naufragio, si id certo probari nequeat, omnes eodem tempore defuncti præsumuntur. Ideo nulla habetur bonorum transmissio de uno in alium *(a.* 924).

(2) Nasci aliquis potest mortuus, abortivus et vitalis. Qui nascuntur *mortui*, neque nati neque procreati habentur. *Abortivi* habentur qui nascuntur ante dies 182 a conceptione; hi si mox diem suum obeunt, habentur quasi mortui; sin minus quasi qui *vitales* nascuntur, id est vitæ capaces: pertinet ad peritos judicium.

(3) Sunt 1) Qui voluntarie occiderint aut occidere tentaverint illum, de cujus successione agitur. 2) Qui illum accusaverint reatu pœnæ criminali obnoxio, si accusatio calumniosa in judiciali sententia habita fuit. 3) Qui illum coegerint ad testamentum condendum aut immutandum. 4) Qui illum impedierint quominus testamentum condiderit aut jam conditum revocaverit, vel novissimum subtraxerint, deleverint, corruperint *(a.* 725).

4) Tutores ex testamento sui minoris, nisi rationes administrationis jam recognitæ sint ante testamenti confectionem. Vel nisi tutor sit ascendens, aut descendens, frater, soror aut conjux ipsius testatoris *(a.* 769).

III. *Capaces partialiter tantum* sunt: 1) Fili legitimationis incapaces, utpote nati ex nefario connubio, nempe incestuosi et adulterini, qui consequi nequeunt nisi alimenta *(a.* 767).

2) Filii naturales legaliter agniti, vel uti tales declarati. Qui, si adsunt descendentes aut ascendentes legitimi testatoris, tantum capere possunt quod lex ipsis assignat, si succederent ab intestato *(a.* 768).

3) Conjux qui nequit percipere ex testamento conjugis, qui ex alio matrimonio filios superstites relinquat, majorem portionem quam uni ex istis minoris consideratis tribuerit *(a.* 770) (1).

60. **Hæreditatis acceptatio**. Acceptatio seu aditio hæreditatis est actus, quo quis assumit personam hæredis. Facultas acceptandi præscribitur spatio 30 annorum; qui nondum acceptata hæreditate moritur, jus suum ad hæredes transmittit.

Hæreditas ex lege civili triplici modo potest acceptari:

I. *Pure et simpliciter*, uti si quis hæredis titulum aperte assumat; vel si talia agat quæ nonnisi ab ipso hærede fieri possunt, uti si vendat tertio hoc jus. Solvere tamen expensas funerarias, vendere fructus qui conservari nequeunt, præscriptionem interrumpere, etc. non habentur uti vera acceptatio, modo hæc non agantur tanquam a legitimo hærede.

II. *Beneficio legis* utendo, quæ illi concedit tres menses ad deliberandum, conficiendo inventarium et rem conferendo cum interesse habentibus ac creditoribus. Quibus elapsis, intra dies quadraginta declarare debet, an acceptet vel repudiet hæreditatem; secus habetur ut verus hæres (*a.* 959 *et seqq.).*

III. *Cum beneficio inventarii;* hæreditas sic acceptata declaranda est Cancellario Præfecturæ mandamentalis, ubi successio aperta est, ut eam intra mensem transcribat et publicet in Diario præscripto, ut qui jus habent in testatorem, compareant. Cum tali autem beneficio acceptanda est hæreditas, etsi ex pluribus hæredibus, unus tantum illud invocet — Intra tres menses nisi tempus prorogetur a judice, inventarium confici debet; et interim vocatus ad successionem habetur ut curator hæreditatis, et illam gratis administrat. Effectus hujus acceptationis in eo consistit, ut hæres non teneatur ad onera ultra vires hæreditatis; et sibi compensare valeat expensas — Attamen qui cum hoc beneficio hæreditatem acceptat, est irrevocabiliter hæres; ideo si res componere non valeat cum creditoribus, id unum habet, ut hæreditatem eorum arbitrio committere possit *(abbandonare).* Atta-

(1) V. g. Cajus, Sempronius, Titius filii sunt ex prima conjuge. Antonius pater relinquit Cajo 10, Sempronio 20, Titio 30; secunda conjux in morte Antonii non potest consequi plusquam 10.

men si quid remanet post soluta debita, ipsi debetur; nam non amisit qualitatem hæredis *(a. 955 et seqq.)* (1).

61. **Repudiatio hæreditatis.** Per se loquendo potest quilibet hæreditatem sibi delatam repudiare, cum nemo sit cogendus ad beneficium accipiendum invitus, juxta illud axioma: *Nemo hæres, nisi velit.*

Repudiatio fieri debet apud Cancellarium Præturæ, ubi aperta fuit successio. Repudiando hæres hæreditatem non censetur repudiare legata in sui favorem relicta. Si tamen hæreditatis repudiatio non sit præscripta, neque ab aliis sit acceptata, repudiator potest adhuc illam acceptare — Ut autem quis valide repudiet hæreditatem, requiritur non tantum, ut hæreditas jam actu favore ipsius aperta sit; sed insuper, ut renuntians capax sit alienandi. Ideo absque formis legalibus nequeunt hæreditatem repudiare uxores, minores et interdicti. Imo hæreditas delata interdicto, minori, inhabilitato et corpori morali semper est acceptanda cum beneficio inventarii: et pro corpore morali requiritur Gubernii auctorizatio *(a. 932, 944)*.

62. **Jura et onera hæredis.** Hæres statim post mortem testatoris succedit in omnia ejus jura realia, eorumque fit verus dominus. Jura vero personalia, quibus testator fruebatur, ut ususfructus, habitatio una cum ipso testatore extinguuntur, cum personam comitentur.

Sicut autem hæres succedit in omnia bona et jura realia defuncti, ita et omnibus ejusdem *oneribus* realibus subjicitur, æquitate ipsa postulante. Quod si hæredes sint plures, unusquisque onera ferre tenebitur pro parte sua, nisi testator aliud determinaverit *(S. Alph.,* l. III, n. 941) (2).

Cum autem *supremæ defuncti preces sacræ sint;* et *publice expediat suprema hominum judicia exitum habere* (l. v Dig.), ideo hæreditatis onera sub gravi sunt adimplenda, et quidem tempore a testatore definito; quod si tempus non sit statutum quoad primum moraliter possibile erit, id est intra annum; imo

(1) Qui negligit inventarium, civili Jure censetur adire hæreditatem pure et absolute, et ideo tenetur etiam ultra vires hæreditatis debita solvere. Utrum vero ad id teneatur etiam in conscientia, plures absolute negant cum Vasquez; alii affirmant cum Alasia, sed post sententiam judicis; alii cum Lugo et Molina absolute affirmant quoad creditores, quibus hæres debet ex quasi-contractu. Quoad legata autem non tenetur hæres, nisi in pœnam omissi inventarii, ideo nonnisi post sententiam, et casu quo intercesserit culpa (S. Alph., *Opus mor.*, l. III, nn. 932, 961).

(2) Intra quatuor menses a morte testatoris hæreditas consignanda est tribuno ærarii *(ricevitore del registro)* ubi mors secuta est, seu aperta est successio; et intra sex menses ab ejusdem testatoris morte taxa solvenda est; sub pœna.

agendo de legatis piis, intra sex menses. Indignus autem est absolutione qui id culpabiliter non curat; et aliquando incurrit reservationem, si nempe pia legata intra annum sine legitima causa non solvat (v. *n.* 66).

63. **Divisio hæreditatis.** Hæc semper peti potest ab hæredibus (nisi triginta annorum præscriptione cohæredes hæreditatis partem pacifice jam possideant). Divisionem tamen testator poterit impedire usque ad elapsum annum a die, qua postremus ex hæredibus majorem ætatem attigerit; facta semper judici facultate divisionem permittendi, urgente gravi causa.

Fit autem divisio vel mutuo consensu vel judicis officio: priori modo fieri potest si omnes qui contrahendi capaces sint, consentiant; alias judicis officio fieri debet. Semel vero facta divisio rescindi nequit, nisi causa vis aut doli, aut causa læsionis ultra quartum propriæ quotæ. Sed si quid fuit omissum, quin scindatur divisio, res omissa erit dividenda (*a.* 984).

En conferenda in hæreditatis divisione. Descendentes cum succedunt ascendentibus suis (etiam cum beneficio inventarii), bona sibi ab istis inter vivos donata sive directe sive indirecte, simul in unum conferre seu computare debent in massa hæreditaria una cum fructibus et usuris perceptis, ut postea omnia inter se æqualiter dividant, nisi ab ipso defuncto aliter fuerit dispositum (*a.* 1001). *S. Alph.*, l. III, n. 957.

Dixi: 1. *Descendentes cum succedunt ascendentibus suis.* Unde fratres succedendo fratribus, ascendentes descendentibus nihil conferre debent. Item neque simplices legatarii.

2. *Bona inter vivos sibi donata sive directe sive indirecte* (1). Ideo conferenda sunt quæ data sunt pro dote, pro constituendo patrimonio ecclesiastico, pro obtinenda aliqua professione et debitis solvendis. Sed excipiuntur munera usualia, expensæ in ipso die nuptiarum, sumptus pro educatione et laurea.

3. *Cum fructibus et usuris;* quæ debentur a die, qua aperitur successio. Quare si ante donatoris obitum donatarius ex fructibus rei donatæ immobile sibi comparaverit, non tenetur illud conferre.

(1) « Il defunto diede *indirettamente*, se cercò di palliare la sua donazione dando, per esempio, ad una persona interposta incaricata segretamente di trasmetterla al suo erede presuntivo. Diede *direttamente*, se diede alla sua liberalità la forma d'un contratto oneroso, come una vendita. » *Codice spiegato.*

§ 2. — De Legatis, Substitutionibus, Jure accrescendi, Executore testamentario et Testamenti Caducitate.

64. **Legatum.** Definitur: *Dispositio testamentaria facta titulo particulari ab hærede præstanda.* Ideo legatarius, etiamsi rei legatæ dominium a testatoris morte adipiscatur, ejus tamen possessionem petere debet ab hærede. Legatum autem generatim sustinetur et cadit iisdem fere causis, quibus testamentaria dispositio *(S. Alph.,* l. III, n. 932).

Principia: Illi possunt legare, qui possunt testari; qui enim potest majus etiam minus posse dicendus est. Iis autem potest legatum assignari, qui recipiendi capaces sunt.

Res vero quælibet legari possunt, modo:

1. *Sint legantis.* Hinc nullum est legatum de re, quæ alterius sit, nisi sciverit testator, et expresserit. Tunc hæres tenetur vel rem illam procurare, vel ejus pretium tribuere.

2. *Res legatæ adhuc existant.* Hinc cadit legatum, si res legata perierit, etiam post testatoris mortem; non tamen culpa vel facto hæredis. Item nullum est, si res legata a testatore alienata fuerit, etiam sub pacto revendicationis; imo etsi alienatio nulla sit. Item si testator rei legatæ formam omnino mutaverit, ut si leget alicui sua coclearia argentea, sed ex illis calicem conflaverit.

3. *Sint aliquo modo determinatæ.* Hinc nullum est legatum, si ex omni parte determinatio quantitatis relicta sit arbitrio hæredis vel tertii, nisi agatur de remunerandis præstitis servitiis in ultimo testatoris morbo *(a.* 835, 862).

Possunt etiam legari res incorporales, uti si testator alicui leget quod sibi debetur ab altero, et dicitur *legatum nominis.* Vel leget illud, quod sibi debetur a legatario ipso, et dicitur *legatum liberationis.*

Casus. Titius legavit decem mille libellas Catharinæ sub ea conditione, ut 6 000 tradat Teresiæ si habuerit filium, 5 000 vero si filiam genuerit; sed Teresia peperit simul filium et filiam. *Ex voluntate testatoris Catherina semper potuisset in omni casu sibi* 4 000 *retinere, igitur hæc sibi servet; et sex millia dividat inter filium et filiam ex æquitate rei et mente testatoris illa proportionando: hinc habeat puer* 3 300; *puella* 2 700. Gury.

65. **Jura et onera legatarii.** Legatarius *jus* habet ad legatum ab ipsa morte testatoris. Si tamen legatum sit factum

sub conditione alicujus eventus, verificatio expectanda est; adstringi tamen interim potest hæres ad dandam cautionem *(S. Alph.,* l. III, n. 930). Cod. civ, *a.* 855.

Quando quis legavit proprietatem alicujus immobilis, et eandem proprietatem auxit aliis novis fundis acquisitis, isti licet contigui, non constituunt partem rei legatæ, nisi testator novam condiderit dispositionem. Rei tamen legatæ partem constituunt ornatus, novæ extructæ ædes in fundo legato, et ampliationes in eodem fundo *(a.* 847).

Quoad *onera* legatarii statuit lex civilis:

1) Expensæ necessariæ pro legati præstatione sustinendæ sunt ab hæreditate, quin legitima minuatur; quæ ideo sunt detrahendæ a parte disponibili. Tributum vero ærario pro successione debitum solvendum est ab hæredibus, qui postea regressum habent contra legatarium, si res legata tali tributo subjecta sit, nec a testatore sit facta liberatio *(a.* 877).

2) Si res legata aliquo onere gravata sit, quod ipsi fundo inhæreat, ut est servitus prædialis, illud legatarius sustinere debet. Si vero alio onere sit gravata, tunc ad illud solvendum tenetur hæres, nisi testator aliud disposuerit *(a.* 878).

3. Si legatum hypothecæ sit subjectum ob debita hæreditatis, ad hæc non tenetur legatarius, nisi testator aliter disposuerit; et si solverit, habet regressum apud hæredes ad repetendum solutum *(a.* 1033).

66. **Legati reductio aut commutatio**. Certum est, hæredes et executores legatorum non posse neque in melius commutare legata, nisi a testatore sit data facultas; nam eorum munus est exequi, non invertere voluntatem defuncti.

Utrum autem id possint supremi rerum moderatores, videndum an legatum sit profanum, an pium. Legata pia sunt quæ intuitu Religionis et impulsu pietatis facta existimantur, uti sunt legata relicta Ecclesiæ, locis piis vel pauperibus, pro alimentis ecclesiasticorum, pro puellis nupturis vel Religionem ingressuris. Item eleemosynæ pro anniversariis, pro sacris Missionibus, pro Missis et cæteris ad cultum divinum — Cætera legata habentur profana, uti ea quæ testator reliquit alicui particulari ob affinitatem, amicitiam; vel communitati sæculari ob scholas, asyla infantium vel medicum conducendum, etc.

Porro si legatum est profanum, poterit sæcularis Princeps illud commutare in aliud profanum; et etiam in pium; quia commutaret in melius. Poterit autem Pontifex legatum pium

in aliud pium convertere — Verum nonnisi ex justa et necessaria causa commutatio fieri debet; adeo ut secus in veriori ac communi sententia commutationes invalidæ sint; quia tam Princeps, quam Pontifex non sunt nisi testatorum voluntatis tutores; et defunctorum preces apud omnes sacræ sunt *(S. Alph.*, l. III, n. 931) (1).

An cum causa possint etiam Episcopi commutare pias dispositiones, saltem in melius, affirmant generatim Croix, Alasia aliique; Tridentinum enim *(sess.* XII, *cap.* 6 *de Ref.)* id ipsis concedit, si agant tanquam Sedis apostolicæ delegati: unam excipiunt reductionem Missarum, quæ ipsi Pontifici reservata est jussu Urbani VIII. Verum (nisi a testatore sit illis facta facultas), negandum id posse Episcopum regulariter loquendo, ut docent probabilius cum Laymano, Molina et Sanchesio: ratio, quia ex Tridentino id unum tribuitur Episcopis, ut quando commutationes a Sede Romana eis committuntur, ipsi eas ante executionem rite examinent, an verum sit quod exponitur; Concilium enim capite antecedenti de hoc tantum fuerat locutum, idque declaravit S. Concilii C. 23 nov. 1765, ut notat Lucidi.

Ideo Episcopus et Vicarius capitularis nequit directe et proprie commutare pia legata, nempe dispensare vel derogare donatoris voluntati. At commune est, ipsis non interdici commutationem impropriam, nempe substitutionem et explicationem de eo quod (difficultate occurrente) fieri convenit. Id eveniret: 1) Si pecunia legata ad aliquem usum pium, ad illum non sufficiat; tunc non arbitrium neque majus bonum, sed necessitas impellit ad substitutionem — 2) Et multo magis si res legata nequeat deservire pro usu determinato ob impedimentum facti vel juris, ut si lex id prohibeat: quo in casu legatum non est caducum, sed applicandum est in alium usum, qui sit aptior ad assequendum pii operis finem et effectum, arbitrio Episcopi et executoris testamentarii — 3) Si aliqua causa superveniat vel si fuerit testatori ignota, quam si ille cognovisset, aliter disposuisset; tunc valde probabiliter Episcopus potest cum hærede, ex epikea interpretando voluntatem testatoris, legatum in alium usum convertere, uti si legatum sit relictum pro vasis sacris conficiendis quibus ecclesia non egeat, sed potius egeat casulis. Croix, Barbosa, De-Rubeis, Ferraris, Lugo, A. Mostazo, Moneta, etc. *(S. Alph.*, l. III, n. 931) (2).

67. *Resolve:* 1) Legata profana quæ non possunt impleri in forma propria caduca sunt et cedunt hæredibus. Non vero legata pia, quæ

(1) L. IV *de administr. rerum ad civ. pert. Clement.* l. III, t. IX *de rel. domib.*, c. 2, *quia contingit.* Neque obstat clausula, si forsan in legato sit apposita: *Non poterit neque ipso Pontificio indulto legatum commutari;* nam legatum pium natura sua Ecclesiæ subest: et nemo privatus potest innatam ejus auctoritatem infirmare. Nec rationabilis est conditio, cum dari possint rerum adjuncta, in quibus aliter sit resolvendum. Idem est de legatis profanis. V. Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. ult.

Resolutio causarum quoad pia legata est mixti fori (nisi aliter ferat loci consuetudo); unde illas et sæcularis judex et ecclesiasticus cognoscere potest, nempe qui primus eas suscipit. V. *Acta S. Sedis*, t. I, pag. 609; et t. II, pag. 353.

(2) Cum commutatio sit de gravioribus et quæ habet difficultatem, non censetur concessa sine speciali mandato Vicario generali Episcopi, nisi Episcopus commode haberi nequeat. *Barbosa.*

sunt convertenda in alium usum pium; nam testator voluit illa cedere debere in bonum animæ suæ, ut constat ex cap. III *de testam.* et colligitur ex Tridentino, *sess.* XXII, *c.* 8 *de Ref.*

2) Si legatum relictum sit orphanis, dari potest pauperibus habentibus patrem inutilem. Si tamen extet concursus vere orphanorum, voluntas testatoris debet impleri in sensu proprio.

3) Si tempore quo legatum relictum fuit nupturis, obtinebat matrimonium religiosum, illud dari nequit qui civiliter tantum contrahunt. *Imperocchè sebbene la legge civile non conosca altro matrimonio che quello celebrato nella forma del codice, non vieta che lo sia anche nella forma religiosa; perciò la condizione di così celebrarlo non essendo contraria alla legge, è protetta del pari di tutte le altre volontà dell'uomo.* Si porro tempore legati solum obtinebat religiosum matrimonium, recte supponitur testatorem ad illud respexisse; dispositiones enim interpretantur juxta legem, quæ vigebat quando conditæ fuerunt *(Cassaz. di Firenze*, 10 dic. 1874: 26 luglio 1875; item *Parere del Consiglio di Stato*, 6 marzo 1878).

4) Si legatum sit relictum filiabus matrimonio collocandis, potest dari viduis iterum nupturis, si non sint aliæ fœminæ nupturæ ætate nubiles, ex benigna interpretatione. Secus tamen si adsint; quia nomine *filiæ, mulieris* aut *fœminæ* in matrimonium collocandæ ex jure proprie intelligitur, quæ nunquam nupsit, vel nupsit invalide.

5) Legatum relictum virginibus ad nubendum, non poterit dari corruptæ, si publice constat de corruptione; quia non adimpleretur finis testantis. Secus si clam sit puella corrupta, quia in communi æstimatione virgo reputatur; neque tenetur fœmina suam prodere turpitudinem. Attamen probabilius fœmina illa non potest petere legatum; quia vergeret in aliarum præjudicium, si virgines non desint.

6) Si legatum relictum sit puellis de legitimo matrimonio natis et educatis in tali loco, sunt admittendæ puellæ etiam per subsequens matrimonium legitimatæ, et quæ usque ad septennium commoratæ fuerint in loco a testatore designato. S. Concilii C. 18 dec. 1858.

7) Legata tempore definito adimplenda sunt vel quoad potest citius; et in Concilio Carthaginensi qui differunt implere legata pia *necatores egentium* appellantur. Adde detrimentum non leve, quod evenit defuncto, non quidem quantum ad meritum eleemosynæ, quia meritum principaliter a voluntate et intentione dependet; sed quantum ad illius effectum. Non quasi (ait Angelicus, *Quodl.* 6, q. 8, a. 13) pro illa tarditate puniatur defunctus, sed quia ei remedium non adhibetur, dum suffragia differuntur (cum hæc non fiant nisi data eleemosyna), ex quibus ille plurimum juvaretur. Hinc in pluribus Synodis est casus reservatus dilatio ultra annum ad legata pia solvenda *(Scavini*, l. II, n. 532).

Notandum: hodie gubernia civilia omnia fere legata pia ad se traxerunt; qua in re necessitas cogit, ut passive nos habeamus. Attamen Ecclesiæ omnino est ea moderari; unicuique suum: laicis profana, Ecclesiæ autem pia et sacra esse debent.

68. **Substitutio.** Substitutio est *designatio alterius personæ in locum hæredis vel legatarii.* Duplex est:

Alia *directa* seu vulgaris, qua quis directe, absolute et proprio nomine vocatur ad hæreditatem vel legatum in locum eorum qui primitus vocati nolunt vel non possunt hæreditatem aut le-

gatum accipere: ut si dicas *Lucius meus hæres esto; si Lucius hæres non erit, tunc Petrum voco hæredem,* et sic successive.

Alia est *indirecta* seu obliqua, qua quis vocatur hæres vel legatarius, sed sub onere hæreditatem vel legatum (v. g. morte hæredis vel legatarii adveniente) tradendi alteri a testatore determinato. Si onus exprimatur in ipso testamento, dicitur *fideicommissum,* seu *substitutio fideicommissaria.* Si vero onus non exprimatur, sed clam sit data fides de tali trasmissionis onere, dicitur *substitutio fiduciaria.*

Principia: I. Substitutio *directa* omni jure legitima habetur, et substituti tenentur onera implere quæ imposita fuerint eis, in quorum locum substituuntur, nisi tantum primitus vocatis præsumantur imposita *(a.* 897).

II. Substitutio *fideicommissaria,* nullius est roboris in foro civili, et ideo habetur tanquam non scriptum onus reddendi hæreditatem vel legatum alicui tertio. Sed primitus vocatus hæreditatem consequitur sine illo onere *(a.* 899) (1).

III. Substitutio *fiduciaria* item nulla est in foro civili; et hæreditas vel legatum ei adjudicatur qui nominatur in testamento. Neque admittitur contraria probatio, aut juramentum, etsi ex testamento substitutio præsumi possit. Excipe: nisi adsit vehemens suspicio de substitutione in favorem eorum, qui sunt a lege ad accipiendum incapaces, quod tamen non ita facile probari potest *(a.* 829).

Dixi *in foro civili;* nam cum sic institutus verus non sit hæres, hæreditatem retinere non potest; sed tenetur datam fidem exequi, si legitima ea sit. Secus hæreditati renuntiare, ut illa ad hæredes suos ab intestato transeat *(S. Alph.,* l. III, n. 952; *Scavini,* l. II, nn. 542, 543).

Casus. Titius cœlibatarius, hæredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animæ suæ consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem postulatque ab ipso, ut eandem fideliter exequatur. Bonifacius vero (mortuo Titio) hæreditatem integram servat eo quod testamento valido eam teneat. An in conscientia tutus esse possit? S. Pœnitentiaria 23 junii 1844 pro foro conscientiæ respondit: *Bonifacium teneri in conscentia ad implendam voluntatem Titii certe ipsi cognitam.*

(2) At non prohibetur annuam pensionem constituere ad tempus vel in perpetuum distribuendam pro indigentibus, ad remuneranda opera virtutum vel ad publicam utilitatem; etsi designatæ sint determinatæ personæ quibus annualia legata sint tribuenda *(a.* 902).

69. **Jus accrescendi.** Est jus, quo pars unius hæredis vel legatarii, qui aut non potuerit aut noluerit hæreditatem vel legatum adire, accrescit cæteris aliis hæredibus vel legatariis. Id locum habet quando in eodem testamento et una eademque dispositione, non factis specifice partibus, sed omnibus conjunctim res relicta fuit. Ita si dicatur: *lego Titio et Sempronio domum meam,* vel *in partes æquales,* si Titius non valeat illo jure uti, tota domus ad Sempronium transit. Aliter esset si dicatur: *lego Titio partem domus superiorem, Sempronio inferiorem;* tunc non obtinet accrescendi jus, sed illa portio devolvitur ad legitimos testatoris hæredes, nisi aliud expresse statuat ipse testator *(a.* 879).

70. **Executor testamentarius.** Præter hæredem solent aliquando a testatoribus una vel plures designari personæ, quibus mandatum incumbat exequendi extremas ipsorum voluntates: istæ dicuntur *executores testamentarii.* Hoc munus nemo tenetur suscipere, cum non sit officium publicum: semel tamen quis acceptat, illud dimittere nequit sine gravi causa; sed potest etiam per procuratorem illud adimplere. Hoc autem onus suscipere prohibentur qui non possunt se obligare (1). Omnes autem expensæ hac de re sustinendæ sunt ab hæreditate; nam *nemini proprium officium debet esse damnosum.* Neque executor cautionem dare tenetur de re bene administranda, cum officium sit per se gratuitum, etsi testator illi aliquid donet *(a.* 903).

Executor curare debet: 1) Ut apponantur sigilla, si inter hæredes sint minores, interdicti, absentes, aut corpus morale — 2) Ut fiat inventarium præsente vel advocato præsumpto hærede juxta formam a lege præscriptam — 3) Ut obtineat a judice facultatem vendendi mobilia, si pecunia ad legatorum solutionem non sufficiat — 4) Ut testamentum executionem habeat etiam litem sustinendo, si opus. Sed post annum a morte testatoris rationem reddere debet suæ administrationis *(a.* 903, etc.) (2).

71. **Testamenti caducitas.** Testamentum vim suam amittit:

1) Ex parte ipsius *testamenti,* si testamentum deficiat in forma substantiali; aut si res, de qua disposuit testator ex toto perierit, vel si sua non sit.

(1) Si plures executores, omnes obligantur in solidum, nisi testator aliud statuat.

(2) Licet testator possit executori testamentario immediatam omnium bonorum mobilium aut partis eorum possessionem concedere, modo annum non excedat; tamen hæres a tali possessione illum deturbare poterit, si tantam pecuniam illi suppeditet necessariam ad solvenda legata mobilium, vel probet se jam illa solvisse, vel cautionem præbeat de solvendo modis a testatore præscriptis *(a.* 907).

2) Ex parte *hæredis,* si v. g. ipse renuntiaverit; vel non supravixerit testatori; vel incapax sit ad succedendum.

3) Ex parte *temporis:* si testator tempore conditi testamenti non habebat filios aut descendentes, vel ignorabat se eos habere; sed postea aliquis supervenerit: testamentum ipso jure nullum est, nisi filius testatori præmoriatur *(a.* 888).

4) Ex parte *testatoris,* v. g. si ipse testamentum abroget vel expresse, illud modis a lege præscriptis revocando; vel tacite, uti si novum conficiat testamentum contrarium vel omnino incompatibile cum primo *(a.* 916).

72. **Testamentum sub conditione.** Si conditio sit resolutiva, quæ nempe testamenti validitatem ligat ad incertum eventum, dispositio nulla est, si hæres ante illius verificationem moriatur (1). Si vero conditio suspensiva tantum sit, scilicet quæ suspendit ejus executionem, non ejus valorem, hæres (vel legatarius) acquirit jus; et si moriatur, illud transmittit ad suos hæredes (2).

Cæterum loquendo de conditionibus generatim, istæ validæ sunt, si sint possibiles ac licitæ: nam unusquisque potest pro suo libito de re sua disponere, modo non faciat contra leges. Si vero conditiones sunt impossibiles, turpes aut legi contrariæ, habentur uti non adjectæ, id est vitiantur (seu nullæ sunt), sed non vitiant ipsum testamentum *(a.* 849; *s. Alph.,* l. III, n. 930; v. infra n. 94) (3).

Porro conditiones *impossibiles* sunt quæ naturaliter ab hominibus poni nequeunt: esset si quis Titium institueret hæredem, si cœlum manu tetigerit. Conditiones *turpes* sunt quæ fiunt contra honestatem, ut si quis aliquem vocet hæredem, si patrem occidat — Conditiones *contra leges* sunt quæ pugnant cum ordinationibus a legitimis superioribus constitutis: talis est conditio, quæ præfinit diem, qua cessare debet institutio hæredis, ut si quis diceret: *Titius meus hæres esto ad biennium tantum.* Item ex

(1) « *Per esempio:* io lego a Paolo 8 000 lire, se sua madre si rimarita. Sino al momento in cui il matrimonio di sua madre non si effettua, non vi ha per lui un legato, ma solo una speranza. Se Paolo muore prima che la condizione sia adempiuta, il legato diverrà caduco ed i suoi eredi non avranno diritto a cosa alcuna. »

(2) « *Per esempio:* io lascio a Tizio lire mille che conseguirà quando avrà raggiunto i 20 anni; se prima di tale età muore Tizio, trasmette il diritto a' suoi eredi. »

(3) Ita ex lege habetur ut non apposita conditio quæ diem determinat, qua incipere debeat dispositio facta titulo universali; v. g. Titius hæres sit post biennium a morte mea. Item nulla est dispositio etiam titulo particulari qua quis vocat alium hæredem vel legatarium, si et ipse ab illo vocetur *(a.* 851, 852).

civili lege nulla est conditio quæ impedit nuptias sive primas sive ulteriores; interest enim Reipublicæ, ut multiplicentur cives. Excipe: 1) Nisi agatur de aliqua pensione, usu vel usufructu præstando, durante viduitate — 2) Nisi conditio servandæ viduitatis ad hæreditatem consequendam a conjuge sit posita conjugi superstiti; hoc enim postulat fidem datam primo marito. Cæterum per hoc proprie non impeditur secundum matrimonium, cum adhuc legitime possit contrahi, decem post menses viduitatis. Sed tantum impedit præstationis et hæreditatis consecutionem; nam incongruum videtur, ut cum secundo contrahatur fruendo bonis primi conjugis *(a.* 850).

Attamen conjux qui ad secundas nuptias transit, id prohibente mortuo conjuge, non ideo amittit portionem quæ sibi debetur ex lege *(a.* 812). V. Borsari, *Commentario del Codice civile.*

73. Item hæredis institutio fieri potest: 1) Sub *causa*, quando exprimitur ratio, quæ ad disponendum movet: quæ si sit falsa ac finalis, nulla est dispositio. Si tamen dignosci non potest eam unicam fuisse, quamvis illa tantum fuerit indicata, non ideo dispositio est invalida — 2) Sub *demonstratione*, quando testator non nominat expresse personam quam constituit hæredem vel rem de qua disponit; sed id circumlocutionibus satis demonstrat. Falsa demonstratio non nocet, si aliunde certo nota fiat; demonstratio enim per se habetur uti quid accessorii — 3) Sub *modo*, quando hæredi aliquid faciendum injungitur vel omittendum; v. g. si testator vocet Titium hæredem cum obligatione centum Missas celebrandi. Modus per se non suspendit institutionem, sed ligat conscientiam *(Scavini,* l. II, n. 335).

Casus. Lucretius hæres universalis constituitur ab avunculo ea lege ut intra annum nubat, non tamen ducat Juliam testatori invisam, etsi illi placeat. Quid Lucretius? festinat ducere vetulam 72 annos natam et infirmitatibus obnoxiam; qua mox mortua, Juliam post annum ducit. *Potest Lucretius retinere hæreditatem, nam conditionem testatoris adimplevit aliam a Julia decurrente anno ducendo; et jus ad hæreditatem acquisivit statim ac cum vetula nuptias celebravit; nec fraude usus est, sed jure suo usus est, quin faceret contra testatoris voluntatem.* Gury.

Art. 2. — De Hæreditate ab intestato et Hæreditate Jacente.

74. **Hæreditas ab intestato.** Hæreditas *ab intestato* seu legitima est, cum ob defectum testamenti lex decernit quis debeat succedere in bonis defuncti. Testamentum deficit, cum non est conditum, aut conditum est invalide, vel vocati hæredes nolunt aut nequeunt illud acceptare *(a.* 720).

Hæc successio fit *in capita* et *in stirpes.* In capita, quando hæreditas dividitur in tot partes *viriles* seu æquales, quot sunt

capita, seu personæ proprio jure concurrentes ad hæreditatem. In stirpes, cum succeditur *jure repræsentationis,* seu cum succedentes obtinent tantum illam partem hæreditatis, quam, si viveret, accepisset defunctus, cujus personam repræsentant; unde hic non attenditur numerus personarum, sed stirpis suæ familiæ. Repræsentatio non fit in linea ascendentali, in qua proximior excludit remotiorem; sed tantum in linea recta descendentali in infinitum: et in transversali ad decimum gradum. Etiam absentes, imo et incapaces repræsentantur, etsi ipsi nequeant adire hæreditatem (1).

75. **Stipes**. Est illa persona, ex qua aliæ ortæ sunt ac descendunt, de quarum conjunctione quæritur. Ex eodem stipite venientes dicuntur *consanguinei* generali significatione: qui si per mares se contingunt, *agnati;* per fœminas, *cognati* dicuntur.

76. **Linea**. Est series generationum seu personarum ab uno et eodem stipite provenientium. Et alia est *recta,* quæ exhibet seriem personarum, quarum una ab altera genita est: et dicitur *descendentalis,* si in ea conficienda descendamus a stipite ad posteros; *ascendentalis* vero, si a posteris ascendamus ad stipitem. Utraque masculina est vel fœminilis, prout masculos comprehendit vel fœminas: item paterna vel materna, prout patrem respicit vel matrem.

Alia est *obliqua,* et dicitur etiam *transversa* vel *collateralis,* quæ exhibet seriem personarum, quarum una non est procreata ab alia, ut fratres et sorores. Hæc vel est æqualis, quando personæ quas exhibet, æqualiter distant a stipite, uti duo fratres; vel inæqualis si personæ quas exhibet, distant inæqualiter a stipite, uti sunt frater et fratris filius; hic a suo stipite magis distat, quam ille.

77. **Principia**. In linea descendentali primitus veniunt filii. Sunt alii legitimi alii illegitimi alii adoptivi. Adde expositos.

I. *Legitimi* qui orti sunt a legitimo matrimonio, vel publice et bona fide uti legitimo contracto saltem ex una parte. Qui proinde conditionem et jura parentum acquirunt *(a.* 116).

II. *Illegitimi,* si extra matrimonium nati sunt; et generatim a jure civili *naturales* appellantur (2). Horum alii coram lege civili

(1) *Exemplum:* Titius genuit Petrum *(qui nunc abest),* Joannem *(qui est incapax),* et Jacobum; Petrus, et Joannes singuli habent duos filios. Titii hæreditas dividitur in tres partes æquales: una erit Jacobi, qui succedit in capita, altera filiorum Petri, tertia filiorum Joannis, qui omnes succedunt jure repræsentationis. *(art.* 729, 742).

(2) Ex jure Canonico concepti vel orti ex viro et muliere, inter quos matrimonium constare potuisset, *naturales* dicuntur, secus *spurii.* Spurii vel sunt *adul-*

agnosci prohibentur, ut sunt filii adulterini, incestuosi, et tunc non habent jus nisi ad alimenta. Alii vero agnosci non prohibentur a lege, qui ideo uti filii naturales vel recognoscuntur a parentibus, vel uti tales a judice declarantur; et tunc assequuntur statum certum, jus aliquod habent in bona parentum, et capaces sunt legitimationis. Est autem *legitimatio* actus, quo filius naturalis jam agnitus forma præscripta legitimus fit, patriæ potestati subditur et omnia jura acquirit ad legitimos spectantes. Quod fit vel subsequenti matrimonio, vel speciali parentum voluntate, vel principis rescripto *(a.* 198). V. Scavini, l. II, nn. 549 et seqq.

III. *Adoptivi,* sunt extranei, qui in filios assumuntur, qui quidem quoad plura filiis legitimis æquiparantur. Ad adoptionem non pauca requiruntur ex parte tum adoptantis tum adoptati ex lege *(a.* 202).

IV. *Expositus* est infans, cujus parentes ignoti sunt. Qui illum invenit, tenetur ad Officialem status civilis deferre; sed quam maxime curandum est, ut etiam Baptismo donetur. Ubi filius expositus fuit, ibi patriam tenet; et ejus tutelam Hospitium suscipit quod illum recepit. Communiter habetur ut legitimus, et est legitimæ familiæ initium. Civilibus juribus gaudet, et potest etiam inquisitionem instituere ad inveniendam matrem; imo etiam patrem, si tamen vehementia indicia adsint *(a.* 172, 189, 262, 377 *et seqq.).*

In linea ascendentali veniunt pater, mater, avus, avia et ita successive. In linea collaterali fratres et sorores, etc.: qui si ab eodem patre eademque matre progeniti sunt, *germani;* si ex eodem patre, *consanguinei;* si ex eadem matre tantum, *uterini* appellantur (1).

78. **Gradus.** Est ipsa distantia personarum inter se. In civili computatione (quæ quidem semper intelligitur, cum de rebus agitur civilibus) tot sunt gradus in linea recta et transversali, quot sunt personæ genitæ, quæ generationem multiplicant, dempto stipite: sic fratres sibi invicem sunt in secundo gradu, filius fratris mei in tertio gradu ad me est.

In computatione vero canonica (quæ est communis ac vulgaris) quoad lineam rectam nihil diversitatis est. Sed quoad obliquam sic gradus computantur, ut in obliqua æquali eo gradu distent collaterales inter se, quo gradu unus eorum distat a stipite: sic fratres distant uno tantum gradu inter se. At in obliqua inæquali eo gradu distant, quo remotior distat, semper dempto stipite: sic frater et filius alterius fratris distant duobus gradibus *(a.* 48 *et seqq.).*

79. **Hæredes ab intestato.** Ex lege civili jus habent ad succedendum defunctis, si sint capaces, descendentes legitimi, ascendentes, collaterales, filii naturales, conjux juxta ordinem et regulas designatas.

terini si ex adulterio; vel *incestuosi* si ex incestu; vel *sacrilegi* si ex obstrictis solemni voto castitatis; vel *nefarii* si ex parentibus in linea recta, v. g. a patre et filia nascantur.

(1) Filii duorum fratrum vocantur *patrueles;* duarum sororum, *consobrini;* filii fratris et sororis, *amitini.* At vulgus istos omnes *consobrinos* vocat.

Qui si omnes deficiant usque ad decimum gradum inclusive, hæreditas devolvitur ad fiscum *(a.* 721).

I. **Successio descendentium.** Omnium primi, cæteris consanguineis exclusis, ab intestato genitoribus ac aliis ascendentibus in universum succedunt filii legitimi vel legitimati eorumque descendentes absque ulla sexus distinctione, et licet ex diversis matrimoniis nati. Succedunt autem per capita si omnes sint in primo gradu ; per stirpes, si primum gradum excesserint (1). Ubi veniunt etiam filii adoptivi eorumque descendentes, qui succedunt adoptanti in concursu aliorum filiorum ; sed excluduntur a successione parentum ipsius adoptantis *(a.* 736) (2).

II. **Successio ascendentium.** Si nulli sint descendentes, hæreditatem sibi vindicant ascendentes : ac 1) Pater et mater defuncti, si adhuc vivant (secus eorum ascendentes proximi). Qui succedunt in capita filio defuncto una cum fratribus et sororibus ejusdem germanis ; si quos habeat (et si mortui, repræsentantur ab eorum filiis). Si adsint fratres aut sorores consanguinei vel uterini, et ipsi quoque succedunt, sed tantum in dimidia parte quotæ quæ spectaret ad germanos, etsi non existant. Sed notandum, quod portio ascendenti vel ascendentibus debita nunquam potest esse minor tertia hæreditatis parte (3) — 2) Si nulli sint fratres nec sorores, tunc genitores succedunt soli, et quidem in parte æquali; si vero non supersit, nisi vel pater vel mater, succedit solus superstes — 3) Ubi non adsint neque genitores neque fratres aut sorores neque istorum descendentes, usque ad decimum gradum inclusive, succedunt ascendentes lineæ paternæ et maternæ pro parte æquali, si sint in gradu æquali. Si vero sint in gradu inæquali, magis proximus excludit remotiorem absque lineæ discrimine *(a.* 739 *et* 740) (4).

III. **Successio collateralium.** 1) Si defunctus non habeat neque descendentes, neque ascendentes, hæreditatem sibi vindicant fratres ac sorores germani, et unilaterales (nempe consanguinei ac uterini), ipsi per capita, et eorum descendentes per stirpes. Attamen consanguinei et uterini non succedunt nisi in dimidia parte; adeo ut quilibet germanus duplum semper consequatur — 2) Quod si neque fratres neque istorum descendentes habeat defunctus, hæreditas devolvitur

(1) Titius habuit ex primis nuptiis cum Titia Petrum et Paulum; ex secundis nuptiis cum Sempronia, Joannem. Petrus *(nunc defunctus)* genuit filium : item Joannes *(pariter defunctus)* duos habet filios. Titii hæreditas dividitur in tres partes æquales : una erit filii defuncti Petri, secunda Pauli, tertia duorum filiorum defuncti Joannis. Isti autem respective succedunt propriæ matri, vel aviæ, nempe filius Petri et Paulus succedunt Titiæ; filii autem Joannis succedunt Semproniæ.

(2) *Exemplum:* Titius genuit Petrum ; Petrus autem habet tres filios, Paulum quem adoptavit, Joannem legitimum et Jacobum naturalem, quem legitimavit. Patri Petro omnes tres filii æqualiter succedunt, attamen avo Titio soli succedunt Joannes et Jacobus.

(3) Titius defunctus est, cum patrimonio 90m. libellarum; et superstites reliquit patrem et matrem, tres fratres germanos et duos consanguineos. Patri et matri debentur libellæ 30m. cum eorum portio non possit esse tertia parte minor; tres fratres germani consequuntur singuli 15m. libellas; duo consanguinei singuli habebunt libellas 7500.

(4) Titius genitus fuit a Paolo et Lucia. Paulus *(qui mortuus est)* adhuc suum habet patrem; Lucia *(item mortua)* viventem habet avum. Si Titius moritur, tota hæreditas devolvitur ad patrem patris ipsius seu avi cum exclusione avi matris seu ipsius proavi; quia nempe avus paternus utpote proximior excludit proavum maternum utpote remotiorem.

ad ejus propinquum proximiorem, vel proximiores, absque discriminé lineæ paternæ aut maternæ, usque ad gradum decimum inclusive *(a.* 742).

IV. **Successio filiorum naturalium:** 1) Filii naturales legaliter agniti aut declarati concurrentes cum filiis legitimis aut eorum descendentibus jus habent ad dimidiam partem quotæ hæreditatis in proprietatem, quæ ad ipsos spectaret, si legitimi essent. Legitimi autem filii solvere possunt portionem illis debitam aut in pecunia, aut illis donando bona immobilia — 2) Si defunctus superstites non relinquat filios legitimos nec eorum descendentes; sed patrem et matrem vel unum illorum aut eorum ascendentes vel conjugem, filii naturales (et si præmortui eorum filii legitimi) in proprietatem consequuntur duas tertias partes hæreditatis (1) — 3) Si filii naturales una simul concurrunt cum ascendentibus et cum conjuge genitoris, dempta tertia parte pro ascendentibus, et quarta parte pro conjuge in proprietatem, reliquum cedit in proprietatem filiis naturalibus (2) — 4) Si genitor non habeat neque descendentes legitimos neque ascendentes, neque conjugem, tota devolvitur hæreditas ad filios naturales. Qui tamen nullum jus habent in bona propinquorum patris aut matris; sicut neque ipsi propinqui in bona filiorum naturalium — 5) Ubi filii naturales præmortui sint, descendentes eorum legitimi in eorum juribus succedunt *(a.* 743 *et seqq.)* — 6) Filii naturales qui legaliter agniti aut declarati non sunt, jus tantum habent ad alimenta; si tamen eorum paternitas aut maternitas vel a matrimonio nullo, vel ab explicita declaratione scripta genitorum, vel indirecte ab aliqua sententia civili aut pœnali eruatur *(a.* 193).

V. **Successio conjugis superstitis;** si tamen non fuerit a conjuge defuncto judicialiter per sententiam separatus: 1) Si adsint filii legitimi, conjux superstes succedit cum iisdem in parte æquali, sed tantum quoad usumfructum. Quod si cum legitimis etiam filii naturales recogniti vel agniti concurrant, ususfructus conjugis æqualis esse debet quotæ quæ spectat ad filios legitimos, modo non superet quartam partem hæreditatis (3) — 2) Si non supersint filii legitimi, sed ascendentes, aut filii naturales, aut fratres aut sorores vel eorum descendentes, conjugi devolvitur tertia pars hæreditatis in proprietatem. At si conjux una simul concurrat cum legitimis ascendentibus, et filiis naturalibus, ejus portio in proprietatem erit quarta pars (4) — 3) Si supersint cum conjuge alii propinqui defuncti successibiles, propinquis devolvitur tertia pars hæreditatis, conjugi duæ tertiæ partes in proprietatem. Demum conjux succedit in omnibus substantiis, si

(1) Lucius mortuus est, cujus hæreditas est libellarum 90m. Adhuc vivunt ejus pater et mater, et tres filii naturales recogniti. Filiis naturalibus debentur 60m. a singulis dividendæ; patri et matri 30m. id est 15m. libellæ singillatim.

(2) Titius defunctus superstites reliquit patrem et matrem, conjugem et tres filios naturales recognitos; ejus hæreditas est libellarum 9m. Ascendentibus debentur 3m.; conjugi 2 500; reliquæ cedunt filiis naturalibus, in totum libellæ 3 750.

(3) Carolus mortuus est, cujus bona pertingunt ad libellas 80m.; superstite uxore, duobus filiis legitimis, et duobus naturalibus recognitis. Filiis legitimis debentur libellæ 60m. (singulis 30m.); filiis naturalibus 20m. (singulis 10m.); conjugi ususfructus libellarum 20m. cum ejus portio nequeat excedere quartam hæreditatis.

(4) Filii naturales, quidquid collationi obnoxium juxta *art.* 1001 *et seqq.* a genitoribus acceperunt, imputare debent in portione successibili *(a.* 746). Item quoties conjux ad successionem vocatur cum aliis hæredibus, computare debet in sua portione quod jam obtinuit ob conventiones matrimoniales ac lucra dotalia *(a.* 756).

defunctus non relinquat propinquos intra sextum gradum successibiles; nec ipsa fuerit judicialiter a viro separata *(a.* 755) (1).

VI. **Successio fisci.** Deficientibus vocatis a lege, id est ad decimum gradum inclusive, tota hæreditas devolvitur ad fiscum; *Fiscus post omnes,* est regula juris *(a.* 758).

CAPUT TERTIUM

De Præscriptione.

80. **Præscriptio.** Definitur: *Medium, quo quis temporis decursu et sub determinatis conditionibus vel aliquod jus acquirit vel liberatur ab aliqua obligatione* (Jus acquirendi propius *usucapio* appellatur).

Principia. In confesso est, præscriptionem vim habere non solum in *foro fori,* ut ajunt, id est externo et judiciali, sed etiam in *foro poli,* id est interno seu conscientiæ; nam ea ob publicum bonum inducta est, ne scilicet dominia rerum diu incerta remaneant; itemque ut plurium litium sit finis. Quare Angelicus: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem* (Quodl. 12, a. 24). Imo tanta vis est præscriptionis ex civili lege, ut obtineat etiam quoad delicta; nam certo tempore transacto nequeunt amplius puniri *(S. Alph.,* l. III, n. 504).

81. **Capacitas ad præscribendum.** Regula generalis est, ut omnes præscribere possint, qui capaces sunt acquirendi dominii; ideo etiam corpora moralia, uti Ecclesia, communitas, publica instituta non secus ac privatæ personæ præscribere possunt et præscriptioni subduntur quoad ea bona quæ sunt materia commercii, ita ut et acquiri et alienari valeant *(a.* 2114) — At nemo contra se ipsum præscribit. Hinc si beneficiatus jam a multo tempore ex errore quatuor celebraverit in hebdomada Missas, cum tamen ex Beneficii fundatione non obligetur nisi ad duas, non ideo tenebitur in posterum ad quatuor.

82. **Conditiones ad præscribendum.** Ad legitime præscribendum requiritur, ut:

Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

I. *Res apta.* Sic præscribi nequeunt: *a*) Quæ sunt *Juris na-*

(1) Sententia judicialis separationis lata esse debet ante successionis aperitionem; ejus autem effectus obtinent tantum contra conjugem quæ est in culpa, quæ amittit etiam lucra dotalia et omnia utilia ab altero conjuge sibi concessa in contractu

turalis, aut *divini;* ita subditus quamdiu talis, nequit præscribere immunitatem ab obedientia erga suum superiorem. *b*) Quæ sunt *ordinis publici;* ita non præscribitur actio filii ad legitimitatem proprii status reclamandam *(a.* 177). Neque res publicis usibus deputatæ, uti via publica, platea, pontes, fons publicus, nisi earum usus in populo cessaverit. *c*) Quæ *non sunt in commercio,* uti res sacræ; vel quæ lex declarat *imprescribilia;* sic non præscribuntur immobilia dotalia durante matrimonio, litus maris, etc. *(a.* 427, 630, 2120).

II. *Fides,* nempe *bona;* cujus nomine intelligitur *persuasio, qua quis prudenter existimat rem quam possidet esse suam.* Hinc regula canonici Juris: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Non est ergo dubitandum, quin civiles Codices bonam fidem supponant; neque enim credendum est, ipsos transferre dominium rei in possessorem malæ fidei; quod esset approbare ipsum furtum, et consequenter peccatum; nam *quod non est ex fide, peccatum est* (1).

III. *Titulus.* Titulus generatim est causa, propter quam aliquid possidemus. Hic non agitur de titulo vero; nam tunc non esset necessaria præscriptio; cum jam vi sua dominium transferat. Sed de titulo, cujus legitimitas ignoratur: porro alius est *coloratus* seu apparens, qui est de se aptus ad transferendum dominium, sed occulta laborat nullitate, v. g. si quis a Titio prædium emerit quod putabat esse revera Titii, cum tamen illud sit Caji. Alius *existimatus,* qui prudenter creditur interfuisse, licet non interfuerit, v. g. si filius ex patris hæreditate possideat prædium quod a patre putabat emptum, cum tamen usurpatum fuerit. Alius *præsumptus* seu *putativus,* si nempe allegari non potest certus titulus, sed ob temporis diuturnitatem præsumitur interfuisse; tunc *stat pro teste vetustas.* Jam vero ad legitimam præscriptionem, titulus coloratus et existimatus sufficit, cum satis salvetur bona fides. Imo ad præscriptionem annorum triginta sufficit præsumptus, cum recte supponatur titulum adfuisse.

IV. *Possessio,* quæ definitur: *Detentio rei vel fruitio juris.*

matrimoniali; itemque usumfructum legalem. Quod si ambo sunt in culpa, ambo iisdem juribus privantur, salvo jure alimentorum, casu necessitatis *(a.* 156, 757).

Et art. 157: « I conjugi possono di comune accordo far cessare gli effetti della sentenza di separazione, o con una espressa dichiarazione, o col fatto della coabitazione, senza che sia necessario l'intervento dell'autorità giudiziaria. »

(1) Quod autem præscriptione generali annorum triginta generatim cautum sit, ut omnes actiones ad rem suam recuperandam extinguantur, id est quia nulla datur actio in foro externo, ne prætextu malæ fidei turbentur possessiones et lites in infinitum protrahantur (v. *Scavini,* l. II, n. 553).

Hæc porro est fundamentum præscriptionis; nam ex jure *sine possessione præscriptio non procedit; tantum præscriptum quantum possessum.* Possessio autem ex civili lege debet esse *continua,* proinde sine interruptione toto tempore præfixo. Qui tamen in re succedit titulo universali, nempe ex hæreditate, ipso jure unit tempus quo ipse possidet, cum tempore quo possidebant ejus antecessores; qui vero succedit titulo particulari, puta quia rem emit, potest unionem invocare, non tamen ipso jure ipsam consequitur — *Pacifica,* unde si vis adhibeatur ad acquirendam possessionem, vel litis contestatio intercesserit, non currit præscriptio — *Publica,* id est talis, ut is, contra quem currit præscriptio, eam cognoscere possit et reclamare, si vellet accurate attendere. Sic qui furtim vel per vim aquam haurit ex alieno puteo, licet per longum tempus, jus non acquirit illo clandestino usu — *Non æquivoca* seu *dubia,* sed certa, id est ut manifeste appareat, quod quis jure suo re aliqua utatur; non vero ex tollerantia domini, vel ex mera facultatis concessione (1) — *Titulo proprietarii:* hinc qui detinet rem nomine alterius, ut colonus, depositarius, ususfructuarius, nequit præscribere, seu efficere ut possideat rem uti proprietarius; cum illam non retineat suo, sed tantum alieno nomine *(a.* 2215).

V. *Tempus a lege definitum.* Tempus computatur in dies, non in horas, et si fiat computatio in menses, hi sunt triginta dierum; et præscriptio completur ultima die completa *(a.* 2133). Tempus autem requisitum ad præscribendum variat: etenim præscriptio alia est *brevis temporis,* quæ particularis appellatur et complectitur spatium sex mensium ad annos quinque. Alia *longi temporis,* quæ generalis, seu communis et ordinaria nuncupatur, et spatio complectitur triginta annorum. Præscriptio autem annorum decem, uti *media* habetur.

Resolve: 1) Si ad possessionem bonæ fidei dubium superveniat an res sit aliena, præscriptio non interrumpitur, modo interim diligentiam adhibeatur ad veritatem inquirendam; est communius et probabilius contra alios. Bona fides non potest quidem componi cum dubio practico, quo nempe possessor dubitaret an possit licite possidere et præscribere; sed componi potest cum dubio speculativo, quia eo non obstante, possessor ope principii reflexi sibi efformat conscientiam practice certam; scilicet ex præsumptione quam suppeditat possessio.

(1) Actus *meræ facultatis* illi sunt, quos eliciendi vel non eliciendi potestatem habemus a natura; hoc porro nihil confert ad præscriptionem. Sic ex eo quod per 30 annos non ædificaverim in fundo meo, vicinus nequit impedire, quin hodie ibi ædificem.

Actus *simplicis tolerantiæ* ii sunt qui fiunt ex tacito vel præsumpto consensu domini; titulo amicitiæ, aut viciniæ multa tolerantur aut permittuntur, quin ex iis aliquod jus acquiratur *(a.* 668).

Carrière, *De Justitia et Jure*, p. I; s. Alph., *l.* III, *n.* 504; item dicenda n. 246.

2) Hæres semper repræsentat defunctum cum omnibus suis vitiis: quare sicut defunctus cum sua mala fide nunquam potest præscribere; sic nec hæres qui eum repræsentat quoad rem a testatore mala fide possessam. *Lugo* contra alios (v. *Scarini*, l. II, n. 555).

3) Hæres qui dubitat de bona fide sui antecessoris, potest præscribere, quia mala fides supponi non debet; cum nemo sit præsumendus malus, nisi probetur (*S. Alph.*, l. III, n. 511).

4) Si res defuncto ad custodiam tradita fuit, et postea hæres eam inter res hæreditarias bona fide numeraverit, is præscribere nunquam potest; quia repræsentat defunctum, qui eam habebat titulo depositi, non proprietatis. *Layman.*

Casus. Eugenius novit patrem suum alienum agrum bona fide possidere; tacet ille, et interim pater præscribit et moritur. *Licet peccaverit filius contra caritatem non monendo patrem de possessione rei alterius, tamen nunc non peccat contra justitiam agrum retinendo: nam pater vere in utroque foro præscripsit: et ideo filius accepit a patre quod revera patris erat.* Gousset.

83. **Præscriptio generalis.** Spatio triginta annorum omnes actiones (sive jura prosequendi et recuperandi in judicio quod nobis debitum est) præscribuntur sive reales sive personales, quin opponi possit ei qui allegat præscriptionem, tituli defectus vel mala fides: quæ ideo præscriptio *extinctiva* dicitur, quia debitum irrevocabiliter extinguit.

Hæc currere incipit ab eo puncto, quo libere opponi potest; hinc si Titius mutuatus est a Sempronio cum pacto mutuum restituendi intra quinque annos; præscriptio, si non restituat, non incipit nisi quinquennio elapso (1).

84. **Præscriptio media.** Præscriptio decem annorum communiter æquiparari solet a juristis præscriptioni generali, si adsit bona fides. Porro:

1) Qui bona fide per titulum validum et transcriptum acqui-

(1) Ad impediendam hanc præscriptionem modum adsignat lex. Qui tenetur solvere præstationem aliquam, v. g. canonem livellarium, censum, etc., ultra triginta annos duraturam, debet suis expensis, elapsis annis viginti et octo creditori si petit. tribuere novum documentum quo suum debitum fateatur (*a.* 2136).

« *Per esempio:* Pago a Tizio lire mille annue per un debito che tengo collo stesso; e ricevo annualmente le quitanze da Tizio creditore; se questi dopo ventotto anni non potesse esigere un nuovo titolo, chi m'impedirebbe di sopprimere le quietanze che sono in mia mano, e dire che pendente trent'anni, non avendo io fatto alcun pagamento, il mio debito è prescritto? Ad ovviare a questo pericolo, si può domandare al creditore una contro-quietanza ossia dichiarazione di essere stato quitanzato, oppure una lettera in cui dichiari il suo debito; allora si ha in mano un documento per interrompere la prescrizione — Però se il fondo ipotecato fosse passato ad un terzo, sarebbe di necessità la rinnovazione del documento autentico; se no, si avrebbe bensì l'azione personale contra del primo debitore, ma non la reale contro quel terzo, e anche rinnovando l'ipoteca sul fondo, non basta per rompere la prescrizione » (*art.* 2127).

sivit immobile, vel jus super immobile, dominium obtinet post decem annos, etsi postea cognoscatur alterius esse *(a.* 2137).

2) Jura minoris contra tutorem et protutorem ac vicissim, spatio decem annorum, a die quo minor major evadit vel mortuus est, præscribuntur *(a.* 309).

3) Jura solidaria creditoris contra debitores suos præscribuntur, si per decem annos separatim et sine reservatione ab uno ex debitoribus solvatur sua portio *(a.* 1197).

4) Jus contra illum qui cedendo censum perpetuum fidejubet pro debitore, qui censum emit, decem annis legitime ex lege præscriptum est *(a.* 1544).

5) Jus contra artificem et architectum ob vitium constructionis post decem annos ab ædificio completo, præscribitur *(a.* 1639).

85. **Præscriptiones particulares**. Quoad istas statuitur:

I. Spatio sex mensium præscribuntur actiones *cauponum* quoad cibaria ac præstita hospitia. Itemque *acta Consiliifamilias (a.* 2138 *et* 256).

II. Spatio unius anni præscribuntur actiones: 1) Eorum, qui scientias, vel artes edocent, pro eorum lectionibus ad dies vel ad menses — 2) *Janitorum* (vulgo *uscieri)* pro eorum mercede — 3) *Mercatorum* pro mercibus, quas vendiderunt non mercatoribus — 4) Eorum qui *contubernia* tenent, pro pensione ipsis debita — 5) *Servorum* et *opificum* pro mercede *(a.* 2139): huc veniunt etiam nutrices.

III. *Spatio biennii* præscribitur actio ad vindicandam rem mobilem subreptam vel amissam. Item *janitores* post biennium ab actuum consignatione non amplius tenentur de illis rationem reddere *(a.* 2143).

IV. Spatio triennii præscribuntur actiones: 1) *Magistrorum,* qui stipendio conducti sunt ad tempus, sed ultra mensem — 2) *Medicorum, chirurgorum* et *pharmacopolarum* pro medicinis et cura — 3) *Advocatorum* et *procuratorum* a die terminatæ litis vel revocati patrocinii, pro honorariis — 4) Actiones *notariorum* pro expensis et honorariis. Item actiones contra *architectos, mensores, calculatores* pro mercede ab operis complemento *(a.* 2140).

V. Spatio quinque annorum præscribuntur: 1) Actiones contra *cancellarios, advocatos, procuratores* quoad rationem reddendi scripturas, lite terminata — 2) Actiones pro exigendis pensionibus *census perpetui* vel *alimentarii* vel *domus conductæ* aut *fundi.* Item pro exigendis *usuris* pecuniæ mutuatæ; et gene-

ratim pro eo quod solvi debet annuatim, vel periodis brevioribus *(a.* 2143 *et* 2144).

86. Particulares præscriptiones triennii et infra, imo etiam quinque annorum si agatur de cancellariis, advocatis, procuratoribus cæterisque defensoribus quoad scripturas reddendas, non obtinent in conscientia (prout obtinet præscriptio generalis et media); neque enim per illas communiter censent debitorem liberari a solutione, si adhuc non solverit; cum ex ipsa lege civili qui hasce præscriptiones opponunt, teneantur jurare debitum revera solvisse, ac suis obligationibus satisfecisse *(a.* 2142 *et* 2143). *S. Alph.*, l. III, n. 516.

An vero id valeat etiam quoad alias quinquennales præscriptiones in quibus a civili Codice non admittitur jurata probatio, communiter affirmant; quia in his supponi non potest bona fides, ita ut revera ignoretur debitum adhuc subsistere. Quod autem isti debitores non amplius conveniri possint in judicio, non est ope præscriptionis, sed vi præsumptæ solutionis; quia nempe præsumitur facta solutio; at præsumptio cedere debet veritati; ideo statim ac dignoscitur solutionem non esse factam, in conscientia facienda est — Sunt tamen qui tenent debitores uti posse hisce præscriptionibus etiam in foro conscientiæ, si toto quinquennio ignoraverint se debitores esse; tunc enim lex civilis non admittens ullam probationem, transfert rei dominium, non quidem ratione præsumptæ solutionis, sed boni publici (prout exponunt juristæ), ut scilicet evitetur debitorum ruina, ut puniatur creditorum negligentia, et maxime ne lites cum gravi judiciorum perturbatione multiplicentur. Quæ quidem rationes legitimæ præscriptionis fundamenta sunt, adeo ut his innixa lex humana possit tuta conscientia dominium rerum de uno in alium transferre etiam sine domini consensu. Hæc sententia quæ exhorbitat a communi doctorum sensu, potest deservire in casu, quo quis omnino velit uti beneficio legis civilis, vel alia ei suffragetur ratio.

Dictum est *si toto quinquennio ignoraverint*; qui enim fuerunt in mala fide, nempe qui illo quinquennio non ignorabant debitum, nequeunt præscribere; quia sine bona fide nulla in conscientia currit præscriptio. Hinc a solutione non liberantur, qui malitiose seu scienter differunt satisfacere propriis justitiæ obligationibus, ut postea præscriptionem valeant opponere in judicio.

87. **Præscriptio rerum mobilium.** Ad præscribendas res mobiles, v. g. gemmas, numismata, ex lege civili generatim sola possessio sufficit: unde hic præscribitur statim ac possidetur, et valet illud: *possideo, quia possideo.* Requiritur tamen:

1) Ut possessio sit *titulo proprietatis;* sic qui mutuum habet librum, non potest præscribere, etsi plurimis annis librum retineat — 2) Ut possessio sit in *bona fide:* ideo fur, aut inventor rei alienæ (nondum præmissa diligentia a lege præcepta ad dominum inveniendum) nequeunt præscribere, cum probe sciant rem non esse suam — 3) Ut res mobiles tales sint *ex natura*

sua; non autem ex destinatione legis; atque agatur de mobilibus in particulari, non vero de generalitate mobilium, v. g. totius domus *(a.* 707).

Sed quid (quæres) *de eo, qui a fure vel ab inventore rem mobilem emit bona fide, credens illam esse propriam venditoris?*

R. Tunc ad præscribendum requiritur biennium, et ideo eo durante, dominus rei eam repetere potest a quovis possessore, nullo tali emptori pretio soluto. Tamen si possessor eam emerit occasione nundinarum aut publicæ venditionis, vel a mercatore qui hujusmodi res vendere soleat, dominus ut illam recuperet, debet solvere quanti empta fuit *(a.* 708, 709, 2146). Quæ singulares legum civilium dispositiones (ubi vigent), communius dicunt Lyonet, Gousset, Gury contra plures, vim habent etiam in conscientia; cum sint in bonum commerciorum, ne incerta reddantur dominia in iis, quæ facile de manu in manum venire possunt, uti sunt mobilia (1).

88. **Præscriptionis interruptio.** Dicitur præscriptio interrumpi, quando ob impedimentum superveniens ita cessat, ut iterum inchoari debeat. Idque contingere potest tum naturaliter tum etiam civiliter.

Naturaliter, cum quis a possessione dejicitur, et rei fruitione privatur ultra annum: tunc de novo incipienda est. *Civiliter,* quando v. g. juris recognitio intervenit, vel litis contestatio vel injunctio, aut cum quis sequestrum illi indicit, cujus præscriptionis decursum impedire vult *(a.* 2125). Præscriptio autem opponi debet ab ipso præscribente; et ideo si ab ipso non opponatur, non potest suppleri per judicem.

89. **Præscriptionis suspensio.** Id evenit quando certis intervenientibus adjunctis, inchoata præscriptio in suspenso remanet, seu non currit. Sed cessantibus illis adjunctis, tempus præcedens potest conjungi cum subsequenti.

Sic v. g. non currit præscriptio inter administratos et administrantes. Inter eos qui gaudent patria potestate et eos qui actu subduntur. Inter hæreditatem et hæredem cum beneficio inventarii. Non currit contra minores non emancipatos, interdictos ob infirmitatem mentis, et milites in actuali servitio tempore belli, nisi agatur de præscriptionibus particularibus. Non currit quoad fundum dotale uxoris, nec quoad fundum ideo speciali hypothecæ subjectum, matrimonio ipso durante, etc. *(a.* 2119).

90. **Præscriptio bonorum Ecclesiæ.** Ex modernis legibus civilibus non amplius admittitur præscriptio quadraginta et centum an-

(1) Nec videntur adesse tanta incommoda in hac sententia; quia legitimi casus possessionis rei alienæ rari sunt; et cum possessio pollere debeat variis conditionibus, quæ non facile nec subito impleri possunt, sæpe recidet hæc præscriptio in præscriptionem longi temporis. *Dumas, Gury.*

norum, vel immemorialis quoad bona Ecclesiæ immobilia; sed nulla distinctione facta, statuitur omnia bona æque præscribi. Item discrepat lex civilis a canonica etiam quoad mobilium præscriptionem. At Ecclesia legitimo jure suas habet leges quoad bona sua.

I. *Præscriptio mobilium.* Ex jure canonico res mobiles cum titulo præscribuntur tribus annis. Sine titulo vero non præscribuntur, nisi annis triginta.

II. *Præscriptio immobilium:* 1) Ad præscribenda immobilia Ecclesiæ romanæ requiruntur centum anni; contra alias ecclesias quadraginta sufficiunt. Sede tamen vacante, nulla currit contra bona Ecclesiæ præscriptio.

2) Possidens beneficium aut ejus fructus per tres annos, præscribit ad illud legitime retinendum juxta regulas Cancellariæ, etsi titulus fuerit nullus; modo tamen non intercesserit intrusio aut simonia, de qua v. t. I, nn. 591, 816.

3) Potest præscribi onus solvendi decimas et similes præstationes ecclesiasticas, si adhuc ministris necessaria maneant. Sed requiritur spatium quadraginta annorum cum titulo; et sine titulo tempus immemoriale; in omni casu bona fides. Non tamen laicus potest præscriptione jus acquirere decimas percipiendi, cum non sit capax juris spiritualis.

4) Missarum onera, et numerus; item legata piæ eleemosynæ, etc. non præscribuntur neque immemorabili consuetudine contraria, ut verius dicunt, et S. C. Concilii id pluries declaravit, prout videre est apud Lucidi.

5) Ex jure canonico non possunt præscribi limites seu termini provinciarum, diœcesium et parochiarum, si certo constet tales limites fuisse legitima auctoritate constitutos; secus præscribuntur, et tunc potior habetur possidentis conditio. Domus autem in limite parœciarum constructa ad eam parœciam pertinent, in cujus territorio (ab initio ejus constructionis) est janua principalis. Si res dubia sit, datur optio patrifamilias (v. *Reinfenstuel;* et *S. Alph.*, l. III, n. 506, Ho. ap., tr. x, n. 10; tr. xv, n. 74; tr. xx, n. 84).

DISPUTATIO TERTIA

DE OBLIGATIONIBUS ET CONTRACTIBUS

CAPUT PRIMUM

De Obligationibus generatim erga alios.

91. **Obligatio.** Obligatio in genere definitur: *Juris vinculum quo legitime adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum vel omittendum.* Obligatio duplex est: 1) *Imperfecta,* quæ solo caritatis titulo innititur, gratitudinis vel religionis: proinde non supponit jus strictum — 2) *Perfecta,* quæ quidem fundatur in justitia commutativa, et jus strictum inducit.

Obligatio perfecta oritur: 1) Ex lege, ut est obligatio, quæ tenet tutores erga minores — 2) Ex mutuis conventionibus, ex contractu et quasi-contractu, ex delicto et quasi-delicto.

92. **Obligatio conventionalis.** Obligatio in mutuis conventionibus triplex distinguitur:

1) *Mere naturalis,* quæ devincit conscientiam, sed nullam dat actionem in foro externo: ut est obligatio debitum solvendi, quod juridice nequit probari.

2) *Mere civilis,* quæ actionem parit in foro externo ob aliquam facti præsumptionem, quæ cum non subsistat, non obligat in conscientia. Ut si quis v. g. ex falsis depositionibus damnetur a judice ad mulctam, nec ei suppetat via ad innocentiam suam probandam.

3) *Mixta,* quæ obligat in utroque foro: et sic generatim sumitur obligatio; cum generatim contractus et honestati naturali, et legi positivæ innitantur.

93. **Modi obligationem contrahendi.** Obligatio conventionalis iniri potest *pure,* hoc est sine ulla clausula ac conditione; et sub *qualificatione,* si nempe conventio aliquam includat conditionem. Idque contingit multipliciter.

I. *Ad diem,* quæ nempe statuit diem executionis, ut si dicas: *promitto tibi centum scuta sequenti anno solvenda* (a. 1157).

II. *Alternativa,* quando res variæ obligantur, non tamen totæ tribuendæ. Debitoris autem est electio, si aliter conventum non sit *(a.* 1177).

III. *Solidaria,* est quando vel totum, quod debetur potest exigi a singulis creditoribus, et tunc solutio facta uni creditori totaliter liberat debitorem: vel ad totum debitum solvendum singuli debitores adigi possunt; tunc solutio facta ab uno debitore cæteros debitores liberat *(a.* 1184).

IV. *Divisibilis* vel *indivisibilis;* si nempe coalescat ex aliqua re vel facto, quod dividi potest vel non. Cæterum debitoris obligatio etsi in se dividi possit, debet executioni mandari ut indivisibilis, uti esset obligatio solvendi mille libellas (nisi aliter conventum sit). Divisibilitas non valet, nisi quoad hæredes debitoris vel creditoris *(a.* 1202) (1).

V. *Sub aliquo onere* vel *clausula pœnali. Sub onere,* uti si

(1) Si v. g. tibi debeo centum, debitum dividere non possum dando una vice quinquaginta, alia quinquaginta. Sed si morior, et voco duos hæredes, creditor non potest singulos compellere nisi pro quinquaginta; pro illis tum creditum divisibile est.

quis alicui tribuat prædium cum obligatione dotandi tot puellas annuatim. Qui contractus statim valet, manente in comparte onere. *Sub clausula pœnali;* id evenit cum quis ad firmandam obligationem se adstringit ad aliquid, si eam non servet. Invalida obligatione, est invalida pœna; non vicissim. Pœna a judice moderari potest, si debitor obligationem jam exequi cœperit in parte *(a.* 1209) (1).

VI. *Conditionalis:* conditio est *qualitas seu accidens quoddam contractui adjectum, quod illum suspendit vel resolvit ad incertum aut futurum eventum.* Suspendit contractum, donec eventus ille eveniat; contractum vero resolvit seu firmat vel irritat, prout talis eventus contingit vel non contingit. Conditione semel verificata, contractus suum obtinet effectum a die initæ obligationis; si ante verificationem creditor mortuus est, illius hæredes succedunt in ipsius jura *(a.* 1157).

Conditiones autem præcipuæ, quæ conventionibus apponi solent aliæ sunt: 1) *Propriæ* vel *impropriæ;* primæ respiciunt futurum eventum liberum vel contingens; secundæ respiciunt præteritum vel præsens vel futurum, sed necessarium — 2) Aliæ sunt *possibiles* vel *impossibiles* — 3) Aliæ *honestæ* vel *turpes.*

94. **Principia.** Conventiones initæ sub conditione impropria illico sunt validæ, si conditio vera sit; nam non pendent ab incerto eventu, sed a re certa. Si vero initæ sint sub conditione proprie dicta, id est quæ pendet ab exitu contingenti, tunc si conditio sit possibilis et honesta, illa semel verificata, conventiones validæ erunt; et interim oritur obligatio expectandi conditionis verificationem.

Quod si conventiones celebrentur sub conditione impossibili, v. g. si cœlum manu tetigero, per se nullæ sunt; nam *de re impossibili nulla est obligatio.* Quod etiam valet si conditio turpis sit, nempe contra legem vel bonos mores, v. g. do tibi 100, si tributum non solveris, si homicidium perpetraveris. Certum est enim ante peccati patrationem nullam esse conventionem; nam justitia non obligat ad illicitum. Unde nec promittens tenetur dare pretium conventum, nec alter retinere potest pretium acceptum *(a.* 1160).

(1) Quod tribuitur anticipate a contrahentibus, tenet locum cautionis pro damnorum compensatione, si conventio non adimpleatur (nisi aliter conventum sit), et dicitur *caparra.* Pars quæ non est in culpa, si non velit urgere conventionis implementum, potest cautionem ab alio acceptam sibi retinere; vel duplum petere illius, quam tribuit *(a.* 1217).

Excipe si conditio turpis vel impossibilis apponatur in testamentis; nam ex jure habetur pro non adjecta. Item est si apponatur in matrimonio, modo non sit contra illius substantiam. Quæ quidem juris humani dispositio valet etiam in foro conscientiæ, nisi constet contrahentes revera voluisse voluntatem suam illi conditioni alligare *(S. Alph.,* l. VI, n. 891l).

95. Si opus turpe et illicitum pars una jam præstiterit, an altera pars debeat solvere pretium promissum, et an solutum possit ab acceptante in conscientia retineri sine læsione justitiæ omnes affirmant cum d. Thoma, si agatur de meretrice. Dat enim meretrix usum sui corporis, qui pretio æstimabilis est: unde jus civile ait, meretricem *turpiter facere,* quod *sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix.* Et S. Pœnitentiaria 22 apr. 1822: *Mulier pœnitens non cogenda est, sed hortanda ut pretium meretricii, juxta prudentis confessarii judicium, eroget in usus pios.*

Agendo vero de aliis peccatis, v. g. pro patrato maleficio, furto, sacrilegio, homicidio, injusta sententia lata vel propugnata, adulterio, fornicatione, etc., plures cum Carrière et Gousset negant solvendum esse pretium; nam peccatum non est vendibile; et si esset, non præstat mala promissa servari. Adde: materia contractus debet esse honesta (1) — Sed probabilior et communis sententia cum Alasia, Antoine, Billuart docet teneri ex justitia promittentem post factum solvere pretium, et accipientem tuta conscientia posse illud retinere. Hic enim intervenit duplex contractus, unus absolutus nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; nam *inhonestorum nulla obligatio.* Alter conditionatus, de tradendo pretio semel ac opus turpe positum fuerit; et hic impleta conditione, fit validus; etenim posito opere, jam exurgit contractus *dedi ut des,* cujus natura exigit, ut semper, quoties unus contrahens præstet partem suam, teneatur alter suam implere, si licite potest: obligatio contra-

(1) Frassinetti acriter hanc sententiam tuetur contra theologos et canonistas; nam (ait) secus esset criminibus mercedem velle tribuere. Verum (ut rite observat ejus Adnotator) auctores de opere disserunt quod per se est pretio digno, non vero de præmio quod operis fœditati rependatur. Finge amanuensem qui pacto pretio ingens volumen scelesta quæque continens transcripserit; finge typographum qui inito contractu pestilens opus ediderit; finge causidicum qui rogatus diuturno studio et opere ad iniquam defendendam causam adlaboraverit. Profecto horum omnium scelus merito odio habebis et pœna dignum; at quod impensus labor (quatenus labor est in aliorum gratiam susceptus) per se sit pretio æstimabilis, atque ideo post opus perfectum debeat qui se obligavit, laboris pretium rependere, quis negare queat? *Ballerini.*

ctus innominati *do ut des*, non a fide data, sed ab opere præstito desumitur. Adde: licet actio turpis quatenus illicita, non sit pretio digna; pretium tamen habere potest, quatenus laboriosa, ignominiosa, periculosa agenti vel alteri. Et eadem est ratio ac de meretricio. — Alias (recte Lugo) non videtur quomodo possit obligari stuprator, qui virginem violavit sub ficta matrimonii promissione, ad eam ducendam, prout obligat S. Concilii Congregatio, si aliud non obstat *(S. Alph.,)* l. III, n. 701, et infra n. 330).

96. **Conventionis probatio.** Qui certus est, se valide contraxisse, nec suam adimplevisse obligationem, tenetur in conscientia ad satisfaciendum, etsi legaliter altera pars probare non possit sibi nondum fuisse satisfactum. Sed in foro civili ad fraudes præcavendas qui petit executionem alicujus obligationis a tertio susceptæ, eam probare debet modis a lege præscriptis. Qui porro sunt:

I. *Scriptura publica* vel *privata* juxta diversitatem contractus. Scriptura publica seu publicum instrumentum, ubi rite confectum (idest coram duobus testibus et a publico ministro, atque transcriptum) omnem facit fidem. Etiam privata scriptura suam habet vim, si juxta legis normam confecta sit *(a.* 1325).

II. *Libri negotiatorum, tabulæ, chartæ familiares* ac *tesseræ. Libri negotiatorum* fidem non faciunt quoad res suppeditatas contra personas, quæ non negotiantur. Attamen a judice deferri potest juramentum ad hoc nempe, ut veritas elucescat *(a.* 1328). *Tabulæ* et *chartæ familiares* (registri, carte domestiche) non possunt fidem facere illi, qui eas descripsit; sed contra ipsum, ubi formaliter annuntiant factam fuisse solutionem pecuniæ sibi debitæ *(a.* 1331). *Tesseræ* valent inter contrahentes, qui hoc probationis medio utuntur quoad merces minutas, uti solent lactarii, pistores, etc. *(a.* 1332).

III. *Actus recognitionis* et *ratihabitionis*, quo nempe debitor suam obligationem recognoscit: inservit autem ad impediendam præscriptionem *(a.* 1340) (1). Item *partis confessio,*

(1) « Il segno di croce a norma del vigente Codice non ha più alcun valore legale nelle contrattazioni private. Ciò è quanto venne già ripetutamente deciso. Nel pagamento di somme inferiori a L. 500, il segno di croce del creditore accompagnato dalle firme di due testimonj che hanno assistito al pagamento serve a preparare la prova testimoniale del fatto quando si renda necessaria — Nei rapporti però tra lo Stato ed i suoi creditori si è sentita la necessità di derogare al rigore del diritto civile. L'articolo 38 della Legge 22 aprile 1869 sulla amministrazione del patrimonio dello Stato, e l'art. 431 del relativo Regolamento 4 sett. 1870 dichiara efficace il segno di croce fatto dal creditore alla presenza di due testimonj conosciuti dall'ufficiale che paga. Tali disposizioni si applicano anche ai Comuni in virtù dell'art. 230 della Legge comunale. » *Giornale delle leggi*, anno 4.

judicialis vel extrajudicialis. Potest tamen revocari, si intervenerit error facti *(a.* 1360) (1).

IV. *Præsumptio :* est consectarium quoddam, quod lex vel judex deducit a facto notorio ad ignotum *(a.* 1349). Item *Probatio per testes:* quæ ordinarie non admittitur quoad conventionem 500 libellas excedentem *(a.* 1341).

V. *Juramentum:* quod semper personaliter præstandum est. Aliud est *decisorium,* quod in judicio ab una parte alteri defertur, ut lis finiatur, quæ si renuat, condemnatur. Aliud *suppletorium,* seu *delatum* ab ipso *judice,* ad probationes videlicet complendas *(a.* 1362).

Transcriptio: Addatur modus, quo publici redduntur nonnulli actus a lege designati, et fit exhibendo illorum exemplar ut scribatur in tabulis Ufficii hypothecarii in Circumdario, ubi bona de quibus agitur sita sunt, vel ubi aperta fuit successio hæreditaria *(a.* 955; 1938). Magna est transcriptionis vis: nam 1) Qui bona fide aliquod immobile vel jus reale ad immobile acquisivit, post decem annos a transcriptione, illud præscribit et suum facit *(a.* 2137) — 2) Ipsa obtinet etiam contra tertium, etsi hic anterior sit in acquisitione, si tamen contractum non transcripserit *(a.* 1942).

97. **Effectus obligationis.** Est præcipuus, ut qui aliquam obligationem contraxit, illam adimpleat tempore statuto; et quidem si deficiat, sub damnorum compensatione, nisi intervenerit vis vel casus fortuitus. Quoad istam compensationem notandum est:

1) Si obligatio consistit in certa pecuniæ summa tradenda, si ea tradita non fuit tempore suo, ex civili jure solvi debent usuræ (vulgo *interessi),* juxta taxam legis, quin teneatur creditor probare damna, quæ passus est (2). Hæc autem solutio debetur a die judicialis petitionis, nixi lex declaret usuras

(1) « *Per esempio:* Devo lire 1 000 a Tizio; Cajo suo nipote mi stringe al pagamento, ed io credendolo erede di Tizio confesso il debito; potrò ritirare il mio denaro, se verifico che Cajo non è altrimenti l'erede di Tizio; *è error di fatto.* Invece se confesso il mio debito di lire 3 000 verso Luigi e vengo condannato, non posso più ritirare la confessione allegando, che il debito era prescritto, e che ignorava il disposto della legge in proposito; *è error di diritto.* »

(2) Porro casus in quibus ex legibus civilibus usuræ debentur ipso jure sunt: 1) Summa residua debita a tutore, rationibus redditis — 2) Dos a die, quo fuit a promittentibus constituta: item dos restituenda a die soluti matrimonii — 3) Summa promissa a socio societatis; item summa quam solvit fidejussor — 4) Anticipationes a mandatario factæ — 5) Legatum a morte testatoris, si fructificet, vel factum sit titulo alimentorum — 6) Quoties vendita res fructus producit.

statim decurrere pleno jure *(a.* 1232). Quæ civilis legis determinationes generatim loquendo locum habent probabilius etiam in conscientia (quin attendatur, an revera evenerit damnum); cum id conferat ad bonum publicum occurrendo omnibus anxietatibus ex parte creditoris et fraudibus ex parte debitoris.

2) Si materia contractus non sit pecunia, sed alia res, tunc si compensatio sit a conventione determinata, ipsi standum est. Secus compensanda sunt, dolo non interveniente, tantum damna quæ prævisa sunt, aut potuerunt prævideri tempore contractus *(a.* 1228). At interveniente dolo, sunt compensanda omnia damna quæ directe sequuntur ex contractu *(S. Alph.,* l. III, n. 704).

98. **Extinctio obligationis.** Pluribus modis ex jure obligatio legitime rescinditur:

I. *Solutione* debiti, uti patet. Sed non valet solutio, si creditor est incapax ad accipiendum, nisi probetur in ejus utilitatem factam solutionem cessisse. Si autem creditor injuste renuat solutionem accipere, debitor potest illam apud judicem deponere. — Ad solutionem revocatur etiam *cessio bonorum;* cum quis solvendo impar, omnia bona sua cedit creditoribus *(a.* 1236). Vide n. 296.

II. *Novatione:* quæ non præsumitur, sed probari debet. Evenit quando vel nova erga creditorem constituitur obligatio, veteri extincta; vel novus debitor substituitur antiquo, qui ideo a creditore liberatur *(a.* 1267).

III. *Confusione,* idest debiti et crediti in eandem personam conjunctione, ut si creditor fiat hæres sui debitoris *(a.* 1296).

IV. *Rei debitæ interitu,* si agatur de re certa et determinata, quæ absque culpa debitoris interierit, nisi ipse se obligaverit etiam ad casus fortuitos *(a.* 1298).

V. *Actione rescissionis* vel *nullitatis* (quæ durat ad quinque annos, nisi aliter statutum sit). Obligatio rescinditur, si intervenerit læsio, vel metus injustus, gravis tamen; alioquin vix ullus contractus firmus esset. Unde licet in conscientia semper adsit obligatio corrigendi excessum, ne quis ex alieno locupletetur; attamen si læsio non sit gravis, id est non ultra dimidium, vel lex illam non permittat, rescissio non admittitur in judicio, et si quando admittatur, non iis præjudicat qui jura in immobilia jam acquisierunt *(a.* 1300).

Actio vero *nullitatis* locum habet: 1) Si non fuerint observatæ solemnitates præscriptæ — 2) Si intervenerit dolus, vis, error in substantialibus — 3) Si minor non emancipatus actum perfe-

cit sine illius concursu, qui ipsum repræsentat — 4) Si minor emancipatus actum perfecit sine suo curatore. Non poterit tamen obligatio impugnari, si minor dolose hanc suam qualitatem occultaverit (imo æquiparatur majori, si agatur de illius delicto aut quasi-delicto). Cæterum nemo jus habet, ut sibi restituatur quod tribuit minori, interdicto aut inhabilitato aut uxori, si conventio nulla declarata fuerit; nisi probetur solutum in dictorum commodum cessisse *(a.* 1303).

Item obligatio extinguitur *remissione, compensatione* et *præscriptione:* de quibus suo loco.

CAPUT SECUNDUM

De Contractibus in genere.

99. **Contractus in genere.** Definiri potest: *Conventio a duobus vel pluribus inita ad constituendum, moderandum vel resolvendum inter ipsos vinculum juridicum* (a. 1098). Dicitur *conventio;* neque enim subsistere potest contractus, si partes in idem placitum non conveniant. Sed ista conventio potest esse sine obligatione, ut si duo simul concordent de itinere simul faciendo; ideo ad veram contractus rationem insuper requiritur animus inducendi strictam obligationem, seu vinculum quo necessario adstringimur ad illam implendam, et propterea additur *vinculum juridicum.* Quod vinculum vel obligationem de novo creat et constituit, si nondum existentem; vel jam constitutam moderatur aut resolvit: Ex sic diversæ conventiones notantur.

100. Multiplex est contractuum divisio; satis erit eos recensere qui apud nos maxime vigent. Igitur contractus dividitur:

1) In *nominatum,* et in *innominatum.* Prior habet speciale nomen, uti emptio, venditio. Posterior retinet genericum contractus vocabulum, v. g. *do ut des; do ut facias; facio ut facias; facio ut des.*

2) In *purum* seu *simplicem,* et *non purum* seu *qualificatum.* Purus absolute fit. Non puro adjungitur aliqua conditio.

3) In *formalem* et *virtualem.* Ille adnexum habet expressum contrahentium consensum. In isto implicite tantum suscipitur obligatio justitiæ ex susceptione alicujus muneris.

4) In *bilateralem* et *unilateralem.* In bilaterali uterque contrahentium obligatur, ut in venditione; in unilaterali unus

tantum obstringitur, ut in promissione. Primus est *onerosus*, quia onus importat ex parte utriusque. Alter *gratuitus* seu *lucrativus*, quia vergit in utilitatem unius tantum, quin hic erga alterum obligetur.

5) In *principalem* et *accessorium*. Principalis non dependet ab alia conventione, ut venditio. Accessorius utique, ut esset fidejussio.

6) In *solemnem*, cum requiritur specialis legis formalitas, v. g. scriptura. *Non solemnem*, qui subjicitur tantum dispositionibus generalibus, nempe solo consensu, ut mandatum.

7) In *realem* et *consensualem*. Realis non perficitur nisi per rei, de qua convenitur, traditionem, uti in pignore. Consensualis solo contrahentium consensu completur, ut evenit in locatione (1).

Art. I. — De Requisitis ad contrahendum.

101. Quatuor ad contractus validitatem requiruntur de essentia: 1) *Subjectus capax*. 2) *Materia apta*. 3) *Consensus validus contrahentium*. 4). *Causa legitima*. Hoc modo contractus rite initus obligat non solum ad id quod pacto exprimitur, sed ad omnia quæ æquitas postulat, lex aut usus. Contrahentes enim censentur agere bona fide, idest de bono et æquo.

Præsumitur quisque pro se, ac suis contractum inire, nisi contrarium statuatur ab ipso contrahente, vel ex natura rei (*a.* 1127). (*V. Scavini*, l. II, nn. 558 et seqq.).

102. **Subjectus capax**. Ii soli contrahere possunt qui rationis libertatisque usu fruuntur, et a lege non prohibentur. Ex primo capite contrahere nequeunt qui habituali detinentur imbecillitate, amentia vel furore. A lege autem prohibentur minores, interdicti, inhabilitati, surdomuti ac cæci a nativitate in casibus a lege expressis.

Attamen contractus ad quos prædicti inhabiles declarantur, non videntur omnes ipso facto nulli; nam variæ adsignantur regulæ pro eorum rescissione: quod probat, æquitate naturali servata, valere quousque rescindantur. Imo qui cum dictis con-

(1) In *contractum bonæ fidei et stricti juris* solet etiam dividi contractus. Hic bona fides sumitur pro bono et æquo; unde contractus bonæ fidei est qui non ex rigore verborum accipitur, sed ex benigna interpretatione: ut evenit in deposito. Contractus vero stricti juris est, in quo id unum spectandum est, de quo expresse fuit conventum, puta in donatione scripta, in mutuo, etc.

traxerunt, opponere nequeunt incapacitatem, si excipiantur legaliter interdicti *(a.* 1107) — Item uxores viro non præsente vel sine ejus in scriptis consensu nequeunt donare, immobilia alienare (possunt tamen immobilia emere), vel pignori dare, sortes *(capitali)* exigere nec cedere, fidejussionem interponere, transactionem inire, mutuum accipere, nisi mercaturam exerceant; neque ad hæreditatis divisionem venire, nam et per divisionem contingit alienatio; neque in judicio agere aut conveniri, nisi de iis, de quibus contrahere permittuntur *(a.* 134).

Item determinati contractus cum determinatis personis prohibentur: 1) *Conjugibus*, qui matrimonio perdurante, nequeunt sibi invicem donare, nisi actu ultimæ voluntatis *(a.* 1054) — 2) *Sponsis*, qui bonorum societatem universalem secum inire prohibentur; iis tamen permittitur societas quoad utilia *(a.* 1433) — 3) *Genitoribus* quoad bona filiorum sub patria eorum potestate. Item *tutoribus* et *curatoribus* cum suis administratis — 4) *Judicibus, notariis, cancellariis, advocatis* et *procuratoribus,* quibus pacta interdicuntur circa res, de quibus causam dicunt *(a.* 1457, 1458).

103. **Materia apta.** Nempe requiritur ut sit:

I. *Possibilis*, nam impossibilium nulla obligatio; quod si res ex parte tantum sit possibilis, valet contractus pro hac parte, si dividi queat; quia utile non debet per inutile vitiari.

II. *Honesta,* nam ut jus habet: *quæ legibus, aut bonis moribus adversantur, ea nec nos facere posse, credendum est.* At satis est, ut honesta sit quoad suum substantiale objectum; neque enim officit ad validitatem contractus, si ob aliquam circumstantiam accidentalem illicitus sit: sic pater illicite agit, sed valide vendendo libros, quibus filius ejus omnino indiget pro sui educatione.

III. *Determinata* saltem in specie, secus contractus esset illusorius. Hinc si non constat, an in contractum deducatur vinum vel frumentum, contractus est nullus; at non officit quod ignoretur quantitas, si ex adjunctis determinari possit (1).

IV. *Propria tradentis;* quia illa, quæ nostra non sunt, nequeunt a nobis in obligationem deduci.

V. *In civili commercio,* adeo ut æstimari possit. Hinc irritus est contractus de re sacra, cum non cadat sub pretio temporali. Cæterum etiam res futuræ constituunt objectum con-

(1) Ideo v. g. obligatio dandi frumentum in genere, nulla est: sed valet si obligatio sit dandi frumentum ad victum unius anni, nam tunc satis determinari potest.

tractus, ut si quis venderet uvas anni advenientis; nam spes rerum futurarum est pretio æstimabilis. Attamen omne pactum circa successionem hæreditariam personæ viventis in lege nullius est roboris *(a.* 1118).

104. **Consensus**. Qui est anima contractus; oportet ut sit:

I. *Internus* et *verus*. Requiritur nempe, ut contrahens veram habeat voluntatem sese obligandi: patet ex ipsa contractus definitione. Idque semper supponitur.

II. *Liber* ac *plene deliberatus,* ita ut contrahens agat cum advertentia. Secus non esset nisi voluntas imperfecta, quæ strictam obligationem non parit. Hinc nullus est contractus initus a perfecte ebrio.

III. *Exterius manifestatus*, talis nempe, ut consensus unius possit ab alio cognosci et acceptari. Est enim actus humani commercii; atqui talis esse nequit nisi exterius manifestetur (1).

IV. *Mutuus* et *clare determinatus;* quia contractus est conventio saltem duorum in idem objectum *(S. Alph.,* l. III, n. 709).

Resolve: 1) Qui externis signis contraheret, sed sine animo contrahendi: item qui sciens obligationem contractus, nolit se obligare, et nihilominus externe contrahit, per se in probabiliori sententia, in conscientia non remanet obligatus; nam consensus et obligatio sunt de contractus essentia. Attamen tenetur partem deceptam indemnem reddere, vel verum consensum præstare. Imo in foro externo non auditur; et merito, secus nullus contractus esset firmus; ideo ex quo externe annuit, contrahit obligationem juridicam contractum implendi.

2) Contractus cum vero animo contrahendi et se obligandi initus, sed sine intentione illum adimplendi, valet in conscientia et obligat ad illum adimplendum; qui enim vere contrahit, vult implicite id quod cum eo connexum est, nempe ejus executionem.

3) Si contractus ficte initus fuerit executioni mandatus, dominium rei translatum non est; sed deceptus ratione rei habetur ut possessor bonæ fidei; deceptor ut malæ fidei possessor.

4) Si mecum contrahis per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu nondum acceptaveris; quia acceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

5) Si Titius dicit Petro: *do Cajo centum aureos;* si Petrus sine ulla Titii delegatione, id referat Cajo qui donum acceptet: non ideo Titius censetur obligatus. Est merum dandi propositum; nam intimatio promissionis non fuit facta de mandato donatoris. *Gury.*

105. Consensus validitas in contractu potest impediri ex parte intellectus per errorem et dolum; ex parte voluntatis per vim

(1) Media enim seu signa quibus homines opus habent ad cognitiones sibi invicem manifestandas, sensibilia esse debent; quia ipsi non ex spiritu tantum, sed ex corpore etiam constant. Hæc autem signa sunt gestus, voces et scriptura. Signa autem non ex natura sua sed ex institutione hominum res significant; adeo verum est ut apud populos varia nomina adhibentur ad eandem rem significandam. Hinc Angelicus: *Est naturale homini significare conceptus suos, sed determinatio signorum est ad placitum* (2, 2, q. 85). V. Signoriellus, *Philosophia christiana in compendium redacta*

et metum: 1) *Error* est acceptio unius rei pro alia. 2) *Dolus* est astutia et calliditas ad decipiendum: erit *positivus*, si contrahere volens directe et ex proposito aliquid agat ad alium decipiendum; *negativus*, si tantum dissimulet aliquid, ex quo nascatur alterius deceptio. 3) *Vis* est externa coactio ad contrahendum. Quæ porro si absoluta sit, de jure naturæ contractum invalidat, cum nulla voluntas ubi nulla libertas. 4) *Metus* habetur cum quis ad contractum inducitur ei minando aliquod malum *(S. Alph.*, l. III, n. 714).

106. **Error in contractu**. Si error versetur circa contractus *substantiam*, uti si quis emat vitrum credens esse gemmam, contractus invalidus est; quia error circa contractus substantiam impedit consensum, cum illa sit tota ratio consentiendi.

Si vero error versetur circa *accidentia*, v. g. si emerim equum decennem putans esse quinquennem, valet in opinione communi et probabiliori contractus. Etsi accidentia illa dent causam contractui, seu sint motiva impellentia, ut si tribuas eleemosynam Titio pauperi, quia valde probum credis, cum non sit; nam remanet quod est substantiale. Excipe, nisi ipsa qualitas in contractum sit expresse deducta; quia tunc transit in rei substantiam.

Si tandem error versetur circa *personam*, contractus est nullus, solummodo quando persona ipsa est objectum contractus ut in matrimonio. Vel quando qualitas personæ fuit principalis contrahendi causa, ut si nummum aureum dare promittas Petro, quia pauper existimas; cum tamen dives sit *(a.* 1109).

Casus. Homobonus a librario librum emit quem existimat bonum, sed postea pravum deprehendit. *Valide contraxit; quia absolute emit, etsi certe non emisset si illum pravum cognovisset. Secus autem si falsus titulus libro inscriptus fuisset; quia tunc falsus ille titulus causam errori substantiali præbuisset* (S. Alphonsus, *l.* III, *n.* 757).

107. **Dolus in contractu**. Dolus invalidat contractum, si evidenter colligatur ipsum totam illius causam fuisse, adeo ut pars una minime contraxisset, si non intervenisset dolus ex altera parte.

Dolus probandus est: quod generatim valet etiam de errore et vi; cum actus semper supponatur rite positus *(a.* 1115).

108. **Metus in contractu**. Si quis levi metu compellatur ad aliquem contractum ineundum, contractus valet; neque iste metus probabilius contractum rescindibilem facit; quia levis metus non impedit, quominus in contractum vere et libere consentiatur. Hinc in jure *vani timoris justa excusatio non est.* Item dicendum est si metus sit gravis, sed juste incussus; quia nulla tunc intervenit injuria.

Si vero metus sit injuste incussus et gravis, communissime et probabilius cum d. Thoma (1, 2, *q.* 6, *a.* 6), docent, ordinarie loquendo, talem contractum sive onerosum sive gratuitum esse validum, sed rescindibilem ex parte illius, qui passus est metum. *Validum,* quia non invalidatur, neque jure naturæ; cum metus hic non tollat voluntarium omnino, sed faciat tantum ut contractus fiat cum repugnantia. Neque jure positivo, quia jus civile præcipit judicibus ut tales contractus rescindant, quod supponit eos esse validos. *Rescindibilem* tamen ex parte illius qui passus est metum, ratione injuriæ illi irrogatæ *(a.* 1112).

Dixi: *Ordinarie loquendo,* quia excipiuntur præcipue sequentes obligationes et actus, qui si contrahantur ob metum gravem injuste incussum, sunt invalidi ipso canonico jure, ut sunt v. g. matrimonii celebratio, professionis religiosæ emissio, traditio rerum ecclesiasticarum, absolutio a censura, renuntiatio ecclesiastici beneficii, et jurisdictio ecclesiastica per injustum metum acquisita *(S. Alph.,* l. III, n. 715).

Metus reverentialis in contractu. Metus tantummodo reverentialis contractum non invalidat ex lege civili *(a.* 1114). Cæterum pro foro interno merito distinguunt: si subditus operatur ex sola reverentia superiori debita, subsistit contractus; nullam siquidem infert coactionem. At si hæc reverentia inducat timorem alicujus gravis damni imminentis ex inobedientia, v. g. diuturnæ indignationis, potest irritari. Quod verius dicendum est etiam de precibus importunis, si graves minas includant *(S. Alph.,* l. III, n. 717).

Resolve: 1) Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum esse delaturum ad dominum læsum, nisi det tibi pecuniam, juxta Gury tenet promissio. Sed alii negant cum Lugo; nam silentium promissum est contra publicum bonum; ideoque non est pretio æstimabile.

2) Si viator a latrone oppressus hominem transeuntem in auxilium vocaverit ei promittens pecuniam, valet promissio; quia metus non est promissionis causa, sed est tantum occasio. Et aliunde præstitum auxilium est pretio æstimabile.

3) Nil refert si metus sive a contrahente sive ab alio incutiatur. Item si incutiatur ipsi contrahenti, vel ejus uxori aut marito, aut illius ascendentibus vel discendentibus; quod enim nostris fit, nobis fieri censemus. Quoad alias personas judicis erit pronuntiare, habita ratione circumstantiarum.

4) Non datur locus rescissioni, si metum passus ratum habuerit (etiam implicite) contractum. Item est ex civili jure, si labi sinat tempus ad illum impugnandum, quod est regulariter quinquennium a die metus cessationis (*a.* 1300).

5) Qui metum gravem passus est, potest in conscientia etiam sine auctoritate judicis contractum rescindere; quod si alter renuat,

potest occulte sibi compensare. Ita communiter, et ratio est, qui metum injuste incussit, injuriam intulit: unde tenetur rem in priorem statum restituere et alter jus habet id exigendi. Quod autem uti debeat opera iudicis, est tantum modus a lege præstabilitus, a quo quidem sæpe adesse potest causa excusans, v. g., impensæ, difficultas metum probandi juridice in foro externo *(S. Alph*, l. III, n. 177).

109. **Causa in contractibus.** Conventio valida est, etsi causa non fuerit expressa; ea enim semper legitime præsumitur, donec non probetur contrarium. At si causa sit quidem expressa, sed sit nulla, falsa, illicita, est invalida conventio: quia deficit in substantiali — Causa *nulla* est, quando ratio, ob quam quis se obligavit, non subsistit, ut si donaverit 100 Titio intuitu illius initi matrimonii, et matrimonium non fuerit initum — Causa vero est *falsa,* si ea non sit apparens; ut si Titio debeas 100 ex testamento patris tui, et tribuas; sed postea invenias posterius testamentum, in quo a tali solutione liber es — Tandem causa, est *illicita,* si opponatur vel legi civili, ut est ordinarie obligatio non nubendi; vel bonis moribus, ut si aliquid tribuas judici ut male judicet; vel bono publico, ut esset omnis conventio circa statum personarum, v. g. ut quis habeatur uti legitimus, cum non sit; vel uti major, cum adhuc sit minor *(a.* 1119).

110. **Juramentum in contractu.** Si contractus sit jure naturæ irritus, juramento non firmatur; nam juramentum sequitur naturam actus; sed actus per se invalidus est, ergo et juramentum. Idem communius dicunt cum Billuart, si contractus sit ipso facto irritus de jure positivo; quia lex irritans agit ex motivo boni communis. Quod extendunt etiam ad contractus rescindibiles; si tamen rescindibilitas inducta sit ob bonum publicum; tunc enim juramentum esset de illicito. Hinc non valent juramenta uxorum, minorum, etc., ad firmandos contractus, quos ex lege ipsi possunt rescindere; secus mali homines eos de facili ad illa inducerent *(S. Alph.,* l. III, n. 177).

In aliis casibus juramentum firmat contractum; imo etsi fuerit metu etiam gravi extortum ad illum firmandum, uti si quis metu gravi jurasset dare pecuniam latroni: est longe probabilius tale juramentum obligare in foro conscientiæ; nam ex una parte res sine peccato dari potest, ex altera tenemur efficere ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus. Potest tamen sic jurans petere relaxationem vel juramenti commutationem, et si jam solverit, potest in judicio repetere, vel etiam occulte se compensare.

Dixi *in foro conscientiæ;* nam in foro externo ubi præsumitur

non adfuisse animus jurandi, certe non obligat tale juramentum (*S. Alph.*, l. III, nn. 174, 717). Vide t. I, n. 741.

111. An autem obliget in conscientia contractus initus absque formalitatibus extrinsecis a civili lege præscriptis ad ejus valorem, v. g. ut fiat per notarios, discrepantia est inter theologos; et valet quod supra dictum est de formalitatibus Testamenti n. 52. Hic satis est unum notare cum Benedicto XIV: *Ubi doctorum magna discrepantia est, integrum erit eam sententiam amplecti, quæ magis arriserit* (De Synodo, l. VII, c. 11, n. 3) (1).

Casus. Damasus ebrius vendit equum; altera die facti pœnitens, confirmat tamen contractum, si emptor Gordianus velit auxilium præstare ad inferendum grave damnum Davidi. Consentit Gordianus; et uterque contractum juramento firmat. *Quid in casu?*

Contractus in plena ebrietate a Damaso initus non valet, ob defectum usus rationis, consequenter et deliberationis. Neque secundus contractus sub conditione initus ad peccatum inducente; nam non datur obligatio ad peccatum. Sed conditione impleta, si res sit pretio æstimabilis, contrahens obligatur ad implendum promissum; ita ut si unus compleverit partem suam, obligetur alter explere suam partem si licita sit. — Cæterum non valet contractus ad malum, quia juramento firmatur; nam juramentum non est vinculum iniquitatis. *Voit.*

Art. 2. — De Contractus Interpretatione, de Quasi-contractu, Delicto et Quasi-delicto.

112. **Interpretatio contractus.** Si quid in contractu inveniatur obscuri, interpretandus ipse est juxta juris regulas; nempe

I. Contrahentium voluntas, potius quam verba, spectanda est. Titius locavit Lucio dimidiam domum pretio libellarum mille: si, finita locatione, Titius renovet contractum dicendo: *Eodem pretio domum loco,* intelligenda est non tota domus, sed dimidia tantum (*a.* 1131).

II. Quoties idem sermo duas sententias exprimit, illa tenenda est quæ rei aptior est, juxta morem et consuetudinem loci. Carolus locavit agrum per annos decem libellis tercentum; pretium intelligitur solvendum quolibet anno (*a.* 1136, 1153).

III. Casus specialiter indicatus in contractu non excludit alios, ad quos obligatio naturaliter extendi potest. Petrus stipulavit revocationem donationis, si ejus filius revertatur ab America: tenet conventio etsi filius ab alia regione revertatur (*a.* 1139).

(1) Hic autem agitur de iis actibus qui ad forum externum primario pertinent, id est qui temporalis negotii causa primario ineuntur, ut sunt maxime civiles contractus et testamenta. Si enim actus ad forum tum externum tum internum pariter spectant, ut matrimonia clandestina, obligationem in utroque foro inducunt, si solemnitates præscriptæ omissæ fuerint.

IV. Clausulæ quæ in usu sunt in contractu, etsi non expressæ, subintelliguntur. Sic in contractu locationis usus se habet, ut pretium locationis solvatur quolibet anno vel semestre, non in fine locationis.

V. Clausulæ unæ per alias explicandæ sunt; et remanente dubio, controversia resolvitur in favorem illius qui se obligavit; cum quisque censeatur se minus quam potuit, voluisse se obstringere *(a.* 1135 *et* 1136).

113. **Quasi-contractus.** In sensu jurisperitorum definitur: *Factum voluntarium et licitum, ex quo exurgit obligatio vel erga tertium vel partium ad invicem (a.* 1140). In hoc nulla supponitur conventio neque implicita, sed ipsa lex illam supplet, et ideo obligat: ut si quis indebite solverit, lex restitutionem imperat, quia justitia et æquitas id exigit — A theologis vero definitur quasi-contractus: *Voluntaria assumptio alicujus officii.* Et sic omnia comprehenduntur munera, quæ quis quoquomodo suscipit; qualia sunt judicis, tutoris, advocati, parochi, famuli, opificis, etc., in quibus tacita censetur existere conventio inter eos qui hæc exercent, et eos qui opus illorum requirunt.

Huc revocatur *negotiorum gestio.* Evenit cum quis alterius negotium suscipit sciente vel inscio proprietario (1). Qui si tenetur negotium prosequi ut bonus paterfamilias, proprietarius tenetur implere obligationes ab illo contractas, illumque omnino indemnem facere *(a.* 1141).

114. **Delictum, quasi-delictum.** Factum hominis culpabile, ex quo alter damnificatur, si cum directa damnificandi intentione ponatur, erit *delictum.* Si vero ponatur quidem cum culpa, sed absque directa nocendi intentione, ut si adsit peccaminosa ignorantia vel inadvertentia, habetur *quasi-delictum.* Damna quæ ex hisce factis eveniunt, resarcienda sunt; qui enim est in culpa, tenetur de damnis. Imo talis damnificator etiam pœna mulctatur *(Cod. pœn.).*

Qua quidem obligatione quisque tenetur ex facto:

1) *Personarum*, quæ sunt suæ custodiæ, uti est filiusfamilias (seu adhuc minor) respectu patris, vel in ejus defectu matris, si una secum moretur. Minor respectu tutoris, quocum una cohabitet. Domesticus ac commissionarius respectu domini

(1) *Inscio.* Uti esset v. g. si dum Paulus procul abest a suis dominiis, advenit vindemiæ tempus; Petrus amicus uvas colligit. Is contrahit hoc facto obligationem curandi ut vinum prematur et in tuto collocetur. *Sciente*, ut si ego veniam dum amicus meas colligit uvas, et illi permitto ut operam prosequatur.

et committentis quoad munia proprii officii. Discipulus et addiscentes respectu præceptorum et artificum, quamdiu sub eorum tutela sunt. Excipe, nisi isti omnes probent se non potuisse damnum impedire (v. *t.* I, *n.* 142).

2) *Animalium,* quæ proprio servitio sunt, si nempe alicui noceant; erant enim custodienda.

3) *Rerum,* quibus nostrum est providere; ut esset si tuum ædificium ruens, quia illud instaurare culpabiliter neglexisti, vel ob vitium constructionis, damnum mihi intulerit *(a.* 1153) (1).

CAPUT TERTIUM

De Contractibus in specie.

Art. 1. — De Venditione-emptione.

115. **Emptio-venditio.** Definitur: *Conventio de certa re pro certo pretio tradenda.* Emptio-venditio perfecta est, et rei proprietas pleno jure ad emptorem spectat et ejus periculo stat, statim ac conventum est de re et pretio, etsi res nondum sit tradita. Sed excipe:

1) Si agatur de re mobili ex natura sua (cui æquiparantur syngraphæ debiti publici; *titoli al portatore).* Quæ si duobus successive obligata fuerit, is præfertur cui ea jam tradita est et eam possidet, si ejus possessio sit bonæ fidei, etsi titulo posterior *(a.* 1126).

2) Si merces vendantur juxta earum pondus, numerum aut mensuram; venditio non est perfecta, si nondum pondere, numero vel mensura quantitas determinata fuerit; sed tantum hoc sensu, quod si merces pereant, stant periculo venditoris. Hinc si quis vendat alicui totum frumentum, quod habet in arca, decem libellis pro singulo modio, usquedum mensuratum non sit, periculum est venditoris. Poterit tamen emptor venditorem urgere ad mercem sibi consignandam sub pœna damnorum *(a.* 1450).

3) Si vendantur res, quæ antequam emantur, soleant prælibari, ut sunt vinum, oleum, etc.; venditio non est perfecta quoadusque res gustatæ et approbatæ non sint. Quod valet etiam de alia re, si ipsa vendita sit sub pacto præviæ degustationis *(a.* 1452*).*

(1) Qui tamen damnum timet ex arbore sui vicini, jus sibi præcavendi habet ad judicem recurrendo. Si non ita provideat, sua culpa damnum patitur *(a.* 699 *etc.).*

Contractus venditionis (imo et promissio vendendi, ut vim habeat in foro externo) fieri debet sub pœna nullitatis vel actu publico vel scriptura privata authentica ac transcripta, si agatur de immobilibus aut de alio jure hypotheca capaci. Expensæ autem necessariæ, nisi aliter conventum sit, pertinent ad emptorem *(a.* 1314, 1455, 1932).

116. **Venditionis objectum.** Cadere possunt sub emptione et venditione res omnes, quæ sunt in humano commercio et pecunia æstimantur, nisi lex vetet. Sic vetatur emptio-venditio:

I. Rei alienæ, quæ ipso jure nulla est, etiamsi facta bona fide. Quod si facta mala fide a venditore, emptor bonæ fidei potest repetere pretium solutum, damna et usuras.

II. Jurium successionis personæ viventis; etsi ista consentiat. Item nulla est alienatio bonorum dotalium, durante matrimonio, nisi in contractu matrimoniali id statutum sit, vel id permittat auctoritas *(a.* 1404).

IV. Rerum, quæ noxiæ esse possunt; unde illicita est per se loquendo venditio rei, quæ emptor prævideatur certe abusurus; nam lex caritatis est, ut nemini occasio præbeatur peccandi. Hinc lex *(Cod. pœn.)* sub pœna mulctæ, carceris, reclusionis, juxta circumstantias, prohibet claves adulterinas aut venena conficere, retinere, vendere iis, quibus a lege permissum non est.

Dixi: 1) *Illicita est:* valide enim vendi potest; cum etiam res nociva ratione substantiæ sit pretio æstimabilis — 2) *Per se loquendo:* justa enim extante causa, etiam licite venditur; nam ex una parte hæc traditio est tantum occasio: ex altera cooperatio materialis non est prohibita, cum gravi causa — 3) *Certo abusurus:* in dubio nemo præsumitur velle re abuti *(S. Alph.,* l. III, n. 793).

§ 1. — De Venditoris Obligationibus.

117. **Venditoris obligationes.** Venditor tenetur: 1) Rem tradere emptori. 2) Rem sine vitio ei tradere. 3) Indemnem ipsum reddere, si ideo molestari contingat.

1) *Tenetur rem tradere emptori cum suis accessionibus.* Si porro agatur de rebus incorporeis, traditio fit per consignationem documentorum, aut per usum earundem rerum ab emptore de consensu domini. Si vero agatur de rebus corporeis

et immobilibus, traditio fit per consignationem clavium, ubi res sit de aliquo ædificio; vel documentorum, ubi de alia proprietate sit sermo. Si tandem de rebus agatur corporeis et mobilibus, traditio fit vel eorum reali consignatione; vel clavium quæ ea continent; vel mutuo partium consensu *(a.* 1463).

2) *Tenetur rem sine vitio occulto emptori tradere,* adeo ut si hac de causa res perierit, teneatur venditor, et pretium solutum et omnes expensas emptori restituere. Sed vitium a vitio distinguere opus est: etenim si illud versetur circa *substantiam* (ut si vendatur stamnum pro argento) venditio nulla est, etsi fiat sine malitia: cum tota deficiat contractus materia. Si est circa *qualitatem,* ut si vendatur vinum aqua commixtum pro vino puro, venditio valida est, modo tale vitium non impediat, quominus adhuc res emptori sit conveniens, et de pretio subtrahatur quantum oportet: quod merito statutum est; secus vix ulla negotiatio subsisteret. Attamen emptor potest vel rescindere contractum vel petere compensationem, si vitium tale sit, ut eo cognito, non contraxisset. Venditor vero si vitia occulta circa substantiam et quantitatem non ignoraverit, tenetur de damnis; imo punitur *(a.* 1498 et seqq.).

3) *Venditor tenetur emptorem indemnem reddere* (vulgo *garantire)* ab omni molestia circa rem venditam, et ab oneribus. Ideo emptori competit actio apud judicem contra venditorem, ut indemnis reddatur si patiatur *evictionem,* seu deturbetur in re empta (1). Hoc, ipsa natura dictante, obtinet etsi nulla facta illius mentio: quod si conventum non fuerit de indemnitate, si fiat evictio, restitui debet a venditore pretium, nisi emptor venditionis tempore cognoverit periculum evictionis, vel emerit proprio periculo *(a.* 1482 et seqq.).

118. *Expensæ* autem ob traditionem rei venditæ factam emptori, a venditore; expensæ vero adsportationis rei de uno in alium locum, ab emptore ferendæ sunt: excipe, nisi aliter stipulatum sit.

Tempus vero traditionis illud erit, quod fuerit constitutum; quod si a venditore non observetur, jus erit emptori vel ven-

(1) Est *evictio* deturbatio juridica emptoris a possessione rei, quam emit. Titius v. g. vendit vineam Cajo; Sempronius vero probat vineam esse suam, et ideo judex decernit illam esse Sempronio reddendam, cum res ciamet ad dominum. Hinc Cajus jus habet petendi a Titio indemnitatem.

ditionem dissolvere vel rem sibi venditam exposcere, sub compensatione damnorum. Attamen venditor a re tradenda liberatur, quoties emptor pretium non solvat, nec ei concessa sit mora ad solvendum. Imo etiam concessa mora, non tenetur venditor rem tradere, si de pretio in periculum veniat, nisi emptor cautionem pro solutione tribuat.

Res tandem tradenda est eo in *loco,* ubi præstabilitum fuit: quod si nihil statutum sit, in loco quo res erat cum venumdata fuit. Et in eo statu, quo erat tempore venditionis, adeo ut si postea facta sit deterior culpa venditoris, ipse teneatur de damnis *(a.* 1467 et seqq.).

119. **De aperiendo vitio rei venditæ.** Si vitium sit circa rei substantiam, venditor tenetur emptori illud aperire; cum afficiat ipsam venditionis naturam. Item est, per se loquendo, si vitium sit circa quantitatem; esset enim damnosa deceptio. Si quis vero vel ob injustam taxam vel ob iniquitatem mercatorum qui fraudulenter agunt, nequeat consequi justum pretium dando totam quantitatem, non est improbabile vendentem posse uti mensura tantum manca quantum ad pretium justum consequendum sufficiat; esset enim injustam pretii diminutionem sibi juste compensare. Hoc tamen periculosum est; si enim emptor velit pondus verificare, venditor habebitur uti dolosus *(S. Alph.,* l. III, n. 821).

Si vitium sit circa qualitatem patens et manifestum, venditor non tenetur illud aperire; tunc emptor illud sibi imputet: neque venditor tenetur manifestare quod omnibus manifestum est; consonat lex civilis *(a.* 1498). Sed excipe pro foro saltem interno: 1) Si venditori constet de emptoris ignorantia, uti si esset puer — 2) Si qualitas deducatur in substantiam, uti si emptor expresse declaret, se velle rem talis qualitatis, vinum v. g. vetus, non recens, maxime si id petat pro speciali casu, puta pro infirmo.

Si vero vitium circa qualitatem est occultum et latens, tenetur venditor vitium aperire casu, quo noxium emptori futurum sit: alioquin illum deciperet, et injustitiam patraret. At si vitium non ita noxium futurum est, tunc si rogetur ab emptore de illo vitio occulto in specie, v. g. de ætate equi vendendi, tenetur responsum dare pro veritate rei; nam emptor ad id jus habet. At si non rogetur, non tenetur vitium aperire, alioquin fere nulli contractus firmi essent. Oportet tamen, ut venditor tantum *subtrahat quantum oportet de pretio,* ut ait Angelicus, 2, 2, q. 77, a 3. *(S. Alph.,* l. III, n. 823).

120. **Resolve:** 1) Ad restitutionem tenentur qui guttam hydrargirii *(argento vivo)* in aures equi infundunt, ut generosus appareat. Qui in saccisummitate melius triticum, in dolii extremitate majores pisces reponunt, ut sic emptores decipiant. Qui tenebras quærunt, ne mercium suarum detegatur vitium. Qui pannum adustum pro bono vendunt, etc.

2) Est contra justitiam pacisci cum emptore de pretio infimo, et postea pretium summum recipere occulte minuendo pondus, vel mensuram. Esto quod illud non excedat latitudinem justi; at celebrato contractu, pondus, mensura ac pretium ita remanent determinata, ut nullam amplius patiantur variationem. Excipe nisi id fiat ad se indemnem reddendum; quod tamen non ita facile concedendum est.

3) Fieri potest, ut res vitiata minoris sit valoris respectu quorumdam hominum, non respectu aliorum; tunc his secundum totum valorem vendi potest absque revelatione vitii. Sic bos, qui propter aliquem defectum ad arandum est inhabilis, vendi potest sine revelatione vitii et absque imminutione pretii, mercatori, qui ad lanium eum præparabit.

4) Videtur posse excusari qui herbas aqua aspergit, ut majoris sint ponderis, qui aliquantulum oryzæ farinæ admiscet ut panis majus habeat pondus, si revera aliunde non possit consequi quod justum est, ob morem regionis. Idem dicunt de pharmacopola qui aliquando unam medicinam pro alia tribuit, si tamen pretium sit æquum, et medicina æqualis virtutis. Cæterum isti omnes generatim exaggerant damnum quod patiuntur; ideo non facile iis acquiescendum.

5) Qui mendaciis et perjuriis emptores inducunt ad merces carioris emendas (protestando se illas tali pretio comparasse) peccant non solum peccato mendacii et perjurii, sed etiam injustitiæ; quilibet nempe jus habet, ne fraude inducatur ad carioris emendum. Idque multo magis si despiciant aliorum merces, ut suas attollant; tunc etiam tenentur de damno erga mercatores illos. Attamen regulariter nulla eis tribuitur fides; cum eorum verba communiter habeantur tantum ut stratagemata ad emptores facilius alliciendos. Unde nisi certo constet, emptorem illis revera credidisse et ideo majoris justo emisse, et alios mercatores deseruisse, venditor peccat mentiendo et perjurando; sed non ideo tenetur restituere *(S. Alph.,* l. III, nn. 820, etc.).

6) Si venditor protestetur se nolle rationem reddere de quolibet rei suæ defectu; per id censetur omnem a se injustitiæ labem repellere, et emptor satis apparet admonitus, ut sibi consulat *(a.* 1500).

Casus. Diogenes bona fide vendidit bovem Ægesippo pretiumque reportavit; at vix quindecim elapsis horis, bos perit ex latente morbo, ut fuit postea compertum. *Etsi Diogenes, stante bona fide et ignorantia invincibili, non peccaverit; tamen quia latens defectus propter quem bos statim periit, fuit circa substantiam (bos enim notabiliter infirmus venditus fuit uti sanus, et quidem taliter, ut fuerit inutilis emptori), sequitur contractum fuisse nullum; ideoque esse restituendum solutum pretium.* Beja.

§ 2. — De obligationibus Emptoris.

121. **Emptoris obligationes**. Duæ sunt præcipuæ:

1ª Ut pretium solvat eo loco ac tempore, quo res est ipsi tradenda, nisi aliud pactum sit; vel nisi a possessione rei molestari timeat, et venditor cautionem non præstiterit.

2ª Ut solvat pretii usuras (nempe quinque pro quolibet centenario; est enim interesse legale), quousque pretium solverit, si res tradita fructus producat, quamvis emptor non sit in mora solvendi; citra conventionem tamen *(a.* 1507).

122. **Pretium justum**. Est *quanti res valet,* seu quod rei venalis valorem adæquat. Porro, ait d. Thomas (2, 2, q. 77): *fraudem adhibere ad hoc quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius.*

Pretium autem aliud est *legitimum* seu legale, quod taxatur a lege vel a magistratu; aliud *vulgare* seu ordinarium, quod, spectatis circumstantiis, peritorum judicio determinatur (1).

123. *Legitimum* situm est in indivisibili, ita ut non liceat plus accipere, quam per legem fuerit statutum; et restitutionis urgeat obligatio, si ultra exigatur: talis est venditio salis — *Vulgare* vero patitur latitudinem ex communi peritorum judicio. Triplex iccirco distinguitur: *summum,* supra quod a prudentibus æstimari non solet; *infimum,* infra quod intelligentes non solent judicare; *medium* quod stat inter summum et infimum. Hæc autem regula communiter assignari solet in determinatione pretii vulgaris, ut res vilior minorem, pretiosior vero majorem habeat latitudinem. Attamen quanta sit hæc latitudo, non ita facile dignosci potest; perpendenda est generatim loquendo praxis communiter a negotiatoribus bene moratis hic et nunc adhibita; variat enim *(S. Alph.,* l. III, n. 804) (2).

124. Quamvis autem in foro externo non invalidetur venditio, nisi deceptio sit ultra dimidium justi pretii, in foro tamen interno omnis damnosa deceptio obligat ad restitutionem. Nam justitia sive in parvis sive in magnis læsa est restauranda.

(1) Hinc Angelicus (2, 2, q. 77): *Justum pretium rerum non est punctualiter determinatum; sed magis in quadam æstimatione consistit, ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ.*

(2) Pretium (ut notat cum Augustino d. Thomas, l, 2. q. 77) non tam æstimatur secundum rei dignitatem, quam secundum illius usum; alioquin musca quæ est animal sensibile, majoris esset pretii quam gemma, quæ est inanimata.

125. *Resolve:* I. Si venditio supra pretium legitimum vel vulgare bona fide contigerit, venditor tenetur id saltem restituere in quo rebus suis pepercit, ne ditescat de alienis. Si vero contrahentes rei valorem ignorantes vel de eo dubitantes, in contrahendo expresse se commiserint sorti, valet contractus, etsi postea detegatur error; quia censetur uterque sibi invicem voluisse excessum liberaliter concedere *(S. Alph.,* l. III, n. 805).

II. Si res nullum habeat pretium determinatum in humano commercio, uti aves indicæ, veteres picturæ, etc., probabiliter juxta alios possunt vendi quanti plurimi; quia cum non sint taxatæ, illud pretium putatur justum, quod convenitur inter partes. Sed probabilius negandum; quia etsi pretium magnam recipiat latitudinem, æquum semper est, ut habeat quamdam taxam judicio prudentum. Attamen in his venditionibus, quando ex utraque parte bona existat fides, communiter pœnitentes non sunt inquietandi, nisi appareat veram extitisse injustitiam *(S. Alphon.,* l. III, n. 808).

III. Licite *augeri* potest pretium ordinarium, seu venditor sine justitiæ læsione potest aliquid supra summum pretium exigere: 1) Ratione *damni emergentis* vel *lucri cessantis,* quod ideo venditori evenit (modo emptor admoneatur); non enim tenetur incommodum illud venditor sustinere. Quod quidem valet, etsi res sit a Principe taxata — 2) Ratione *singularis bonitatis* aut *raritatis mercium.* Quæ etsi probabilius vendi nequeant quanti plurimi, utique aliquo pretio majori; cum tunc augeatur communis æstimatio — 3) Ratione *specialis molestiæ* obventuræ ipsi venditori ob peculiarem affectum erga rem suam, ut verius tradunt, uti si eam accepisset a Principe; nam id pretio æstimabile est (1) — 4) Ratione *modi,* quo merces venduntur, si pretium non sit taxatum. Sic qui res minutim vendunt, possunt aliquantulo carioris vendere; quia majores debent labores et expensas effundere ad merces eas conservandas, ut stabularii qui fœnum carioris vendunt — 5) Ratione *periculi* in pretio exigendo. Hoc satis communiter ac probabilius defendunt plures; nam tali periculo se exponere, si revera adest, est pretio æstimabile *(S. Alph.,* l. III, n. 806).

(1) Si vero iste affectus sit tantum in emptore, carioris vendere non licet, ut docent communiter cum Angelico; nemo videlicet vendere potest quod suum non est; atqui in hypothesi affectio illa peculiaris est in emptore, non vero in venditore (2, q. 77, a. 1).

Sunt tamen moderni, qui etiam hoc secundum licere affirmant. Verum id nedum iniquum, imo absurdum videtur; etsi aliunde relinquendi sint in bona fide qui in ea sunt, nec certo moniti sint obtemperaturi.

IV. E contra pretium ordinarium potest licite *minui,* seu emptor potest minus pretio infimo tuta conscientia solvere: 1) Ratione *copiæ mercium* et *paucitatis emptorum;* quia tunc merces minoris æstimantur; et in communi æstimatione pretium ordinarium minuitur — 2) Ratione *modi* quo res venditur; sic emptor potest minoris emere, eo quod multa simul emat (vulgo *all'ingrosso);* quia venditorem liberat a multis curis — 3) Ratione *temporis:* sic res potest vilioris emi, si tradenda tempore quo minoris valebit; nam tunc tantum res incipit esse utilis emptori *(S. Alph.,* l. III, n. 801).

V. Pretio currenti vendi possunt merces, quas ex notitia peculiari dominus certo scit mox valituras esse multo minoris. Est commune cum d. Thoma; ratio quia pretium præsens est justum et nondum immutatum. Eadem de causa fas erit cuilibet emere merces pretio currenti, etiamsi certo sciat contra omnem dominorum expectationem brevi pretium augendum fore, uti patet exemplo Josephi in Ægypto *(Gen.* XLI). Imo in justitiæ rigore potest etiam quis in emendo adhibere illas pecuniæ species quas privatim scit brevi prohibendas, modo absint mendacia, vis et fraudes. Nam quilibet consulere potest rebus suis, etsi per accidens alteri damnum obveniat; sed caritas exigit, ne id fiat si ideo graventur pauperes *(S. Alph.,* l. III, n. 824).

126. **Merces ultroneæ.** Communius et verius licet minoris emere merces, quas ultro quisquam offert, emptorem quæritando et quasi compellendo ad eas emendas; quia cum merces sic offeruntur, adest parvus emptorum numerus (1). Imo cum Vasquez id tenent, etsi merces fiant ultroneæ ob solam paupertatem venditoris; quia res ultronea pretio decrescit ex ipsa communi hominum æstimatione, nulla habita ratione inopiæ vendentis. Verum alii tunc id negant; quia caritati et justitiæ adversari videtur rem vilioris emere a paupere, qui vendit necessitate coactus, nisi id fiat in solam gratiam venditoris ipsius. Hæc sententia est æquior et omnino suadenda; sed prima non videtur improbabilis, spectata ratione *(S. Alph.,* l. III, n. 802).

127. **Dilata solutio.** Non licet rem carioris vendere ob dilatam pretii solutionem, si id præcise fiat ob dilationem (vulgo

(1) Hac ratione quotidie veteres libri licet in se optimi, vili pretio venduntur; qui tamen si novi, licet non meliores, quadruplo pluris venderentur; at nemo suspicatur aliquam ibi esse injustitiam, quia sic inter homines receptum est. Idem dicendum de illis qui emendo bibliothecam, v. g. defuncti sacerdotis, libros novos sicuti alios tenui pretio emunt; ex communi enim æstimatione, atque consuetudine libri tunc non parum vilescunt; habentur enim ut merces ultroneæ.

vendere a credenza); nam esset pluris facere pecuniam numeratam numeranda, quod damnavit Innocentius XI sub n. 41. Sed quæstio est, an id licitum sit titulo communis æstimationis, sive spectata consuetudine: alii negant; quia consuetudo non potest efficere ut numerata pecunia pluris sit numeranda, si de ejus solutione nullum sit dubium. Verum alii affirmant, quia communis æstimatio revera auget pretium rerum, quæ ad creditum venduntur. Adde: periculum illud amittendi ob inopinatos casus in commercio non raro evenientes. Adde: pecunia numerata mercatores plures alios contractus inire solent; ideo dilatio solutionis generatim vergit in eorum damnum. Igitur negotiatores sic agentes, inquietandos non esse arbitror, tanto magis, ut ait Bouvier, quia in dubio prudentia non sinit conscientias turbari *(S. Alph.*, l. III, n. 811).

128. **Credita (seu chirographa), et alia Jura.** Hæc emi vendique possunt. Si autem non sunt litigiosa, sententia suadenda ac communior docet cum Angelico *(Opusc.* 67) minoris emi non posse, quia actio ad creditum certum et tutum, quin adsit difficultas in eo exigendo, tanti valet quanti ipsa pecunia debita. Attamen plurimi cum Bellarmino non improbabiliter volunt etiam credita tuta emi posse pretio minori quam infimo, quia non emitur pecunia, sed actio ad illam: porro ex jure *minus est habere actionem, quam rem.* Revera hæc credita æstimantur minoris a negotiatoribus in communi praxi; ideo magis, quia vix unquam libera sunt a molestiis et incommodis (1): non erit inquietandus qui in praxi id sequitur *(S. Alph.*, l. III, n. 825).

129. At si credita sunt incerta vel litigiosa, fatentur omnes minoris emi posse, habita ratione periculi, laboris, difficultatis, quæ omnia sunt pretio æstimabilia. Ex lege civili credita reputantur litigiosa quando de illis adest judicialis contestatio. Facta cessione, debitor potest se liberare et in pristinum restitui, solvendo emptori pretium ab isto solutum cum expensis et usuris. Excipe: 1) Si cessio facta sit cohæredi aut cumproprietario juris cessi — 2) Si facta sit creditori in solutionem sui crediti — 3) Si facta possessori fundi, de quo lis est *(a.* 1546).

(1) Excipe schedulas mensarias quæ statim exigi possint (S. Alph., *Ho. op.*, tr. x, n. 179). Hæc autem jurium venditio inter emptorem et venditorem perfecta est statim ac de ea convenerint; quoad debitorem, ex quo is eam acceptaverit, vel ei denuntiata fuit; quoad extraneos, cum eis notificata fuerit *(a.* 1528 etc.*)*.

§ 3. — De Venditionis Resolutione et Permutatione.

130. **Venditionis resolutio.** Emptio-venditio generatim iis solvitur modis, quibus cæteræ conventiones. Speciatim vero:

Primo *venditor* causa læsionis (licet huic beneficio renuntiaverit) scissionem petere potest in judicio, si agatur de immobilibus (nisi illa vendita sint hasta publica, judicis auctoritate), et læsio sit ultra dimidium, habita ratione valoris, quam res habebat tempore venditionis, et si intra biennium scissionem petat: sed emptor poterit rem emptam retinere, soluto pretio justo *(a.* 1529).

Item venditor habet a jure, ut contractus solvatur, si emptor tempore præfinito rem non recipiat, vel pretium statutum non solverit *(a.* 1512).

Secundo *emptor* poterit rescissionem contractus urgere non tantum si venditor mercem non tradat tempore debito, sed etiam:

1) Si immobile excedat vigesimam partem quantitatis in contractum deductæ, et intra annum rescissio petatur *(a.* 1475).

2) In casu evictionis, licet una tantum rei pars evicta sit. Item si agatur de fundo servitutibus onusto, quæ declaratæ non fuerint, neque sint apparentes *(a.* 1492, 1494).

3) Si res vitiosa sit, modo vitium non sit parvi momenti, neque de re agatur judicialiter vendita, et actio pro rescissione sit proposita tempore a lege statuto *(a.* 1504) (1).

131. **Permutatio.** *Est contractus, quo res pro re datur, vel promittitur.* Hæc jure civili iisdem fere legibus regitur, quibus venditio; et ideo perficitur solo consensu uti ipsa venditio. Attamen rescissio causa læsionis non admittitur in mera permutatione *(a.* 1549) (2).

(1) Si agatur de rebus immobilibus rescissio proponenda est intra annum ab illorum consignatione; si de animalibus agatur, intra quadraginta dies; si de aliis rebus mobilibus, intra menses tres; excipe nisi ex particulari consuetudine minus vel majus spatium exigatur. Vitia tamen quoad animalia determinantur a lege vel usibus loci *(a.* 1505).

(2) Dixi: *In mera;* si enim ad æquandum rerum valorem pecunia detur, is qui eam accepit quasi venditor habetur, et ideo si læsus jus habet ad rescissionem uti in emptione et venditione *(a.* 1554).

§ 4. — De Venditione per Proxenetas, de Retrovenditione, de Mohatra, de Venditione sub Hasta et Monopolio.

132. **Venditio per proxenetas.** Proxeneta (greca vox, *pro* in favorem, et *xenos*, hospes, mediator) ille dicitur, cui res a domino traditur vendenda. Certum est, quod si dominus tradat mercem vendendam pretio designato famulo suo, hunc non posse excessum sibi retinere quem forte traxerit; quia famulus jam tenetur domini negotia utiliter agere ratione stipendii. Item est si dominus utatur opera amici; hic censetur renuntiasse mercedi, non tamen damnis si ea patiatur.

Si vero rem vendat per publicum proxenetam (vulgo *sensale, commissionario)*, qui a republica deputatur ad aliorum negotia gerenda, soluto stipendio, vera sententia adhuc negat posse excessum retinere; cum jam iste speciali salario sit conductus. Adsignatio enim pretii facta a domino communiter intelligitur, ne infra pretium illud venditio sequatur, non autem ne supra; ideo excessus pertinet ad dominum rei ipsius. Sed exceptiones communiter admittunt.

1) Si adhibita communi diligentia, et pretio majori non invento, publicus proxeneta rem sibi emat, et postea suo tempore vendat pluris; tunc venderet rem propriam. Caveatur tamen fraus et illusio.

2) Si lucrum sit parvi momenti; nam dominus facile præsumitur consentire *(S. Alph.,* l. III, n. 825).

3) Famuli, qui emunt pro dominis suis cibaria, possunt parva munuscula a mercatoribus accipere, ut fert usus. Sed caveatur fraus, ne scilicet id cedat in dominorum damnum, nempe si pluris ideo debeant solvere pro merce.

4) Si sartor fideliter negotium domini gerat minoris, v. g. pannum emendo, et ex alia parte mercator aliquid ei donaverit vere gratis, quia officinam suam frequentat, vel ut eum alliciat ad ipsam frequentandam, licite potest sibi retinere donatum; nam diminutio pretii, vere fieret in ejus gratiam. Sed caute hic procedendum, ne justitia lædatur ex dictis *(S. Alphonsus,* l. III, n. 826).

Casus 1. Dativus accipit a Diogene anulum vendendum decem florenis, quem eodem die viro perito vendidit quindecim. Porro decem tradit Diogeni, quinque sibi retinet.

R. Recte distinguunt: si Diogenes expresse vel tacite convenerit

cum Dativo, ut rem vendat 10, et si quid ultra acceperit, sibi retineat, hoc pacto Dativus potuit excessum retinere. Secus non; sed tenetur illud tradere Diogeni. Non potest enim retinere aliquid neque ratione rei venditæ, quia illud est pretium rei, ideo pertinet ad dominum ipsius rei; nec ex eo quod dominus designaverit pretium, quia sine pacto tacito vel expresso retentionis augmenti, illa designatio tantum facta est, ne infra 10 venderetur; nec ratione industriæ, quia augmentum pretii non est fructus qualiscumque industriæ, sed est fructus anuli spectantis ad dominum, cujus nomine Dativus tantum vendidit: ergo augmentum spectat ad dominum. At potest Dativus pro suo labore, atque industria competentem mercedem exigere. *Voit.*

Casus 2. Claudia famula non a Marco juxta domini sui mandatum, quæ ad victum sunt necessaria, sed ab alio ejusdem oppidi mercatore pretio minore emit, quam fuerit a domino præfixum. Aliquando minoris emendi causa civitatem petens, eadem cibaria pretio adhuc magis tenui sibi comparat.

R, Præcluso peculiari aliquo pacto inito inter Marcum et dominum famulæ noto Claudiæ, ad nihil tenetur ergo ipsum Marcum, cum nullum ejus jus violaverit. Pecuniam autem cui perpercit emens ab alio mercatore, restituere tenetur; quia ratione officii ac stipendii tenetur domini sui utilitatem procurare. Nec refert a domino pretium fuisse determinatum, quia id fecisse censetur ne supra illud emeret. Item cum nomine heri sui Claudia emerit, non potest residuum pecuniæ non impensæ sibi retinere. *Episc. Eula.*

133. **Retrovenditio.** Est pactum, quo venditor facultatem sibi reservat rem suam statuto tempore repetendi, sub conditione, quod pretium ejus restituat, sumptus venditionis solvat, aliaqua damna resarciat, et compenset instaurationes necessarias, et illas quibus res pretiosior evasit. Hæc venditori licita est, si rationem habeat gravaminis, quod imponitur; cum tunc servetur æqualitas. Imo etiam emptori probabilius jure naturæ spectato ea permittitur; nam solo consensu pacta per se firmantur, et hoc nil continet inhonesti — Attamen lex civilis retractum conventionale pro solo venditore admittit, et quidem tantum ad quinquennium, ne diu rei dominium incertum maneat. Quo tempore elapso, emptor irrevocabiliter proprietarius evadit. *a.* 1516 *(S. Alph.,* l. III, n. 812) (1).

Quando locum habet redemptio, venditor recipit rem suam a quovis onere per emptorem imposito liberam. At locationem sustinere debet, si neque in venditoris fraudem, neque ultra triennium illa inita sit *(a.* 1528).

134. **Contractus Mohatra.** Ille est, quo quis pecunia indigens merces emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito vel implicito, ut eadem sibi statim retrovendatur pretio minori, numerata pecunia. Uti si Titius indigens nonaginta nummis, petat illos mutuo

(1) Retractus *gentilitius*, nempe pactum, ut consanguineus proximior venditoris us habeat infra certum tempus rem redimendi, in jure moderno non amplius obtinet.

a Sempronio mercatore. Hic quia lucrari cupit, denegat mutuum; sed offert tot frumenti mensuras, quas Titio vendit summo pretio ad creditum, nempe centum nummis, addito pacto, ut Titius emptor Sempronio venditori, numerata pecunia illas illico revendat minoris, v. g. nonaginta nummis, quibus hic et nunc indiget Titius.

Talis contractus illicitus est; nam usuram palliatam includit; venditor enim dat 90, ut statim recipiat 100 sine titulo. Idque Innocentius XI damnavit propositione 40. Attamen si res sine prævio pacto retrovendatur etiam minoris eidem venditori, et absit usurarius animus, contractus de se licitus erit; quia tunc nulla conventio extat lædens æquitatem. Hic tamen contractus non amplius est in usu *(S. Alph.*, l. III, n. 813).

135. **Venditio sub hasta** (vulgo *incanto)*. Est quæ fit voce præconis, in qua ultimo licitanti res adscribitur. Hæc venditio sive voluntaria sive a judice indicta, licita est, si absit fraus; nam tam ementes, quam vendentes in pari conditione constituuntur lucri et damni. Res autem, quæ sic exponuntur, possunt et carius vendi et vilius emi; quia potestas publica vel communis æstimatio approbat pro justo pretium illud, quod publico emptorum concursu probatur.

Dixi: *Si absit fraus,* quæ esse potest tam ex parte venditoris si immittat fictos licitantes, quam ex parte emptoris, si alios dolo vel pecunia retrahat a licitatione; item ex parte illorum qui non habent intentionem emendi, sed simulant concurrere, ut aliquid a veris licitantibus extorqueant (1). Hoc valet etiam de proxenetis, si ex industria mercem exponant, cum pauci sunt emptores, ut sic amicis faveant; hac de re fraudes lex punit *(Cod. pœn.*, a. 402).

Resolve: 1) Inspecto modo, quo hodie licitationes fieri solent, non facile est damnandus venditor, qui et ipse per alios licitaretur; tum quia emptores jam de hoc suspicantur, ideo possunt sibi providere; tum quia adhuc libertas remanet licitandi. Sicut neque illico damnandus est emptor, qui alios rogat ne licitentur.

2) Non immerito aliqui docent, neque plures amicos damnandos qui conveniunt, ut unus eorum tantum licitetur, modo cum aliis tale quoque non ineant pactum; esset enim quædam

(1) « Cæterum qui cum vera intentione accedunt, possunt, ut mihi videtur, recedendo aliquid accipere, præsertim si in auctione æqui jam pretii oblatio facta sit, ita ut quod ab amovente solvitur, et ab amoto licitatore accipitur, non rei ipsius, sed potius affectionis sit quoddam inter ipsos licitatores, qui non tenentur vendenti potius favere quam sibi. » *Vegezzi.*

Et cl. D'Annibale addit: « Nec est illicitum emptori alios emptores ab emptione (sub hasta) deducere, seu precibus quod nemo dubitat, seu pacto cum eis inito quod est communius, et ni fallor verius, dummodo ipse emat pretio saltem infimo. »

commercii societas. Imo aliqui addunt non tam facile damnandum emptorem, qui pactum faciat cum aliis, ne licitentur aut ne plus offerant, si alicubi sit usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur. Si ipse potest impedire, ne pretium nimis decrescat, æquitas postulat, ne conqueratur si et ipsi emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur *(S. Alph.,* l. III, n. 808).

Casus. *Cum publicæ sub hasta venditioni a dæmanio ecclesiastica bona exposita sint, Titius ad eorum licitationem concurrit, ut lucrum faciat. Cum tamen Sempronius ei offerat pecuniæ summam ut a licitatione recedat, ultro ipse annuit.*

Titius nullam incurrit censuram, cum nullum externum, positivum et efficacem usurpationis actum exerceat. Si enim ex S. Pœnitentiaria 15 aprilis 1873 censura immunis est qui ad licitationem de facto concurrit, si ei bona non adjudicentur, tanto minus qui a licitatione se retrahit. — Sed quid de pretio a Titio accepto? Non est dandum Ecclesiæ, quæ omnino extranea est ab illo contractu. Esto quod ecclesiastica bona revendens debeat in manibus Ordinarii lucrum exinde perceptum deponere, ut præcipit eadem S. Pœnitentiaria 1 junii 1869; nam tale lucrum provenit ex fundi venditione, ideo ex ipso fundo: at in nostro casu non ex fundo, sed tantum occasione venditionis fundi lucrum percipitur. Neque Titius proprie cooperator dici potest, cum efficaciter in contractum non influat; et ideo solus emptor respondere debet de damno Ecclesiæ.

Teneretur tamen pecuniam Sempronio restituere, si hic emendi licentiam a S. Sede obtinuerit; nam tunc repræsentat dominum, qui jus habet vindicandi rem suam, quin tertius se ultro immisceat. Item est si dolo pecuniam extorserit, ut si nullam habuerit intentionem licitandi; nam tunc nullum haberet titulum illam retinendi. Hisce præclusis, Titius etiamsi illicite egerit, videtur posse summam retinere; neque enim justitiam læsit; hic habetur contractus *facio ut des.* Saltem res dubia est; at in dubio melior est conditio possidentis. *Il Monitore ecclesiastico,* vol. III.

136. **Monopolium.** Definitur: *Machinatio unius vel plurium mercatorum simul conspirantium, ut ipsi soli vendant vel emant merces, quo voluerint pretio.* Hæc porro lædit justitiam, et contingit:

1. Si mercator impediat fraude vel mendacio, ne aliæ merces advehantur, ut ipse solus merces suas carius vendat cum gravi et publico damno. Vel si unus aut pauci emant merces omnes, ut illas solito carius vendant. Vel si emptores conveniant de non emenda merce, nisi infra pretium infimum.

2. Si venditores conspirent inter se, ut supra pretium summum vendant; neque privatorum est mutare legitimam pretii taxationem. Item est si ad hoc falsam notitiam spargant, v. g. naves esse submersas, gelu periisse oliveta, res publicas tali

in loco esse turbatas, ut sic publici census descendant *(fondi pubblici)*. Et ideo eos ipsi emant minoris, et postea vendant supra justum pretium.

3. Si artifices conveniant, ne doceant artem suam, nisi pretio injusto; vel ut nullus perficiat opus, adeo ut injuste compellantur domini ad augendum pretium jam omnino æquum et rationabile (vulgo *sciopero)*. Vide *Scavini*, l. I, n. 687.

4. Item dicendum si officinarum magistri inter se injuste conveniant de minuendo opificum salario. Quæ omnia etiam puniuntur *(Cod. pœn.)*. V. *Civ. catt.*, ser. 11.ª t. I: *Questione tra i padroni e gli operai.*

137. Cæterum si mercator tempore messis aut vindemiæ omne triticum aut vinum regionis pretio vili tunc currenti emit, ut postea vendat carius, non agit injuste, modo alios non inducat ad carius vendendum, neque ipse vendat supra pretium, quod excluso illo monopolio, curreret. Nemo enim tenetur negligere suum commodum, ut damnum alienum evitet, si id eveniat sine dolo; sane pretium summum est semper pretium justum *(S. Alph.*, l. III, n. 816).

138. Mercatores qui conspirant, ne merces vendant, nisi summo, licet justo pretio, peccare contra justitiam alii probabiliter affirmant; quia per medium iniquum cives pretio supremo emere cogunt. Verum alii forte probabilius negant, si mercatores non conspirent vi neque mendaciis; nam tunc nulla injuria: neque enim ipsi cogunt emptores, sed a propria necessitate coguntur ad emendum pretio summo: aliunde pretium summum hic et nunc vigens adhuc justum est.

Attamen peccant contra caritatem, quæ etsi non te obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur te obligare ad non dissuadendum aliis, ut non vendant pretio mitiori. Unde merito hæc conspiratio sub pœna a lege civili prohibita est *(S. Alph.*, l. III, n. 817).

139. Facto autem semel monopolio ab aliquibus mercatoribus pretio injusto vendendi, an liceat aliis merces eodem pretio vendere, sunt qui affirmant, quia pretium illud jam commune est et currens; et est per accidens quod de injustitia natum sit. Sed sententia, quæ mihi omnino melior videtur, negat; nam pretium sic adauctum, cum proveniat ex injustitia, ad justitiam reducendum est *(S. Alph.*, l. III, n. 617).

Art. 2. — De Locatione, Emphyteusi, Censu et Vitalitio.

140. **Locatio-conductio.** Definiri potest: *Contractus, quo vel operæ præstatio vel rei usus alicui conceditur pro pretio.* Qui rem confert vel mandat operam perficiendam, *locator;* qui vero re fruitur, vel operam perficit, generatim *conductor* vocatur vel etiam *locatarius.*

Variæ numerantur locationis species, uti locatio *ædificiorum, agrorum, animalium, proprii laboris* et *famulatus.* Si locatio immobilium fiat ultra novennium, requiritur scriptura transcripta ad ejus validitatem in foro civili *(a.* 1314, 1932). Vide *Scavini,* l. II, nn. 563 et seqq.

141. **Obligationes locatoris.** Locator generatim tenetur vi contractus, alia conventione seclusa, ad hæc præcipua:

1) Rem locatam tradere aperiendo vitium, si quod sit damnosum, v. g. si domus sit ruinosa. Item solvere expensas extraordinarias ad conservationem necessarias, v. g. servare tectum domus locatæ, publica tributa persolvere, nisi aliter sit consuetudo illius regionis *(a.* 1577).

2) Rei locatæ formam non immutare. Quod si, urgente causa, reparari contingat, conductor id pati debet, sed pretium conductionis imminuendum, si ultra 20 dies labor producatur. At si reparationes tales sint, ut conductor et ejus familia nequeat frui domo, habita ratione circumstantiarum, poterit solvi ipsa locatio *(a.* 1580).

3) Curare ut conductor re pacifice fruatur. Item indemnitatem concedere, si conductor patiatur damnum notabile ex fundo locato ob sterilitatem, nisi se obligaverit ad omnes casus fortuitos *(a.* 1575 et 1617).

142. **Obligationes conductoris.** *Conductor* ad hæc tenetur præcipue, nempe:

1) Re locata frui tanquam bonus paterfamilias, parvas etiam reparationes agendo. Poterit autem rem a se conductam tertio locare, nisi expresse fuerit interdictum *(a.* 1573, 1583).

2) Locationis suo tempore pretium solvere; et si nullum statutum, solvat juxta regionis consuetudinem. Quod si fuerit in mora culpabili, tenetur etiam ad usuras a die judicialis petitionis: et locator quoad hoc privilegio gaudet super fructus et mobilia domus vel fundi locati *(a.* 1583).

3) Rem restituere, finito tempore, eo statu quo in principio

locationis fuit descripta. Quod si nulla descriptio, restituenda in statu laudabili, exceptis rebus vetustate vel vi majori detritis. Tenetur autem tum de detrimentis, quæ culpabiliter in re locata contingunt, etiam ob factum suæ familiæ, aut tertii sui conductoris; tum de incendio, nisi probet illud contigisse sine culpa *(a.* 1585 et seqq.).

143. **Locationis duratio.** Pro locatione *operarum*, quæ a famulis et operariis præstantur, statuit jus civile, quod nemo potest suas operas obligare nisi ad tempus, aut ad certum aliquod opus perficiendum *(a.* 1628).

Quoad *rerum* locationem, si res sunt Ecclesiæ, ut locentur ultra triennium, requiritur S. Sedis auctoritas ex canonico Jure (*v.* tamen *t.* I, *n.* 625) — Quoad bona profana, si *mobilia,* nullum tempus constitutum est; ideoque id contrahentium arbitrio relinquitur. Sed quoad *immobilia,* si inculta et silvestra quæ locantur cum pacto, ut ad debitam culturam redigantur, locatio fieri potest etiam ad annos centum, non ultra. Si vero immobilia jam culta sint, locatio fieri non potest ultra annos triginta, nisi agatur de domo quæ potest locari ad vitam inquilini, et etiam ad biennium post ejus mortem favore hæredum. Attamen ii, quibus actus simplicis administrationis permittuntur, ut sunt tutores, et ii qui opera pia administrant, nequeunt locare bona administrata ultra novennium *(a.* 1571 et 1572).

Qui succedit locatori in re locata, potestne ante completum terminum conductorem expellere? — Plures casus possunt fingi.

1) Qui in re locata succedit titulo emptionis, nequit conductorem expellere ante tempus, si locatio sit facta publico actu vel scriptura privata ac certa; nisi in ipsa locatione aliter pactum sit. Quod si locatio sit inita sine tali scripto, conductor poterit locationem continuare toto illo tempore, quo fieri solent locationes temporis indeterminati juxta morem illius regionis. Quo tempore consummato, si emptor velit expellere conductorem, potest: sed illum monere debet juxta quod fert loci consuetudo; attamen conductor potest petere a locatore compensationem damnorum *(a.* 1597, 1598, 1601).

2) Si ex ipsa locationis conventione facta sit facultas (casu quo res vendatur) conductorem dimittendi, nulla ipsi debetur indemnitas, citra pactum. Attamen conductor monendus de dimissione tempore a loci consuetudine præstabilito: et si res sit de fundis rusticis, erit monendus saltem anno ante. Quod si emptor emerit sub conditione retractus conventionalis, non poterit uti facultate quam aliunde haberet expellendi conductorem, nisi postquam irrevocabiliter proprietarius absolutus evaserit. — Cæterum contractus locationis per se non solvitur neque locatoris neque conductoris morte *(a.* 1596 et seqq.) Quoad locationem factam ab usufructuario v. infra: *De usufructu.*

144. **Locationis resolutio.** Locatio-conductio rerum solvitur:

1) Si res totaliter perit: perit autem locatori; cum ipse dominus sit, modo conductor non sit in culpa — 2) Elapso tempore præfinito, quin necesse sit, ut detur dimissio. Si tamen, elapso tempore, conductor non rejiciatur, habetur repetita eadem locatio — 3) Si compars in suis deficiat obligationibus, aut res locata fiat inutilis — 4) Mutua contrahentium voluntate *(a.* 1578).

145. **Emphyteusis.** Definitur: *Contractus, quo in perpetuum vel ad tempus alteri conceditur dominium utile prædii alicujus sub onere eum meliorem efficiendi, et domino annuum canonem præstandi.* Differt a feudo; quia huic inest onus obsequii personalis; emphyteusi vero onus pensionis realis.

Cum emphyteusis sit quædam species alienationis, non potest iniri nisi inter illos, qui de bonis libere possunt disponere. Is autem cui res consignatur fruenda ac melioranda, dicitur *emphyteuta (utilista).* Qui rem illam tradit, *proprietarius (direttario).* Res tradita, *bona emphyteutica (bene livellario).* Annuus canon præstandus nuncupatur *libellus (livello)* (1) — Ad hujus contractus validitatem requiritur scriptura authenticitate donata, et in officio hypothecæ transcripta *(a.* 1314, 1932, 1935).

146. *Emphyteuta:* 1) Solvit tributa prædialia et cætera fundi onera; tenetur integrum canonem tribuere, non obstante insolita sterilitate: a quo tamen liberatur si ex integro fundus perit — 2) Sibi acquirit omnes fructus fundi et ejus accessiones; et iisdem juribus utitur quibus ipse proprietarius quoad thesaurum, et ea omnia quæ in fundo inveniuntur — 3) Potest semper fundum redimere ab onere emphytheusis, solvendo præscriptam pecuniæ summam *(a.* 1560, etc.) (2).

Proprietarius vero potest fundi devolutionem petere (nisi emphyteuta vel ejus creditores jure redemptionis uti velint): 1) Si post legitimam interpellationem duobus annis successivis emphyteuta canonem non solverit, sed compensanda melioramenta — 2) Si fundo detrimentum afferat, vel de eo meliorando non curet. Præstat autem ad evitandam præscriptionem, ut singulo quoque anno vigesimo nono petat proprietarius ab emphyteuta recognitionem sui juris *(a.* 1563).

147. **Census** (costituzione di rendita). Definitur *contractus quo emitur jus percipiendi pensionem annuam, mediante vel cessione alicujus immobilis, vel pecuniæ solutione.* Qui jus ad talem

(1) Si agatur de bonis ecclesiasticis in emphyteusim tribuendis requiritur beneplacitum apostolicæ Sedis ex Extr. *Ambitiosæ;* nisi res sit de bonis pauci valoris et quæ jam solebant dari in emphyteusim, ut declaravit Rota. Ecclesia contractum non permittit nisi ad tertiam generationem *(S. Alph.*, l. III, n. 865).

In translatione emphyteusis novus emptor solvere tenebatur duo in centum domino, quod pretium *laudemium* dicebatur, quasi sit translationis laudatio. Verum ex civili Codice *laudemium* non amplius obtinet.

(2) Item ratio habenda est taxæ Gubernio solvendæ (vulgo *ricchezza mobile);* quæ ideo est in redemptione compensanda, ut decisum fuit a supremo Consilio causarum Neapoli et Florentia anno 1875.

pensionem acquirit seu emit, dicitur *censualista (creditore)*; qui vero pensionem solvit, *censuarius (debitore)*; ipsa autem pensio dicitur *canon* vel *reditus*. Census scriptura confici debet; quæ si agatur de cessione alicujus immobilis authenticitate donari debet et in officio hypothecæ transcribi *(a.* 1314, 1932, 1935).

Si censualista alteri cedit rem immobilem, reservata sibi super ea re annua pensione, appellatur *census reservativus (rendita fondiaria)*: v. g. do tibi agrum meum sub conditione, quod annuatim mihi solvas 50 francos. Quæ immobilium venditio seu cessio transfert plenum dominium in censuarium, non obstante quocumque contrario pacto. Regitur autem juxta leges venditionis si ea sit facta titulo oneroso; juxta leges donationis si illa cessio sit facta titulo gratuito.

Si vero censualista alicui consignat pecuniæ summam, sibi reservando jus percipiendi annuam pensionem, tunc dicitur census *consignativus (rendita semplice o censo)*: v. g. mille francos tibi trado, ut 60 francos quotannis mihi solvas.

148. *Divisio.* Census tam reservativus quam consignativus, alius est: 1) *redimibilis*, alius *irredimibilis*, prout potest vel non potest redimi.

2) Alius *perpetuus*, qui per se semper durat, nisi a censuario redimatur. Alius *temporarius*, qui durat ad certum tempus, v. g. ad 10 annos; vel ad tempus incertum, v. g. ad vitam alicujus, et tunc dicitur *vitalitius*, qui specialibus regitur legibus *(a.* 1778, *etc.)* (1).

149. **Principia**. Census tam reservativus quam consignativus licitus est; nam si agatur de *reservativo*, nihil impedit quominus quis rei suæ proprietatem vendat, reservato jure ad partem fructuum, si in pretio hujus reservationis ratio habeatur — Item licitus est census *consignativus*; nam quilibet alteri donare potest jus percipiendi annuam pensionem ex re sua frugifera; ergo et hoc jus alteri vendere *(S. Alph.*, l. III, n. 839).

150. Hinc docent licitum esse: 1) Emere syngraphas seu census annuos in Gubernio fundatos *(Cartelle, Cedole, Buoni del Tesoro)*

(1) Census proprie dictus *realis* est, cum in re fundetur; et de hoc solummodo agit lex civilis; sed a theologis solet etiam distingui census tum in *personalem*, si nempe aliqua persona obliget se ad annuam pensionem solvendam ex arte, labore seu industria sua, mediante cessione ipsi facta alicujus summæ vel rei immobilis ab altero contrahente; tum in *mixtum*, qui fundatur in re et persona simul ita ut pereunte re, adhuc persona remaneat obligata.

Communius et probabilius docent censum personalem non esse jure naturæ prohibitum; non enim ipsa venditur persona, quæ utique est invendibilis, sed tantum emitur jus ad pensionem annuam ex labore vel industria personæ percipiendam *(S. Alph.*, l. III, n. 940).

pretio currenti (vulgo *al corso della Borsa)*; nam venduntur et emuntur uti merces ordinariæ: et pretium eorum crescit aut decrescit juxta communem hominum æstimationem — 2) Negotiari actiones, quæ constituuntur in viis ferreis, in operibus industrialibus, etc.; illæ enim actiones sunt jus ad emolumenta sperata, ideo pretio æstimabiles — 3) Pecunias collocare ad lucrum in capsis parsimonialibus *(Casse di risparmio)*; societates enim quibus committuntur illæ pecuniæ, vendunt collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem, et quandoque etiam jus ad emolumenta indeterminata partienda. Est ergo vera census venditio et emptio; et Sacra Pœnitentiaria hac de re interrogata, 25 febr. 1836, respondit: *Ut jam alias, nihil obstare* (Quoad ecclesiasticos tamen v. t. I, n. 254).

151. **Census redemptio.** Jus civile tribuit censuario facultatem censum redimendi, adeo ut pactum contrarium sit nullum. Attamen conveniri potest, ne census redimatur durante vita censualistæ, vel ante præfinitum aliquod tempus, quod non potest excedere annos 30 in censu fundiario, 10 in censu simplici. Licet quoque pactum inire, ut censuarius censum redimere nequeat, quin primum censualistam præmonuerit, et a monitione tempus non longius anno effluxerit *(a.* 1783) (1).

Censualista autem etsi non possit censum redimere suo marte; potest tamen censuarium adstringere, præter casus in conventione notatos, ad censum redimendum: 1) Si post legitimam interpellationem per duos annos successivos pensionem non solverit; vel omittat exhibere cautelas in ejus securitatem — 2) Si fundus pro censu datus, aut hypotheca subjectus plusquam inter tres possessores dividatur. Vel si debitor evaserit obæratus juxta legis limitationes *(a.* 1785).

152. **Contractus vitalitius.** Est quædam species census, nempe est *contractus de annua præstatione, pro certa re vel pecunia, alteri persolvenda quoad vixerit.* Cum adsit periculum tum in emptore accipiendi plus vel minus, quam traditum ab eo est, tum in venditore solvendi plus vel minus, quam fuerit acceptum; iccirco vitalitium potius considerant uti contractum sortis. Qui contractus ab omnibus legibus admittitur tam titulo oneroso, quam gratuito (v. g. donationis, testamenti), modo non excedat quotam pro liberalitatibus a lege concessam (2). Sed necesse est, ut persona et dandi et acquirendi sit capax.

Vitalitii pretium lex civilis liberum relinquit, cum sit contractus meræ sortis, modo pensio aunuatim tribuenda superet

(1) De census redemptione v. *Scavini,* t. II, n. 568. Et supra t. I, n. 631.

(2) Ad vitalitii validitatem si fiat titulo gratuito, requiritur actus publicus; item valet ex testamento holographo — Si titulo oneroso, satis est scriptura privata, quæ authenticitate donari debet, si agatur de immobili; imo etiam transcribi, si vitalitius in re constituatur hypothecæ capaci *(a.* 1314, 1932, 1935).

fructum rei traditæ (id est quinque pro centum). Hæc autem pensio generatim constituitur habita ratione ætatis et aliquando etiam sanitatis. Et debetur proportionatim ad numerum dierum quibus proprietarius vivit, nisi ex conventione anticipate solvenda sit. Non autem extinguitur amissione jurium civilium, semel valide celebrato vitalitio; sed solutio tunc fit ex legis præscripto, v. g. ejus curatori vel filiis.

Ille, in cujus utilitatem vitalitius constitutus fuit mediante pretio, petere potest resolutionem contractus, si alter cautelas pactas non servet. Non tamen, si annuam pensionem non solvat; sed ad solvendum judicialiter debitorem compellat. Item si vitalitius sit titulo gratuito, in contractu constitui potest, ut pensio tribuenda sequestro non subjiciatur a creditoribus *(a.* 1789*)*. *S. Alph.*, l. III, n. 844.

Art. 3. — De Pignore, Antichresi, Hypotheca, Cambio et Transactione.

153. **Pignus**. Est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti, non tamen in proprietatem *(S. Alphonsus,* l. III, n. 913) (1).

Debitor tenetur: 1) Creditori pignus idoneum tradere ipsi refundendo expensas necessarias pro illius conservatione — 2) Pignus non repetere, nisi debito soluto; excipe, nisi creditor pignore abutatur.

Creditor vero jus habet: 1) Retinendi pignus usque ad totius crediti extinctionem; illud tamen custodiendo uti bonus paterfamilias, et fructus ex pignore forsan perceptos computando in debiti ipsius diminutionem — 2) Postulandi a judice, ut sub hasta vendatur pignus, si debitum non solvatur; privata tamen auctoritate, quocunque pacto non obstante, de illo disponere prohibetur — 3) Exigendi solutionem sui crediti cum privilegio et prælatione relate ad cæteros creditores; si tamen pignus fuit consignatum ac descriptum, et declarata summa debita, et agatur de objecto excedente valorem 500 libellarum *(a.* 1878) (2).

154. Pignori accedit *antichresis,* qua scilicet debitor tradit rem immobilem in usum creditori (non in proprietatem) usquedum debitum solvatur *(S. Alph.,* l. III, n. 916).

(1) Pignus potest etiam tribui pro ipso debitore ab aliquo tertio, quo in casu dicunt illum aliquid exigere posse, cum sit beneficium temporali pretio æstimabile.

(2) Quæ dispositiones non derogant specialibus præscriptionibus quoad commercium; item quoad instituta a Gubernio approbata ad pecuniam mutuo dandam sub pignore *(a.* 1890*)*.

Creditor autem tenetur rem illam custodire diligenter uti suam. Solvere tributa annua eidem inhærentia, nisi contraria conventio inita sit; et alias expensas, sed cum jure compensationis ex fructibus rei (1).

155. **Hypotheca**. Est *contractus, quo res immobilis creditori obligatur* (non traditur) *in securitatem sui crediti;* ita ut ex illa sibi solvere possit præ cæteris creditoribus, si debitor non solverit. Etiam syngraphæ debiti publici hypothecæ subjici possunt, etsi ex lege habeantur uti res mobiles *(a.* 1967).

156. *Divisio.* Hypotheca est legalis, judicialis et conventionalis.

1) *Legalis,* seu implicita et tacita est, quæ vi legis absque speciali conventione inducitur. Sic uxor hypothecam habet ipso jure in cunctis bonis mariti pro dote recuperanda. Minor et interdictus in bonis tutorum. Fiscus tandem pro expensis judicii a reis condemnatis *(a.* 1969).

2) *Judicialis,* quæ ex judicis decreto statuitur in gratiam eorum, qui litem vicerunt, ad ipsorum resarcienda damna. Id autem obtinet ab ipso die, quo sententia apud hypothecarum conservatorem inscribitur *(a.* 1970).

3) *Conventionalis* pendet a mutua contrahentium voluntate et confici debet scriptura publica, vel privata, attamen authenticitate donata. Hypotheca legalis et judicialis potest complecti immobilia præsentia et futura; conventionalis sola præsentia.

157. **Principia**: I. Illi solum possunt hypothecam concedere, qui alienare non prohibentur: sic prohibentur minores, et uxores (nisi mercaturam exerceant) sine auctorizatione tribunalis vel mariti. Interdicti sine deliberatione consiliifamilias, quæ homologari debet; inhabilitati sine adsistentia curatoris, etc.

II. Ut hypotheca suam habeat vim: 1) Debet constitui super bona specialiter designata, ac ob determinatam pecuniæ summam — 2) Publica fieri debet, quod evenit per inscriptionem ad Officium hypothecæ, et in loco ubi sita sunt bona (2). Hæc autem inscriptio durat per 30 annos, quibus elapsis, renovanda est, ut iterum obtineat. Expensæ inscriptionis sustinendæ sunt a debitore, nisi aliter conventum sit. Pro administratis vero renovatio fieri debet ab ipsis administratoribus sub pœna damnorum *(a.* 1964).

(1) Ad antichresim requiritur actus publicus, vel scriptura privata authentica et transcripta. Ad pignus autem simplex requiritur scriptura; et quidem tantum, si agatur de re excedente valorem 500 libellarum *(a.* 1314, 1891, 1932 et 1952)

(2) Inscriptio tamen legalis uxoris durat toto tempore matrimonii, imo etiam spatio unius anni ab ejus solutione *(a.* 2004).

158. **Cambium.** Est *permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro permutantis.* Ille, a quo petitur cambium, vocatur *campsor* vel *bancarius.* Qui illud petit, *campsarius.*

Divisio. Cambium aliud est fictum, aliud reale.

1) *Fictum* (etiam *siccum ;* quia succo et humore caret) non aliud est quam usura palliata. Nam illud est, quo datur pecunia tanquam in loco distanti transferenda et recipienda (et ideo pretium pro translatione recipitur), quæ tamen non transfertur, sed statim recipitur in præsenti loco. Hoc s. Pius V, Bulla *In eum,* damnavit uti usurarium, cum nullus sit titulus percipiendi lucri. Sed hodie talem cambium vix obtinet.

2) *Reale* seu verum illud est, in quo de facto pecunia commutatur. Si commutatur pecunia præsens pro præsenti, v. g. aurum pro argento, habetur *cambium minutum* seu *manuale.* Si commutatur pecunia præsens pro distanti, ut si detur campsori pecunia Novariæ, restituenda Taurini, habetur *cambium locale* seu *trajectitium;* quod hodie maxime fit per *literas* (sic dictas) *cambiales,* ac moderatur a Codice commercii. Si tandem Novariæ detur campsario pecunia, ut post aliquod tempus, v. g. ad proximas nundinas, Taurini restituatur cum majori vel minori lucro pro nundinarum distantia, est *cambium ad nundinas.*

159. **Principia.** I. Cambium *reale* licitum est; quia in eo est justus titulus lucrandi, nempe labor campsoris in pecunia transferenda, in nummis cujuscunque generis conquirendis, expensæ in famulos, pericula tum furum tum cessionis debitorum, etc., ut docet d. Thomas, 2, 2, q. 78. Attamen hoc lucrum æquitati consonum esse debet, ut patet — Qui artem vero cambiendi non exercet, potest nihilominus lucrum ex commutatione percipere; quisque enim jus habet ad lucrum pro suo labore et industria; verum iste non tantum lucrari debet ut campsor, cum istius labores et expensas non sustineat. Attamen ecclesiasticis cambium exercere vetitum est *(S. Alph.*, l. III, n. 861; *et dicta* l. I, n. 254).

II. Accipiens pecuniam adulterinam non potest illam expendere aut commutare, si pecunia intrinsece sit falsa, ut si deest justum pondus vel materia requisita; non enim pretium solveres. Neque obstat, quod tibi fuerit tradita; nam non quia tu ab aliis deceptus fuisti, tibi licet decipere alios.

Si vero pecunia falsa sit quoad formam tantum extrinsecam accidentalem, ut si materia sit bona et referat signum principis, sed a privato sit impressa, non est contra justitiam

commutativam seu proprie dictam, illam expendere, cum revera in se tanti valeat. Id tamen esset contra justitiam legalem; et quammaxime cavendum, ne quis se vel alios eam expendendo gravi damno exponat; cum lege civili monetas quocumque modo falsas expendere sit sub maximis pœnis vetitum *(C. pœn.)* (1).

160. **Transactio**. Est *conventio, qua res litigiosa et incerta inter partes componitur*. Nemo potest valide transigere, nisi habeat facultatem disponendi de rebus, quæ sub transactione cadunt. Unde tutores transigere nequeunt super bonis minorum, nisi interveniant formulæ juris. Neque corpora moralia sine legitimi superioris facultate; cum juris alienationem importet.

Transactionis autem magna vis est; cum ipsa nequeat amplius impugnari neque causa læsionis neque ignorantia juris, etsi postea casu inveniantur documenta, ex quibus constet rem fuisse unius partis, quæ transegit. Et si error contigerit in calculo, error corrigitur; sed transactio subsistit.

Rescinditur tamen, si error sit vel in persona, vel in objecto controverso; vel si intervenerit dolus aut vis. Item si fundata super falsa documenta, quando præcise eorum vi transactio locum obtinuit; vel si jam prius lis judicialiter fuerit definita, etsi partes (vel una illarum) id nesciverint *(a.* 1764 *et seqq.)* (2).

Art. 4. — De Communione bonorum, de Societate et Contractu Trino.

161. **Communio bonorum**. Communio hæc generatim sumpta est: *Duorum vel plurium ad eandem rem, cujus comproprietatem tenent, participatio*, uti si plures eandem domum possideant (3). Tunc communio obtinet, cum ipsa inita est ad lucra inde provenientia dividenda. Hac de re, si deficiant conventiones aut dispositiones speciales, en Codicis civilis normæ:

(1) Licet famulo (vel alio) qui a domino nummos aureos accepit ad aliquid emendum vel ad solvendum creditori, aliquid lucrari illos cum æneis commutando; sine damno tamen domini, et modo dominus talem pecuniam non miserit creditori vel amico ut ei gratificaret; et generatim id supponitur *(S. Alph.*, l. III, n. 856).

(2) Ad transactionem requiritur actus publicus, vel scriptura privata, quæ tamen transcribenda est (et ideo prius authenticanda) si respiciat immobilia vel bona aut jura hypothecæ capacia *(a.* 1936). Transactio est medium aptissimum ad componendas lites; hinc illud: Melior est transactio macra, quam sententia pinguis.

(3) «Nel Codice si riscontrano varj casi di comunione, come nel caso di mescolanza di materie *(art.* 471); di comunione di muri *(art.* 546); di partecipanti all'uso di un'acqua *(art.* 657); fra i coeredi, fra i conjugi, i soci *(art.* 1433, 1701). E nei rispettivi titoli sono date le norme speciali, contenendo invece il presente titolo le norme generali spettanti a tutte o alla maggior parte di esse. » *Carabelli.*

1) Participantium concursus in juribus et oneribus debet proportionari quotæ singulorum. Sed quilibet potest uti re in communione posita, suamque portionem alienare, cedere, hypothecæ subjicere, vel etiam in suo jure fruendi alium substituere; nisi agatur de jure personali (uti est jus habitationis).

2) Si potior pars non consentiat, fieri nequeunt innovationes, etsi utiles: potior autem pars est illorum, qui majoribus fruuntur juribus. Si non concordant, vel si inde grave detrimentum res patiatur, controversia erit a judice definienda.

3) Quilibet semper potest a communione recedere, nisi tempus determinatum sit, quod non erit ultra decennium. Imo judex, si urgeant circumstantiæ, potest communionem dissolvere ante terminum præstabilitum.

4) Quoad pascua qui ab illorum communione vult recedere, et sua prædia libere possidere, tenetur anno ante id notificare administrationi communali, ut rescissio publica fiat *(a. 673 et seqq.)*.

162. **Societas**. Est *duorum, vel plurium conventio contribuendi aliquid ad commune lucrum* (S. Alph., *l.* III, *n.* 904).

Divisio. Societas est vel universalis vel particularis.

I. Societas *particularis* respicit tantum res determinatas, aut earum usum vel fructus, uti si duo pictores contractum ineant de exercenda arte propria in communione *(a.* 1705).

II. Societas *universalis* duplex est. Alia complectitur omnia bona præsentia, et evenit quando socii omnia, quæ nunc possident sive mobilia sive immobilia et lucra obvenientia, in commune ponunt. Alia complectitur omnia lucra, quæ socii, durante societate, quovis titulo erunt comparaturi — Porro societas universalis absque ulla alia declaratione inita non inducit, nisi societatem universalem quæstuum. Et quilibet sociorum, absque aliorum consensu, potest sibi adjungere alium quoad suam portionem, non tamen in societatem admittere. Socii autem non tenentur in solidum ob debita societatis non commercialis: neque unus alium potest obligare sine facultate expressa *(a.* 1700, 1725) (1).

163. **Principia**. Contractus societatis licitus est, si requisitis conditionibus fulciatur; nam valde ad commercium confert. Porro conditiones præcipuæ sunt:

(1) Contractus societatis scriptura fieri debet etiam privata, sed authenticitate donata et transcripta, si pro objecto habeat immobilium fruitionem et duret ultra annos novem *(a.* 1314, 1932, 1935).

1) Ut societas fiat in negotiatione honesta; nam *delictorum turpis atque fœda communio est* — 2) Ut socius qui est in mora ad conferendum quod promisit, teneatur ad usuras solvendas et damna compensanda — 3) Ut finita societate, prius reddatur sors domino, et postea lucrum inter socios dividatur. Quare si quis ad negotium confert navem et alter operam, completo negotio, navis tota debetur domino (nam nonnisi ad usum data fuit); dein lucrum ex æquo dividendum — 4) Ut quilibet socius subire debeat proportionatim onus damnorum et expensarum societatis. Esset enim contra justitiam, si quis vellet percipere de lucris, et nulli subjici damno: tunc veniret reprobata societas, quam *leoninam* vocant *(S. Alph.*, l. III, n. 908) (1).

164. **Societas inter fratres.** Inter fratres societas seu communio bonorum tacite inita censetur, si ipsi habeant patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant. At si unus plus laboris conferat, potest plus accipere juxta æstimationem sui laboris. Item dicunt, fratrem posse sibi compensationem facere (secluso pacto contrario aut consuetudine), si ejus frater, qui solum filios habet pro societate non laborantes, multo plus insumit in alenda familia *(S. Alph.*, l. III, n. 904).

Si frater absens negotietur communi nomine ex communibus bonis intelligitur habere societatem, usquedum moneatur a cæteris fratribus, velle ipsos divisionem facere; neque tunc de se desinit communio pro negotiis jam incœptis. Cæterum præstat, ut bonorum divisio legaliter fiat inter fratres, etsi adhuc postea velint una simul vitam agere uti indivisi; ne si unus negotiando infortunio teneatur, omnia aliorum fratrum bona in discrimen veniant.

165. **Societatis dissolutio.** Contractus societatis finitur:

1) Finito tempore constituto; finita negotiatione; rei in so-

(1) Nomine *damnorum* intelliguntur quæ solo intuitu societatis obveniunt socio, puta si ipse causa custodiendi aut transferendi aut comparandi merces diripiatur a latronibus. Non autem (seclusa conventione) damna quæ remote occasione societatis socius patitur, uti si ideo prætermittat negotiis domus suæ providere, etc. Si vero causa societatis vulneretur socius vel ejus servus, de jure solum expensæ curationis debent a consociis in communi sustineri.

Nomine *expensarum* veniunt sumptus itinerum, solutionis vectigalium, conservationis mercium, etc. An socius itinerans societatis causa possit sibi deducere omnes itineris expensas ex pecunia communi, alii negant; quia societas non tenetur ad sumptus quos socius domi fecisset; ergo neque illos quos fecit in itinere, nisi fuerint excedentes. Ita si necessario in itinere quis consumpsit centum, et domi non comsumpsisset ex propriis nisi quinquaginta, societas debet illi refundere quinquaginta. Verum alii concedunt omnes itineris sumptos posse deduci, nisi diversa sit consuetudo aut conventio; quod videtur probabilius utpote juri conformius; nam totum se in societatis utilitatem dedicat *(S. Alph.*, l. III, n, 905).

cietatem positæ extinctione; unius socii interdictione, itemque illius decoctione.

2) *Morte* alterius socii; etenim in societate primario spectatur personalis industria mercatoris. Pactio tamen potest fieri, ut morte interveniente unius socii, societas vel cum ejus hærede, vel cum sociis qui supersunt, continuetur.

3) Mutuo sociorum *consensu;* imo etiam *voluntate* unius tantum, modo talis renuntiatio non sit intempestiva, id est in grave damnum societatis; et agatur de societate temporis indefiniti. Secus requiritur auctoritas judicis *(a.* 1729).

166. **Contractus trinus.** Contractus triplex *est ille, in quo simultanee cum una eademque persona concurrunt contractus societatis, assecuratio sortis et emptio lucri.* Lucius confert mille aureos in societatem cum Titio; en primus contractus *societatis.* Cum vero ex ea speret quindecim pro singulis centum, veritus ne negotiando sua pecunia pereat, quinque ex eis cedit Titio, ut sortem sibi assecuret; en secundus contractus *assecurationis.* At sciens melius esse modicum certum, quam majus incertum, quinque alios sic speratos cedit Titio ipsi, ut quinque certa quidquid eveniat, sibi solvat; en tertius contractus *emptio lucri.* Duo Lucio certa sunt, sors et lucrum. Id tamen hodie vix est in usu.

Hunc contractum simultanee cum eadem persona initum plures negant esse licitum; nam per tales contractus societati adjunctos, societas destruitur, cum de hujus natura sit, ut damnum et lucrum stent ex utraque parte. Porro amovere omne periculum sortis mutuum est; ex mutuo autem lucrum pacisci, nullo interveniente titulo extraneo, usura est. Hunc a Sisto V damnatur Bulla *Detestabilis* — Alii vero affirmant licitum esse; nam si tres hi contractus disjunctim valent, etiam conjunctim valere debent. Neque enim in contractibus per se attenditur diversitas personæ, sed æqualitas rei ad rem; et hæc adest, cum pro majori periculo et major tribuatur spes lucri. Neque destruitur societas; quamvis enim unus non sentiat incommodum periculi, sentit tamen incommodum minoris lucri (1).

Art. 5. — De Mutuo et Usura, ac Montibus Pietatis.

167. **Mutuum** *(prestito di consumazione).* Hoc nomen aliquando sumitur pro ipsa re mutuo data; aliquando et sæpius pro contractu, quo ea res alteri datur. Quo sensu definitur: *Contractus, quo rei primo usu consumptibilis dominium per traditionem in alterum transfertur, cum obligatione tantundem reddendi in ea-*

(1) Neque obstat Bulla Sixti V: vel enim usu contrario est abrogata, vel per eam solum usurarii contractus fuere reprobati, uti ajunt Pontificem respondisse: quod confirmavit Romana Rota. Hæc secunda sententia quam plures tuentur Universitates, licet satis probabilis, est tamen valde periculosa in praxi; et ex Benedicto XIV *(De Syn.*, l. x, c. 7) *minus congruit Sixtinæ Constitutioni.* Imo ipsa civili lege videtur expresse reprobata, *a.* 1719 *(S. Alph.*, l. III, n. 754).

dem specie et bonitate post lapsum temporis (S. Alph., *l.* III, *n.* 757 et seqq.).

Dicitur: 1. *Contractus, quo rei primo usu consumptibilis;* res illico usu destruitur physice vel moraliter. *Physice* destruitur quod natura sua consumitur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, vinum. *Moraliter* vero destruitur pecunia mutuo data, quæ licet usu non pereat in se, ei tamen perit qui illam alteri tradit. Unde patet in rebus, quæ usu non consumuntur, mutuum proprie non obtineri, sed commodatum aut locationem *(a.* 1819).

2. *Dominium per traditionem in alterum transfertur.* Qui enim rem mutuo accipit, ea uti potest uti dominus; alioquin merum haberetur depositum. Sane concipi nequit quomodo illa re uti queat et eam consumere, si ejus dominium non habet. Ex quo etiam patet, rei mutuatæ periculum devolvi ad eum, qui illam mutuo accipit *(a.* 1820).

3. *Cum obligatione tantundem reddendi in eadem specie,* v. g. pecuniam pro pecunia, vinum pro vino. Si enim res traderetur absque ulla obligatione eandem restituendi, esset donatio. Si res dissimilis esset reddenda, ut vinum pro frumento, esset permutatio. Si res identica, seu eadem physice et in individuo esset reddenda, esset commodatum. Additur: *et bonitate:* secus indemnis non servaretur, qui mutuum dedit, uti si vinum ordinarium restituatur pro generoso.

4. *Post lapsum temporis;* sic mutuum distinguitur a cambio in quo aurum, v. g. pro argento statim datur; a precario, quo res ad libitum concedentis reddi debet.

Qui mutuum dat, dicitur *mutuans* vel *mutuator;* qui illud accipit, *mutuatarius.* Res quæ mutuo datur et capitale constituit, *sors* appellatur — Mutuum dare possunt omnes, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, neque lege prohibentur. Illud vero recipere, qui ex contractu valent obligari.

168. **Obligationes mutuantis ac mutuatarii.**

I. Mutuans tenetur: 1) De damnis, si scienter rem vitiosam tradiderit — 2) Non repetere mutuum ante tempus præfinitum; et si non fuerit definitum, tunc judicis erit ratione adjunctorum illud definire *(a.* 1824).

II. Mutuatarius vero regulariter tenetur: 1) Res mutuatas restituere tempore ac loco, quo conventum est; et in eadem quantitate ac qualitate: quod si nequeat, solvere illarum valorem — 2) Solvere usuras a judiciali petitione, si non restituat tempore definito *(a.* 1828).

169. *Resolve:* I. Si dubium est, utrum res tempore restitutionis augenda sit an minuenda, licitum erit pactum ut res mutuata in eadem specie et qualitate restituatur; quia in tali dubio æqualis est contrahentium conditio, ac id induit naturam sortis. Si vero prævidetur tempore restitutionis pluris esse valitura, pacisci non potest ut restitutio fiat in eadem qualitate, tempore quo pluris est valitura; non enim servaretur æqualitas; de facto enim plus tribueret mutuatarius. Quod si prudenter prævideatur tempore restitutionis valitura minoris, poterit mutuator pacisci de majori mensura sibi restituenda, quantum sufficiat ad se servandum indemnem.

II. Hæc autem a lege civili sancita sunt circa mutui restitutionem, maxime pro casu, quo nullum fuerit initum pactum inter contrahentes: quæ quidem communiter admittunt etiam in conscientia, cum æquitati sint consona, et statuta sint ad publicum bonum. Vel igitur mutuo datæ sunt virgæ metallicæ aut aliæ res fungibiles a pecunia distinctæ, ut vinum, triticum; vel ipsa pecunia.

Si 1, sive res pretio crescant sive decrescant, non est restituendum, nisi tantundem ejusdem quantitatis; nam in his rebus plus entitas physica attenditur, quam valor earum extrinsecus. Unde reddi debet una libra butyri pro una libra butyri, nulla habita ratione, quod pretium variatum sit *(a.* 1823).

Si 2, satis est, ut idem valor extrinsecus detur, etsi moneta quæ tradita fuit, interim creverit vel decreverit (1). Nam ubi de pecunia numerata agitur, magis valor extrinsecus attenditur, quam entitas physica; et revera objectum contractus generatim non est ipsa aurea moneta ut talis, sed ejus valor. Excipe, nisi conventum sit, ut restitutio fieri debeat in eadem specie et quantitate, ut nempe restituantur tot aurei quot mutuati fuerunt, sive ipsi creverint sive decreverint quoad valorem. Quod si pecuniæ quoad valorem intrinsecum sint vitiatæ, vel inveniri nequeant, vel non amplius sint in commercio, tunc solvitur quod respondeat valori quem ipsæ obtinebant tempore, quo mutuatæ fuerunt *(a.* 1821, *etc.)*.

170. **Casus.** Titius, cum nondum Gubernium papyraceæ pecuniæ coactivum usum præcepisset, mutuum dedit Sempronio centum aureos *(marenghi)* sub conditione totidem in sua specie restituendi excluso alio ære, et alio quocunque pecuniæ repræsentativo. Quod mutuatarius promisit, jam nunc pro tunc renuntiando beneficio legis, si quid hac de re fuisset statutum. Quod si lex non admittat renuntiationem, mutuatarius se obligat ad compensandum omne damnum vel auream solvendo pecuniam vel super papyraceam addendo quantum tempore restitutionis requiritur, ut aureæ juxta differentiam (vulgo *aggio)* æquiparetur.

Lex tandem 1 maji 1866 prodiit qua statuitur: *I biglietti di banca saranno dati e ricevuti come danaro contante pel loro valore nominale, pei pagamenti effettuabili nello Stato... non ostante qualunque contraria disposizione di legge o patto convenzionale.* Hinc ad animarum directionem quæritur: 1) An simplex conditio adjecta in chirographo de restitutione non aliter quam in sonanti pecunia facienda, vim suam amittat etiam in foro conscientiæ per subsequentem legem civilem illam irritantem? et quatenus affirma-

(1) Hinc si Titius mutuo accepit nonnulla scuta, quorum valor tunc erat sex libell.; sed tempore restitutionis ex lege crevit ad libellas duodecim, satis erit si medietas restituatur scutorum; excepta contraria conventione.

tive. 2) An Sempronio hoc in casu, idest propter speciales conditiones ut supra stipulatas, tuto se possit etiam in foro interno conformare huic sibi perutili legi civili, quando hæc, etiam his in adjunctis, in foro externo illi suffragasset?

S. Pœnitentiaria 21 jan. 1873, mature consideratis propositis dubiis, respondet: *Ad 1m, regulariter affirmative, nisi peculiares obstent circumstantiæ, super quibus recurrendum erit in casibus particularibus, iisdem diligenter expositis. Ad 2m attenta qualitate pactorum, nec non attento tenore legis, de qua in casu, negative* (vide *Acta S. Sedis*, t. VII) (1).

171. **Usura.** *Usura* significat usum quemcunque rei sive bonus sit sive malus; mos tamen invaluit, ut in malam partem assumatur. Et definitur: *Lucrum ex mutuo immediate proveniens, seu præcise vi ipsius mutui* (S. Alph., *l.* III, *n.* 750).

Dicitur 1) *Lucrum,* quo nomine intelligitur non solum pecunia, sed res quælibet pretio æstimabilis, vel onus quodcunque mutuatario impositum, ad quod alioquin non tenetur; quod ideo nequit in pactum deduci. Hoc lucrum ex mutuo proveniens appellatur etiam *auctarium (quasi superadditum),* et vulgari vocabulo *interesse.*

2) *Ex mutuo proveniens;* quia proprie in solo mutuo usura obtinet. Quod si in aliis contractibus contingat injustitia, non appellatur *usura*, nisi ibi adsit mutuum saltem implicitum.

3) *Immediate, seu præcise vi ipsius mutui;* quia non est usura aliquid percipere solum occasione mutui, nempe ob titulum honestum et mutuo extrinsecum.

172. *Divisio.* Usura alia est *explicita,* si expressa fiat conventio de illa solvenda. Alia *implicita,* et locum habet cum mutuans nullam quidem init conventionem de lucro; sed sufficienter declarat aliquo actu, se illud expectare: veluti si dicat, se indigere ut sua pecunia aliquid sibi producat. Alia *palliata* quæ intervenit, quando in alio contractu implicite continetur, ut evenit in contractu mohatra.

Alia *realis,* quando ex aliquo pacto sive explicito sive implicito ea percipitur (2). Alia *pure mentalis*, quando solo animo

(1) Hæc lex utpote odiosa strictæ interpretationis est; ideo in sententia theologorum hæc locum habet tantum quoad pacta ante legem inita, in qua conventum simpliciter sit, ne restitutio aliter fieret quam in nummis. Non ergo valet: 1) Quoad pacta post legem latam conventa — Nec 2) Quoad pacta etiam ante legem inita, si conventum sit, ut si quæ futura lex hujusmodi pacta de pecunia nummis reddenda abrogaret, ne debitor legis beneficio utatur. Vel item (ut probabilius addunt), si conventum sit, ut restitutio fiat quidem in pecunia cartacea, sed ratio tunc habeatur quanti minoris in foro hæc pecunia æstimatur. D'Annibale, *Summula theol.*, t. II, tr. 12, a. 2; *Il Monitore ecclesiastico,* anno III.

(2) Quoad pacta attendenda est regula generalis tradita a s. Thoma (2, 2, q. 78, a. 2): Omne onus pretio æstimabile impositum in mutuo uti debitum ex justitia

intenditur sine ulla usuræ datione. Alia *mentalis*, quando revera percipitur, nullo tamen præcedente sive implicito sive explicito pacto.

173. **Principia :** Usura proprie dicta, id est lucrum ex mutuo immediate proveniens vi ipsius mutui, sub gravi prohibetur. Audiatur Benedictus XIV (de *Syn.*, l. x, c. 4): *Omne lucrum ex mutuo præcise ratione mutui, usurarium atque omni jure naturali, divino et ecclesiastico illicitum esse, perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata.* Et de hoc nequit amplius dubitari post ejus Encyclicam *Vix pervenit,* quæ in eo tota est, ut usuram proprie dictam, id est vi solius mutui perpetuo damnet. Et Psalmo XIV legitur, quod non habitabit in tabernaculo Domini *qui pecuniam suam dedit ad usuram.* Lactantius habet: *Plus accipere quam dederis, injustum est* (De div. inst. l. VI, c. 18). Et d. Ambrosius: *Quodcunque sorti accedit, usura est* (De Tobia, c. 14). « Dare mutuum (ait Angelicus) non semper tenetur homo, et ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia; sed quod homo de mutuo lucrum non quærat, cadit sub præcepto » (2, 2, q. 78).

Hoc enim percipi nequit: 1) Neque tanquam *pretium rei mutuatæ ;* nam res mutuata per se non est fructifera sicut domus, ager; nec ideo est lucri causa. Sed totum lucrum ex industria mutuatarii venit: quod magis verum est respectu pecuniæ, quæ merum est instrumentum quo mutuatarii industria exercetur.

2) Neque tanquam *pretium usus rei mutuatæ ;* nam usus ab ipsa re, in rebus fungibilibus non distinguitur. Unde injustus est qui vellet seorsim vendere vinum et vellet seorsim vendere usum vini; venderet enim eandem rem bis *(D. Thomas, l. cit.).*

3) Neque *propter utilitatem quæ ex mutuo percipitur ;* cum mutuatarius periculum rei in se suscipiat, illius fit dominus: et ideo ejus sunt omnes fructus, si quos negotiando obtineat; nam res fructificat domino. Utique mutuans tribuit mutuatario beneficium ac favorem; at hic est ipsi mutuo intrinsecus et inhærens; neque enim iste pecuniam mutuo quærit, ut eam projiciat aut otiosam teneat; sed ut eam ad sui utilitatem possit adhibere, ad se vestiendum, nutriendum, vel contractus ineundum

vera est usura. Secus esset si exigatur quod pecunia non mensuratur, ut benevolentia, amicitia. Item non est usura exigere quod jam ex justitia debitum est, v. g. ut alter cesset a vindicta privata, ab injusta vexatione (*S. Alph.*, l. III, n. 774).

(S. Alph., l. III, nn. 763, 773, 783. *Scavini,* l. II, n. 569; l. IV, n. 230 (1).

En primarius pecuniæ usus, ejus distractio in commutationes; sed hoc est de industria ejus qui sagaciter illa utitur, non illius qui illam dedit. Cæterum, ait d. Thomas, potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ, puta si quis peteret pecuniam signatam ad ostentationem vel ad ponendam loco pignoris; et talem usum pecuniæ licite homo vendere potest, quia vendens tunc non mutuat, sed locat, unde dominium et periculum pecuniæ retinet (2, 2, 78, a. 1).

174. **Resolutiones:** I. Qui sunt causa, ut usuræ solvantur et graviter peccant, et tenentur ad restitutionem casu, quo usurarius, qui primo loco tenetur, non restituat; cum efficaciter influat in alterius damnum. Huc veniunt Advocati, qui consilium præbent; Notarii qui instrumentum condunt, nisi id egerint in gratiam mutuatarii; consentienti enim nulla fit injuria. Judices, legislatores, omnesque potestates, quæ in causa sunt, ut solvantur usuræ.

II. Hæredes usurarii tenentur singuli restituere secundum propriam hæreditatis quotam, si usurarius ipse non restituerit; cum defunctum repræsentent. Etiam famuli, si efficaciter cogunt ad usuræ solutionem, probabilius in defectu domini tenentur ad restitutionem. Aliter est si tantum pecunias numerant, pignora deferunt, scribunt, etc. At peccare possunt contra caritatem ob generalem rationem; quia malum proximi quisque avertere debet, si commode potest, nempe usurarium dominum deserendo *(S. Alph.,* l. III, n. 789).

III. In dubio an mutuatarius aliquid gratis dederit supra sortem, id potest præsumi, si non sit pauper aut avarus, aut non dederit ex gravi metu; maxime si munuscula sint levis momenti. Sed ab Innocentio IX damnata est hæc propositio: *Usura non est, dum aliquid ultra sortem exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Cæterum videtur posse retineri quod mutuatarius aliquid mutuanti dederit ex timore, ne deinceps mutuum sibi denegetur; neque enim tunc datur uti debitum ex justitia *(S. Alph.,* l. III, n. 761).

IV. Esset usura, si mutuas ea lege, ut mutuatarium obliges ad necessaria emenda in tua officina, si id in pactum deducas; quia mutuatario vi mutui onus revera imponitur *(S. Alph.,* l. III, n. 780).

(1) Sed plures moderni cum Maffei, Mastrofini, Luzerne contendunt haud probari posse usuras jure naturali, divino, canonico illicitas esse; nam non accipitur ultra sortem ratione usus pecuniæ, sed accipitur ratione adnexæ potentiæ lucri, qua se mutuans privat. Neque datur pecunia mutuatario, ut eam consumat ad se nutriendum, sed ad lucrum captandum; et ideo tunc potius habetur quædam locationis species, fundata in fœcunditate pecuniæ; sive contractus est mixtus ex benefico et ex oneroso.

Sane hodie cum commercium, quod latissime omnes res et regiones invasit, pecunia fere unice sustineatur ac prosperet, nil mirum si illa quamvis olim reperta fuerit ut pretium venalium rerum, nunc propter ejus efficaciam ac necessitatem naturam induerit fructuosi fundi, aut rei locatæ in usum instrumenti ad lucrum; atque ideo concessio sit pretio moderato ex prudenti æstimatione digna. Huc tandem tendunt capsæ parsimoniales *(casse di risparmio),* quæ utique licitæ sunt.

Scriptura autem quæ opponitur, loquitur de mutuo pauperibus dando, quod utique gratis tribuendum est. Patres autem, Concilia et Jus canonicum improbas tantum usuras damnant et oppressivas, quæ tunc legaliter erant in usu. Encyclica Benedicti XIV non ferit nisi mutuum præcise ratione mutui; sed supponit ex aliis causis usuras licere. Quidquid sit de hac salebrosa quæstione quoad praxim S. Sedis responsa habemus, quod ad rem nostram satis est.

175. **Titulus ad exigendum in mutuo.** *Tituli* nomine hic intelligitur ratio, cujus intuitu aliquid in mutuo exigitur. Titulus vel est mutuo *intrinsecus*, qui ita ejus substantiam ingreditur, ut nequeat separari, v. g. aliqua temporis mora in eo restituendo. Vel est eidem *extrinsecus*, qui nec semper nec necessario illud comitatur: ut damnum, quod ideo mutuanti evenit.

Ob titulum intrinsecum nihil exigi potest; secus vi mutui exigeretur, cum mutuum natura sua gratuitum sit. Ob titulum vero extrinsecum, si legitimus sit, bene poterit aliquid repeti; quia tunc non esset præcise vi mutui (1). Qui titulus multiplex est: 1) *Damnum emergens et lucrum cessans* — 2) *Pœna conventionalis* — 3) *Periculum sortis.* Quoad *legem civilem*, quæ id permittit, disputatur.

176. **Damnum emergens et lucrum cessans.** Tam propter damnum emergens ob mutui elargitionem, quam propter lucrum cessans licet mutuanti quod sibi interest exigere a mutuatario, si conditiones debitæ intersint; *hoc enim*, ait d. Thomas, *non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare* (2, 2, q. 78, a. 2). Neque enim patitur æquitas, ut mutuans *dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse.* Quod probabilius valet etsi mutuans se ultro offerat ad mutuandum; non enim ideo intendit damnum pati. Conditiones sunt:

1) Ut interesse in pactum statim deducatur, præmonito mutuatario; nam post contractum mutuans nequit amplius exigere. *Debebat enim ille qui pecuniam mutuavit,* ait Angelicus, *sibi cavisse, ne detrimentum incurreret.* Excipe si elapso tempore, non restituatur mutuum; vel mutuans cogeretur invitus mutuari *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. x, n. 149).

2) Ut non plus exigat mutuans, quam sit damnum quod pati timet, aut lucrum quod sperat ex alio contractu licito, deductis expensis; est enim hæc tota ratio exactionis.

3) Ut mutuum vera sit causa damni emergentis aut lucri cessantis. Nam si mutuans non intendit ex illa pecunia lucrum alia via comparare, nequit quidquam tunc exigere *(S. Alph.,* l. III, n. 766).

177. **Pœna conventionalis.** Licet ex communi sententia *in*

(1) Sed potius occasione mutui. Hoc aperte Benedictus XIV admittit, in celebri Encycl. *Vix pervenit.* Ait enim: *Neque item negaretur posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus recte collocari et impendi sive ad proventus annuos conquirendos*, etc. Ubi vides, quod ut mutuum est, nihil potest exigi; sed potest si habeatur alius contractus.

mutuo pacisci de pœna solvenda a mutuatario, si sortem non reddat tempore definito; nam ea apponitur, ut impediatur negligentia mutuatarii (1). Sed requiritur:

1) Ut mora debitoris sit *notabilis* (2); nam aliqua mora est mutuo intrinseca. Et *culpabilis;* qui enim non peccavit, non est puniendus — 2) Ut absit *animus lucrandi* vi mutui per illam pœnam: qui animus adesse præsumitur, si debitor oneretur obligatione restituendi sortem eo tempore, quo certo scitur, eum solvere non posse — 3) Ut pœna sit *culpæ proportionata,* alioquin injusta esset. Pœna hæc probabilius ante sententiam debita est; nam magis habet rationem pacti quam pœnæ *(S. Alph.,* l. III, n. 766).

178. **Periculum sortis in mutuo.** Ob periculum capitale amittendi, vel litis sustinendæ ad illud recuperandum, communiter docent cum Antoine aliquid exigi posse supra sortem; tum quia diversimode æstimatur res in tuto et res in periculo posita; tum quia id firmavit pro Missionariis Sinensibus Congregatio de Propaganda Fide, approbante Innocentio X, anno 1645. Item S. Pœnitentiaria anno 1815, ut refert Bouvier; et Lateranense V.

Attamen ad hoc requiritur: 1) Ut periculum amittendi sortem, vel eam non recuperandi sine expensis ac laboribus, in speciali eo casu, prudenter timeatur — 2) Ut mutuator non recuset sortis assecurationem, si sibi offeratur; tunc verum periculum non adesset *(S. Alph.,* l. III, n. 765).

179. **Titulus Legis civilis.** Lex civilis hac de re statuit:

1) *Il mutuatario, che ha pagato interessi non convenuti o eccedenti la misura convenuta, non può ripeterli nè imputarli al capitale* (a. 1830).

2) *L'interesse è legale o convenzionale: l'interesse legale è determinato nel cinque per cento in materia civile, e nel sei per cento in materia commerciale* (3); *e si applica nei casi in cui l'interesse sia dovuto, e manchi una convenzione che ne stabilisca la misura — L'interesse convenzionale è stabilito a volontà dei contraenti: nelle materie civili l'interesse convenzionale, ec-*

(1) Imo non improbabiliter dicunt posse etiam aliquid exigi, si ponatur obligatio expectandi mutui restitutionem per tempus longum et extraordinarium; nam id videtur mutuo extrinsecum. Et contraria propositio damnata fuit ab Alexandro VII, n. 42, quia illa respiciebat generatim cujuscunque temporis expectationem *(S. Alph.,* l. III. n. 760).

(2) Hinc probabiliter dicunt valere pactum, ut in pœnam non impletæ solutionis pignus datum in mutui securitatem, cedat mutuanti *(S. Alph.,* l. III, n. 775).

(3) Dictum est *in materia commercii*, ut si mercatores mutuent a mercatoribus; vel mercatores mutuent non mercatoribus, quia ut dicunt adhuc vergit in commercii favorem. Imo plures contra plures eadem ratione idem docent, si non mercatores mutuent mercatoribus, quia semper esset in commercii utilitatem. Plura de *commercio* Scavini, *l.* II, *nn.* 490 *et seqq.*

cedente la misura legale deve risultare da atto scritto; altrimenti non è dovuto alcun interesse (a. 1831) (1).

3) *Il debitore può sempre, dopo cinque anni dal contratto, restituire le somme portanti un interesse maggiore della misura legale, nonostante qualsiasi patto contrario. Deve però darne sei mesi prima per iscritto l'avviso, il quale produce di diritto la rinunzia alla più lunga mora convenuta* (a. 1832) (2). Cæterum:

1. Quoad *taxam conventionalem*, certum est, quod etsi lex civilis liberam cuique relinquat definiendam, tamen non licet in conscientia illam exigere (si superet taxam legalem), nisi quatenus adesset justus titulus mutuo extrinsecus, uti damni emergentis, lucri cessantis, etc. Si enim libera hominum conventio faceret jus, actum esset de omni justitia; unde tunc dicendum est: quod lex civilis tolerat, lex naturalis, divina, ecclesiastica prohibet, quibus porro in conscientia ab omnibus parendum.

2. Quoad *taxam legalem*, an hæc in se exhibeat etiam in conscientia justum titulum lucrum (si moderatum) exigendi, plures negant; nam non est legis civilis rei naturam immutare. Sed plurimi maxime ex modernis affirmant; nam in præsenti rerum civilium statu pecunia non amplius infrugifera dici potest, quin subvertantur commercia, cum gravi reipublicæ damno. Accedit lex principis, quæ id statuit ob bonum commune: si princeps in præscriptione valet in conscientia de uno in alium transferre rerum dominium, ob bonum publicum; cur non etiam in mutuo poterit concedere aliquod utile ei, qui mutuam pecuniam dat ad alliciendos homines ad illam mutuandam; cum secus languesceret publica prosperitas? nam hodie pecunia est cui obediunt omnia, et quæ omnia repræsentat, omniumque rerum vices gerit. Utique usura est de jure naturali et divino prohibita; sed princeps conditionem apponit, quæ illicitatem aufert, nempe ratione boni publici dominia rerum de uno in alium transfert (3).

(1) *La quitanza pel capitale rilasciata senza riserva degli interessi fa presumere il loro pagamento, e ne produce la liberazione, salva la prova contraria* (a. 1834 Cod. civ.).

(2) *Le disposizioni dell'articolo precedente* (1832), *non sono applicabili ai contratti di rendite vitalizie, nè a quelli che stabiliscono la restituzione per via di annualità che comprendono gli interessi ed una quota destinata alla restituzione progressiva del capitale. Esse non sono del pari applicabili a qualunque specie di debito contratto dallo Stato, dai Comuni, o da altri corpi morali nelle autorizzazioni richieste dalle leggi* (a. 1833).

(3) Non licet et totum exigere quod permittit lex et simul totum quod ex mutuo exurgit damnum; hoc enim et naturali æquitati et fini ac intentioni legis repugnat. Ideo quod permittit lex, computatur in damno: quod si majus sit, tunc utique excessum exigere licet. *Gury*.

180. **Resolutio ad praxim.** Pro tuta fidelium directione in hac re, quæ quotidiana est, satis erit declarationes proferre Romanarum Congregationum, Pontificibus probantibus.

I. Fideles, qui pecuniam aliis tradunt, ut fructus inde percipiant juxta taxam legis civilis, *non sunt inquietandi, neque cogendi ad restitutionem fructuum perceptorum, nec in foro Pœnitentiæ absolutione sacramentali iccirco privandi.* Neque obstat, quod dubia vel mala fide lucrum ex solo legis titulo perceperint, modo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et parati sint stare mandatis S. Sedis, si quæ forte edentur.

II. Non sunt inquietandi nec absolutione privandi presbyteri illi, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem *quousque sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere.*

III. Neque illi confessarii inquietandi qui absolvunt pœnitentes, qui (nulla facta mentione tituli legis civilis) *mutuo pecuniam dant negotiatoribus ut ditescant, quando nempe isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio summi Pontificis, si intercedat* (1). Quæ verba *non sunt inquietandi* non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significant ex s. Alphonso nostro, l. VI, n. 765.

IV. Quoad lucri vero mensuram facit hoc S. Sedis responsum; quæsitum fuit: 1) *An liceat ecclesiasticis ex mutuo exigere quinque pro quolibet centenario, prout jam permittebant leges legitimi gubernii?* — 2) *An hodie sint inquietanda illa pia loca, moniales et monasteria, quæ exigunt sex pro quolibet centenario ex illorum pecuniis; cum hodie id communiter et tribuatur et acceptetur?* Congregatio S. Officii 28 febr. 1872 respondit ad utrumque: *Juxta responsiones alias datas, dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos.*

V. Quæsitum fuit: S. Pœnitentiaria pluries declaravit non esse inquietandos qui taxam a lege definitam, nempe quinque pro centum exigunt ex mutuo. Quid nunc cum ex nova lege permissum sit, ut libere partes convenire possint et taxam quam ipsis libuerit, exigere, v. g. 15 vel 20 pro centum? erit id per-

(1) Verum non sunt necessario interrogandi pœnitentes a confessario de hac dispositione; tum quia id non exigitur in illis responsis; tum quia id præsumitur de pœnitente, nisi contrarium constet. Ita Gury cum Bouvier. Imo Kerinch ait, quod S. Sedes hanc conditionem jam a tempore consuevit omittere.

mittendum in conscientia? S. Officii C. 18 aug. 1858 respondit: *Quoad fructus legales provisum per decreta alias data* (nempe non esse inquietandos qui illos exigunt). *Quoad fructus conventionales eorumque titulos provisum per Encycl.* Vix pervenit (id est videndum, an adsint tituli ipsi mutuo extrinseci; nam per puram conventionem non liceret). *Quoad quantitatem eorum fructuum conventionalium et fructus de fructibus rationem habendam esse in singulis casibus, habito respectu ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum et temporum juxta regulas a sacris canonibus et a probatis auctoribus traditas. Et dentur decreta* 13 *jan.* 1780, *et* 26 *martii* 1840 (1).

VI. Multi hodie mutuum dant exigendo octo pro quolibet centenario, vel tantum quantum percipere possunt ex syngraphis debiti publici *(Cedole dello Stato)*; idque ideo etiam, quia reditus de facto non totus exigi valet ob taxam Gubernii *(ricchezza mobile)*. Hinc ad plurimorum conscientiæ consulendum, et ne aliunde periculo exponantur non amplius inveniendi qui mutuare velint, in tanta pecuniæ inopia et necessitate, quæritur an id in praxi tolerari possit? Et in casu negativo, an saltem confessarii permittere valeant, ut pœnitentes exigant taxam legalem (quinque pro centum) ab omni Gubernii onere liberam, quod erit sustinendam a mutuatario? S. Officii C. 18 dic. 1872 respondit: *Dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos.*

181. Si pauper mutuo indiget utpote in gravi necessitate constitutus mutuum gratuito elargiendum est; est de lege caritatis. Sed si non valeat sortem assecurare, eleemosyna ipsi potius tribuatur. Si vero uti velit ad negotiandum, ut ad meliorem fortunam transeat, licet ex mutuo lucrum exigere legis titulo; tunc enim pauper per mutuum cum lucro permisso sufficienter provisus est.

Si tamen ab absolute paupere lucrum perceptum sit, estne illi restituendum? Affirmat Gury, quia mutuans tenebatur dare gratis. Sed alii negant, quia titulus legis valet pro omnibus: quod autem eo in casu tenebatur gratuito tribuere, erat tantum de lege caritatis, cujus violatio non obligat ad restitutionem.

(1) Primum decretum probat lucrum ex mutuo, si adsit periculum amittendi sortem non quidem generale, sed speciale in casu illo, et quidem sub conditione ut compensatio tali periculo respondeat — Aliud decretum casum illius respiciebat qui mutuum dederat exigendo octo pro centum. Quo mortuo, filius ejus quærebat an ad aliquid restituendum teneretur pro patre. Ignorat an pater titulos extrinsecos habuerit; sed vir probus erat, et tunc Gubernium dabat item decem pro centum. S. Officii C. respondit: *Quoad usuras in genere consulat decreta jam lata. Quoad excessivitatem fructuum consulat Episcopum qui expendat facti circumstantias et praxim quæ vigebat apud viros timoratæ conscientiæ, et provideat* (v. Scavini, *l.* IV, *n.* 234; Diar. *Il Monitore ecclesiastico*: Maratea, anno III, ubi perplura et scite de hac quæstione). It. vide *Civ. catt.*, ser. 10,[4] t. X: *Se i capitalisti sieno ladri, o parassiti.*

182. Licitum est ex lege civili percipere interesse de ipso interesse; attamen si jam annus elapsus sit ex quo usura debetur, et adfuerit specialis conventio, vel petitio judicialis *(a.* 1232). Quod etiam affirmandum videtur pro foro interno; est enim pecuniam, quæ jam debita est, de novo capitali adjungere: et sane idem omnino est, quod debitori pecuniam meam quam mihi debet ex mutuo, relinquam, vel quod ei aliam tradam. *Gousset, Gury.*

183. **Montes Pietatis.** Sunt cumulus pecuniæ aliarumque rerum ad hoc, *ut pauperes, dato pignore, ex illis mutuo accipiant ad tempus, quæ sibi sunt necessaria.* Aliquando aliquod auctarium exigitur, sed non vi mutui ad ditescendum, bene vero ratione expensarum ad alendos ministros aliaque onera sustinenda; et ideo si Mons sit valde dives, nihil est percipiendum. Si mutuum non restituatur suo tempore, pignus sub hasta venditur, ac retento pretio, quod Monti debetur, reliquum restituitur domino pignoris, si ille inveniri poterit; secus pauperibus vel cedit Monti si pauper sit *(Acta S. Sedis*, t. IV).

Nil refert si Montes Pietatis (seclusa speciali prohibitione) instituantur a privatis, modo ex mutuis ipsi non amplius accipiant, quam quod necessarium est ad se indemnes servandos *(S. Alph.*, l. III, n. 765).

Art. 6. — De Donatione, Promissione et Fidejussione.

184. **Donatio.** Est *contractus liberalis et irrevocabilis, quo quis transfert dominium rei suæ in alterum, qui acceptat.* Qui donat, dicitur *donator;* ille cui donatur, *donatarius.* Donatio autem perfecta est, et rei donatæ proprietas translata habetur etsi nondum tradita, semel ac est acceptata a donatario.

185. *Divisio.* Est donatio *inter vivos,* quando donator vult rem cito fieri propriam donatarii. Est donatio *causa mortis,* si donator velit rem non fieri propriam donatarii, nisi post mortem suam: hæc solo testamento fieri potest; unde a legato non distinguitur.

Est donatio *mere gratuita,* quæ procedit a sola donantis liberalitate. *Remuneratoria,* quæ oritur ex animi gratitudine ob aliquid acceptum beneficium. *Onerosa,* quæ onus includit, quin tamen cesset esse liberalis datio. *Manualis,* quæ fit brevi manu. Cæterum omnes donationis species in jure sub eodem donationis nomine veniunt *(a.* 1050).

186. **Principia.** I. Illi soli donare possunt, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, et valent testari. Hinc donare nequeunt: 1) Tutores de bonis minorum, nisi agatur de parvis donationibus remuneratoriis, et de eleemosynis ordinariis — 2) Inhabilitati a die, quo promota fuit inhabilitationis instantia; item interdicti, mente infirmi, prodigi — 3) Minores, licet habilitati, nisi agatur de contractu matrimoniali, vel do-

nationibus modicis, quas alii ejusdem conditionis agunt — 4) Uxores sine consensu mariti *(a.* 134, 763, 1052).

II. Donatio nondum acceptata non est valida neque in conscientia; nemo enim potest acquirere jus in res alienas, quin prius consentiat. Hinc donatio ante acceptationem revocari potest etiamsi juramento firmata; cum juramentum sequatur naturam actus, cui adnectitur. Excipitur tamen si ea sit facta contemplatione certi et determinati matrimonii: quæ donatio ob defectum acceptationis nequit impugnari, lege civili sic statuente, si matrimonium valide contrahatur. Item ex canonico jure valet donatio facta ad causas pias ante acceptationem, si immediate sit facta Deo, v. g. *promitto Deo dari tali Ecclesiæ;* quia cum intentio feratur in Deum, donatio valet uti votum *(S. Alph.,* l. III, n. 726) (1).

III. Possunt omnes valide acceptare donationes, nisi prohibeantur a lege: ut prohibentur incapaces ad acquirendum per testamentum. Item conjuges matrimonio durante, nequeunt sibi mutuo donare, nisi per actum ultimæ voluntatis *(a.* 1053). Item corpora moralia nequeunt acceptare donationes, ut valeant in foro civili, nisi obtenta a Gubernio facultate *(a.* 1060). Etiam ad causas pias requiritur acceptatio, sed ex jure canonico a quocunque fieri potest hæc acceptatio *(S. Alph.,* l. III, n. 726).

IV. Omnes res præsentes lege positiva et ipsa ratione probante, donari possunt. Et potest quis donare sub reservatione ususfructus pro se, et ipso deficiente, etiam pro aliis (non tamen successive alios post alios vocando): vel sub conditione, ut iterum res ad se revertatur, v. g. si donatarius donanti præmoriatur. Si vero donator sibi reservat facultatem disponendi de aliquo objecto vel aliqua summa, quæ in ipsa donatione comprehenditur, si moriatur ante illam dispositionem, tale objectum vel summa transit ad hæredes donantis, non vero ad ipsum donatarium, quacunque contraria clausula non obstante *(a.* 1069).

(1) **Resolve**: 1) Donatio facta absenti potest revocari, donec coram nuntio a donante misso acceptetur a donatario.

2) Si donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuntio (per illum etiam dono transmisso), post mortem donantis juxta Lugo nequit amplius a donatario acceptari; quia voluntas donatoris ejus morte finitur, neque est consummata donatio. Sed alii putant illam adhuc posse acceptari in conscientia, cum sit quasi gratia facta; sicut potest acceptari, si hæc donatio fuerit facta a nuntio, inscio tam nuntio quam donntario mortis mandantis.

3) Mortuo donatario ante acceptationem, probabilius ejus hæres nequit acceptare donationem, quia res est personalis. Concedit tamen Lessius quod si hæres sit filius donatarii, ex æquitate acceptare posset (non tamen ex lege civili) ex præsumpta mente donatoris *(S. Alph.,* l. III, n. 728).

187. **Donationes a debitis gravato.** Sunt qui affirmant validas esse donationes, nam debitis gravatus semper disponit de re sua. At communiter ac verius docent invalidas esse donationes factas illis, qui id sciunt; et ideo donatarium mala fide accipientem teneri de damno quod inde obvenerit creditoribus. Nam sicuti donans læsit justitiam se reddendo imparem solvendo, ita læsit quoque donatarius qui positive ac scienter cooperatus est injustæ donantis actioni cum creditorum præjudicio (1). Attamen jure civili non tribuitur creditoribus jus postulandi reductionem donationis peractæ a debitis gravato, nisi in hæreditate, si legitima sit læsa *(a.* 1092).

Qui vero est in bona fide, nempe ignorat donatorem esse debitis gravatum, non peccat contra justitiam accipiendo; nec restituere tenetur, nisi res ipsa sit aliis hypotheca ligata. Nam tunc non potest dici quod voluntarie reddat impossibilem solutionem, cum ignoret debitoris impotentiam. Ideo nihil debet ex injusta damnificatione; neque ex re accepta, nam illud quod accepit, erat adhuc proprium debitori *(S. Alph.,* l. III, n. 722).

188. **Conditiones ad donationem.** Ad validam donationem jure naturali requiritur, ut donatio non sit facta sub conditione impossibili, vel bonis moribus contraria. Jure autem civili necesse insuper est:

1) Ut donationis actus fiat publico instrumento. Qui actus transcribi debet, si donatio respiciat bona aut jura, quæ hypothecæ subjici possunt; syngraphis exceptis debiti publici *(a.* 1932). Si vero agatur de mobilibus satis est actus publicus, sed omnes res singillatim designandæ sunt cum proprio valore *(a.* 1070).

2) Ut donatio non sit facta sub conditione, cujus implementum a solo donante pendeat (2). Vel sub conditione satisfaciendi oneribus non expressis, aut non existentibus donationis tempore *(a.* 1066-67).

3) Ut donatio sit a donatario acceptata vel in ipso donationis actu; vel postea alio publico actu qui donanti notificetur, ideo ante donatoris mortem. Donatio autem acceptari potest vel ab ipso donatario si sit major, vel ab alio illius nomine. Minores, interdicti, corpora moralia non restituuntur in integrum

(1) Si in potestate creditorum sit revocare quod mihi datur a debitoribus, existimant et acceptari posse, et si intra tempus a jure definitum creditores id scientes non revocaverint, retineri. *Molina*, *Lessius*, *Layman*.

(2) Ut esset: *dabo tibi centum*, *si Romam iero*. Aliter esset si diceret: *dabo tibi centum, si mecum Romam ieris.*

ob defectum acceptationis; sed habent regressum contra illos, qui eorum nomine acceptare tenebantur *(a.* 1057 et 1063).

Non tenetur autem donator de evictione indemnem reddere donatarium; nisi donator id expresse promiserit; vel evictio dolo aut facto donatoris nata sit; vel donatio respiciat dotis constitutionem quæ libera esse debet; aut donatio sit onerosa *(a.* 1077).

189. **Donationes manuales**. Donationes usuales seu brevi manu etsi fiant sine solemnitate a lege præscripta, v. g. scriptura, attamen commune est, et in civili jurisprudentia receptum, si libere facta inter personas habiles, in parte disponibili, in utroque foro vim habere. Inter hæc dona numerantur:

1) Donatio *de manu ad manum,* ut cum donantur libri, pictura, anulus, horologium, etc. — 2) Donatio *indirecta,* quæ nempe occultatur sub specie contractus onerosi, ut cum quis vendit Titio villam suam centum; sed statim obligationem illi tradit pretio non accepto, cum intentione nempe pretium condonandi — 3) Donatio *remuneratoria,* id est quæ fit ob beneficium acceptum, vel ob præstitum famulatum aut extraordinarium in re domestica; cum hæc sit quasi compensatio — 4) Donatio *onerosa,* ea nempe cui donator quoddam adnectit onus; tunc est potius quædam solutio vel commutatio, ut si quis pecuniam daret parocho, ut pro se mortuo Missas celebret.

190. **Donationis revocatio**. Etsi donatio inter vivos ex natura sua sit irrevocabilis; attamen a lege adsignantur casus, quorum vi ipsa potest revocari. Huic autem revocationis juri nulla conventione renuntiari potest:

1) Si donatarius erga donantem evaserit enormiter ingratus juxta legis determinationem; tunc potest intra annum habitæ notitiæ ingratitudinis, a donante postulari donationis revocatio.

2) Si donatori, cui nulli erant legitimi descendentes tempore donationis, supervenerit filius legitimus (non adoptivus), etsi natus post mortem patris (si tamen vivus et vitalis): poterit expostulari donationis revocatio. Item est, si filius naturalis legitimetur per subsequens matrimonium, si tamen natus post donationem *(a.* 1081 1083).

3) Si donatio sit inofficiosa, uti si pater tantum donaverit, ut filii portione legitima priventur; vel alii qui jus habent ad hæreditatem. Morte patris, potest donationis reductio postulari *(a.* 1082, 1087, 1092; exemplum *apud Scavini,* l. II, n. 580).

191. **Promissio**. Est *contractus, quo quis se libere, et gratuito obligat ad aliquid in alterius favorem.* Qui promittit dicitur *promittens, promissor;* ille cui promittitur, *promissarius.*

Conditiones. Ad validitatem promissionis requiritur: 1) Ut consensus promittentis sit cum plena libertate; repugnat enim liberalitas coacta — 2) Ut promissio ab altera parte sit acceptata; nam omne pactum firmatur consensu saltem duorum; secus non haberemus nisi simplicem *pollicitationem.* Potest autem acceptari etiam per alium, si delegatus sit; vel ab eo qui gerit curam promissarii, ut est pater pro filio minori, etc., si promissio sit omnino liberalis.

Casus. Marcellus promittit Susannæ 300 aureos in dotem si Alberto nubere velit. Anceps hæret puella, sed pro ea ejus pater acceptat. Verum Marcellus postea mutat mentem suam. *Marcellus non peccavit pecuniam Susannæ denegando; quia cum ageretur de contractu oneroso, pater ejus pro ea acceptare non poterat. Neque peccavit mutando mentem suam, cum nulla valida acceptio intervenerit factæ promissioni.* Gury.

192. **Principia.** Satis probabiliter alii contra alios docent promissionem semel acceptatam per se obligare, etiam in materia gravi, ex sola tamen fidelitate et sub veniali. Qui enim sic promittunt, non intendunt suscipere rigorosam et gravem obligationem; sed obligationem tantum honestatis. Sane siquis eos interrogaret, an tanquam fures vel tanquam injusti detentores haberi velint in hypothesi, quod promissiones taliter factas non impleant, negative statim responderent — Imo plerunque promissiones ut fiunt communiter inter amicos neque ex fidelitate obligant; indicant enim tantummodo bonam animi voluntatem et contestationem officiosi animi *(S. Alph.,* l. III, n. 720).

Dixi *per se,* censetur enim promissionem obligare ex justitia et sub gravi, quando materia gravis sit, ac:

1) Si promissor, seria ac matura consideratione facta, sic intendat se obligare; nam efficacia promissionis pendet ab ipsa promittentis intentione. Cum tamen non sit imponendum onus sine certa obligatione, hinc in dubio, an quis voluerit se obligare ex justitia, an tantum ex fidelitate; an graviter, an leviter, probabilissimum erit, eum non obligari nisi ex fidelitate, et quidem sub levi.

2) Si promissio juramento serio firmetur: neque enim quis censetur illud usurpare inaniter. Vel si fiat coram testibus ad hoc vocatis; et maxime si detur chirographum aut aliud scriptum. Virtus enim sinceritatis et veritatis exigit, ut scripta factis conformia sint; alioquin mendaciis via panderetur.

3) Si secus grave damnum promissario obveniret: v. g. si quis legatum solvere promiserit eos liberando, qui ad illud te-

nebantur, sed postea renuat, quia ejus promissio est legali forma destituta; et sic legatum insolutum remaneat. Vel si ideo quis filium suum educari curaverit, quia alter promiserat ad expensas concurrere, et postea recuset. Tunc obtinet illud: *Promissio boni viri fit obligatio.*

Advertunt tamen communiter ad constituendam materiam gravem in promissione requiri, ut ipsa sit quadruplo major, quam in furtis ordinariis: quia promittens agit de proprio, fur autem de alieno. Quod si promissio sit prodiga obligat ad id quod prodigum non est; quia si ex una parte *nulla est obligatio de illicito;* ex altera vero parte *utile per inutile vitiari non debet* (S. Alph., *l.* III, *n.* 720).

193. **Promissionis infirmatio.** Vis promissionis cessat: 1) Quando promissarius jus suum remittit; remissio enim obligationem tollit — 2) Quando res fit illicita vel impossibilis; nam inhonestorum ac impossibilium nulla obligatio — 3) Quando ea fit noxia vel inutilis promissario; cum omnis cesset promissionis finis — 4) Quando contingit notabilis mutatio non prævisa. *Ad quod homo teneatur facere quod promisit* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 110, a. 3), *requiritur quod omnia immutata permaneant, alioquin non est infidelis non implendo, si eædem conditiones non extant* (S. Alph., *l.* III, *n.* 720).

194. **Fidejussio** *(vulgo* sicurtà, mallevería). Est contractus, *quo unus vel plures alienam obligationem in se suscipiunt, principali debitore adhuc manente obligato.* Pro ea pretium accipi potest, cum assumptio talis oneris sit pretio æstimabilis.

Ad validitatem fidejussionis requiritur: 1) *Capacitas se obligandi:* unde uxor excluditur sine mariti auctorizatione, nisi agatur de mercatura; et sic de cæteris, qui nequeunt se obligare — 2) Validitas *contractus*, unde debitum exurgit; nam fidejussio est accessorium, ac illam supponit; nec refert si contractus invalidari possit ratione incapacitatis personæ contrahentis, ut si sit minor, vel prodigus; tunc adhuc valet fidejussio. In omni casu habenda est ratio bonorum fidejussoris, quæ hypotheca subjici valent, nisi agatur de rebus commercii quæ majorem admittunt latitudinem, vel de debiti tenuitate *(a.* 1898).

195. *Onera fidejussoris.* Si ipse se obligavit in defectum debitoris tantum, non tenetur solvere, nisi in illius defectu. Unde urgere potest, ut prius debitor excutiatur: modo tamen hoc postulet ineunte judicio et expensas necessarias solvat anticipate, ac bona debitoris indicet quæ libera sint, et intra fines jurisdictionis magistratus posita, ubi facienda est solutio. Si vero se obligavit renuntiando bene-

ficio debitorem primum excutiendi, vel solidarie cum ipso debitore, solvere tenetur, quin necesse sit, ut ad debitorem fiat recursus *(S. Alphonsus,* l. III, n. 912; *a.* 1907 *et seqq.).*

Jura fidejussoris. Pretio soluto, ipse succedit in omnia jura creditorum contra debitorem; habet etiam regressum contra alios fidejussores, si qui sint; ac potest petere compensationem damnorum. Imo nondum facta solutione, potest urgere debitorem, ut se a fidejussione liberet: 1) Si creditor fidejussorem judicialiter compellat — 2) Si dies solutionis venerit — 3) Post decennium. Si debitor decoctus evaserit vel sit evasurus; tunc fidejussor potest, bonis debitoris indemnitatem curare *(a.* 1915, *et seqq.)* (1).

196. Hæc de fidejussione *voluntaria.* Adest enim fidejussio tum *legalis* si a lege imponatur, ut fieri solet cum usufructuario; tum *judicialis,* ut cum judex uni litigantium permittit repetere id, de quo contestatio est, mediante cautione *(a.* 1921).

Art. 7. — De Deposito, Sequestro, Commodato, Precario et Mandato.

197. **Depositum.** Est *contractus, quo res mobilis alicui gratis custodienda traditur ea lege, ut eadem quandocunque restituatur.* Qui rem deponit, *depositor* vel *deponens;* cui res deposito datur, appellatur *depositarius.*

Dicitur *res mobilis,* nam quando committitur custodia alicujus immobilis, habetur potius mandatum, vel sequestrum quod est depositum improprium. Dicitur *gratis custodienda;* attamen id non impedit, ut depositario aliqua tribuatur remuneratio, modo mercedis naturam non induat *(a.* 1835). Depositum traditione rei perficitur; et etiam solo consensu, si res jam sit in manu depositarii alio titulo *(S. Alph.,* l. III, nn. 746 et 1873).

198. *Divisio.* Depositum est *voluntarium* et *necessarium.*

I. *Voluntarium* fit libero partium consensu; sed locum habere nequit inter personas ad contrahendum incapaces. Si autem persona contrahendi capax accepit ab incapaci depositum, tenetur ad omnes depositarii obligationes. Si e contra depositum a contrahendo capaci factum sit incapaci, id unum habet deponens ut sibi vindicet depositum, si adhuc extet; vel ut sibi restituatur quod in commodum ipsius depositarii cesserit. Quod si perierit etiam culpa depositariiincapacis, dominus non habet jus ad damnorum compensationem *(a.* 1839).

II. Deposito *necessario* dat causam casus inopinatus, uti incendium, naufragium. Idem dicendum de rebus viatorum depositis penes cauponas, in quibus admittitur probatio per testes,

(1) Codex civilis pro fidejussione scripturam non præscribit; attamen præstat illam habere, maxime si obligatio respiciat rem, quæ valorem superet 500 libellarum, ut per testes probari valeat *(a.* 1341).

qualiscumque sit valor; quæ probatio in deposito voluntario non admittitur si scripto non sit factum, quando valor excedit libellas 500 *(a.* 1864).

199. *Deponentis obligationes.* Deponens tenetur præcipue: 1) Ad nutum depositarii (etsi tempus statutum sit) rem suam recipere: et si illi importuna videatur restitutio, judex definiet — 2) Damna resarcire, quæ depositarius passus est; ne ex onere gratuito sentiat detrimentum. Imo potest depositarius depositum retinere, donec integram acceperit indemnitatem *(a.* 1860-62).

200. *Depositarii obligationes.* Depositarius tenetur:

1) Ad diligentem rei depositæ custodiam, quasi ea esset sua. Imo ad majorem, si sponte se obtulerit ad depositum; vel si conventa sit aliqua remuneratio ipsi tribuenda; vel si in ejus commodum tantum vergat facta depositio; vel si expresse se obligaverit ad respondendum pro quacunque culpa.

2) Depositum restituere statim ac a deponente petitur, etsi nondum expiraverit tempus in conventione determinatum ad restitutionem. Nisi obstet sequestrum, vel cognoscatur rem esse furtivam, vel evaserit deponens ad acceptandum incapax ex lege, ut si interdicatur; vel sit re abusurus in perniciem aliorum, uti puta si furiosus arma deposita deposcat. Si deponens moriatur, hæredibus fiat restitutio, qui convenire prius debent de modo illud accipiendi, si depositum sit indivisibile.

3) Indemnem deponentem servare, si res sua culpa deterior facta sit; vel etiam si sit in mora culpabili, et res perierit etsi casu fortuito. Hæres autem depositarii, si rem depositam vendidit bona fide credens esse suam, tenetur solum pretium acceptum restituere, vel cedere actionem contra emptorem, si nondum solverit *(a.* 1843).

4) Depositarius non potest licite uti deposito sine expressa vel præsumpta domini voluntate (idque multo magis valet de arcariis piorum locorum (vulgo *cassieri).* Si tamen quis nihilominus deposito utatur, et res sit usu consumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quæ in ejus usu absumitur, eaque tradita sit certo numero, pondere, mensura, non videtur depositarius peccare saltem graviter iis utens, si certus sit, tantundem habiturum ejusdem bonitatis, quando repetatur; quia tunc communiter præsumitur dominus non ita invitus. Secus, si agatur de pecunia tradita et sacculo vel arca inclusa vel munito sigillo: si ea utatur depositarius, graviter peccat (quia dominus præsumitur invitus); non tamen fructus inde perceptos tenetur

restituere, quia sunt fructus industriæ (1). Ex lege autem civili qui non restituit pecuniam depositam, solvere debet usuras a tempore quo est in mora *(a.* 1852).

Si vero depositum non sit res primo usu consumptibilis, ut currus, equus, si depositarius ea utatur sine deponentis consensu, peccat et fructus perceptos tenetur restituere, cum res domino fructificet; et damna item compensare (2).

201. **Sequestrum.** Est *contractus, quo res controversa deponitur apud tertium custodienda, ut postea tradatur ei, cui adjudicabitur.*

Duplex est: *conventionale* et *judiciale,* prout vel sola partium voluntate vel judicis præcepto fit. Utrumque extenditur ad bona tam mobilia, quam immobilia. Si sit gratuitum, iisdem subjacet regulis ac depositum proprie dictum; attamen depositarius non potest liberari, nisi finita controversia, vel nisi partes conveniant, vel causa restitutionis legitima judicetur *(a.* 1869).

202. **Commodatum** (vulgo *prestito ad uso).* Est contractus, *quo res aliqua alteri utenda gratis datur, post certum tempus eadem restituenda.* Qui rem concedit, dicitur *commodator;* cui conceditur, *commodatarius.*

Commodatum transit ad hæredes tum commodantis tum commodatarii: nisi aliud eruatur ex natura conventionis, vel nisi exclusive sit contemplata persona. Ad commodatum non requiritur de necessitate scriptura, etsi præstet illam ad majorem securitatem adhibere. Est autem essentialiter gratuitum; si enim sub pretio concederetur, haberetur potius locatio *(a.* 1805. *S. Alphonsus,* l. III, n. 744).

203. *Commodantis obligationes.* Commodator: 1) Nequit ante tempus absque injustitia rem commodatam repetere; esset contra datam fidem. Poterit tamen, interveniente judicis auctoritate, si sibi grave damnum impenderet, licet impenderet etiam ipsi commodatario.

2) Tenetur de damnis, si scienter rem vitiosam tradiderit. Attamen culpa non supponitur; neque enim ita facile puniendus est qui tribuit favorem.

3) Tenetur restituere expensas extraordinarias et urgentes quas commodatarius sustinere debuit ad rem commodatam necessario conservandam, si non sit in culpa *(a.* 1815).

(1) At teneretur in sententia eorum, qui pecuniam fœcundam esse docent (vide supra *n.* 174).

(2) Ex Lugo qui oleum, triticum, etc. apud se depositum pluris vendiderit suo nomine, et postea tantundem ejusdem bonitatis minoris emptum reposuit, si quid lucratur, suum erit.

204. *Obligationes commodatarii.* Commodatarius tenetur :

1) Commodatum diligenter custodire et exponsas ordinarias facere, v. g. alere, calceare equum commodatum.

2) Damna resarcire, quæ sua culpa in rem contingerint: non tamen detrimenta, quæ ex usu necessario eveniunt.

3) Si sit in culpa tenetur etiam de damno fortuito; vel si fuerit in mora restituendi; vel ita conventum sit; vel res commodata quando tradita, fuerit æstimata; nam *æstimatio* (ex jure) *periculum facit ei qui suscipit,* nisi aliter pactum sit; vel ad diversum usum aut ad tempus diuturnum contra præscriptum, ea commodatarius fuerit usus *(a.* 1808).

205. **Precarium.** Est *gratuita concessio usus rei ad nutum revocabilis.* Quamvis dicatur *ad nutum* revocabile, in praxi precarium ad certum tempus constitui solet, sub datis conditionibus. Nemo inficiatur illius obligationem neque in civili jurisprudentia; fieri autem potest sive voce sive scripto sicut commodatum cui precarium æquiparari solet *(S. Alph.,* l. III, n. 745).

206. **Mandatum** (vulgo *procura).* Definitur: *Contractus quo quis negotium aliquod alteri, illud suscipienti, suo nomine gerendum committit.* Mandatum de sui natura gratuitum est, non tamen de essentia; et ideo potest conveniri, ut aliqua tribuatur compensatio. Qui mandat, appellatur *mandator* vel *mandans:* cui datur mandatum, dicitur *mandatarius (a.* 1737).

Uxor non potest mandatum suscipere sine viri auctorizatione; item neque minores. Attamen minor si emancipatus, illud suscipere valet; sed mandans non habet actionem contra ipsum, nisi intra limites illius, de quo minor disponere potest *(a.* 1743).

207. *Divisio.* Mandatum aliud *judiciale* est, vulgo *procura ad lites* (1). Aliud *extrajudiciale,* seu *procura ad negotia.*

Aliud *generale,* si omnia gerenda negotia comprehendat; mandatum tamen generalibus verbis conceptum, non respicit, nisi actus administrationis. Aliud *speciale,* si aliquod tantum negotium, vel certa negotia comprehendat: huc veniunt proxenetæ, qui merces domini vendunt.

Aliud *expressum,* si voce vel scripto conferatur, et de facto acceptetur. Aliud *tacitum,* si ex circumstantiis eruatur; sic tacito viri mandato uxor providet familiæ expensis. Etiam mandati acceptatio tacita esse potest, et oritur ab executione a mandatario peracta favore alterius, quæ postea rata habetur.

(1) Qui ad lites mandatum habent, *procuratores* proprio nomine dici solent; quod quidem mandatum suapte natura onerosum est.

208. *Mandantis obligationes.* Hæ sunt præcipuæ:

1) Ut mandatario refundat expensas, quas fecerit et damna resarciat, quæ mandatarius occasione mandati passus est; etsi res felicem exitum non habuerit, sed sine mandatarii culpa.

2) Ut solvat usuras pecuniarum, quas mandatarius in antecessum solvit. Et exequatur obligationes a mandatario contractas etsi ultra mandatum, si saltem tacite eas probaverit.

3) Si mandatarius sit a pluribus constitutus, singuli tenentur erga ipsum in solidum: si tamen plures constituti mandatarii, isti non tenentur in solidum erga mandantem, pacto præcluso *(a.* 1752 *et seqq.).*

209. *Obligationes mandatarii.* Præcipuæ sunt:

1) Ut mandati limites non excedat; et negotium diligenter gerat nomine mandantis, non proprio. Nec potest quidquam retinere præter expensas, nisi aliter conventum sit.

2) Ut respondeat non tantum de dolo; sed etiam de negligentia, non ita tamen rigorose, si mandatum sit gratuitum.

3) Ut reddat quidquid vi mandati percipit; quia cum non agat nisi nomine mandantis, eidem, non sibi acquirit. Et usuras pecuniarum solvat a die quo constituitur in mora illas solvendi; vel si illis usus sit pro sui utilitate.

4) Si mandatarius alium substituit, tenetur de substituti culpa, quando substituendi non fuit ei tributa facultas; vel si fuit tributa, substituit inhabilem, non designatum. Semper tamen poterit mandans contra substitutum agere *(a.* 1745 *et seqq.).*

210. **Mandati exstinctio.** Mandatum extinguitur: 1) Per mandatarii *renuntiationem* notificatam tempore congruo. 2) Per *mortem, interdictionem,* vel *decoctionem* sive mandantis sive mandatarii. 3) Per *revocationem* mandati; sed adhuc data mandati revocatione, quidquid agit mandatarius, validum est quoad illos qui sunt in bona fide. Quare præstat, ut revocatio in Diario officiali publicetur, ut omnibus nota fiat *(a.* 1757).

Art. 8. — De Contractibus Aleatoriis.

211. **Contractus aleatorius.** Definitur: *Mutua conventio, cujus lucrum vel jactura pendet ab incerto eventu.* Huc maxime venit sponsio, ludus, sortitio et assecuratio.

212. **Sponsio** (vulgo *scommessa).* Est *contractus, quo duo vel plures de veritate et eventu alicujus rei contendentes sibi*

invicem aliquid spondent, nempe ut sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus.

Lex civilis nullam in judicio concedit actionem quoad solutionem sponsionis *(a.* 1802). Attamen sponsio debitis conditionibus prædita licita est; est enim contractus fortunæ, quo uterque spondens sese periculo æqualiter exponit. Imo aliquando est honesta recreationis species inter amicos usitata, et etiam stimulus ad aliquid perficiendum.

Debitæ sponsionis conditiones jure naturæ sunt:

1) Ut sponsio sit de re dubii eventus quoad utrumque spondentem (1); secus non esset æqualitas. 2) Ut uterque accipiat eodem sensu id, de quo spondetur; secus non conveniret in unum. 3) Ut non sit circa illicita; neque est obligatio contra bonos mores; talis est sponsio vere animalis: qui plus bibit vel plus manducat. Nec etiam licita est, nec tenet, si sit circa Pontificis electionem, ejusdem vitam vel mortem; quod prohibuit s. Pius V Bulla *In eligendis* (v. t. I, n. 616).

Casus. Nicolius novit tres dari candidatos ad aliquod officium, et unum ex illis eligendum, dubius qualis erit. Ille spopondit cum singulis separatim pro 100 francis, quod nullus eorum sit officium consecuturus. Nicolius certus est, se esse a duobus lucraturum, sed cum uno perditurus, ideoque certus est de lucro bis centum, cum centum sit tantummodo emissurus; at existimat id licere, quia de nullo seorsim spectato certitudinem habet. *Lessius cum aliis contendit contractum sponsionis initum a Nicolio esse injustum propter inæqualitatem inter spem lucri et periculum sortis. At Reuter, Croix contrarium docent et merito probabiliter; nam hic sunt tres contractus et singuli seorsim justi, stante dubio quoad singulos; porro seorsim spectari debent; etenim unus contractus diversa ratione se habet ad alium, et Nicolius in singulis contractibus verum subit perdendi periculum, siquidem cum singulis certantibus dubius est de eventu; ergo sicut potest cum quolibet certante perdere, ita etiam lucrari.*

213. **Ludus.** In ordine ad justitiam definitur: *Contractus, quo ludentes inter se conveniunt, ut victori cedat quod uterque deposuit vel promisit.* Est triplicis generis: alius, in quo sola industria; alius, in quo mera sors; alius, in quo partim industria,

(1) *Quid* (dices) *siquis manifestet se certo rem scire, et alter adhuc perseverat in sponsione?* Probabilius tenent sponsionem hujusmodi invalidam esse: nam æqualitas deesset, et sponsor haberetur uti insanus. Sicut qui vellet pertinaciter emere gemmam tanquam veram, licet certior factus sit esse falsam: eo in casu fatentur omnes nullum esse emptionis contractum; ergo a pari. Nec refert quod ille cedat juri suo; cedit enim ex errore: excipe nisi ille qui primo certus videbatur, postea, altero spondere volente, incipiat et ipse dubitare advertens jam alias errasse in iis quæ sibi indubia videbantur *(S. Alph.*, l. III, n. 869).

partim sors dominatur. Porro talis contractus jure naturæ spectato et si debitæ adsint conditiones, est validus et licitus. Sicut enim potest quilibet dominus rem suam absolute donare; ita potest etiam illam tradere sub conditione aliqua.

Dixi 1. *Jure naturæ spectato;* nam quoad ludos meræ sortis, eos vetat lex civilis, ac contravenientes punit *(Cod. pœn.)*. Et merito; hi enim ad paupertatem tot familias trahunt, filios ad furta inducunt, otium fovent, rixas et blasphemias. Per se tamen commune est et certum inter Doctores, laicis id non esse sub gravi peccato prohibitum; sed tantum ratione consectariorum. Imo est probabilissimum respectu ad leges positivas, quod tales ludentes ne venialiter quidem peccent; ajunt enim jus canonicum consuetudine esse abrogatum; jus vero civile respicere tantum pœnas *(S. Alph.,* l. III, n. 893; *sed quoad ecclesiasticos* v. t. I, n. 253).

Dixi 2. *Si debitæ adsint conditiones;* quæ quidem quoad validitatem sunt: 1) Ut quæ ludo exponuntur, sint propria ludentium, et in eorum libera disponendi facultate. 2) Ut absit omnis vis et fraus, et inter ludentes æqualitas moralis sit in spe lucrandi et in periculo perdendi; secus læderetur justitia.

Ad licitatem vero insuper requiritur: 1) Ne ludo aliquid misceatur inhonestum, sive facto sive verbis. 2) Ut nulla in ludo sit occasio peccandi, neque scandalum. 3) Ut non ludatur principaliter ob lucrum; nam finis proximus ludi esse debet animi levamen. 4) Ut modus sit in ludo tum ex parte summæ, quæ exponitur; tum ex parte temporis, quod impenditur (1).

214. **Lucrum ex ludo.** Loquendo de filiofamilias, summa contra ipsum victa in ludo etiam licito non potest in conscientia retineri, sed ipsi restituenda est: cum rei dominus non sit, nisi ludat de bonis propriis, vel in parva quantitate. Et ideo in veriori sententia tenetur etiam filiusfamilias lucratum restituere; neque enim esset æqualitas, si hic posset lucrari et non perdere *(S. Alph.,* l. III, n. 872; l. IV, n. 36).

Loquendo de cæteris, qui rei espositæ in ludo liberam habent administrationem, qui vicit potest lucratum (licet de ingenti re agatur ac ludo prohibito) tuto retinere, modo dolus in ludo

(1) Non loquor de ludo, prout est simplex animi relaxatio; licitum esse nemo dubitat; nam sicut corpus quiete indiget, ne nimio labore frangatur; ita et anima, ne continua meditatione enervetur *(d. Thomas*, 2, 2, q. 168). At optandum, ut etiam otium nostrum nunquam sit otiosum: quod facile plerumque obtineri potest maxime a studiosis, si de una in aliam occupationem non ita gravem fiat transitus.

non intervenerit; nam talis ludus declaratur quidem illicitus, non tamen invalidus. Utrum vero tunc teneatur victus in conscientia solvere quod perdidit, negant communius et probabilius si lex tribuat jus repetendi solutum, uti tribuere solet generatim minori, interdicto, aut inhabilitato; etenim quando datur a lege beneficium repetendi, datur etiam non solvendi; nam ex jure *frustra solvitur quod statim repetendum est, si aliud non obstet.*

215. Si vero lex non tribuat repetendi beneficium, victum teneri in conscientia solvere quod perdidit (etiam in ludo illicito), docent probabilius; nam libera conventio est observanda, cum potest sine peccato. Ex jure tamen civili, si victus in ludo neget solvere victori, nulla tribuitur actio, ut ille ad solvendum compellatur, nisi agatur de ludis quæ corporis exercitio inserviant, ut sunt cursus, lucta, jactus, pugna, pila et similis. Imo et in hisce ludis potest a judice actio denegari, si conventio sit excessiva, habita ratione personarum ac ludi. Quod si agatur de ludis puræ sortis (vulgo *d'azzardo e d'invito)* eos lex vetat, et punit graviter ludentes, eosque qui illis cooperantur vel locum præstant ad ludendum.

Attamen in omni casu de quocunque ludo sermo sit, victus qui voluntarie solvit, non potest repetere solutum, nisi fuerit minor, interdictus aut inhabilitatus, vel nisi dolus vel fraus intervenerit ex parte victoris *(a.* 1804).

216. **Fraudes in ludo.** Si istæ non adversentur ludi regulis et receptæ consuetudini, non peccat qui iis utitur; scit enim uterque ludens fraudes hujusmodi esse solitas, et sic in illas libere assentitur. Esset si quis sciens se chartas meliores habere, conqueratur tamen et simulet timorem, unde alter non ita attente ludat; vel si quis chartas alterius ex sola ipsius negligentia inspiceret, absque dolo; vel erraret in numerando; nam nemo tenetur alterius partes agere.

Si vero adversantur receptis ludi regulis, ut si quis ita se collocet malitiose, ut chartas alterius perspiciat; aut alium constituat, a quo de iisdem admoneatur; aut eas clam a tergo signo aliquo notet, lucrum est illegitimum et debet victor illud restituere, etiam cum eo, quod juste retulisset alter, si abfuissent fraudes *(S. Alph.*, l. III, n. 877).

Casus. Tibullus cum ingenti summa mittit ad nundinas dissitæ regionis filium suum, a quo tamen utpote ludo deditissimo, juramentum ante discessum exigit non ludendi usque dum domum rediis-

set. Filius juramentum præstitit, at in itinere ludo vacavit tum pecunia tum vice alterius; item notabilem patris pecuniam tradidit amico, ut sui loco et vice luderet, et magnum inde lucrum reportavit.

Si juramentum non ludendi a filio emissum unice spectemus quoad obvium verborum sensum, dicendum erit filium illud non violasse, cum lusit per alium; nam vere et proprie ipse non lusit. Sed dicere oportebit juramentum fuisse violatum, cum lusit vice et pecunia aliena; nam vere filius lusit. Quod si jurantis intentio spectetur ex fine sibi proposito in juramento non ludendi, forte contrarium judicium ferre oportebit. Si v. g. juramento se obstrictum voluerit ad non ludendum, ne periculo se exponeret pecuniæ suæ prodigendæ, dans postea pecuniam, ut sui ipsius vice alius ludat, violati juramenti reus evasisset. Contra alterius nomine et pecunia aliena ludendo nihil contra juramentum fecisset, cum tunc sua pecunia in tuto esset. Lucrum autem ex patris pecunia, cum sit fructus industriæ ad filium ipsum spectat. Episc. Eula.

217. **Sortitio** (vulgo *riffa, lotteria)*, seu ludus ollæ, potest definiri: *Contractus, quo aliquid pretio æstimabile in commune ponitur, singulis aliquod retribuentibus, ut dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.* Hæc nihil continent mali in se: est enim emptio juris sortiendi et acquirendi id, quod per sortem advenerit; vel si placet, ludus aleæ est, qui sua natura est licitus (1). Hinc fraude et abusu remoto, permittitur; et ideo oportet ut nulla adsit fraus in schedulis formandis et educendis; ut dominus in lucro non excedat communem æstimationem; majus tamen potest esse lucrum, si in pia opera sit instituta loteria.

Huic affinis est sortitio regia *(regio lotto)*, at periculosa nimis; utpotequæ fovet majorem lucri spem, etsi inanem; nam ex certis calculis non est ulla proportio inter lucrum quod speratur et pecunia quæ tribuitur. Adde familiarum ruinas, suicidia, etc.; attamen haberi potest ut species tributi quod gubernio solvitur, et ideo id tollerandum *(Scavini*, l. II, n. 583).

218. **Assecuratio.** Definitur: *Contractus sortis, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit obligando se sub certo pretio, et aliquando gratis ad eam, si perierit, compensandam.* Si fiat gratis, est gratuita promissio; si pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alterum in sua re indemnem — Est et alia *assecuratio*, qua nempe quis alienæ personæ periculum suscipit. Huc autem venit contractus, quo

(1) Hæc tamen apud nos a lege civili 10 febr. 1855 et decreto 4 martii 1856 sub gravi pœna prohibetur sine legitima facultate; neque permittitur nisi utile cedat in publicæ beneficientiæ utilitatem. Hæc tamen habetur ut lex pure pœnalis.

quis deponit apud mensularios, v. g. tercentum scuta ea lege, ut si ejus filia nunc annorum septem, ante annos viginti moriatur, capitale cum usuris cedat mensulario; alias hic det filiæ mille scuta, ut facilius collocari valeat in matrimonium.

Qui contractus liciti sunt: 1) Si pretium sit periculo proportionatum — 2) Si periculum verum sit, et utrique parti æque notum — 3) Si assecurator habeat unde solvere possit, ut servetur æqualitas *(S. Alph.*, l. III, n. 911; *Scavini*, l. II, n. 496; et *Codex Commercii)*.

DISPUTATIO QUARTA

DE SERVITUTIBUS REALIBUS ET PERSONALIBUS.

219. **Servitus**. Prout est fons juris, definitur: *Jus in re aliena, ei cujus dominus rei in ea aliquid pati, vel non facere cogitur in alterius utilitatem*. Ille qui hoc potitur jure, dicitur gaudere *servitute activa;* qui vero tenetur hoc jus alteri cedere, dicitur habere *servitutem passivam (a.* 531).

220. *Divisio.* Servitus generatim duplex est: *Realis*, quæ a re debetur alteri rei, v. g. ab uno prædio (et dicitur etiam *servitus prædialis). Personalis*, quæ debetur personæ, in cujus utilitatem immediate cedit, ut est *usus, ususfructus* et *habitatio.* Hic autem notandum quod servitus in rebus Ecclesiæ cadit sub Extravagante *Ambitiosæ;* est enim diminutio juris; adeoque sine beneplacito ecclesiasticæ auctoritatis imponi non potest (1).

221. **Servitus realis seu prædialis**. Definitur: *Onus uni prædio impositum in utilitatem alterius prædii diversi proprietarii* (2). Multipliciter distinguuntur hæ servitutes:

(1) Invito Episcopo, laicus non potest locum specialem sedendi in Ecclesia sibi vindicare, cum sit quædam species servitutis Ecclesiæ imposita. Attamen ex benignitate Ecclesiæ et usu universali cum licentia Episcopi pluries declaravit S. Concilii C. quod fideles possunt illud jus acquirere et scamnum ponere. Quod jus transit ad hæredes, et etiam publico instrumento licite venditur; cum non vendatur res Ecclesiæ, sed honor præcedentiæ ac sedis pretio æstimabilis, et nonnisi remote adnexus Ecclesiæ.

Si quæ tamen suboriantur contestationes hac de re, lex civilis illas dirimere solet (v. Canestri, *Giurisprudenza canonico-civile*. Scavini, *l.* I, *n.* 624).

(2) Conventiones quæ constituunt servitutes prædiales vel eas moderantur, ad validitatem fieri debent actu publico aut privata scriptura authentica, quæ transcribatur *(a.* 1314). Quod si constituantur titulo gratuito, requiritur actus publicus, cum donatio tunc habeatur *(a.* 1056).

I. *Rusticæ* fundis inhærent. *Urbanæ* inhærent ædificiis. Codices moderni non amplius admittunt hanc distinctionem.

II. *Affirmativæ,* quæ verbis affirmativis exprimuntur, et obligant dominum fundi servientis ad permittendum, ut proprietarius fundi dominantis aliquid in illo agat, v. g. ut aquæductum construat. *Negativæ,* quæ verbis negativis indicantur, et obligant dominum fundi servientis, ut se abstineat ab aliquo peragendo in ipso, v. g. a muro altius attollendo.

III. *Continuæ,* quarum exercitium est vel esse potest continuum absque actuali hominis opera, v. g. cursus aquæ. *Discontinuæ,* quarum exercitium requirit actualem hominis operam, uti est aquam haurire e puteo in fundo alieno.

IV. *Apparentes,* quæ exterius conspiciuntur, uti aquæductus, fenestra, janua. *Non apparentes,* quarum nullum signum exterius apparet, uti sunt servitutes negativæ, quæ obligant ad abstinendum ab aliquo opere.

222. Servitutes prædiales constituuntur vel ex hominis facto vel ex lege. 1) Ex *hominis facto.* Id est vel *titulo,* v. g. actu ultimæ voluntatis; vel *destinatione* patrisfamilias, si agatur de servitute continua et apparente, ut si duorum prædiorum dominus in uno aquæductum aperiat ad aliud prædium irrigandum; vel *præscriptione,* sed item si res sit de servitute apparenti et continua, et de sola præscriptione triginta annorum *(a.* 629 etc.) — 2) Ex *lege civili.* Sic autem constitutæ servitutes *legales* appellantur; quarum aliæ indictæ sunt ad privatorum utilitatem; aliæ vero ob publicum bonum (1).

223. Triplici autem modo servitutes prædiales amittuntur:

1) Si amplius non inserviant. Si tamen res reducantur ad primum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet præscriptio. 2) Si serviens et dominans prædium in dominium unius transeant: sane res sua nemini servit. 3) Triginta annorum non usu. Tunc si agatur de servitutibus discontinuis, tempus currit a die, quo quis illis non fuit usus. Si agatur de continuis, currit a die, quo aliquid contra illas actum est *(a.* 662 *et seqq.).*

224. **Servitus personalis.** Servitus personalis, seu *usus, ususfructus* et *habitationis* titulus constituitur tum actu inter vivos tum actu causa mortis, seu testamento *(a.* 1314, 1932).

225. **Usus.** Definitur: *Jus utendi re aliena ad necessitatem*

(1) *Le servitù stabilite per utilità pubblica riguardano il corso delle acque, i marciapiedi lungo i fiumi e canali navigabili o atti al trasporto, la costruzione o riparazione delle strade ed altre opere publiche* (art. 534); quæ omnia particularibus legibus reguntur — Constitutæ ad privatorum utilitatem respiciunt regimen campestre *(polizia campestre),* quod item specialibus ordinationibus firmatur; vel murum et fossam communem, jus fulcimenti *(ragione d' appoggio);* distantiam inter quasdam structuras, fossiones et plantationes, prospectum in fundum vicini; stillicidium, jus transitus, aquæductum ac locorum positionem *(art.* 535). Vide *Scavini,* l. II, nn. 584 et seqq.

quotidianam, salva ejus substantia. Cui competit usus, dicitur *usuarius;* ad quem pertinet rei dominium, *proprietarius (S. Alph.,* l. III, n. 487).

Dicitur: *Utendi;* quæ utendi facultas extenditur ad ea, quæ ad usum quotidianum sibi et familiæ necessaria sunt. Tenetur autem (nisi dispensetur a judice) præstare cautionem re utendi instar boni patrisfamilias. Neque potest jure suo uti, nisi bonorum confecto inventario. Item pro ratione fructuum, quos percipit, tenetur de reparationibus, tributis et cultura.

Dicitur: *Salva ejus substantia:* unde usuarius non potest ne in meliorem quidem formam rem, cujus usum consecutus est, immutare. Item neque potest usus alteri locari, vendi, sequestrari, aut donari: et ideo qui usum habet, v. g. equi, vestis, horti, pro se tantum ac suis hisce uti potest.

Usus autem et jus habitationis eodem modo firmantur et extinguuntur ac ususfructus *(a.* 521).

226. **Ususfructus**. Definitur: *Jus utendi, fruendi aliena re, sicut ipse proprietarius; salva ejus substantia, tum quoad materiam, tum quoad formam:* ideo ususfructuarius non potest immutare rem, etsi in melius *(S. Alph.,* l. III, n. 487).

Principia. Ususfructus usu latior est; nam ususfructuarius non solum potest fructibus uti pro se et suis, sed eos etiam alienare et extraneis elargiri; et ideo dicitur *utendi, fruendi,* quod indicat jus plenum quoad fructus — Ususfructus constituitur: 1) *Lege:* sic lex concedit patri et matri usumfructum in bonis filiorum. 2) *Voluntate hominis,* v. g., vi conventionis, donationis, testamenti. Potest autem constitui absolute vel conditionate, ad tempus vel non.

Divisio. Ususfructus dividitur præcipue in *proprium,* et in *improprium.* Ille constituitur in rebus, quæ usu non consumuntur, uti sunt domus et hortus. Iste vero in *rebus fungibilibus,* quæ usu consumuntur, uti sunt panis, vinum et oleum: ususfructus improprius dicitur *quasi-ususfructus (a.* 477 *et seqq.).*

227. **Jura fructuarii**. Habet fructuarius in genere, seclusa speciali conventione:

1) Ut possit fructus omnes naturales percipere, quæ in ipso ususfructus initio nondum sunt a solo separati. Fructus vero nondum a solo separati quando ususfructus extinguitur, pertinent ad proprietarium sine ulla compensatione; attamen sine præjudicio illius, quod ad colonum *(massaro)* spectat. Non potest autem ususfructuarius fructus colligere, si nondum maturi

sint, ne ad proprietarium deveniant. Fructus autem civiles suos facit de die in diem *(a.* 481).

2) Ut possit fructus vendere, donare, locare et pignori tradere; nam qui per alium fruitur, per se frui censetur; attamen sine proprietarii damno. Sed quoad locationem observanda quæ lex speciatim præscribit (1).

3) Ut fruatur juribus iis modis, quibus frueretur proprietarius. Legi etiam consentaneum est, ut (nisi contraria appareat domini voluntas) tradantur fructuario fundi instrumenta, puta torcularia, vasa vinaria, quæ in ipso reperiuntur *(a.* 479).

228. **Onera fructuarii**. In genere ad hæc revocari possunt:

I. Ut initio ususfructus fructuarius conficiat inventarium rerum mobilium, et descriptionem immobilium. Expensæ sunt sustinendæ ab usufructuario; qui si fuerit ab inventario dispensatus, puta a testatore, hæres poterit adhuc illud agere, sed propriis expensis.

II. Ut rebus fruatur uti bonus paterfamilias: ideo tenetur cautionem præstare *bene utendi,* nisi eum dispenset lex. Sic lex dispensat genitores circa usumfructum in bonis filiorum; et venditorem ac donatorem, qui usumfructum in re vendita vel donata sibi reservant.

III. Ut reparationes ordinarias peragat; et damna præcaveat, etiam lites sustinendo, si agatur de usufructu tuendo. Tenetur item dominum commonere, si tertius proprietati damnum inferat, sub pœna damna illata resarciendi. Item solvere tributa et annualitates, quibus res in usumfructum data gravatur: si illum obtineat titulo universali. Secus si illum habeat titulo particulari; tunc teneretur tantum pro rata. Quod si fuerit compulsus ad solvendum ultra quod debet, habet regressum contra dominum rei.

IV. Ut restituat proprietario rem in eo statu, in quo illam

(1) « Le locazioni fatte dall'usufruttuario per un tempo eccedente i cinque anni non sono durevoli nel caso di cessazione dell'usufrutto, se non per il quinquennio che si trova in corso al tempo in cui cessa l'usufrutto, computando il primo quinquennio dal giorno in cui ebbe principio la locazione, e gli altri successivi dal giorno della scadenza del precedente quinquennio.

» Le locazioni per un quinquennio e per minor tempo, che l'usufruttuario ha pattuite o rinnovate più di un anno prima della loro esecuzione, se i beni sono rustici, e più di sei mesi prima, se trattasi di case, non hanno verun effetto, quando la loro esecuzione non abbia cominciato prima che cessasse l'usufrutto.

» Se l'usufrutto dovea cessare a tempo certo e determinato, le locazioni fatte dall'usufruttuario non dureranno in ogni caso se non per l'anno; e trattandosi di fondi, dei quali il principale raccolto sia biennale o triennale, per il biennio o triennio che si trova in corso al tempo in cui cessa l'usufrutto » *(a.* 493).

accepit. Si agatur de re, quæ usu consumitur ut pecunia, frumentum, debet finito usufructu solvere ejus valorem. Si vero agatur de rebus quæ tantum deteriores evaserunt, ut lintearia, satis est si illæ restituantur uti sunt, restitutionis tempore, nisi detrimentum evenerit culpa vel dolo fructuarii (*a.* 496).

229. Hæc de oneribus fructuarii in genere; si enim agatur de usufructu agri, gregis ac sylvæ, suæ sunt speciales leges.

I. Quoad *usumfructum agri*, nullum jus competit fructuario in metalli fodinas vel lapidicinas, quæ non fuerint apertæ incipiente usufructu. Nec in alias materias ad comburendum aptas, quæ nondum effodi cœperant. Nec in thesaurum, qui durante usufructu inveniretur; nisi quatenus est inventor (*a.* 494).

II. Quoad *usumfructum gregis*, si ille in uno tantum animali consistat, eo sine culpa pereunte, ad nihil tenetur fructuarius. Si vero consistit in toto grege, fructuarius, qui fœtus, lac, pilos ac lanam percipit, tenetur in locum demortuorum alia substituere: habita ratione natorum. Sed si integer grex casu perit, non tenetur nisi ad reddendam rationem coriorum (*delle pelli*), aut eorum æstimationis (*a.* 512 etc.).

III. Quoad *usumfructum sylvæ* hæc statuuntur: 1) Quod pertinet ad sylvas cæduas, quæ nempe succisæ ex stirpibus radicibusque renascuntur, fructuarius potest illarum arbores succidere, modo servet ordinem statutum, aut mensuram consuetudine inductam. Sed non habet jus ad compensationem, si illos non succiderit, usufructu durante. Hæc autem cæsio actus est administrationis, non alienationis.

2) Potest juxta mensuram, praxim ac modum statutum cædere de arboribus alti roboris, si ita sint distributæ, ut earum complures statis temporibus succidantur. Potest sibi vindicare arbores alti roboris, quæ per fundos huc illucque reperiuntur, si usus sit ut periodice succidantur. Qui autem casu abscinduntur, uti potest ad necessarias fundi reparationes; sed hac ratione illos cædere nequit, nisi proprietarius de necessitate certior fiat; et si agatur de beneficiatis, nisi prius facultate ab ecclesiastico superiore et regio œconomatu obtenta (*a.* 486 *et seqq.*).

3) Potest tot palos e sylvis cædere, quot sunt necessarii pro instruendis vinetis, quorum habet usumfructum; servato tamen more regionis aut proprietariorum praxi (*a.* 489).

4) Usufructuario cedunt arbores frugiferæ quæ pereunt, aut casu avulsæ vel fractæ; cum onere totidem alias substituendi (*a.* 490).

230. Usufructuarius non habet jus ad compensationem pro meliorationibus a se factis, licet res pretiosior inde facta sit; nam eas donasse censetur. Tamen augmentum pretii compensari poterit cum detrimentis, si quæ secuta sint sine gravi culpa fructuarii.

Quæ compensatio si locum habere nequeat, licet usufructuario aut ejus hæredibus resumere factas additiones, si absque fundi detrimento, et cum fructuarii utilitate auferri possint; modo proprietarius non eligat additiones sibi retinere, solvendo illarum æstimationem. Attamen semper licebit usufructuario

ejusque hæredibus sibi recuperare specula, tabulas depictas et alia ornamenta, modo tamen omnia in pristinum statum restituantur *(a.* 495).

231. **Ususfructus extinctio.** Ususfructus extinguitur:

1) *Finito tempore constituto.* Si tamen tibi, v. g., sit concessus ususfructus usquedum Titius ad talem ætatem pervenerit et ante moriatur, ususfructus nihilominus durat ad præfinitum tempus.

2) *Resoluto jure* usumfructum concedentis, v. g., si Titius vendit Cajo domum suam sub pacto redemptionis, et Cajus illam in usumfructum cedit Sempronio, statim ac locum habet domus revendicatio, cessat etiam ususfructus.

3) *Morte fructuarii.* Ususfructus autem communitati vel corpori morali illimitate relictus extinguitur annis triginta.

4) *Totali rei interitu,* ut patet. Si vero res partialiter tantum perit, ususfructus sustinetur in eo quod remanet.

5) *Non usu,* si neque per se neque per alium per annos triginta fructuarius suo jure non utatur, et interim eo utatur proprietarius. Item *abusu,* si nempe bona ususfructus non curet, vel vendat.

6) *Renuntiatione;* at si fraudulenta, potest invalidari. Item *consolidatione,* si fructuarius rei proprietarius evadat *(a.* 515).

232. **Habitatio.** Est *jus alienas ædes habitandi, salva earum substantia.* Qui hoc jus habet, cum familia habitare potest, licet postea matrimonium contraxerit; sed nequit illud alteri cedere vel locare. Lex civilis jus habitationis gratis concedit uxori primo anno luctus *(a.* 1415).

233. Quoad onera autem, qui totam habitat domum, tenetur ad omnes ordinarias expensas: qui partem, tenetur pro rata. Cæterum nisi alia sit conventio, habitatio regitur eodem modo quo usus *(a.* 521 etc.).

Appendix. — De Possessione.

234. **Possessio.** Potest definiri: *Legitima rei detentio;* si vero agatur de rebus incorporeis, de juribus, etc. solet appellari *quasi-possessio* — Possessio alia est legitima, alia vitiosa, prout quis justos habet titulos, vel non rem detinendi.

235. Possessio cum proprietate solet confundi, differt tamen; nam potest quis rem possidere, quin sit proprietarius illius, aut e contrario. Scilicet possessio est jus, quo rem detineo uti meam: proprietas vero (seu dominium) est ipsum jus, quo res est mea et ego sum do-

minus ejus. Si res est nullius, uti sunt pisces maris, ad eam acquirendam requiritur apprehensio *vera*. Si res est alicujus, qui vult alteri tradere possessionem suam, sufficit apprehensio *ficta*, ut si tradantur claves domus. Si vero res acquiritur sola legis dispositione, habetur apprehensio *legalis:* hoc sensu hæres, etsi nesciens, tamen acquirit possessionem defuncti testatoris.

Perditur possessio *facto nostro*, ut si rem abjiciamus. *Facto alieno*, ut si eam quis jure occupet; *casu*, ut si incendio pereat. *Lege disponente:* sic lex statuit, v. g. ut quorundam animalium possessio fuga amittatur.

236. Possessio plures habet *effectus*, si legitima: 1) Parit præscriptionem — 2) In dubio, an quis sit rei dominus, melior est conditio possidentis, et possessor non tenetur probare rem esse suam; possessio enim parit præsumptionem dominii; et tunc recte dicitur: *Possideo quia possideo;* jus etenim possessionis certum est et potius omni jure; nec potest elidi, nisi ab alio jure certo (1) — 3) Turbatus in possessione, in ea est restituendus priusquam de possessionis justitia agatur (*S. Alph.*, l. III, n. 927; l. IV, n. 210) (2).

(1) *Dices:* In dubio res dividatur, ne fiat contra jus alterius, si forsan sua sit. Sed quid si sua non est, sed illius qui eam nunc possidet? rem dividendo, fieret contra legitimum istius jus. Ideo dubium diligenti inquisitione resolvendum curetur; resolvi nequit? illud non amplius curandum; nam quando veritas certo detegi nequit, agi potest juxta id quod est verosimilius ac probabilius. Porro præsumptio, quod res sit illius qui eam possidet, certo parit majorem probabilitatem; vir probus non solet bonum aliquod occupare absque titulo legitimo.

Ex his colligitur axioma: *In dubio melior est conditio possidentis, jus possessionis est potius omni jure:* 1) Aliquatenus inniti jure naturali — 2) Sanciri per auctoritatem legislatoris, ad quem spectat ea ordinare, quæ respiciunt acquisitionem et transmissionem bonorum — 3) Esse omnino consentaneum bono publico, ne possessiones bonorum turbentur. Non ergo apparet, cur id non inserviat ad informandam conscientiam. *Carrière.*

(2) Hac de re plura Codex civilis statuit, quorum en præcipua: *Chi trovandosi da oltre un anno nel possesso legittimo di un immobile o di un diritto reale, o di una universalità di mobili, viene in tale possesso molestato, può entro l'anno dalla molestia chiedere la manutenzione del possesso medesimo* (art. 694).

Chi è stato violentemente od occultamente spogliato del possesso, qualunque esso sia, di una cosa mobile od immobile, può entro l'anno dal sofferto spoglio chiedere contro l'autore di esso di venir reintegrato nel possesso medesimo (art. 695).

In tutte le quistioni di possesso, in materia di servitù, la pratica dell'anno antecedente, e, quando si tratti di servitù esercitate ad intervalli maggiori di un anno, quella dell'ultimo godimento, determina i diritti ed i doveri tanto di chi ne gode, quanto di chi la deve e d'ogni altro interessato (art. 700).

TRACTATUS OCTAVUS

DE RESTITUTIONE

DISPUTATIO PRIMA

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

237. **Restitutio.** Communiter definitur: *Actus justitiæ commutativæ, quo res alterius domino redditur, vel damnum ei injuste illatum reparatur.* Dicitur *injuste;* nam si damnum fuisset illatum vel fortuito, id est sine culpa, vel ob causam justam, v. g. ob justam vitæ propriæ defensionem, nulla esset obligatio restitutionis — Dicitur *justitiæ commutativæ;* hæc enim respicit æqualitatem rei ad rem, cujus læsio non tantum peccaminosa est, cum rectæ rationi, bono ordini ac divinæ legi adversetur; sed necessario per restitutionem reparanda est, cum lædat jus strictum alterius, et vera injuria habeatur, idest *juris alieni violatio.* Ad rem Angelicus: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ; et ita in restitutione attenditur æqualitas justitiæ secundum recompensationem rei ad rem: quod pertinet ad justitiam commutativam* (2, 2, q. 62).

238. Cæteræ vero justitiæ species obligant quidem sub gravi uti legalis et distributiva, cum respiciant bonum commune; sed per se non obligant sub onere restitutionis; quia per illas nemini privato aufertur quod suum est. Dixi *per se;* nam sæpe legali et distributivæ adjungitur ipsa commutativa justitia: sic restituere tenetur magistratus, judex, superior, qui propter

gravem negligentiam in administrando, vel ob personarum acceptationem imperitos ac malos homines eligendo in officiis. in causa sunt, cur privati aut communitas grave damnum patiantur. Nam ex quasi-contractu officium assumendo, isti se sub gravi obligarunt ad subditorum ac communitatis damna præcavenda *(Scavini,* l. II, n. 498) (1).

239. **Principia:** I. Restitutio in re vel in voto necessaria est ad animæ salutem iis, qui graviter aliorum jus læserunt. Hinc Ezechiel ait, quod tunc tantum vita vivet et non morietur impius, si *egerit pœnitentiam a peccato suo, rapinamque reddiderit.* Vel ipsa natura clamat suum cuique tribuendum.

II. Dictum est vel *in re* vel *in voto;* nam qui absolute nequit restitutionem peragere, excusatur quidem actu a restitutione in re, cum nemo teneatur ad impossibile; non tamen a restitutione in voto, id est a proposito restituendi cum primum poterit. Secus ipse retineret adhuc affectionem malam ad rem alienam, et sic versaretur in peccato habituali. Quare d. Augustinus proferens notissima verba in jure canonico relata: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum,* addebat: *cum restitui potest* (vide d. Thomas, 2, 2, q. 62, a. 2).

III. *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere* ex d. Thoma (2, 2, q. 62, a. 8); ideo omni tempore urget. Hinc peccat qui impensas superfluas in mensa, in habitu, in itineribus, in libris, etc. resecare non curat, ut debitis suis satisfaciat *(S. Alph.,* l. III, n. 549).

(1) Et ideo patet etiam ex acceptione personarum oriri posse obligationem restituendi, etsi ipsa directe opponatur justitiæ distributivæ.

Nec valet dicere, quod vel ipse Deus est personarum acceptator, qui cui vult miseretur, et cui non vult non miseretur. *Duplex est datio,* ait d. Thomas: *Una quidem pertinens ad justitiam, qua scilicet aliquis dat alicui quod ei debetur, et circa tales dationes attenditur personarum acceptatio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui quod ei non debetur; et talis est collatio munerum gratiæ per quam peccatores assumuntur a Deo. Et in hac donatione non habet locum personarum acceptio, quia quilibet absque injustia potest de suo dare quantum vult et cui vult, secundum illum Matthæi* XX: An non licet mihi quod volo facere? tolle quod tuum est, et vade (2, 2, *q.* 63, *a.* 1).

CAPUT PRIMUM

De Radicibus restitutionis.

240. **Radices restitutionis.** Restitutionis radices, ex quibus nempe restituendi obligatio oritur, ex duplici capite desumuntur a d. Thoma: 1) Ex acceptatione vel retentione rei alienæ sive culpabili sive inculpabili. *Culpabili,* ut si quis apud se velit retinere quod scit esse alterius; *inculpabili,* uti cum quis accipit rem quam putat bona fide suam esse, cum sua non sit — 2) Ex injusta damnificatione, sive immediate hæc fiat et per se sive mediate seu per alios. Vel ipsa lex et judicis sententia uni ex his innititur, cum aliquem ad restitutionem obligat *(S. Alph.,* l. III, n. 549; *Scavini,* l. II, n. 587.

241. Causa porro, ex qua damnificatio evenire potest, multiplex distinguitur:

1) *Physica* et *moralis.* Prior necessario damnum producit, ut ignis incendium. Posterior causam liberam ad damnificandum movet: sic homicidium suadens est causa moralis et efficax occisionis.

2) *Immediata* et *mediata.* Prior damnum affert, nulla alia interveniente causa, v. g. si quis gladio transfodiat pectus alterius, erit causa immediata mortis. Posterior damnum non affert, nisi alio adjuvante, et huc revocatur causa moralis, quæ ad malum utitur opera alterius.

3) *Proxima* et *remota.* Prima habet per se et natura sua cum effectu connexionem: sic potus excessivus per se est causa ordinaria ebrietatis. Secunda quæ vocari solet etiam causa per accidens, non est natura sua directe ordinata ad damnum producendum; attamen aliquando illud producere potest. Hæc autem cum per se non habeat necessariam connexionem cum damno, non erit habenda ut illius causa efficax. Hinc si tradas gladium Titio, quin prævideas ejus abusum, non eris injustitiæ reus, si cum tali gladio ille homicidium patrat. Item si ex causa levi evenit damnum grave, illa magis occasio quam causa dicenda est, ut si quis ex levi aspectu pollutionem patiatur; cum tunc nulla adsit proportio inter causam et effectum *(S. Alph.,* l. III, n. 484).

Art. 1. — De Acceptatione et Retentione rei alienæ.

242. **Principium generale**. Solus rei dominus habet jus eam possidendi: hinc nata sunt axiomata: *Res clamat ad dominum; res fructificat domino suo, et naturaliter domino suo perit; nemo ex re alterius locupletari debet.* Hæc tamen in praxi diversam habent applicationem pro diversa possessorum qualitate, prout ille, qui alienum occupat vel retinet, est in bona, dubia vel mala fide.

243. **Possessor bonæ fidei**. Possessor bonæ fidei, qui nempe accipit aut retinet rem alienam prudenter credens esse suam, quæ tamen ob vitium latens sua non est, tenetur statim ac id cognoscit, illam domino reddere si adhuc retineat (nec eam legitime præscripserit); quia res semper clamat ad dominum, ac nemo debet cum alterius jactura locupletari. Si vero rem non amplius retineat, neque ex ea est factus ditior, puta quia eam consumpsit vel donavit, quin ideo pepercerit rebus suis, ad nihil tenetur; quia alienum neque in æquivalenti possidet.

Si tamen reapse ipse ditior factus est, v. g. quia illam cum alia re commutavit, vel vendidit, vel rebus suis pepercerit, restituere tenetur in eo, in quo ditior effectus est; quia in hoc æquivalenter retinet alienum. Hinc qui vestem alterius bona fide credens esse suam, attriverit, si postea dominus compareat, tenetur eam restituere, et insuper solvere quantum attrita est, si aliam vestem æqualis valoris attrivisset *(S. Alph.,* l. III, nn. 607, 706).

244. *Resolve:* 1) Possessor bonæ fidei si donaverit rem alienam, errore detecto, tenetur donatarium monere ut rem domino reddat, vel ipsum dominum ut rem suam recuperet; idque ex generali lege caritatis, si id commode præstare potest. Imo tunc videtur etiam teneri ratione justitiæ, ex generali obligatione auferendi causam damni, etsi materialiter positam.

2) Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus quos ex re aliena percepit, si sint suæ industriæ; nam hi sunt illius, qui illam exercet. Tenetur autem restituere alios fructus spectato jure naturæ, si inde factus sit ditior; cum enim isti fructus ex re proveniant, pertinent ad rei dominum, deductis expensis. Attamen ex jure civili possessor bonæ fidei suos facit omnes fructus ex aliena re perceptos usque ad diem petitionis judicialis *(a.* 703). Quæ legis dispositio probabilius videtur obtinere etiam in conscientia; cum faveat bono publico de medio auferens difficultates, quæ jugiter moverentur quoad fructus restituendos. *Gousset, Gury, Carrière.*

3) Quoad expensas, quas possessor bonæ fidei sustinuit in re

aliena, notandum est, quod aliæ sunt *necessariæ*, sine quibus res servari nequit; aliæ *utiles*, quæ rem meliorem reddunt; aliæ *voluptuariæ*, quæ rem exornant — Porro impensæ necessariæ a domino compensandæ sunt; possessor enim rem utilem pro domino gessit. Impensas utiles debet proprietarius compensare pro valore incrementorum, quia revera pretio æstimabilia sunt. Idem æquitas postulat quoad impensas voluptuarias, saltem in quantum rei valorem augent, ne dominus de alieno ditescat *(a.* 495, 705).

245. Casus I. *Joseph bona fide emit rem furtivam; post novit dominum; at illi renuit rem suam restituere, sed eam de novo reddit furi, a quo illam accepit, ut pretium suum recuperet.* Conveniunt: 1) Id non potest, si dominus rem suam petat; dominus enim de jure naturæ a quocunque et quocunque loco potest rem suam recuperare *(a.* 709; at vide exceptionem n. 87) — Conveniunt: 2) quod potest rem furi restituere, si dominus facile posset a fure illam recuperare; tunc dominus nullum patitur damnum, et emptor suum recuperat pretium — Extra hos casus, utrum possit in conscientia emptor iterum rem furtivam reddere, alii valde probabiliter, imo forte probabilius affirmant cum s. Antonino; quia nullum damnum infertur domino, cum res in priori suo statu collocetur, a quo ex justitia emptor illam non tenebatur liberare. Alii autem multo probabiliter negant: nam res clamat ad dominum, non ad furem. Idque pœnali Codice præcipitur sub pœna quadrupli *(S. Alph.*, l. III, n. 569).

Casus 2. *Gratianus bona fide rem a fure emptam, tertio illam revendidit. Cum autem dominus rem suam ab emptore vindicet, emptor repetit pretium a Gratiano venditore, qui tamen renuit.* Si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur; quia omni jure venditio rei alienæ irrita est. Si vero dominus non vindicet rem suam, venditor juxta plures ad nihil tenetur erga dominum, nisi factus sit ditior. Non tenetur neque ratione *rei*, cum illam non possideat; neque ratione *damni*, cum non sit vera et proxima causa, cur dominus re sua privetur. Sed alii volunt semper pretium esse domino restituendum utpote rei repræsentativum; est autem per accidens quod venditor non possit se indemnem reddere — Si autem bonæ fidei possessor rem alienam vendiderit pretio majori quam emerit, an teneatur lucrum sic perceptum domino reddere, affirma, si res ex natura sua aut ex communi æstimatione creverit; res enim fructificat domino suo. Nega, si id totum debeatur industriæ alterius.

246. **Possessor dubiæ fidei.** Ille est, qui dubitat, an res quam possidet sua sit vel aliena.

Principia: I. Qui rem alienam possidere incipit jam dubitans sua ne sit, ut si illam emerit dubitans, an sit venditoris, peccat; quia se exponit periculo rem alienam usurpandi; et tenetur illi eam reddere, ad quem multo probabilius existimat rem spectare: quod si nesciat dominum, debet illam distribuere pauperibus ex præsumpta illius voluntate. Si vero post adhibitam sufficientem diligentiam multo probabilius judicet rem esse suam, potest eam sibi retinere, paritate rationis. Quod si dubium remanet hinc inde æquale, res dividi debet juxta dubii

rationem, ut docent probabilius; nam jam ab initio illius possessionis par est utriusque conditio.

II. Qui vero rei possessionem adeptus est bona fide putans eam esse suam; sed postea dubium superveniat, communius et probabilius docent eum (dubio post diligentem inquisitionem perseverante) ad nihil teneri (1). Nam quamdiu dominium rei est dubium (sive negative sive positive), tamdiu possessor retinet jus insistendi in ipsa, ita ut ante diligentiam ad veritatis assecutionem adhibendam teneatur quidem rem servare; non autem postea. Tunc valet illud: *Melior est conditio possidentis;* et sane quando exurgit dubium inter duos contendentes, si diligenti inquisitione facta, nequeat ex principiis directis dubium resolvi, tunc qui rei possessionem habet, verosimilius judicare potest ex allato principio reflexo, se esse rei dominum; non enim præsumi potest sine titulo possessionem inchoasse (2). Lex autem merito hanc præsumptionem sancivit et pro regula generali constituit ex motivo ordinis publici, ne scilicet incerta nimis remaneant dominia, et maxime ut homines securi essent in possessione bona fide adepta bonorum *(S. Alph.*, l. I, n. 35; et supra disputata n. 236) (3).

III. Si tamen possessor iste, veniente dubio, culpabiliter

(1) Si ante dubium rem præscripserit, tunc nulla quæstio; potest juxta omnes illam pacifice et tuta conscientia retinere, etsi postea dubitet, imo certus sit rem fuisse alterius. Præscriptio est titulus legitimus.

(2) Bona fides est et theologis et canonistis opinio probabiliter et prudenter existimantis rem suam esse. Hinc patet bonam fidem canonicam cum aliqua dubitatione consistere posse; et re quidem vera in jure canonico possessor malæ fidei is dicitur, qui *habet conscientiam rei alienæ*, id est qui *se novit* (non dubitat) aliena possidere *(c. 20, et 4 de præscript.)*. Et ex adverso *tamdiu quis bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum* (s. August. in c. si virgo 34); at qui dubitat, is profecto non habet *scientiam* rei alienæ, adeoque *ignorat* aliena se possidere. Hactenus cl. D'Annibale, *Summula Reatina.*

(3) Tribunalia civilia eo in casu pure et simpliciter rem adjudicant possessori, nullatenus distinguentes inter forum internum et externum; certo autem non est supponendum illa statuere velle quod lædit alterius jus. Si res esset tunc ex æquo dividenda de jure naturæ, ut adversarii volunt, tribunalia divisionem imperare deberent; publica enim judicia non sauciunt quod est manifeste contra justitiam et naturæ jus. Adde hæc praxis fundatur etiam in jure Canonico, ut patet ex suis regulis; porro jus Canonicum generatim, imo maxime respicit forum internum seu conscientiæ. Est communis sententia, ipsis contrariis fatentibus. V. Carrière, *De justitia et jure*, p. 3[illegible].

Utique tale judicatum tribunalis civilis ac canonici corrigendum est, semel ac dignoscatur res se aliter habere; ideo merito in jure illud appellatur *momentaneum*, *præparatorium* ac *summarium;* nititur enim principio reflexo quod principio directo cedere debet, quando hoc possit inveniri. At quoties id non invenitur, judicium illud rectum est, rationale, subsistens et firmum. Vel ipsi qui pro rata dubii rem adjudicant, huic judicio momentaneo innituntur: si enim postea dignoscatur dominus, nonne tota ipsi res tribuenda venit?

negligat adhibere diligentiam ad veritatem inveniendam, et postea eam non possit amplius invenire, certum est quod mortaliter peccat omittendo illam diligentiam; sed sunt qui docent ipsum ad nihil teneri, quia damnum illatum semper dubium est; jus vero possessionis est certum. Attamen verius puto, quod talis possessor et peccaverit et teneatur aliquid restituere ei, de quo dubium est, an sit verus dominus; sin autem pauperibus. Cum enim culpabiliter dominum privaverit spe, quam habere poterat ad rem suam, et ista spes sit pretio æstimabilis, aliquod damnum certo est eidem illatum, et ideo aliquod restituendum, sed forte valde minus *(S. Alph.*, l. III, n. 626).

247. *Resolve:* 1) In dubio, an quis bona vel mala fide possessionem incœperit, præsumendum est in favorem possessoris; nam delicta non præsumuntur.

2) Si quis actu sit in mala fide, præsumi debet eum etiam ab initio in mala fide fuisse; quia ex jure *semel malus semper præsumitur esse malus*, nisi contrarium probetur.

248. **Possessor malæ fidei.** Est qui per injuriam rem alterius accipit aut detinet, vel damnum intulit.

Principia: I. Possessor malæ fidei tenetur domino reddere rem suam cum omnibus fructibus, nisi sint mere industriales. Item omne damnum emergens et lucrum cessans a die possessionis; quidquid uno verbo ex re percepit, vel potuisset percipere, si ut bonus paterfamilias ipsam administrasset; secus illata injuria ex integro non repareretur.

II. Si res apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem, quem habebat quando sublata est. Imo tenetur fur ad augmentum, quod res furto ablata acquisivit in ejus manu; nulla facta exceptione (ut verius dicunt alii contra alios) sive fuerit sive non fuerit dominus conservaturus rem suam usque ad illud majus pretii incrementum; nam quælibet res semper crescit et augetur domino suo *(S. Alphonsus*, l. III, nn. 618 et seqq.).

Dixi *Nisi fructus sint mere industriales;* nam fructus industriæ sunt ei, qui illam exercet. Hinc thesaurarii, quæstores, telonarii et alii, qui ex pecuniis alienis sibi commissis vel apud se depositis lucrum faciunt, v. g. negotiando, cambiendo, ludendo, illud restituere non tenentur. Peccant quidem contra fidelitatem et obedientiam, si hæc invito domino faciunt; non autem contra justitiam commutativam, quia pecuniæ fructus sunt per se industriales. *Antoine.*

249. **Resolve:** I. Possessor malæ fidei potest deducere expensas tum necessarias tum utiles ad rem conservandam; nam dominus non habet jus nisi ad rem suam integram cum omnibus fructibus debitis obtinendam. Excipe nisi ipse in pœnam ad expensas amittendas condemnatus fuerit a judice.

II. In computandis infaustis consectariis ne exorbitemus, notare juvat, mala quæ alicui inferuntur, non ad inanes possibilitates extendenda; sed dimetienda esse ex ipsa communi hominum æstimatione (1). Ideo qui seminavit alienum frumentum in agro suo, quod fructum reddidit centuplum, satis est si frumentum domino reddat æqualis bonitatis et mensuræ. Qui aliena ova supponit suæ gallinæ et inde pulli enascantur, satis est si ovorum valorem restituat. Qui gallinam alterius occidit, satis est si aliam restituat; ridiculum esset obligare ad tot pullos restituendos quot ex illa gallina potuissent nasci (2).

III. Cum fere semper non innotescant omnes circumstantiæ, vel difficilis sit ac vexatrix illarum minuta inquisitio, ordinarie urgenda est compensatio valoris, quem tempore furti res habebat, vel tempore quo ipsa vendita fuit.

IV. Si res aliena ablata apud furem perierit, tenetur fur ad illius pretium, etsi perierit absque ejus vel alterius culpa, sed casu fortuito; nam fur rem subducendo totum rei periculum in se suscipit; ex jure enim *mora præcedente, etiam casus fortuitus imputatur.* Excipiunt communiter pro conscientia, si res illa pereat apud possessorem malæ fidei absque sua vel alterius culpa, eodem tempore ac periculo, quo fuisset pariter penes dominum certo peritura, v. g. in eodem incendio, vel ex vitio rei intrinseco. Tunc quamvis furtum cum injuria commissum fuerit, non fuit tamen causa damni efficax; nam per subsequentem casum verificatur, quod actio furis non erat vere damnosa *(S. Alph.*, l. III, n. 620).

250. Dixi: 1. *Sine sua culpa;* si enim ipse ante periculum rem consumpsit, vel negligentia culpabili eam perdidit, videtur excusari non posse a restitutione; obligatio evasit personalis.

(1) Item necesse est, ut damna resarcienda sint aliquo modo prævisa, saltem in confuso; quod ordinarie supponitur, si res sit de damnis ordinariis. *S. Alph.*, l. III, n. 613.

(2) Aliquis damnificatur dupliciter, ait Angelicus: uno modo quia aufertur ei id quod actu habet; et tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualem, puta si aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus, tenetur ad tantum quantum valet domus. Alio modo si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi, ut si damnificet aliquem in messe quam dispergit. Tale damnum oportet compensare ex æquo, quia minus est habere aliquid virtute quam habere actu; et potest illud multipliciter impediri (2 2, *q.* 62, *a.* 4).

2. *Sine culpa alterius;* nam si res periisset apud furem per alterius injustitiam, v. g. per novum furtum a tertio commissum; sicut iste tertius obligationem contraxit restitutionis, sic et ille primus personaliter remanet obstrictus, qui jam ea obligatione tenebatur.

3. *Eodem tempore ac periculo;* nam si cessante communi periculo, fur non restituat, et postea res pereat in alio periculo superveniente, videtur ad restitutionem teneri; quia non restituendo tempore debito fuit in mora culpabili. Verum probabiliter adhuc ipsum excusant, si secundum periculum fuerit æque commune.

4. *Pro conscientia;* nam in foro externo quocunque modo ac tempore res furtiva perierit, semper a judice obligatur ad restitutionem malæ fidei possessor; et data sententia, obtemperandum est *(a.* 1298).

251. **Pretium pro re jam debita acceptum.** Si res jam debita erat ex justitia, acceptum restitui debet; quia alter habet jus, ut actio ponatur absque ulla pretii solutione. Sic detractor, qui summam accepit, ne alterum diffamaret, debet acceptum restituere.

Si vero res non erat debita ex justitia commutativa, sed alia virtute, communius et probabilius nulla debetur restitutio; nam qui pretium præbuit, juri non stricto jus strictum superaddit. Hinc qui ex caritate deberet curare infirmum, non violat justitiam, si pretium ideo exigat *(S. Alph.,* l. III, n. 713).

252. Quoad fictum pauperem, qui eleemosynas extorquet, uti si falso fingat se pauperem, ægrotum, claudum, etc., si eleemosyna fraudulenter extorta parva sit, ut est quæ datur ostiatim mendicantibus, juxta alios sub levi restituenda est; quia est contra intentionem dantis. Juxta alios retineri potest; illa enim censetur absolute data atque remissa.

Qui tamen fraudulenter eleemosynam extorquent in magna quantitate, etsi non multum a singulis, et graviter peccant et tenentur ad restitutionem; id enim furtum est, rapina est. Restitutio autem si ab uno accipitur, ipsi fieri debet; si vero a pluribus, congruentius restitutio fit veris pauperibus, cum tunc donantes censeantur abdicasse dominium in favorem pauperum; nisi aliud præsumatur. Hinc juvenes qui insimulando. pensiones obtinent pauperibus tantum relictas, dum propriis expensis studere commode possunt, tenentur ad restitutionem erga institutum; quia fraudant benefactorum voluntatem *(S. Alphonsus,* l. III, n. 622; et infra n. 364).

Art. 2. — De Actione damnificativa immediata.

253. **Principia**: I. Ut actio nostra obligationem restitutionis inducat, requiritur: 1) Ut sit *injusta*, id est contra justitiam commutativam; obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum — 2) Ut sit dolosa seu *theologice culpabilis*, qua nempe homo fit reus coram Deo. Ideo qui bona fide vel casu fuit causa damni, de illo non tenetur, si damnum amplius impedire nequeat — 3) Ut sit *efficax causa damni*, adeo ut actio per se influat in damnum, et ex illa sequatur. Non enim potest detrimentum cuipiam adscribi, nisi ejus actio fuerit vera causa detrimenti (1).

II. Obligatio restituendi debet culpæ theologicæ proportionari et damno: 1) *Culpæ*, unde qui reus est furti gravis, tenetur sub gravi ad restitutionem; sub levi qui levis furti reus est. Qui tamen grave damnum intulit, sed cum culpa levi, v. g. defectu advertentiæ, probabilius ad nihil tenetur (2); nam ex una parte gravis obligatio non habet proportionem ad culpam levem; ex alia levis obligatio proportionem non habet ad rem gravem — 2) *Damno*, et ejus consectariis prævisis. Hinc si artifex operam suam omittere cogatur, eo quod ei necessarium instrumentum abstuleris, illum compensare debes et de valore instrumenti, et de lucro cessante, si id aliquo modo vel in confuso prævideris. Secus non redderetur omnino indemnis *(S. Alph.*, l. III, n. 552).

254. Neque obstat quod ex damnificatione proximi nullum damnificanti commodum obvenerit; nam tota ratio restitutionis non jam ex utilitate percepta ex aliena re, sed ex ipso damno illato petenda est.

255. *Resolve:* 1) Qui alium voluntarie et efficaciter vi, precibus aut consilio impedivit a consecutione alicujus boni ipsi debiti ex justitia, tenetur ad restitutionem; quia est causa efficax et in-

(1) Jus alterius potest violari dolo, casu, culpa. *Dolus* est voluntas nocendi; *casus* est eventus qui prævideri non potuit; *culpa* est factum inconsultum quo alteri injuste nocetur. *Inconsultum*, idest cujus exitus facile a diligenti prævideri potuerit.

(2) Attamen etiam ex culpa veniali ob parvitatem materiæ, potest oriri per accidens restitutionis obligatio gravis. Casus est in eo qui (non longo intervallo) furta multa committit, sed singula in se levia: ex furtulo levi, sed complente materiam gravem, oritur in fure obligatio restitutionis sub gravi (saltem illius ultimi furtuli), etiamsi illud patraverit non advertens ad furta præterita. Tunc enim gravitas obligationis non accipitur ex ultima acceptatione injusta, quæ utpote levis non potest obligationem gravem inducere; sed ex tota simul, quæ ex accessione illius ultimi furtuli evadit gravis *(S. Alph.*, l. III, n. 550).

justa damni, quod proximus patitur in rebus suis, cum jus jam acquisitum habeat. Hinc qui consilio impedivit, ne quis jus habens ad Beneficium, illud adipiscatur, tenetur de damnis.

2) Qui vero alium impedivit a consecutione alicujus boni quod ei ex justitia non sit debitum, si impedivit malis artibus, nempe per dolum, fraudem, mendacium, calumniam, aliosve similes modos impellentes et iniquos, tenetur illi compensare damnum, judicio prudentis, juxta probabilitatem, quam habebat bonum illud consequendi. Licet enim iste non habeat jus strictum in rem illam, jus strictum habet, ne violenter impediatur ab illa. Hinc qui fraude alium a testamento vel a legato condendo impedivit, tenetur ex justitia compensare omnia damna quæ patiuntur hæredes et alii (1).

3) Qui tandem alium conatur impedire precibus tantum, consilio aut suasione a consecutione boni quod ei non sit ex justitia debitum, juxta sententiam communem et probabiliorem non tenetur ad restitutionem, licet id egerit ex nocendi animo; quia ad injuriam damnosam non sufficit simplex suasio, quæ vim non infert, etsi data cum intentione mala; sed requiritur actio externa, quæ vera et efficax sit damni causa. Hinc non tenetur ad restitutionem etsi peccat, qui sine vi, fraude ac dolo sed ex odio impedit testatorem, quominus relinquat hæreditatem alicui, qui nullum ad eandem jus habeat. Neque officiorum iniquus distributor probabilius tenetur ad restitutionem erga dignum prætermissum, secluso casu concursus; quia nullius jus strictum violavit. At tenetur de damnis societati provenientibus ex electione indigni; cum graviter deficiat in officio suo, ex quo tenetur providere bono publico *(S. Alph.*, l. III, n. 584).

4) Qui inculpabiliter causam posuit damni, sed postea illud non impedivit, licet potuerit, ex communi sententia tenetur ad restitutionem; nam esto quod actio fuerit inadvertenter posita; sed postquam advertitur, et non revocatur, cum potest sine magno incommodo, illa incipit esse voluntaria. Hinc qui inculpabiliter venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet. Qui ex errore aliquid contra proximi famam dixit, tenetur, cognito errore, illud corrigere. Advocatus, medicus, theologus, et strictius parochus si

(1) Quo sensu Sotus explicat d. Thomam qui (2, 2, *q.* 62 *a.* 2) contrarius videtur; cum dicat eum teneri ad restitutionem qui injuste intendit nocumentum propter odium. Nam dicendo *injuste* supponit injustitiam, cujus causa sit odium.

noxium consilium dederunt inculpabiliter, tenentur postea impedire, ne ex eorum actione alter lædatur.

Et ni faciant graviter peccant, et tenentur de damnis; nam eo ipso, quo cognoscunt suam actionem inculpabiliter positam adhuc in damnum influere, nec tamen illam impediunt, sua actio evadit eis culpabilis. Aliter est, si (quando advertunt) damnum jam sit consummatum, et proximi fama jam sit irreparabiliter læsa, venenum haustum: tunc per ipsos amplius non stat, ut provideant (*S. Alph.*, l. III, n. 564).

256. Quæres: *An quis in periculo debeat rem alienam suæ præferre, adeo ut teneatur de damnis, si eam non præferat?*

R. Si res aliena cedat in mei tantummodo commodum, æquitas postulat, ut rem illam meæ præferam; modo res mea non sit pretiosior: quo in casu possum rem meam præferre, sed ex Jure civili teneor pretium rei alienæ restituere; cum ob mei solius gratiam ea adducta sit in ruinam *(a.* 1810).

Si res aliena cedat in alterius commodum tantum, et illa sit magis pretiosa, debeo illam conservare; quia rei alienæ eam debeo custodiam, quam prudens quisque habet: attamen possum exigere compensationem damni quod passus sum eam servando; cum ad id non tenear cum meo damno — Quod si æque ac mea pretiosa sit, non teneor rem alienam præferre; cum enim in illius tantum utilitatem retineam, æquum non est, ut ad eam servandam ego damnum sentiam *(S. Alph.*, l. III, n. 752).

Si demum res aliena cedat in utilitatem utriusque, cæteris paribus, ego potero præferre rem meam, cum caritas a nobis incipiat. Volunt tamen alteri parti fieri debere aliquam compensationem; quia cum par sit ratio utilitatis, par quoque esse debet ratio periculi. Quod quidem lex præscribit in casu naufragii : si merces in mare projici debuerint et ideo navis salvetur, tunc omnes merces servatæ regulariter sunt dividendæ; æquum est enim, ut omnium contributione sarciatur, quod pro omnium necessitate datum est *(Cod. comm.)*.

257. **Culpa juridica**. Est omissio diligentiæ ab humanis legibus requisitæ. Quæ per se subsistit absque culpa theologica, ut cum quis ob ignorantiam vel inadvertentiam, quæ excusat coram Deo, damnum alicui infert; quod tamen absolute loquendo diligentiori cura caveri poterat, et ideo non semper excusat coram hominibus.

258. Culpa juridica triplex distingui solet. *Lata*; est omissio diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis solent in talibus

circumstantiis communiter adhibere: uti si quis librum sibi commodatum relinquat absque ulla custodia ante ostium domus: hæc fere semper includit culpam theologicam. *Levis;* est omissio diligentiæ, quam homines diligentiores adhibere solent: uti si quis librum commodatum domi quidem reponat, sed ostium minime claudat cum clave. *Levissima;* est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentissimi; ut si quis librum domi reponat et ostium claudat, sed manu etiam non tangat ut probet, an clausum bene sit.

259. *Principia:* I. Certum est contrahentes posse, si velint, obligare seipsos ad restitutionem, etiam ex sola culpa juridica; cum juxta conventionem sit obligatio. Sed utrum hæc eorum voluntas in contractibus semper de facto existere dicenda sit, etiamsi non expressa, adeo ut contraventores teneantur ad restitutionem, non satis conveniunt. Alii cum Antoine et Concina affirmant, si res aliena cedat in ejus tantum utilitatem, ut in commodato; id enim, ut dicunt, æquitas postulat. Sed cum Lugo et Lessio alii valde probabiliter negant; quia non est æquum obligare aliquem sine speciali conventione ad pœnam gravem absque culpa theologica gravi; vel nisi interveniat judicis sententia, cui parendum est ob bonum commune, cum tendat ad homines cautiores reddendos *(S. Alph.*, l. III, n. 554).

II. Item ad restitutionis obligationem neque in *quasi-contractu*, seu officio sufficit, ut quis in eo implendo fuerit causa damni; sed insuper requiritur, ut damnum illud voluntarie intulerit; nam *res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Hinc nemo obligat medicos, advocatos, confessarios ac theologos ex culpa tantum juridica ad restitutionem; si enim res aliter esset, nemo benemoratus his officiis perfungi vellet: quod in reipublicæ damnum cederet. Congruit cum lege civili, quæ in his casibus eam tantum requirit diligentiam, quam bonus paterfamilias adhiberet *(a.* 1143) (1).

260. Casus I. *Didacus vas cristallinum pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed Basilius eadem nocte domum sine lumine ingreditur, in vas offendit illudque frangit. Quid?* Neque Didacus, neque Basilius ad restitutionem

(1) Quæ tamen diligentia debet rei proportionari, ita ut major debeatur pro negotio delicatiori, quam pro communi; hoc enim rei ipsius natura expostulat, adeo ut gravetur culpa theologica qui in hoc voluntarie deficit. Qui sane adsportat vitrum, majorem cautelam debet adhibere illo, qui ligna defert comburenda *(S. Alph.*, l. III, n. 555).

tenetur; quia non adest culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno, vel ejus periculo. *Gousset.*

Casus II. *Quirinus pannum furari intendens officinam de nocte ingreditur, lumen accendit, adhibita diligentia ad periculum incendii vitandum. Sed inopinato casu, candela in paleas dejicitur, et brevi tota officina incenditur.* Ad nihil tenetur Quirinus; quia periculum non prævidit. Imo nec tenetur de panno quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset; nam apprehensio panni non est causa damni; nec gestatio candelæ proximum periculum incendii, adhibita cautela, creabat. At in foroexterno merito, utpote fur damnatur. *Gury.*

Casus III. *Titius projecit in mare gemmam Sempronii quam existimavit valere decem, cum tamen valeat centum.* Alii obligant Titium ad restituendum centum; quia damnificans cum culpa gravi tenetur ad omne damnum, licet ignoratum. Alii communius ac probabilius dicunt teneri tantum ad decem; quia obligatio restitutionis correspondet culpæ, et culpa injuriæ quæ intenditur: hic autem non intenditur injuria, nisi uti decem. Verum quidem est teneri ad totum damnum, cum apprehenditur in confuso (ut regulariter apprehenditur); sed neutiquam, cum invincibiliter ignoratur verum pretium; nam voluntas non fertur in incognitum *(S. Alph.,* l. III, n. 613).

Casus IV. Ranulfus hæres universalis a Lælio avo suo institutus, ab eo extreme decumbente rogatur, ut notarium accersat. Timens autem Ranulfus, ne testator voluntatem suam ultimam mutet in sui præjudicium, moram protrahit, usque dum avus animam afflaverit. Quid? — Ranulfus male agit; et si cum fundamento existimat, avus aliquid alicui donaturum fuisse, illi tenetur dare; si nesciat cuinam, pro rata dubii causis piis tribuat. Horum enim damnorum ipse injuste tergiversando fuit causa. *Gury.*

Casus V. *Cajus occidit amicum credens invincibiliter illum esse inimicum suum, quem ad mortem quæsierat.* Non est dubium quod graviter peccaverit ob pravam actionem in se. At an teneatur ad restitutionem plurimi cum Bonacina illum obligant: quia error in persona non tollit rationem injuriæ; quæstio enim non est de nomine, sed de re: hic sane voluit hominem occidere, et hominem occidit, vel saltem humanitatem læsit. Adde: in materia justitiæ, sicut in materia contractuum, non attenditur quid agens facere voluisset; sed quid fecit; et certo in foro externo merito ad restitutionem damnatur, ob iniquam actionem.

Verum quod spectat ad forum conscientiæ, non pauci cum Lugo negant, ipsum teneri ad restitutionem; nam ille voluit quidem hominem occidere, sed nonnisi hominem *talem:* unde exercita actio est tantum materialiter mala: ad inducendam enim obligationem resarciendi damnum, requiritur, ut et damnum et mala actio sit circa idem. Sane si ille absolute intendit lædere solum inimicum et amicum voluntarie excludit, de facto neminem culpabiliter lædit: non *inimicum;* quia iste non læditur; non *amicum;* quia illius respectu talis actio est omnino involuntaria, cum illi potius benefacere velit: est valde speciosa ratio *(S. Alph.,* l. III, n. 628) (1).

Casus VI. *Jacobus occidit Marcum qui familiam luxu et potu de-*

(1) Ipse tamen adhuc incurreret excommunicationem, si tam percussus, quam percutiendus esset clericus, ut tenet sententia absolute probabilior atque communissima: quia excommunicatio incurritur non ob personæ, sed ob status læsionem, qui status in eo casu jam voluntarie læditur, licet in persona erretur: et multo magis incurritur irregularitas (v. *Scavini,* l. II, n. 736).

pauperabat ejusque domum assecuratam incendit. Porro jubetur a confessario, ut compenset aliquid familiæ ob mortem illatam, et domus incensæ valorem solvat. Jacobus negat utrumque; nihil vult tribuere ob necem, quia talis mors potius in familiæ beneficium cedit; nihil etiam ob incendium domus, quia cum sit assecurata, dominus seu ejus hæredes pretium recipiunt — Jacobus ad nihil tenetur, cum reapse nullum damnum intulerit familiæ Marci ob ejus necem; imo majorem dilapidationem impedivit. Potest tamen per modum pœnitentiæ ipsi injungi, ut aliquid illi familiæ tribuat si inopia laboret; vel ea non indigente, pauperibus. Contradicit *Collator Ruthenensis*, quia Marcus potuisset emendari et familiæ suæ opitulari; verum hæc spes aliis tenuis apparet. Adde: non est imponenda restitutio pro damnis incertis et remotis. *Gury* — Quod vero pertinet ad incensam domum, Jacobus tenetur assecuratori totum illud refundere, quod ipse domino solvit; cum fuerit causa culpabilis incendii. Et insuper dominum (aut hæredem) resarcire, si quod aliud patitur damnum; nam assecurationis societas ordinarie non totum semper tribuit, neque ad consectaria attendit.

Art. 3. — De Damnificatione per alios, seu de injusta Cooperatione.

261. **Damnosa cooperatio.** Qui proximo damnum infert modo efficaci et cum culpa, etsi tantum mediate, indirecte et per alios, tenetur ad restitutionem; nam: *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (Rom. I).

262. Attamen *culpæ* nomine, ea intelligitur, quæ sui natura alterum inducit ad damnum, non vero quæ simplex est occasio: alioquin vel ipsa caritatis violatio ad restitutionem obligaret, quod nemo dixerit. Neque per se sufficeret ratum habere damnum ab altero jam illatum, id est illud approbare; nam cum ratihabitio sequatur commissum facinus, in illud efficaciter non potest amplius influere (1).

263. Dupliciter potest quis in damnum alterius cooperari:

1. *Positive:* et est quando quis physice vel moraliter influit in damnum proximi. *Physice,* si actionis damnificativæ particeps fiat, v. g. concurrendo in grassationem ad viatoris spoliationem. *Moraliter,* si quempiam ad damnum proximo inferendum determinet, v. g. fures hortando.

2. *Negative:* est quando quis potest impedire et non impedit

(1) Dixi: *Per se;* nam ratihabitio in foro externo mandato æquiparatur, si hæc simul concurrant: 1) Si id quod quis ratum habet in sui gratiam fuerit patratum — 2) Si ratihabitio externe significetur — 3) Si is qui delictum ratum habet, tempore quo illud evenerit, fuerit habilis ad illud mandandum saltem habitualiter. Ideo si fuerit amens cum delictum perpetratum fuit, non nocet ratihabitio; aliud est si ebrius fuerit aut dormiens; quia id momentaneum est et per accidens.

proximi damnum. Hæc autem non vera est cooperatio, sed simplex negatio, quæ generatim non obligat ad restitutionem; quod enim debeamus damnum proximo avertere, est de lege caritatis, non justitiæ. Excipe nisi quis ex pacto vel rigoroso officio teneatur revera et sub gravi damnum impedire, ut evenit in pastoribus animarum, si non impediant damnum spirituale suarum ovium *(S. Alph.*, l. II, n. 40; l. III, n. 573; l. VI, n. 621).

264. *Casus.* Cajetanus rescit Lazarum velle noctu furtim vinum in civitatem introducere, vectigalibus non solutis. Ex odio in Lazarum admonet præpositos, qui illum in delicto deprehensum ad mulctam damnant — *Cajetanus non peccavit contra justitiam; denuntiando enim jus strictum non violavit, et ratione boni publici omnes jus habent reum denuntiandi. Sed peccavit contra caritatem, id ex odio agendo.* Elbel.

265. **Modus malæ cooperationis.** Pluribus modis causæ tum positivæ tum negativæ cooperantur in damnum. Novem præcipuos hisce versiculis enumerat Angelicus, quorum sex sunt positivi, tres autem sunt negativi (2, 2, q. 62, a. 7):

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

266. **Casus.** *Titius posuit causam malam per se efficacem ad damnum Sempronio inferendum; sed dubium est, an ex hac sua mala actione damnum evenerit, vel potius ex actione alterius, qui pariter causam per se efficacem posuit. Quid?* Alii communius et valde probabiliter obligant Titium ad restitutionem; quia in dubio possidet crimen pravæ actionis, quæ cum sit de se apta ad damnum irrogandum, in dubio præsumitur vera damni causa. Alii vero probabilius negant; nam nemo cogendus est ad restitutionem, nisi de obligatione certo constet; atqui in proposito dubio de tali obligatione certo non constat; nam damnum evenire potuit ex facto alieno. Idque videtur tenere d. Thomam (2, 2, q. 62, a. 7); nam licet actio de se apta sit ad influendum, cum tamen non semper influat, ideo influxus est probandus *(S. Alph.*, l. III, n. 562).

267. **Obligatio in solidum.** Solidaritas est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi, ideo etiam partem aliorum qui non restituant. Porro vel damnum a pluribus illatum potest dividi, vel non.

I. Si damnum potest dividi, atque ad actionem damnosam diversi concurrerunt sine motore principali, aut mutua conspiratione, singuli tenentur restituere pro rata tantum; cum unus

in alterius operam non influxerit. Unde si plures æque concurrant ad expoliandam domum, vel ad depopulandam vineam, singuli eorum pro rata tantummodo restituere tenentur. Si autem omnes excitati fuerint a principali, hic tenetur ad totum restituendum, et alii in ejus defectu pro rata. Ratio quia principalis agens ipso facto in se suscipit totum onus damni reparandi; cum non utatur cæteris, nisi velut instrumentis ad damnificandum — Quod si motor principalis non adsit, sed omnes invicem se excitaverint et conspiraverint ad damnum, singuli tenentur in solidum, quia singuli sunt totius damni causa. Unus enim alterum juvat; unusquisque ad delictum impellitur a confidentia, quam habet in alterius auxilio.

II. Si res, ad quam diversi concurrerunt, dividi non potest, si ita concurrerunt, ut sine illorum opera damnum non fuisset secutum, certum est illos teneri ad restitutionem in solidum; quia totus effectus a causis singulis procedit. Hinc si præbeas tuum suffragium ad injustam actionem, quæ secus non obtineret, teneris in solidum de damnis.

Si vero sine singulorum opera illud damnum adhuc secutum fuisset, ut si apponas ignem simul cum aliis ad domum proximi, quam, te absente, alii nihilominus incendissent, utrum hoc in casu tenearis cum cæteris in solidum, disputant. Prima probabilis sententia affirmat; nam singulorum concursus unam actionem constituit contra justitiam. Verum secunda adhuc probabilis docet singulos teneri tantum pro parte sua; quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu seu causalitate in damnum, obligatio non debet esse major, quam sit influxus; sed influxus est tantum pro parte damni *(S. Alph.*, l. III, n. 579).

Lege tamen civili qui simul damnantur ob idem crimen, tenentur in solidum ad omnia damna et expensas *(Cod. Pœn.)*.

268. Quando est certa obligatio restituendi in solidum, ille qui nescit aut dubitat, an consocii restituerint vel restituturi sint, juxta alios, si dubium perseverat facta diligenti inquisitione, non tenetur nisi ad partem suam; nam præsumendum est alios socios jam restituisse. Sed id minime probatur; nam hic certa est obligatio restituendi totum in aliorum defectu; quandiu ergo non constat alios pro sua parte restituisse, dubitans totum restituere debet.

269. Adverte rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit eos obligare ad totum; cum difficulter sibi persuadeant sese teneri ad restituendam etiam partem a sociis ablatam. Quo in casu sunt in bona fide relinquendi *(S. Alph.*, l. III, n. 579).

§ 1. — De Mandante et Consulente.

270. **Mandans.** Mandantis seu jubentis nomine eum intelligimus *qui alterum inducit ad damnum proximo inferendum:* et dupliciter potest inducere, expresse vel tacite. *Expresse,* idest verbo, scripto, nuntio; *tacite,* idest nutu, signo vel aliquo facto, uti si pater vel dominus filio vel servo significet sibi gratam fore illius personæ occisionem, aut cum iisdem conqueratur, quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur. Item est, si quis, te præsente, paratus sit tuo nomine damnum inferre, et tu cum commode possis impedire, non curas impedire; censeris enim tacite mandare.

271. *Principia:* I. Mandans, *seu ille, qui jubet, est principaliter movens,* inquit Angelicus, *unde ipse principaliter tenetur ad restituendum* (2, 2, q. 62, a. 7); qui enim facit per alium, per se facere censetur. Tenetur autem ad omnia damna, quæ ex mandato regulariter sequuntur; nisi mandatum serio revocaverit, et revocatio mandatario innotuerit ante executionem (*S. Alph.*, l. III, n. 558).

II. Mandans tenetur item resarcire damna, quæ mandatario facta sunt limites mandati excedendo, si id præviderit aut prævidere debuerit; uti si servo iracundo jubeat, ut graviter aliquem vulneret, et servus illum vulnerando occiderit. Tenetur mandans de occisione.

III. Mandans tenetur etiam reparare damna quæ a mandatarius passus est ex mandati executione, si vi, metu aut alio modo vere coactus fuerit, ut superiores et domini cogere solent subditos ac servos; quia ex tali morali coactione mandans merito censetur in se suscipere obligationem mandatarium indemnem servandi, et damna illi reparandi si quæ ex mandati executione obveniant — Non tamen ad id mandans teneretur, si mandatarius sponte et voluntarie se obtulerit, vel rogatus facile ob mercedem acquieverit; nam tunc omnia pericula in se suscepisse censetur. Idem dicendum, si mandatarius unum pro alio læserit; nam damnum ex errore alterius et præter intentionem illatum, est merum accidens. *Bouvier.*

IV. *Mandatum extinguitur* non solum per mandantis retractationem, sed etiam per mortem mandantis; quia morte voluntas hominis finitur. Non tamen per temporis diuturni-

tatem; sola enim temporis longitudo non est signum mutatæ voluntatis sine aliis indiciis.

272. *Casus.* Titius mandatarius pergens ad damnum inferendum fulmine in via percussus moritur. *Alii obligant mandantem ad damnum resarciendum ex illo casu; nam vi mandati evenit, quod per talem locum transierit mandatarius, ubi fulminatus periit. Verum alii probabilius negant; mors enim illa per accidens evenit; nam hic agitur de damno eventuali prorsus, quod neque in confuso poterat præviderí.* Vogler.

273. **Consilium damnosum.** Malum consilium vel respicit tantum *modum,* uti si quis jam determinato ad occisionem proximi, non suadeat nisi medium, v. g. venenum, non gladium; aut tempus, hodie et non crastina die, quæ est festiva. Vel suadeat *minus malum* ad majus vitandum, v. g. ut feriat tantum quem vult occidere. Vel verum tribuit *impulsum,* ut cum quis suadet, seu alium directe impellit ad actionem peragendam cum damno alterius. Vel *doctrinam* continet; ut cum quis pronuntiat de bonitate vel malitia, justitia vel injustitia alicujus actionis.

274. *Resolve:* I. Qui consulit tantum modum injustæ actionis, alii affirmant, ipsum teneri ad restitutionem; quia suggerendo damnificationis modum, de facto concurrit ad damni substantiam. Sed alii plures probabilius negant si est certum, quod alter non sit voluntatem mutaturus. Nam cum executor jam certo supponitur determinatus ad malum inferendum, consulens simpliciter modum, in rigore non potest dici causa efficax quoad substantiam damni. Huc referri potest quod Christus dixit Judæ proditori (Joan. XIII): *Quod facis, fac citius (S. Alph.,* l. III, n. 563).

II. Qui consulit minus malum ad majus vitandum juxta alios et peccat et tenetur ad restitutionem; nam semper malum est malum consulere. Verum sententia probabilior docet, id generatim licitum esse; tunc enim qui suadet non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem mali minoris; sic homini jam determinato ad occidendum ego potero suadere ut feriat, vel potius ut ei furetur — Non tamen liceret suadere volenti facere malum Titio, ut faciat Sempronio, licet minus; tunc suadens esset determinata, directa et tota causa damni tertii; nisi hic ex caritate teneatur hoc minus malum pati ad damnum alterius gravissimum impediendum *(S. Alph.,* l. III, n. 565).

III. Qui consiliis, precibus, suasione, promissis vel motiva utilitatis proponendo, facilitatem executionis ostendendo, etc.,

alium movet et impellit ad damnum proximo inferendum, tenetur ad restitutionem; cum sit causa injusta et efficax damni. Hinc ex canonico jure, si consilium dedisti, ut Cajus Titium occideret, secuta morte, teneris de homicidio. Si consilio movisti servum, ut fugeret aut furtum faceret, teneris furti vel servi evasi. Et Innocentius XI damnavit n. 39 contrariam propositionem *(S. Alph.*, l. III, n. 558).

IV. Qui consilium doctrinale præbet licet ex ignorantia, sed cum gravi culpa, ratione proprii officii, ut solent medici, advocati, confessarii, parochi, theologi, dicendo talem actionem esse licitam cum licita non sit, vel tali casu non esse restituendum, cum tamen restituendum sit, tenentur damnum reparare; eo enim ipso quo quis aliquid suscipit munus, justitia ab eo exigit, et omnes jus habent expectandi, ut scientiam muneri respondentem habeat — Si tamen consulens sit talis qui ratione sui status vel officii peritiam non præseferat, ut est mulier, plebejus, ad nihil tenetur erga petentem consilium, nisi dolo det, vel nisi præseferat magnam peritiam qua caret. Sed obligatur erga tertium, si hic damnum patitur, ac consulens propriam imperitiam noverit, et damnum secuturum saltem in confuso præviderit; esset enim vera et efficax damni causa *(S. Alph.*, l. III, n. 564).

V. Qui revocavit damnosum consilium quod præbuit, sed nihilominus damnum sequatur, adhuc ad restitutionem tenetur, si revocatio non innotuit damnificatori; nam idem est ac si revocatio non contigisset. Quo si innotuit, et datum consilium consistebat in doctrina falsa, v. g. quod talis contractus esset licitus, cum esset illicitus, revocato consilio, consulens non tenetur ad restitutionem; quia per revocationem consilium penitus extinguitur — Si vero illud consistebat in ostensione utilitatis aut in manifestando modo damnum inferendi, ut si furi ostendas modum ingrediendi domum, quem secus ille non invenisset, communissime et probabilius consulentem obligant ad restitutionem. Consilium enim ab eo datum, etiam post revocationem, efficaciter in damnum influit. Negant tamen alii satis probabiliter cum s. Antonino, casu quo consulens in dati consilii revocatione curaverit omni meliori modo damnum dissuadere, adducendo rationem gravissimi reatus. Quia id debet in homine præsertim christiano præponderare cæteris rationibus mundanis *(S. Alph.*, l. III, n. 559).

VI. Ad restitutionem probabilius non tenetur qui præbet

tantum pravum exemplum et scandalum; quia hoc est potius occasio, quam vera causa influxiva. Exemplum ex se non est natum ad alios efficaciter movendos, licet de facto ex eorum fragilitate illi sæpius moveantur (quo sensu explicatur illud *verba movent, exempla trahunt)*. Adde scandalum de se opponitur caritati, non justitiæ *(S. Alph.*, l. II, n. 45; l. III, n. 537).

VII. Qui suasit tantum majus damnum, tenetur tantum de excessu. Unde si furi parato ad surripiendum quinquaginta, suadeas ut centum libellas furetur, probabilius non teneris, nisi de quinquaginta.

VIII. Si duo simul consulant furtum Titio, uterque juxta omnes tenetur de illo furto, si Titius non restituat. Nam licet etiam uno tantum consulente, Titius furatus fuisset, de facto uterque tota causa fuit illius furti.

§ 2. — De Consentiente, Palpone, Receptatore et Participante.

275. **Consentiens.** Venit qui *approbatione, favore, suffragio alium efficaciter movet ad damnum proximo inferendum.* Dupliciter id contingit: consensu nempe inefficaci et efficaci.

Inefficaci, si quis de malo proximo inferendo vel illato simpliciter sibi gaudet. Hic nihil tenetur restituere; cum damnum non causet. *Efficaci,* quando malum proximo inferendum pendet, vel determinatur a suo consensu; qui ideo ad restitutionem tenetur. Sic consentiunt senatores, deputati ac judices, cum per sua suffragia positive et efficaciter concurrunt ad legem vel sententiam injustam ferendam.

276. *Resolve:* 1) Suffragantes omnes ad restitutionem tenentur in solidum, si de condicto suffragia dederint. Nam semel inita conspiratione, unica fit actio moralis influxiva; etsi non omnium suffragia necessaria sint ad damnum inferendum.

2) Omnes suffragium dantes contrahunt obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragati sint. Quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa, singulis suffragantibus merito tribuitur.

3) Qui prima suffragia præbent antequam numerus compleatur, tenentur ad restitutionem in solidum, etsi præviderint alios item consensuros. Quia de facto in damnum efficaciter jam influxerunt.

4) Item obligantur ad restitutionem, qui cum ex officio te-

neantur suffragium dare, ab illo abstinent; si talis omissio sit causa efficax damni gravis et injusti. Abstinentia enim esset de industria quæsita ad damnificandum.

5) An seclusa omni conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, qui suffragium suum tribuit, jam sufficientibus ab aliis datis, teneatur nihilominus sicut cæteri ad restitutionem, sunt qui affirmant: quia etiam ejus nomine iniqua deliberatio executioni mandatur; et iste se habet ut ille qui se adjungit curro, qui jam a duobus sufficienter trahitur: nunc revera trahitur a tribus. Sed probabilius negandum; nam quando suffragia jam data sunt sufficientia ad damnum, qui postea dat suum, non potest dici in damnum efficaciter influere utpote jam consummatum: esto quod de scandalo teneatur, si ejus suffragium notum fit. Ideo hic se adjungit curro jam ad metam ab aliis ducto, non ad illud ducendum.

6) Qui dubitat, an suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum alicui inferendum, quod evenit si suffragia secreto data sint, verius docent ipsum teneri uti cæteros pro rata: et si alii non restituant, in solidum; per illius enim suffragium jus alterius saltem deterius evasit, ac incertum *(S. Alph.*, l. III, n. 566).

277. **Palpo.** Ille est qui laudando, adulando, plaudendo, injuriam exaggerando, tolerantiam exprobrando alterum impellit ad damnum proximo inferendum. Palpo, utpote efficax causa damni, ipsa lege civili tenetur illud reparare; nam sæpe quis magis laudibus et vituperationibus impellitur ad malum quam pravo consilio *(Cod. pœn.)*.

Neque necesse est ut palpo damnum intendat; sed sufficit, ut sciat se in damnum efficaciter influere *(S. Alph.*, l. III, n. 567).

278. **Receptator.** Seu recursum præstans, est *qui alteri securitatem aut commoditatem præbet, ut malum inferat, vel ne illatum reparet.* Receptator tenetur ad restitutionem; cum in damnum positive efficaciter influat. Hinc tenebitur ad damni compensationem, qui furta occultaverit aut emerit; nam hoc generatim idem est ac rapinas fovere *(S. Alph.*, l. III, n. 568) (1).

279. Non teneretur autem ad restitutionem uti receptator

(1) Item peccant caupones, qui a filiisfamilias acceptant pecunias aliasve res a parentibus sublatas; et inabsoluti dimittendi si non resipiscant. At quoad restitutionem, non illico videntur damnandi si accipiant pro alimentis filiis suppeditatis, modo positive illos ad furtum non inducant. Quoad furta filiorum, vide infra, ubi erit *de furto*.

qui post furtum juvat furem ad fugam capiendam, modo non influat in damna futura. Sicut nec qui furem et malefactorem domi tenet, qua amicum aut parentem; vel qui ratione officii illum recipit tantummodo, uti caupo apud quem ipse diversatur; vel defendit uti advocatus: non enim est de crimine participare, sed humanitatis officia exercere.

280. Lege civili graviter in receptatores animadvertitur; et plura sapienter ad furta cavenda præscribuntur, tum artificibus circa res a privatis emptas, tum cauponibus quoad personas suspectas vel incognitas, quas hospitio excipiunt *(Cod. pœn.)*.

281. **Participans damno.** Est *qui vel in præda, vel in actione damnificativa fit socius quoad damnum in bonis fortunæ proximo irrogatum.* Fit socius *in præda,* si v. g., post furtum suscipiat partem de re furto ablata: *in actione damnificativa,* si in illam concurrat.

282. Participans prædæ tenetur restituere quantum participavit. Participans in actione damnificativa tenetur ad restitutionem pro modo concursus; ideo aliquando tenetur etiam in solidum *(ex dictis* n. 267).

Qui est socius ad damnum alterius, sed nonnisi ob metum gravis detrimenti (id est seclusa prava intentione, et concursus non sit ad rem intrinsece malam), tunc si damnum quod timet non concurrendo, est *superioris ordinis*, v. g. si timet mortem, mutilationem, etc., nisi furto gravi cooperetur, in mea sententia, neque peccat, neque tenetur de restitutione, quocunque modo cooperetur sive mediate sive immediate; quia habet supremam causam et in necessitate extrema est constitutus, in qua omnia bona sunt communia; neque ideo dominus potest esse rationabiliter invitus (v. t. I, n. 928).

Si autem damnum non sit ordinis superioris, sed vel *inferioris,* uti si quis timeat verbera, nisi morti alterius cooperetur; vel *ordinis æqualis,* uti si timeat mortem si non concurrat ad mortem alterius, aut ad ejus membrorum mutilationem; cum id sit intrinsece malum, concurrere non licet. Item neque licet concurrere, si damnum timeat in bonis fortunæ, nisi cooperetur in furto; quia in causa ejusdem generis proximus legitime jus habet tuendi bona sua (1).

(1) Excipe nisi nimia sit inæqualitas, ut si furando parum de alienis possis servare te indemnem in magnis. Quo in casu teneris rei ablatæ valorem domino restituere; cum agatur de re in eodem genere, et æquivalenter possideas alienum *(S. Alph.,* l. II, n. 66; l. III, n. 571).

§ 3. — De Cooperatoribus negativis, seu de Muto, Non obstante et Non manifestante.

283. *Mutus* dicitur qui ante damnum tacet, et non monet ad illud præcavendum; cum monere teneatur. *Non obstans* qui dum fit damnum, illud non impedit; cum teneatur impedire. *Non manifestans* qui post damnum, illud non denuntiat; cum teneatur denuntiare.

284. *Principia:* Mutus, non obstans, non manifestans tunc restituere tenentur, ait Angelicus, cum malum alterius vel ex pacto implicito aut explicito, vel ex officio vel ex stipendio tenentur impedire, et culpabiliter non impediunt; nam violant alterius jus strictum (2, 2, q. 62, a. 7). Hac quippe de causa conducti sunt, mercedem recipiunt ac officium sustinent, ut clament, obstent, manifestent. Hinc Magistratus et Duces belli tenebuntur ad restitutionem damnorum, quæ a latronibus ac militibus ob culpabilem illorum negligentiam inferuntur. Hinc obligantur ad restitutionem publicani, qui vectigalia fraudare sinunt; custodes lacuum, sylvarum, agrorum, qui non prohibent in his piscari, cædi, depasci *(S. Alph.,* l. II, n. 40; l. III, n. 573).

Cæterum observandum est, non omne officium obligare sub restitutionis onere, saltem in foro conscientiæ; sed illud tantum, quod ex justitia oritur, atque delictum vel quasi-delictum supponit. Quare parentes ad restitutionem non videntur per se teneri, si omittant filios corrigere; nam illorum officium ortum ducit a sola pietatis obligatione. Quamvis merito in foro externo puniantur, ut diligentiores se gerant in cura suorum *(a.* 1153).

Casus 1. Vidit Aristippus grave furtum committi in domo Ascanii; ast quia fures dederunt ei quandam summam ne eos manifestet, interrogatus a domino, an fures viderit, respondet *non vidi;* quos tamen si manifestare voluisset, Ascanius res suas recuperasset — R. Si accepta summa erat propria furum (non res furti) potest illam Aristippus sibi retinere; quia supposita non manifestatione furum ex parte ipsius, acceptio ac detentio talis summæ injusta non est, ut ait d. Thomas *in* 4, *dist.* 15, *q.* 2, *a.* 4, *q.* 2 — Neque tenetur de aliquo eo quod dixerit *non vidi,* etsi peccaverit peccato mendacii, nisi teneretur ex justitia clamare vel manifestare; unde si graviter violavit caritatem, non tamen violavit justitiam. Quod valet, etsi fures non manifestaverit ex odio vel alio pravo affectu; quia semper verum est, quod non potest dici vere consentiens, eo nempe consensu, per quem habeatur verus, atque positivus et efficax influxus in damnum. *Navarrus, Giribaldus.*

Casus 2. Titirus paterfamilias modo ex gravi negligentia seu videns et tacens, modo ex aliqua incuria, non impedivit damna vicinis a filiis, uxore, famulis illata, quamvis ea impedire facile potuisset. Re-

quirentibus autem damnorum reparationem frigide respondet: *se nemini nocuisse*. Quid? — R. Paterfamilias damna subditorum reparare debet ex justitia, si graviter culpabili silentio animum vel audaciam eis addiderit, quia tunc fit cooperator positivus. Non tenetur vero ante judicis sententiam, si a theologica culpa immunis, v. g. si ante factum ignoraverit hæc damna facienda esse. Imo probabilius etiam excusandus in foro interno, v. g. si filii, uxor, famuli in damnificando putarunt eum non esse inscium, licet silentio graviter peccaverit, illos non impediendo. Ratio: qualitas *patris, mariti, domini* per se non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat, vel nisi subditi ipsum videant suo silentio damnificationem probare.

Idem dicendum de magistro erga discipulos, et de omni superiore non publice constituto ad damna inferiorum propulsanda. Attamen lex civilis ex dictis in istos animadvertit. *Gury*.

CAPUT SECUNDUM

De Circumstantiis Restitutionis.

285. **De restitutionis ordine.** Restitutio generatim fieri debet damnum passo, seu domino rei, si certus sit et notus, nisi adsit gravis causa excusans; res enim clamat ad dominum. Dixi *generatim;* nam qui subduxit rem apud alium legitime depositam, locatam vel commodatam, non domino, sed ipsi possessori, si causa non obsit, est restituenda; hic enim habet jus illam penes se retinendi (1).

286. *Principia:* 1) Solutio bona fide facta illi, qui crediti titulum possidet, valida est, etsi postea possessor crediti evictionem patiatur; nam possessor pro legitimo domino habetur *(a.* 1242).

2) Nulla est solutio facta creditori, qui ad eam recipiendam capax non est, ut est minor, interdictus; nisi debitor probaverit rem solutam in creditoris utilitatem cessisse, uti si inservierit ad necessarias impensas pro conservatione ejus fundi *(a.* 1243).

3) Solutio facta creditori, contra quem a tertio fuit facta exceptio vel positum sequestrum, non tenet *(a.* 1244).

4) Debitor adigere nequit creditorem ad recipiendam per partes solutionem, seclusa conventione; licet debitum possit dividi *(a.* 1246).

5) Si dominus, cui sunt restituenda bona, incertus est in particulari, si nempe sciatur bona illa spectare ad tres aut quatuor,

(1) Quoad restitutionem faciendam pro damnis regno seu reipublicæ certe illatis, si ab ipso gubernio modus constitutus sit, nulla difficultas. Si nihil habeatur præstabilitum, alii dicunt restituendum tributorum præpositis; alii esse impendendum vel in pia opera, vel in pauperum levamen, ex præsumpta gubernii voluntate; vel etiam et potius in damnificatos ab illo. Apud nos bene potest restitui rei ærariæ officio *(Finanze)*, vel publicanorum magistro *(Ministro delle finanze)*, prout jam factum scimus.

sed ignoretur ad quemnam præcise pertineant, inter illos dividenda erunt pro rata dubii, generatim loquendo (*vide infra n.* 364).

Quod si res etiam in generali incerta est adeo, ut ignoretur penitus illius dominus, tunc vel illa acquisita fuit *mala fide,* puta ex furto, aut usuris; vel *dubia fide,* ut si rem obtinueris suspensus, an tua revera esset necne; vel *bona fide,* ut si ab ignoto et transeunte mercatore decem ulnas panni accipias pro quinque. Si 1, res est danda pauperibus aut locis piis; nemo enim commodum debet reportare ex sua iniquitate (1) — Si 2, perseverante dubio post debitam inquisitionem, res illa partim tribuenda est pauperibus et partim retineri potest: cum enim par sit ratio, et par esse debet conditio — Si 3, videatur supra de rebus inventis n. 39 (*S. Alph.*, l. III, n. 589).

Casus. Ovidius res furto ablatas retinet, Maro illas clam a fure surripit hac unica intentione, ut eas in tuto ponat, et quæsito et invento domino reddat. Ast pluribus institutis investigationibus, cui res sint, invenire nequit; ideo res illas utpote derelictas suas facit.

Plures obligant Maronem ad res illas pauperibus distribuendas; nam res vitiosa cum suo vitio transit; ideo res illæ semper res sunt furtivæ, quæ nulli possessori favent. Hinc *Inst. L.* 3 *de usucap.* habetur: *Res furtivæ ne ullus, quamvis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi jus habeat.* Propterea pauperibus sunt distribuendæ juxta præsumptam domini voluntatem. Verum alii plures censent Maronem posse illas tuto retinere, loquendo de foro interno et conscientiæ; neque enim eas pravo animo surripuit; sed illarum domino optime consuluit, eas de malo in bonæ fidei possessorem transferendo. Porro bonæ fidei possessor, qui nequit amplius dominum rei invenire, verius potest illam uti derelictam habere, et ideo suam facere. *Gury.*

287. **Restitutionis ordo quoad cooperatores.** Primo loco ad restitutionem tenetur qui rem alienam habet; cum ea semper clamet ad dominum. Neque obstat, si consumpserit; quia ex jure *pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.*

Quod si nemo rem alienam habeat, uti si illa, v. g. ex incendio fuerit consumpta, tunc ex d. Thoma *semper obligantur ad restitutionem primo* jussio; *quia scilicet ille qui jubet est principaliter movens, unde ipse principaliter tenetur ad restituendum. Secundo* consensus, *in eo scilicet, sine quo rapina fieri non potest. Tertio* recursus, *quando scilicet, aliquis est receptator latronum et eis patrocinium præstat. Quarto* participatio, *quando scilicet aliquis participat in crimine latronis et in præda. Quinto tenetur ille qui* non obstat, *cum obstare teneatur: sicut principes qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increscant, ad restitutionem tenentur; quia reditus quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra.*

(1) Habet Lugo: *Si debitor vere ipse pauper sit, potest sibi per modum eleemosynæ applicare in parte, vel in toto illa bona, licet hoc non sit faciendum propria auctoritate sine consilio confessarii propter magnum periculum fraudis: et hoc etiamsi deberentur illa bona ex injusta acceptione* (S. Alph., *l.* III, *n.* 696).

In aliis autem casibus non semper obligatur aliques ad restituendum; non enim semper consilium *vel* adulatio *vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ* (2, 2, q, 62, a. 7). Notandum:

1) Inter causas negativas illa primitus ad damnum resarciendum adstringitur, quæ magis damnum avertere tenebatur; sic custos specialis rei probabilius tenetur ante custodem generalem. Imo valde probabiliter unaquæque causa negativa tenetur ad totum in aliarum defectu; nam unaquæque totum damnum avertere tenebatur.

2) Causa, quæ primo loco tenetur, licet aliæ causæ subordinatæ restituerint, semper tenetur restituere, refundendo in istas quidquid solutum est. Nam cæteræ non tenebantur, nisi in illius defectu.

3) Si damnum passus illud principali damnificatori condonaverit, cæteræ causæ liberantur; quia accessorium cessat cum principali. Secus si condonatio fiat tantum minus principali: tunc hic solum liberatur (*S. Alph.*, l. III, n. 689).

288. **Ordo restitutionis, si sint diversi creditores.** Si debitor omnibus creditoribus satisfacere potest, nullus ordo necessario servandus, modo suo tempore omnibus solvat. Si vero nequeat omnibus satisfacere, creditores a creditoribus sunt distinguendi, quorum alii sunt *privilegiati*, qui ex lege civili privilegium habent debitum suum ante alios repetendi. Alii *hypothecarii*, qui in bonis debitorum oppignoratis jure potiuntur solutionem obtinendi post privilegiatos. Alii *communes* et *simplices*, qui nullo privilegio vel hypothecæ privilegio gaudent. Quæ distinctio obtinet etiam in conscientia, cum sit in bonum publicum, ut ait s. Antoninus cum Theologis communiter. Hoc posito dicendum:

Primo et ante omnia in conscientia solvenda sunt debita privilegiata, etsi aliis debitis sint tempore posteriora. Privilegia autem alia constituta sunt in omnibus mobilibus, ita ut de iis omnibus peti possit solutio: hoc privilegio gaudent impensæ judiciales et funeris, stipendia medicorum, famulorum, alimenta subministrata a sex ultimis mensibus, etc. Alia in quibusdam mobilibus tantum constituta sunt: quo privilegio gaudet qui rem mobilem servavit vel meliorem fecit, si retineat pro factis expensis, fiscus pro vectigalibus, caupones pro pretio sibi debito in res adhuc apud ipsos repertas, etc. (1) — Alia in immobilibus,

(1) Quæ si non sufficiant, peti potest solutio super immobilibus ante omnes chirographarios creditores. Verum quoad privilegia v. *Cod. civ.*, a. 1952 et seqq.

quo privilegio gaudet fiscus pro tributis currentis anni et antecedentis, item expensæ judiciales pro immobilium spoliatione *(spropriazione)*, etc. *(a.* 1956 *et seqq.)*.

Secundo loco solvendi sunt creditores hypothecarii, servato temporis ordine, nempe qui primo inscripti sunt in officio hypothecarum *(a.* 2007 *et seqq.)*.

Tertio loco solvendi sunt creditores communes, dividendo bona inter illos juxta debitorum proportionem; nam cum debitor omnibus æqualiter sit obstrictus, per se iniquum foret omnia uni solvere, aliis posthabitis (1) — Dixi *per se;* quoad praxim enim plura notanda ac resolvenda sunt circa creditores communes:

I. Creditores si priores sunt tempore, posterioribus posse præferri probabilius et communius affirmant cum s. Antonino et d. Thoma. Nam regula *qui prior est in tempore, potior est in jure,* licet a lege civili pro solis hypothecariis assignata sit; attamen a jure canonico, ipsa ratione suadente, admittenda videtur pro omnibus.

II. Debita ex titulo oneroso, v. g. ex venditione, prius solvenda sunt debitis ex titulo gratuito, v. g. ex donatione, ut communiter docent, etiamsi debitor quando donavit, impar non erat ad solvenda debita. Est enim axioma: *Nemo liberalis, nisi liberatus.* Hinc debita defuncti solvenda sunt ante vota et legata pia; nam fortius cæteris est justitiæ vinculum.

III. Communius et probabilius debita ex delicto, v. g. furto, non sunt solvenda ante debita ex contractu, v. g. emptione. Nam commutativa justitia non respicit nisi id, quod debitum est; et delictum pœnitentia deletur, qua delictum est, non vero restitutione.

IV. « Si ille, cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, ait d. Thomas (2, 2, *q.* 62, *a.* 5) debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius sive sit mortuus sive sit vivus; præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda. » Sed an tunc hæc debita sint postponenda debitis, quorum domini certi sunt, alii probabiliter affirmant; neque enim pauperes jus

(1) Et tunc qui accipit etiam in bona fide, tenetur pro rata restituere; secus retineret cum damno creditorum, qui saltem æquale jus habent in bona debitoris. Utique leges civiles statuunt generatim semel solutum non posse repeti in foro externo, sed non dicunt quod possit retineri *(S. Alph.*, l. III, n. 693; et *Scavini*, l. II, nn. 746, etc., ubi de ordine et restitutionis modo ex ipsa lege civili).

strictum habent in ipsis. Verum alii satis item probabiliter docent omnia debita certa et incerta esse pro rata solvenda; nam creditores incerti æquales sunt in jure suo cum creditoribus certis; ideo tenet eorum interpretativa voluntas tribuendi propriam quotam pauperibus.

V. Creditor pauper præferri posse creditori diviti, probabiliter affirmant cum d. Thoma; quia obligatio restitutionis datur ad reparandum damnum proximi. Attamen alii probabilius negant; quando enim agitur de justitia commutativa, omnium jus æquale est, utpote in re fundatum.

VI. Si creditor in judicio petit, commune est licere ipsi prius totum persolvere, etsi tempore aliis creditoribus posterior sit: lex enim tale tribuit privilegium in obsequium publici judicii *(a.* 1970). Imo adhuc communissime et probabilius affirmant, si creditor sibi satisfieri petat extra judicium, modo ipsi tribuantur bona non aliunde obligata ratione privilegii vel hypothecæ, et absit fraus; jura enim favent vigilantibus, et non distinguunt in judicio, an extra *(S. Alph.*, l. III, n. 687).

Dixi: *Modo absit fraus;* quæ tamen adesset, si publice jam declarata sit cessio bonorum; nam tunc debitor omni actione spoliatus existeret. Hinc creditores a lege jus habent impugnandi omnes actus, quos debitor egit in fraudem creditorum *(a.* 949).

289. **De tempore restitutionis.** Audiatur d. Thomas: *Sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, facit ei injuriam. Manifestum est autem quod nec per modicum tempus licet in peccato morari* (2, 2, q. 62, a. 8). Ideo quamprimum potest et sub gravi in re gravi fieri debet restitutio, nisi obstet gravis aliqua causa. Hinc nullimode absolvendus qui restitutionem semper differt de die in diem, tanto magis, si non vult restituere nisi in morte. Quod maxime currit de doloso detentore: qui si nequeat obligationi satisfacere pro toto, tenetur pro parte quam potest; utile enim per inutile non vitiatur. Item qui non potest commode restituere aperte, restituat occulte; qui nequit per se, faciat per alium. Attamen excusatur a mortali qui differt restitutionem ad breve tempus; nam tunc dominus non censetur graviter invitus, nec grave damnum pati. Palaus spatium viginti dierum putat ordinarie tempus breve esse.

Cæterum probabilius et communius docent, debitorem ex de-

licto teneri compensare omne damnum, item lucrum cessans ex dilatione proveniens, etsi habeat nunc justam causam differendi; quia hujusce damni semper perdurat, tanquam causa prima, injusta acceptio *(S. Alph.*, l. III, nn. 680 et 704).

290. Qui culpabiliter restitutionem differt ac negligit, præter peccatum habituale, probabilius unum tantum peccatum committit, si voluntatem retinendi non revocat per contrariam voluntatem, licet per annum et amplius restitutionem negligat; quia in illa retentione nunquam retractata virtualiter permanet prima voluntas. Ideo sufficit si pœnitens confiteatur restitutionis omissionem, quin omissionis tempus exprimat.

Pœnitens ordinarie non est absolvendus ante restitutionem, si restitutio ipsi moraliter sit possibilis; quia cum restitutio sit res valde difficilis, pœnitens semel absolutus non amplius curat illam adimplere ex communi experientia. Attamen si prudens confessarius revera deprehendat ipsum debitorem sincere paratum esse ad restituendum quam primum, absolutionem poterit impertiri una vel altera vice; imo probabilissime admittit Lugo etiam pro tertia vice, modo tales occurrant circumstantiæ impellentes, ut ipse confessarius solo restituendi proposito debeat esse hic et nunc contentus *(S. Alph.*, l. III, n. 683; l. V, n. 40).

291. Sunt bene multi, qui ad restituendum impotentes se dicunt: *restituere nequeo, nil habeo superflui; numerosa prole sum gravatus.* Verum plerumque sunt rationes ad excusandas excusationes in peccatis. *Restituere nequis?* Ast adhibesne omnes industrias ad hoc moraliter possibiles? assiduo labori vacas? parsimonia studes?

Restituere nequis? Sed quorsum tot expensæ in ludo, epulis, in cœtu otiosorum, in cauponis? ut quid tot francos annuatim in vanissimum tabaci fumum expendis? quare filiæ tuæ *in similitudinem templi sunt exornatæ?* filii, te sciente, rem familiarem dilapidant?

Restituere nequis? Sed si non vales omnia simul restituere, nonne partem potes, et sic successive reddere usque ad debiti extinctionem? Accipe exemplum: operarius quidem 50 libellas socio debebat; solutionem differebat, quia totam summam colligere non poterat. Suasit ei confessarius, ut singulis hebdomadis 20 asses reponeret ad hunc finem; obtemperavit; elapso anno debitum fuit extinctum. *Gury.*

292. **Locus et impensæ pro restitutione.** Si agatur de solutione facienda ratione contractus, casu quo locus ad solvendum non fuerit a contrahentibus determinatus, solutio pretii fieri debet apud debitoris domicilium, et ejus expensis. Si tamen agatur de re certa ac determinata, solutio fit eo in loco, ubi res ipsa invenitur *(a.* 1249).

Si restitutio facienda sit ab eo, qui rem alterius bona fide

possidet, ipsa fieri debet in loco, in quo res extat, et impensis domini; ipsa enim naturalis æquitas non patitur, ut possessor bonæ fidei absque culpa sua damnum patiatur. Quando tamen advertit rem esse alienam, statim debet dominum admonere, ut sibi consulat.

Si tandem agatur de possessore malæ fidei, restitutio facienda est in loco ubi dominus eam possedisset, si non fuisset ei subrepta, et expensis possessoris malæ fidei vel injusti damnificatoris, iis tantum deductis, quas fecisset dominus in ejus conservatione. Nam si ex una parte dominus ob alterius culpam jacturam pati non debet, ex alia neque locupletari de alienis.

293. Si debitum per nuntium fidelem ad creditorem missum, alterius culpa vel casu perierit in translatione, si illud erat restituendum a possessore bonæ fidei, perit domino; quia possessor bonæ fidei non est in culpa. Hinc qui in grege suo ovem alterius casu inveniat, et mittat per virum fidelem ad dominum, perit domino, si in translatione pereat.

Si autem agatur de debitore ex delicto (seu fure) an liberetur a nova restitutione, affirmant Palaus, Sotus, Ladesma, etc.; nam cum fur secreto (ne se prodat) rem mittit per virum fidelem, puta confessarium, non agit imprudenter neque contra rationabilem domini voluntatem, adeo ut debeat iterum restituere si res pereat. Huic opinioni, ait s. Alphonsus, olim adhæsi; sed oppositum docet communis et tenenda sententia. Ratio quia debitor ex delicto tenetur efficaciter reddere dominum indemnem. Et quidem tenetur (ut certum est apud doctores) ad omne damnum etiam fortuitum, quod domino evenit ex sua injusta ablatione; quia ex jure *culpa præcedente, casus etiam fortuitus imputatur*. Adde si res in manu furis periret, fatentibus omnibus, ipsi periret; ergo a pari ipsi perire debet in manibus nuntii missi a fure, cum illius personam repræsentet (1).

Excipe: 1) Si dominus designaverit nuntium, per quem res mittenda erat; tunc nuntius gereret personam creditoris — 2) Si nuntius a judice fuerit delegatus; judex enim creditoris causam ac personam tuetur et vestit — 3) Si creditor debitori libertatem tribuerit eligendi nuntium, et nuntius prudens ac fidelis fuerit electus.

(1) « Olim (concludit s. Alphonsus, *l.* III, *n.* 754) primam sententiam vere probabilem censebam; sed ex rationibus mox allatis melius postea perpensis, de illius probabilitate valde dubito. At quia Lessius et Sporer cum Tamburini non audent primam opinionem damnare, nec ipse audeo. » Non audet utique hanc damnare, sed neque docet ipsam solida probabilitate pollere; imo absolute dicit contrariam esse tenendam.

294. *Cum quo damno debet injustus damnificator restituere?*

R. Damnum hic est pensandum comparative ad subjectum; nam fieri potest, ut damnum decem libellarum respectu debitoris inopis sit longe majus, quam damnum libellarum centum respectu creditoris opulenti, et contra. Quo posito, sententia communissima et probabilior negat damnificatorem teneri ad restitutionem cum quocunque sui damno etiam gravissimo; esset enim contra æquitatem. Neque dominus id potest velle, quin sit irrationabilis.

Pro certo iccirco dico damnificatorem hujusmodi teneri ad restitutionem cum damno æquali: imo Lugo, si agatur de re magni momenti, obligat furem ad restituendum cum damno duplo majori, uti si ad restituendum tria debeat expendere sex, et aliquid amplius; cum enim sit in culpa, merito illum excessum sustinere debet pro domino. At si restituere nequeat, nisi cum sumptibus longe majoribus, et nequeat ope cambii pretium transmittere, vel rem conservare domino aut ejus hæredibus, in probabiliori saltem sententia, sufficit, ut rem illam tribuat pauperibus; tunc enim restitutio in communi æstimatione habetur moraliter impossibilis (*S. Alph.*, l. III, n. 598).

295. Casus 1. *Sergius fur volens et rem ablatam restituere et simul tegere ejus furtum, restituit quidem damnificato, sed fingit se rem suam illi donare* — Communius et probabilius docent sic factam restitutionem validam esse; quia non requiritur ad veram solutionem, ut debitor externe fateatur se debitum extinguere. Attamen si creditor tunc gratitudine motus et aliquid ipse donet, non est acceptandum; quia id non fit spontanee; cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis, quæ non subsistit.

Casus 2. *Thomas immemor debiti, donat suo creditori quod ei deberet ex justitia; et ex hoc putat se a restitutione excusari* — Communiter ipsum a restitutione liberant: 1) Si obligatio restitutionis oriatur a præcepto ecclesiastico, ut si beneficiatus Horas culpabiliter omittat, et postea eleemosynas elargiatur immemor suæ obligationis; nam totum posuit, quod erat in præcepto, nempe *non faciendi fructus suos* — 2) Si agatur de debitis incertis, vel si creditor probabiliter præsumatur libenter debita remissurus, si id sciret; etenim non esset positive invitus.

Hisce exceptis, utrum liberetur a restitutione debitor, communius ac valde probabiliter alii negant, quia non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex justitia, alteri ex titulo gratuito. Sed alii affirmant, quorum sententia satis est probabilis; quia censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam liberalitati. Et merito præsumi potest consensus creditoris, videlicet quod sit contentus, dum accipit quod suum est (*S. Alph.*, Praxis Conf., c. II, n. 44; *Op. mor.*, l. I, n. 33; l. III, n. 700; *Scavini*, l. II, n. 755).

CAPUT TERTIUM

De Causis a restitutione excusantibus.

296. Causæ excusantes aliæ sunt temporaneæ, quæ excusant ad tempus; aliæ perpetuæ quæ penitus obligationem extinguunt.

Causæ quæ excusant *ad tempus* a restitutione, tres numerantur: impotentia, damnum et cessio.

297. I. **Impotentia**. Neque tantum *physica,* videlicet absoluta impossibilitas, quæ habetur in necessitate extrema vel proxima extremæ debitoris vel suorum, id est uxoris, parentum, filiorum (alii addunt fratrum et sororum). Sed etiam *moralis,* si nempe absque magna difficultate restitui non possit; hæc enim in moralibus idem est ac si esset impossibilis. Qua in re commune est, debitorem non teneri ad restitutionem cum jactura bonorum superioris ordinis: ideo regulariter nemo restituere debet bona fortunæ cum detrimento suæ famæ. Item a restitutione bonorum fortunæ liberat tum jactura animæ suæ vel suorum, v. g. periculum desperationis, vel ne filii dent operam latrociniis; tum jactura status juste acquisiti, adeo ut nemo teneatur vendere instrumenta suæ artis, quibus necessaria comparat ad sustentationem. Idem est, si ideo magnum damnum quis subire debeat hic et nunc restituendo (v. *Scavini,* l. II, n. 751).

Idem est si civis primarius debeat obire artem mechanicam sibi insuetam; vel si nobilis nequeat restituere, nisi se privet omnino famulis, equis, si inde maximam admirationem excitet in ejus dedecus: nam pertinet ad bonum commune proprii status conservatio. Id tamen intelligitur, modo creditori æquale damnum non sit obventurum. Cæterum certum est, quod isti omnes tenentur studere parsimoniæ, minuendo famulos, mensam, etc., ut debita saltem paulatim solvant; nam decentia status non consistit in indivisibili *(S. Alph.,* l. III, nn. 703, 762).

II. **Damnum** grave creditoris, si prævideatur eidem obventurum in restitutionis hypothesi, v. g. si petat pecuniam mutuo datam, ut ea utatur ad peccandum. Hisce in casibus non solum potest, sed tenetur debitor differre restitutionem ad congruum tempus; restitutio enim, ait Angelicus (2, 2, *q.* 62, *a.* 5), ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur. Excipe, si restitutionis denegatio non serviat ad culpam impediendam; quia

creditor aliam pecuniam habet; vel si petat minando; vel si damnum proportionate grave debitori immineat, nam caritas cum tanto incommodo non obligat.

Excusat multo magis grave damnum reipublicæ, cum sit damnum publicum, ut si pecunia dominus uti velit ad conspirandum. Item damnum tertii: unde quando dominus re in tertii damnum est abusurus, tu teneris ex justitia denegare illam, si sine tuo damno saltem æquali, id possis. Nam tertius jus certum habet, ne quis in sui damnum cooperetur *(S. Alph.,* l. III, nn. 571 et 697).

III. **Cessio** bonorum. Est quando debitor debitis suis solvendis factus impar, bona omnia ac credita suis creditoribus cedit, ne ab illis inquietari queat. Cessio duplex est: una *voluntaria,* quam omnes creditores libere acceptant; altera *judicialis,* quam lex ipsa debitori bonæ fidei ac infelici tribuit. Sed in omni casu manet semper obligatio præstandi integram solutionem, si ad pinguiorem fortunam debitor venerit: nisi ex rerum adjunctis videantur creditores debitorem liberare ab ulteriori solutione, quod non est facile supponendum; cedunt enim necessitati, ne parum refutando totum amittant. Leges ipsæ civiles concedentes illam bonorum cessionem non intendunt, ut aperte declarant, creditores jure suo privare, sed tantum debitori privilegium impertiri, ne queat ob debita, quibus solvendis est impar, in carcerem detrudi (1).

Qui autem bona sua cedit, attento jure naturæ, potest sibi aliquid clam retinere, si certo videat, quod pars sibi adsignanda insufficiens sit sui suorumque necessitatibus (modo creditor in eandem gravem necessitatem non sit conjiciendus, est enim potioris conditionis). Quibus bonis si cessor omnino indigeat, potest judici interroganti respondere, se non habere, quod nempe teneatur cedere. Verum in hac re caute procedendum; quia plerunque cessores necessitates exaggerant in grave creditorum damnum. Qui insuper, ex dictis tenentur curare, ut totum

(1) *Art.* 1361 *Cod. Albertini.* Nil tamen de cessione habetur in novissimo Codice: « La cessione dei beni, pietoso beneficio raccomandato da rispetti d'umanità a solo fine di sottrarre il debitore infelice e di buona fede alle durezze della cauzione personale venne cancellata e con ottimo consiglio sul riflesso che proclamato il principio umanissimo dell'abolizione dell'arresto personale nelle civili obbligazioni, salvo i casi di dolo o di frode, ciò basta perchè venga meno la convenienza e la ragione di essere nella cessione de' beni. » *Cattaneo.*

Si fraus aut dolus in cessione reperiatur, delinquens gravissime puniri solet ex *Cod. pœn.*, a. 381 et seqq. Vide *Cod. Commercii*, a. 543 et seqq. *del fallimento di bona fede).* Et a. 697 et seqq. *bancherotte* (si quis dolo decoctus evadat).

solvant; est enim debitum justitiæ, cujus satisfactio semper urget *(S. Alph.,* l. III, nn. 158, 699).

Casus. *Battyllus creditor Clodii sacerdotis ipsi injungit ut pro credito tot Missas celebret; at moritur Battyllus antequam obtineat celebratio, et quidem moritur ære alieno gravatus, quod totum ejus hæredes solvere non valent* — Si Battyllus quando injunxit celebrationem adhuc poterat satisfacere creditoribus, sacerdos potest celebrare: tunc enim creditum hoc, cum non esset alicui specialiter obligatum, poterat Battyllus de illo disponere ad libitum. Si Battyllus quando Missas dedit erat impos, tunc sacerdos si erat conscius hujus impotentiæ, tenetur hæredibus acceptum restituere; nam scienter actionem posuisset injustam in creditorum fraudem, ut verius dicunt. Si vero non erat conscius, attento Jure positivo, non videtur damnandus, juxta illud: *Si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is qui fecit, ignoravit, cessare videntur verba edicti* (L. *Quod autem* ff. quæ in fraud.). *Giribaldus.*

298. Causæ quæ perpetuo excusant a *restitutione* sunt remissio creditoris, præscriptio, compensatio et probabilius compositio.

I. **Remissio** creditoris, si tamen non extorta, neque aliqua lege prohibita sit: sic prohibita est Canonicis condonatio amissarum distributionum facta absentibus. Cum enim creditor sit dominus rei suæ et liberam habeat rerum suarum administrationem, ut supponitur, potest eam alteri donare. Cæterum pignoris restitutio non satis est ad præsumendam remissionem ex lege civili *(a.* 1280).

Remissio etiam tacita valet; nam ex juris regula: *taciti et expressi consensus eadem ferme est vis atque conditio.* Imo etiam certo præsumpta remissio liberat, ut satis communiter docent cum Angelico: *Quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse?* Hinc dominus ob levia furtula servum expellens eidem remittere censetur omnem obligationem, eo quod nihil petat *(S. Alph.,* l. III, n. 706).

II. **Præscriptio.** Si tamen debitis conditionibus vestita. Hæc autem pro debitis regulariter non completur, nisi spatio annorum triginta (et aliquando annorum decem); sed maxime requiritur bona fides, ut tuta conscientia possit præscribi *(vide supra nn.* 82 *et seqq.).*

III. **Compensatio.** Alia est *impropria:* et est recuperatio crediti, inscio debitore, facta. Evenit quando tantum auferimus de bonis debitoris, quantum satis est ad recuperandum quod nobis debitum est. Licita est, si creditum sit certum: attamen præstat ut hac non utamur, nisi quando creditum nequeat recuperari via juris, vel sine notabili damno et molestia: nam bono publico expedit, ut nemo sibi jus dicat et judicii ordo

pervertatur. Id tamen omittere est tantum veniale; quia defectus non esset nisi in modo: imo ne veniale quidem, si adsit justa causa — Attamen omnino erit curandum, ut debitor, si fieri potest, moneatur de debiti sui extinctione, ne vivat in conscientia erronea (1); ideo cum res sit plena periculi et hallucinationis, regulariter loquendo, id nunquam fiat sine consilio: et confessarius admodum cautus sit in consilio dando (2). Quod si jam locum habuerit compensatio, non erit facile inquietandus pœnitens *(S. Alph.,* l. III, n. 521).

Alia est *propria* seu legalis, quæ nempe in contractibus obtinet, et definitur: *Debiti et crediti inter se invicem contributio;* evenit quando duo debita mutua compensatione extinguuntur. Hæc non tantum est licita, sed expedit; sic enim inanes circuli evitantur in rerum translatione. Et probatur lege civili, quæ statuit compensationem ipso facto, sub datis conditionibus, obtinere, insciis quoque debitoribus, usque ad concurrentem quantitatem utriusque debiti, quod sit ejusdem speciei, æque exigibilis ac liquidi *(a.* 1285).

IV. **Compositio.** Est quando Pontifex suprema, qua pollet auctoritate in commune fidelium bonum, ita rem componit, ut unam partem debiti incerti impendat in pias causas, aliam condonet ipsi debitori; supplendo de thesauro Ecclesiæ utilitatem quæ domino obvenerit, si totum debitum in eleemosynam datum fuisset (3).

299. Ut compositio legitima sit et liberet debitorem in foro conscientiæ requiritur: 1) Ut bonorum domini post adhibitam debitam diligentiam incerti remaneant (secus nequeunt absque eorum consensu expoliari). Id evenit in damnis illatis, v. g.

(1) Cum enim restitutio sit clam facta, debitor liberatur a restitutione, non a peccato; cum in persuasione sit, quod adhuc de restitutione teneatur.

(2) *Hinc* (ad rem cl. Episc. Bersani) *indulgeat mihi Frassinetti, si suam rejicio sententiam quæ dicit:* Il confessore non dovrà essere troppo difficile a permettere le occulte compensazioni ai suoi penitenti *(Casus conscientiæ ex Ephemeride:* Il buon Pastore, *t.* II).

(3) Episcopus verius hac facultate non gaudet, cum hæc sit actus supremæ potestatis. Attamen compositio fieri potest per Bullam *Cruciatæ* pro iis, quibus illa concessa est, vel communicata. Item obtineri potest a S. Pœnitentiaria, quæ ex Bulla *Pastor bonus* habet ut possit remittere partem de male ablatis vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper; reliquum erogando in pauperes, vel pia opera, in locis si fieri potest, ubi illa ablata sunt.

Si facta compositione dominus certus compareat, alii contendunt ipsi restituendum in quo debitor factus est ditior; nam non præsumitur Pontifex dominum expoliare rebus suis. Sed alii negant; quia Pontifex ut administrator bonorum temporalium, quatenus spectat ad bonum animarum, transfert dominium per compositionem propter bonum publicum *(S. Alph.,* l. III, n. 592).

huc illuc per campos discurrendo, venando, merces pluribus minutim vendendo, etc.

2) Ut adsit causa, v. g. si debitor sit pauper; secus esset illicita compositio in rebus ecclesiasticis, et in aliis etiam invalida; quia in primo casu Papa dispensat in lege propria, non autem in secundo (1).

300. *Resolve:* I. Debitor restituere tenetur, si creditor jam reperiatur in gravi necessitate, et debitor restituendo in eandem decidat; quia in pari casu melior est conditio creditoris. Si vero uterque jam sit in gravissima necessitate, probabilius non tenetur ad restitutionem; quia secus debitor caderet in extremam graviorem. Item est dicendum probabilius, si uterque jam sit in extrema necessitate; nam tunc omnia sunt communia *(S. Alph.*, l. III, n. 701).

II. Qui alienam rem arripuit et consumpsit in extrema necessitate, restituere debet, si habeat alibi bona propria; tunc enim non erat absolute pauper. Item est si habeat probabilem spem habendi; tunc per mutuum sibi sufficienter providere poterat. In aliis casibus probabilius negative; quia tunc rem alienam suam fecit, cum in extremis ex dictis omnia bona evadant communia *(S. Alph.*, l. III, n. 520; *Scavini*, l. II, n. 752) (2).

III. Non est permittendum famulis, generatim loquendo, ut sibi occulte compensent de bonis domini, si non satis sibi tribui contendant; nam hoc semel admisso, furta passim inducerentur. Unde Innocentius XI damnavit propositionem: *Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte ab heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quare non facile famuli audiantur, cum fere semper soleant conqueri. Attamen Salmanticenses condemnationem explicantes docent:

Famulus, artifex, operarius, agricola, non potest quidem sibi occulte compensare, si absque necessitate libere convenerit cum domino de stipendio minori; tunc dominus illi dicere potest: *Nonne ex denario convenisti mecum?* Potest tamen, si ex necessitate (ad levandam miseriam) convenire debuerit de salario, quod absolute injustum sit; nam injustitia non ligat. Nec obstat supra dicta propositio, merito damnata, quia nimis generaliter loquebatur admittens quodcunque privati in propria causa judicium; nec casum excludens quo libere de mercede conventum sit, vel quo ipse famulus ex sui electione operas augeat; etenim tunc censetur id agere ad domini benevolentiam conciliandam. Aliter est, si operas augeat ex domini voluntate expressa vel tacita, tunc compensatio erit concedenda; quia *dignus est operarius mercede sua* (S. Alph., *l.* III, *n.* 522).

(1) Item compositio impetrari potest pro simoniace acceptis, vel a beneficiatis ob emissam fidei professionem vel Horas canonicas. Compositio autem non admittitur, si sacerdos ignoret quisnam ipsi dederit eleemosynas pro Missis; nam satis fit eas applicando pro creditore quicunque sit.

(2) Et idem dicunt de necessitate proxima extremæ, aut illi æquivalenti; cum in moralibus parvi non habeatur æstimatio. Talis esset necessitas illius, qui est in probabili periculo amittendi membrum aliquod principale, aut aliquem sensum, puta oculum; vel incidendi in perpetuam captivitatem.

Id autem quod licitum est auferre pro propria, licet quoque pro necessitate suorum, nempe uxoris, parentum et filiorum. Quidam addunt fratres et sorores, si adhuc isti sint in tenera ætate, vel sibi aliter omnino providere nequeant *(S. Alph.*, l. II, n. 31; l. III, nn. 520, 701).

DISPUTATIO SECUNDA

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM

De læsione in Bonis Animæ et Corporis.

301. **Læsio in bonis animæ.** Qui alterum vi, fraude aut dolo læsit *in dotibus animæ ordinis supernaturalis,* v. g. illum inducendo ad peccatum, vel avocando a virtute, vel imbuendo falsa doctrina, tenetur ex justitia vim, fraudem et dolum auferre, eumque in pristinam libertatem restituere, et damna secuta resarcire quoad moraliter fieri potest; cum istorum fuerit causa positiva, efficax et injusta, et satis illa, saltem in confuso, prævidere potuerit et debuerit. Hinc qui pravos libros propagarunt contra fidem vel bonos mores, eos quantum possunt colligere tenentur et publice reprobare, ne ulterius damnum voluntarie afferant, incautos maxime seducendo.

Qui vero mero consilio ac suasione alium ad peccatum induxit, ex justitia ad nihil tenetur erga illum; nam tunc qui peccat, peccat sciens ac volens: scienti autem et volenti non fit injuria: et *nullus spiritualiter moritur,* dicente Angelico (1, 2, q. 13, a. 8), *nisi propria voluntate peccando.* Sed tenetur ex caritate, quoad potest, ejus conversionem procurare; ipsa enim naturalis æquitas exigit, ut auctor mali illud reparare nitatur suadendo saltem ac monendo.

302. Qui autem alium læsit *in bonis animæ naturalibus,* puta si alium veneno vel alio quovis medio efficaci privavit memoria, ingenio vel usu rationis, tenetur ex justitia reparare tum damnum personale, eum nempe a morbo curare quoad potest; tum reale, quod secutum est, ut est amissio officii, etc. judicio prudentum; hæc enim in malo opere satis sunt prævisa.

Item si quis officium susceperit alios edocendi in aliqua arte, scientia aut disciplina, si id susceperit absque sufficienti peritia, vel contraria docuerit aut negligenter, non tantum pretium ac-

ceptum restituere tenebitur pro ratione ignorantiæ aut negligentiæ: sed etiam damnum, quod intulit male docendo, reparare tenetur quoad potest.

303. **Læsio in bonis corporis.** « In bonis corporis, ait Angelicus, tria per ordinem considerantur: primo quidem integritas corporalis substantiæ, cui detrimentum affertur per occisionem (de qua erit præcipue), vel mutilationem. Secundo delectatio seu quies sensus, cui opponitur verberatio vel quodlibet sensum dolore afficiens. Tertio motus et usus membrorum qui impeditur per ligationem vel incarcerationem seu quamcunque detentionem » (2, 2, *q.* 63, *a.* 3).

Porro si ex amore, quo nosmetipsos prosequimur, volumus, et omnimode curamus, ut nullum in nobis nocumentum, in hisce bonis inferatur, ita cavendum ne id ipsum fiat contra proximum nostrum; cum illum sicut nosmetipsos diligere debeamus. Hinc vulgare illud: *Quod tibi non vis fieri* (intellige juxta regulam rectæ rationis) *alteri ne feceris.* Hinc concludit d. Thomas: *Nocumentum inferre alicui non licet, nisi per modum pœnæ propter justitiam;* ideo privatus qui nocumentum affert, tenetur de damno illato.

304. **Homicidæ obligationes.** Homicida (vel mutilator) ipsorumque hæredes in eorum defectu tenentur ad compensanda omnia damna temporalia ideo directe secuta.

Principia: I. Homicida compensare debet expensas in medicinis peractas ad vulnus curandum, et lucra, quæ per occisionem cessaverint, non quidem in totum, ut si jam de facto ea fuissent acquisita (potuisset enim occisus multipliciter impediri); sed pro majori vel minori spe eadem acquirendi juxta viri prudentis æstimationem (1).

Nihil vero tenetur restituere pro expensis funeris; cum ipsæ aliquando faciendæ essent: excipe, si ob occasionem necis illatæ (v. g. extra patriam) oportuerit eas fieri majoris — Item probabilius nihil restituere debent secundum rigorem præcise, seu ex justitia pro vita obtruncata, pro membro vulnerato; quia

(1) Ad homicidii imputationem vel mutilationem in foro conscientiæ requiritur ut opus non sit tantum illicitum et periculosum; sed ita frequenter periculosum, ut ex eo communiter soleat mors vel mutilatio evenire. In foro tamen civili punitur etiam qui inadvertenter aliquid agit, ex quo homicidium sequatur, mitius tamen (*a.* 554 *Cod. pœn.*). Hinc Angelicus: *Secundum jura si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur* (2, 2, q. 64, a. 5). De homicidio casuali v. *Scavini,* l. II, n. 635.

hæc non sunt pecunia æstimabilia. Attamen congruum est, et præstat, ut confessarius pro pœnitentia vel saltem ex æquitate aliquid læso aut ejus hæredibus (maxime si indigeant) tribuendum imponat (1).

II. Restitutio ob injustam occisionem iis fieri debet, qui defuncto sunt proxime conjuncti, nempe ascendentibus, descendentibus et uxori; hi enim cum occiso velut una persona erant, et ideo in illius jura succedunt, sive realia sive personalia. Tenetur autem injustus homicida compensare damnum emergens et lucrum cessans usque ad tempus quo defunctus verosimiliter fuisset vitam suam acturus, attenta ejus ætate, valetudine aliisque circumstantiis. Si tamen uxor post occisum maritum æque commode nubat, aut si quis ea occasione sponte ipsi succurrat, recte dicit Croix, quod homicida ex justitia non tenetur aliquid illi pro damnis futuris restituere; quia reipsa non remanet damnaficata. Idem est dicendum de filiis, aliisque hæredibus necessariis, si qui sunt *(S. Alph.,* l. III, n. 639).

III. Loquendo de aliis hæredibus qui necessarii non sunt, ut fratres, cæterique consanguinei, tenetur quidem homicida ipsis restituere damnum jam bonis occisi irrogatum per occisionem, et lucrum quod amisit ipse vulneratus tempore quo vixit; nam moriendo transmisit vi legis ad illos (aliis supra memoratis hæredibus deficientibus) omnia sua jura jam acquisita. Sed non tenetur restituere lucrum quod cessavit a tempore mortis; istud enim non erat debitum reale cum defuncto ipso contractum, sed personale fundatum in industria futura personæ occisæ; in illud ergo nullum ipsis competit jus, cum non censeantur una persona cum defuncto (2).

IV. Si læsus ante mortem lædenti remiserit dumtaxat injuriam (ut plurimum fieri solet), adhuc viget obligatio compensandi damna: nam hæc duo non sunt necessario connexa, injuriam dimittere, et condonare damna: primum præcipit caritas; secundum pietas aliquando prohibet, ut si læsus relinquat indigentes propinquos.

(1) Ad hoc æquitatis debitum referri possunt verba s. Thomæ (2, 2, q. 62, a. 2): *Quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquod æquale, debet fieri compensatio qualis est possibilis* (S. Alphonsus, *l.* III, *nn.* 363, 627; et Scavini, *l.* II, *n.* 757).

(2) Sunt tamen qui censent etiam hæredi non necessario fieri debere restitutionem, si ad hæreditatem vocatus sit; nam (inquiunt) defunctus eo instanti quo occisus fuit, habuit jus ad compensationem adæquatam; et jus illud moriendo transtulit ad omnes hæredes, cum illum revera repræsentent, quicunque sint sive necessarii, sive etiam non necessarii, ex quo nempe illos hæredes vocat. *Bouvier* et *Carrière.*

Quod si læsus revera remisit omnia damna inde obvenientia, lædens ad nihil tenetur erga hæredes; isti enim quidquid acquirunt, non acquirunt nisi per ipsam voluntatem defuncti. Neque dicas patrem teneri alere uxorem et filios, ideo saltem condonationem quoad illos invalidam esse. Etenim pater ad id ex pietate tantum, non ex justitia tenetur *(S. Alph.*, l. III, nn. 630 et 705).

305. **Creditores occisi.** Sunt qui absolute affirmant, teneri homicidam restituere creditoribus occisi, cum bona ab occiso relicta non sufficiunt, saltem si damnum præviderit; quia creditores jus habebant in debitorem, et eo per mortem scienter et inique expoliati sunt; qui ergo fuit causa mortis, fuit etiam causa damni. Verum negant probabilius, quamvis creditorum damna præviderit, modo ea non intenderit; quia actio occisionis non est directe contra illos. Est etiam fori externi praxis, quæ homicidam ad id non obligat.

Qui tamen hominem interficit animo nocendi directe creditoribus vel aliis, recte dicunt communius et probabilius ipsum peccare contra justitiam erga illos; nam tunc læsio fit ex proposito injusta, et efficaciter damnificativa etiam quoad creditores. Item est de illo, qui laqueum in loco ponit, in quo rarissime transit inimicus; sed ea intentione ut occidatur, si forte transeat; nam voluntas hic prodit in vim externe injustam *(S. Alph.*, l. III, n. 633).

306. **Si homicidium imputetur innocenti.** Si homicida non prævidit suum homicidium imputandum esse innocenti, ad nihil tenetur, etsi innocens condemnetur. Neque tenetur se prodere ut innocentem liberet; nam damnum pendet ab aliorum falso judicio. Imo si id prævidit, adhuc probabilius docent occisorem ad nihil teneri; nam semper verum est quod damnum evenit ex errore aliorum, licet error iste prævideatur. Homicidium nempe est utique causa occasionalis imputationis; non vero efficiens causa damni.

Imo probabilius contra Lugo alii contendunt adhuc homicidam ad nihil teneri, si ab eo talis error non solum prævideatur, sed etiam intendatur; nam sola intentio prava non necessario causat damnum, et ideo ex tali malo animo imputatio homicidii in talem personam non necessario sequitur. Sed imputatio pendet ex judicio aliorum putantium, ob extrinsecas ac labiles conjecturas, ipsum fuisse homicidam. Excipe nisi ideo præcise aliquid ipse faciat, unde alii naturaliter id colligere debeant, v. g. si ideo vestibus alterius indutus occidat *(S. Alph.*, l. III, n. 636).

Casus. Rufus vitam arripere decrevit Cajo suo inimico. Interim accidit, ut inter Cajum et Antonium grave oriretur dissidium. Antonius ira exardescens, multis audientibus, se interfecturum Cajum jurat. Hoc sciens Rufus judicat posse occidere Cajum sine periculo; prævidet enim occisionem imputandam esse Antonio. Occisione secuta revera Antonius capitur, in judicium adducitur et ex depositione testium, qui illum audierunt mortem jurantem Cajo, damnatur ad mortem. *Rufus reus est mortis non tantum Caji, sed etiam Antonii, quia in illis circumstantiis culpabilem suspicionem in ipsum injecit, ita ut moralis causa ejus mortis fuerit, non tantum occasio, quæ quidem ab eo fuit vere intenta et creata. Ideo per se tenetur ad restitutionem erga utramque familiam et Caji et Antonii.* Vogler.

307. **Malefactorum occisio.** Pseudo-politici, duce Beccaria, hanc occidendi potestatem negant civili ac publicæ auctoritati. Sed id licitum esse patet ex Scriptura: *Maleficos non patieris vivere,* ait Dominus (Exodi XXII). Quod firmat praxis et universalis populorum sensus; Patrum, theologorum, politicorum rite sentientium doctrina, et ipsa ratio, nam scelestos homines solius mortis timor efficaciter continere potest. Experientia enim testatur ibi scelera augeri, ubi pœna mortis non infligitur; aliasque pœnas satis non esse ad securitati reipublicæ consulendum, nam carceribus detenti aut in exilium pulsi, vel occultis fautorum artibus vel quavis tumultus occasione arrepta liberati ad pristinum statum revertuntur. Possunt utique emendari; verum periculum quod de eorum vita reipublicæ imminet, est majus et certius quam bonum quod de eorum emendatione expectatur. Adde scopum pœnæ non tam rei emendationem respicere quam aliorum bonum, ut a flagitiis terreantur juxta illud Prov. XIX: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Hinc recte Angelicus: *Occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ* (2, 2, q. 64, a. 3).

Nomine autem *publicæ auctoritatis* intelligitur quæ societati politicæ nulli subordinatæ præest; nam supremum jus nonnisi supremæ auctoritati convenit. Hinc qui præsunt aliis communitatibus etsi numerosis, sibi subjectos corrigere possunt pœnis ordinariis præservativis (1); non pure vindicativis exterminantibus, ut est mutilare, occidere, quæ nempe damnum irreparabile inferunt. Hinc privato uti tali non licet tyrannum occidere; nunquam enim licet occidere hominem privata auctoritate (S. *Alph.*, l. III, n. 376; plura Scavini *de revolutione, atque pœna mortis* l. I, n. 360; l. II, n. 759; item vide *La Scuola catt.*, vol. XIII).

308. **Innocentis occisio.** Non licet directe occidere innocentem neque auctoritate publica ob quodcunque bonum; est enim intrinsece malum et divina lege prohibitum ex illo Exodi XXIII: *Insontem et justum non occides.* At si justa adest causa, fas est indirecte aliquid agere, ex quo præter agentis intentionem mors innocentis sequatur; hæc tamen causa debet esse omnino maximi momenti. Imo poterit innocens directe occidi, si Deus præciperet; etsi enim occisio

(1) Hinc potest pater proprios filios delinquentes moderate verberare, domo recludere, abstinentia punire; non id tamen potest frater major erga fratres minores, nisi ei a patre sit mandatum, vel mortuo patre familiam ipse regat, aut nisi id necessarium sit ad avertendam præsentem injuriam; nam primogenitura ei tale jus non tribuit (*D. Thomas,* 2, 2, q. 65, a. 2).

generatim considerata et per se sit intrinsece mala, non ideo tamen in primariis rerum essentiis fundatur, uti v. g. blasphemia, ita ut nullo in casu valeat legitimari. *Deus* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 64, a. 6) *habet dominium mortis et vitæ; ejus enim ordinatione moriuntur et peccatores et justi. Et ideo ille qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat; sicut nec Deus, cujus est executor.* Et Quæst. disp. de poten. q. 1, a. 6: *Licet occidere filium innocentem de se possit esse peccatum mortale; tamen si hoc fiat ex præcepto Dei propter finem, quem Deus præscivit et ordinavit... non est peccatum, sed meritum.*

Resolve: 1) Non licet occidere lethaliter vulneratos, ne diutius patiantur, nec rabidos ne aliis noceant, dummodo a nocendo cohiberi possint; non enim sunt facienda mala ad obtinendum bonum.

2) Si tyrannus minetur urbis excidium, nisi innocens occidatur, non licebit quidem illum directe interficere, cum non sit nisi pars moralis reipublicæ, a qua non accipit esse et vivere, ut accipit membrum corporis a corpore. At in probabiliori sententia, poterit publica auctoritas illum cogere, ut se ad tyrannum conferat: et ubi nolit, etiam tradere; nam eo ipso quod renuit, evadit reipublicæ noxius, cum quisque ex caritate et justitia legali teneatur vitam exponere pro republica. Traditio est tantum indirecte occisiva; cum occisio non ex traditione, sed ex mala tyranni voluntate directe eveniat.

3) Aliud dicunt, si tyrannus ad stuprandam puellam peteret, vel Libros sacros ad eos comburendos; quia in priori casu puella proximo periculo peccati exponeretur; et res est intrinsece mala; in altero casu videntur in Dei contemptum sacri Libri postulari. *Dens.* (*S. Alph.*, l. III, n. 393).

Art. 1. — De Bello, Suicidio, Mutilatione, Duello et Abortu.

309. **Bellum.** Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa. A suprema potestate licite sustinetur, si illud inferendi adsit causa omnino gravis; cum enim e bello tot mala et corpori et animæ proveniant, illud nonnisi in extremis tentandum est, id est cum nulla alia via satisfactio obtineri possit, ac proprium et certum jus tueri. Tunc licitum est; et ipsa religio tunc militibus eorumque vexillis benedicit, ut Dominus exercituum cum illis sit quasi bellator. *Et sane imminet regi cura, ut multitudo sibi subjecta contra hostes tuta reddatur; nihil enim prodesset interiora vitare pericula, si ab exterioribus defendi non posset* (d. Thomas *de Reg. princ.*, l. I, c. 15) — Licet autem etiam diebus festis bellum exercere; nam, ut ait idem Angelicus, observatio festorum non impedit ea, quæ ordinantur ad publicum bonum (2, 2, *q.* 40).

Qui vero bellum injustum indicunt, v. g. ex libidine dominandi, regnum ampliandi, tenentur in solidum de damnis per exer-

citum illatis; cum sint causæ principales. Milites autem in bello evidenter injusto tenentur singuli de damnis, quæ per actionem privatam (id est non qua milites) privatis intulerint.

310. *Casus* I. Cæsar dux exercitus cum non valeat aperte debellare inimicos, utitur astutiis, et insidiis vincit — R. cum d. Thoma: *Insidiæ ordinantur ad fallendum hostes: dupliciter autem aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius. Uno modo ex eo quod ei dicitur falsum vel non servatur promissum, et istud semper est illicitum: et hoc modo nullus debet hostes fallere; sunt enim quædam jura bellorum et fœdera inter ipsos hostes servanda, ut Ambrosius dicit in libro* I de Officiis. *Alio modo aliquis potest falli ex dicto vel facto nostro, quia ei propositum aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur; quia etiam in doctrina Sacra multa sunt occultanda, maxime infidelibus, ne irrideant...; unde multo magis ea quæ ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda* (2, 2, q. 40, a. 3).

Casus 2. Martialis miles in media strage surripuit variis hostibus et suis etiam commilitonibus mortuis et in campo jacentibus pecuniam et horologia, quæ sibi fecit propria — R. *Martialis potest hæc omnia servare, si hostem a se occisum expoliavit; item videtur excusandus si alios hostes prostratos exuerit ex consuetudine belli. Si vero res a sodalibus occisis acceperit, eas parentibus vel hæredibus defunctorum cognitis restituere debet in quantum fieri potest et rerum valor requirit; secus pauperibus; nulla enim ei suffragatur ratio, qua illas faciat suas. Sed forsan erit relinquendus in bona fide.* Gury.

Monitum. Si milites belli aut exercitii causa aliquam parœciam petant, parochus antea præmunire debet populum, sine acrimonia tamen (1). Sed humaniter, blande et prudenter, ne quempiam offendat e suggestu; et maxime in confessionali moneat juvenes eorumque parentes ut caveant a familiaritate cum militibus; ne eis nimium fidant, etsi optimæ frugis appareant; ne in propria eos recipiant ad conversandum, ludendum, etc. Milites boni sunt, sed non omnes (2).

311. **Duces exercitus.** Duces tenentur sub gravi curare, ut milites præcepta Dei et Ecclesiæ (quoad potest) observent: sunt enim sub eorum cura; neque qua milites, desinunt esse christiani; et præcavere, ne populis scandalo sint vel damno (3). Qua de re peccant duces, tribuni, centuriones aliique officiales

(1) « Ei cercherà di cattivarsi l'amicizia dei militari colle sue finezze; li pregherà di non cagionar scandali nè tumulti, e ammoniscali paternamente. Usate buone maniere, se volete guadagnar qualche cosa; cercate massimamente di vivere in armonia coll'ufficiale, nulla omettete per cattivarvelo; se riescite, le cose andranno meglio. Se lo ammettete in casa, vegliate con maggior attenzione sulla sorella, nipote o serva. » *Metodo per la direzione delle anime* (Scavini, *l.* IV, *n.* 274).

(2) Aliquando obligantur cives ad milites hospitio gratis recipiendos. A lege inter cæteros eximuntur ab hac obligatione episcopi, parochi, instituta ecclesiastica et publica, nisi agatur de tempore belli, vel alia necessitate urgente; ecclesiæ autem occupari nequeunt, nisi in extremis (*Scavini*, l. II, n. 946; l. IV, n. 274).

(3) V. Scavini, l. IV, app. 39 *de bello, militia, militaribus vexillis, de clerico milite; et arbitratu internationali.* Hinc præstat audire Diarium *La voce della verità*, 1876 n. 182: « Lo Stato che esige dal cittadino il sacrifizio della vita pel

et tenentur ad restitutionem, si stipendium militibus debitum subtrahant permittentes, ut isti ab innocentibus extorqueant. Item si pauciores habeant milites, quam exhibent in stipendiorum solutione. Huc veniunt etiam pabulatores *(Fornitori)*, qui annonam vitiosam subministrant, vel de ea bis et ter per fraudem pretium exigunt *(S. Alph.*, l. III, n. 407).

312. **Desertores.** Peccant, et tenentur sub gravi ad castra redire ex obedientia. Imo extranei, qui a principe stipendio conducti sunt, ad id tenentur etiam ex justitia; nisi bellum sit certo injustum, vel si media necessaria ad vitam ei non suppeditentur, vel si redeundo gravissimis pœnis essent plectendi; nemo enim videtur ultro teneri iisdem se subjicere.

Si bellum sit certo injustum (quod tamen in praxi non ita facile judicari potest), quam citius sub gravi est deserendum, ne cooperetur malo gravissimo; nam tot vitas obtruncat. *Interim tamen,* ait Sporer, *quandiu milites ex bello sine gravi incommodo et periculo recedere nequeunt... excusantur quidem a culpa, et præstare tenentur quæ juste præstari possunt, ut vigilias servare, stationem tenere, fodere, etc. Abstinere autem debent, quantum sine periculo æquali possunt, ab omni injusto damno ex injustitia belli proveniente, v. g. occisione, incendio, spoliatione, explodendo in aera; ita nimirum, ut totam partem defensivam sui principis teneant, non autem offensivam.* Cæterum etsi belli injustitia sit manifesta; attamen in praxi raro præstat milites in bona fide positos de illa monere.

313. **Conscripti.** Qui ut a militia se subtrahant, pecunia, seductione magistratus vel medicos corrumpunt, graviter peccant; cum illos positive inducant ad proprii officii infractionem (nisi ipsi sint in jure se eximendi; et pecuniam tribuant, ut sibi fiat jus) — Qui vero ut inhabiles evadant, enormiter et sine proportionato fine in se sæviunt, præsertim se mutilando, peccant contra caritatem ergo se ipsos, non tamen videntur teneri

pubblico bene, ha pure il dovere di soddisfare ai suoi bisogni; e come soddisfa al bisogno del vitto e del vestito, poichè *non de solo pane vivit homo*, deve pur soddisfare ai bisogni dell'anima. E come nelle città provvede al culto per tutti i cittadini, così nel campo deve provvedervi per il soldato. Dovrebbero pure aver imparato cotesti liberali, che il soldato irreligioso ed immorale non è buon soldato, che la religione è il vincolo più potente della società, e quindi ancora pel buon ordine negli eserciti.

» E perchè mai accanto a quegli angeli di carità, che curano le ferite nelle battaglie, non potrà stare il cappellano che infonda sentimenti di pazienza e di annegazione a sopportare tranquillamente i dolori ed anco la morte? È una vera tirannia togliere, nei momenti più paurosi e terribili, i conforti della religione al ferito ed al moribondo. »

ad restitutionem; quia non ideo efficaciter influunt in alios vocandos, prout alii contra alios docent.

Quidquid sit, in praxi non præstat illico monere juvenes neque de peccato si adest, neque de restitutione; tum quia hodie cum omnes militare cogantur, non unus pro alio vocatur; tum quia generatim putant id sibi licere, et raro moniti obtemperarent; relinquendi ergo sunt in illorum bona fide. *Gousset, Lyonnet, Gury.*

314. **Suicidium**. Absque divina auctoritate nefas est se directe interficere. Id repugnat (ut notat Angelicus, 2, 2, *q.* 64, *a.* 5) caritati erga se ipsum, quem crudeliter vita obtruncat; est impia in Deum rebellio, qui solus est absolutus dominus vitæ humanæ; est immane scelus in societatem, quæ injuste privatur sua parte, seu cive (1). Et prohibetur generali præcepto: *Non occides. Neque enim,* ait Augustinus, *qui se occidit, aliud quam hominem occidit;* et Rituale suicidas ecclesiastica sepultura privat ex dictis t. I, n. 539 (v. *s. Alph.*, l. III, nn. 366, 375) (2).

(1) V. *Scavini*, l. II, n. 762. Suicidium oritur ex animo vitiis depravato, ambitione, avaritia, immoderatis lusibus et præsertim ex turpi amore. Hodie horrendum in modum crevit; ita est, ex quo exulat vera religio, hæc immanis sævities locum occupat. Hinc in Anglia, ut notat Signoriellus, post abjuratam religionem catholicam suicidia frequentissima sunt, dum antea rarissima erant. Non autem animi fortitudinem; imo potius imbecillitatem mentis suicidium testatur. Hinc poeta:

« Rebus in angustis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille agit qui miser esse potest. »

« Che il suicidio sia un atto di singolare coraggio, è prova novella di quanto abusiamo delle cose e dei nomi. Il nodo della questione è tutto nel significato che si attribuisce alla parola *coraggio*. Una certa misura di energia si richiede certo anche per annientare la propria esistenza; ma è l'energia della disperazione, è l'esaltamento momentaneo d'un uomo senza più speranza nè fede. La vera fortezza e il vero coraggio invece padroneggiano sempre sè stessi. » *Alfani* — « È proprio della viltà, non del valore andare a nascondersi in una fossa, sotto una lapide, per evitare i colpi della sventura. La virtù non muta strada nè passo per quanto sia fiera la tempesta che minaccia d'imperversare. » *Montaigne* — « Il suicidio... si chiami una mancanza di coraggio; una prova di esso non mai. » *Napoleone I.*

« Donde oggigiorno tanti e sì frequenti suicidi, eziandio nei giovinetti e nel sesso timido, metti a forti propositi? Nel gabinetto del giovine, della vergine, della sposa che attentarono a' proprj giorni, più d'una volta si rinvenne il sicario: *Il romanzo.* Ugo Foscolo intrattenevasi un dì con un certo suo amico celebre letterato a Milano; ed ecco ad un tratto entrare un fanciullone lungo lungo, il quale con occhi stralunati, con pallido viso, con diffusa capellatura, precipita nella stanza, e, *O Foscolo!* esclama, *lascia che pria d'uccidermi io baci la mano di quel sommo che ha vergate* Le lettere di Jacopo Ortis, *le quali indussero l'animo mio a finire con una pistola le orrende sue sventure; oh Foscolo! o santo petto!* » — « *Oh pazzo, oh bestia* (gridò il Foscolo sghignazzando); *oh bestia da catena!* E continuando con simili ragionamenti a beffarsi di lui, per tal modo gli levò al tutto il ruzzo dal capo di volersi ammazzare: e così finì la commedia. » *Miotti.*

(2) Ut quis habeatur suicidii reus constare debet evidentissime: 1) Quod ipse se occiderit, unde si quis veneno interierit vel laqueo suspensus inveniatur, in dubio tenendum est, ab alio fuisse interemptum — 2) Quod se occiderit compos sui; sed hoc præsumendum in dubio, nisi contrarium videatur probabile, v. g. si mane confessus fuerit, si nimiæ tristitiæ se dederit. *Pirinch, Croix,* etc.

315. **Mutilatio sui.** Non licet se ipsum mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium (idque etiamsi fiat ad tuendam castitatem); solus enim Deus est vitæ humanæ dominus absolutus; homo vero non habet, nisi illius convenientem usum.

Dictum est: 1) *Nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium;* cum enim pars ordinetur ad totum, poterit membrum resecari, quando aliter toti corpori subveniri nequit. Hinc licet probabilius sibi abscindere manum catena ligatam ad fugiendum incendium — 2) *Etiamsi fiat ad tuendam castitatem;* ut enim ait d. Thomas, *saluti spirituali semper potest aliter subveniri; et ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcunque peccatum vitandum* (2, 2, *q.* 65).

Ex quo patet quid sentiendum de puerorum eviratione ad vocem conservandam, licet consentiant parentes et pueri, et absit periculum mortis. Id non pauci permittunt ex consuetudine, et bono quod pueris obvenit; *sed vicit apud plerosque* (ait Benedictus XIV, *De Syn.,* l. II, c. 7), *et facta est communior opinio negans.* Et est probabilior; nam conservatio vocis non est bonum tanti momenti, ut liceat quod tantopere natura reprobat. *(S. Alph.,* l. III, n. 374).

316. **Media ad vitam servandam.** Homo ad vitam servandam tenetur uti mediis ordinariis; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media quæ sunt facilia. Sed non tenetur ad extraordinaria, nempe quoties remedium durissimum est; vel pudori valde repugnans; cum id sit extra communes vires, quo in casu in communi æstimatione esset mortem justa de causa tantummodo permittere. Excipe, nisi ejus vita bono communi sit maxime utilis (1).

Hinc non tenetur quis abscissione cruris, vel alia operatione dolores nimis atroces afferente, vitam sibi servare. Item puella morbo in verendis laborans, non tenetur admittere chirurgi inspectionem, quamvis licite possit; quia plerunque ab hoc abhorrent fœminæ non minus quam a morte *(S. Alph.,* l. III, n. 372).

(1) An necessaria ad vitæ conservationem remedia negligere dicendi sint qui sola forsan ostentationis gratia periculosa cacumina montium superant per voragines transilientes; qui nimis fidenter in locis difficillimis venantur, herbas colligunt, ligna vel frondes cædunt, arbores pertica concutiunt atque flagellant, non ita facile est definire; usus enim, indoles, cautela ac cætera hujusmodi efficere possunt, ut pro ipsis nullum periculum sit, aut nonnisi remotum. Item dicendum de excursoribus, areonautis ac circulatoribus, qui miros saltus ac difficillima tentamina agunt. Item est tum de illis qui, validis ventis insufflantibus, aquis se committunt audacter: tum de illis qui desuper tenso fune, de pinnaculo ad infimum, de infimo ad summum ambulant, jocando, etc. *(Scavini,* l. II, n. 674).

317. Vigiliæ autem, macerationes aliæque pœnæ, quibus indulgere solent christianæ perfectioni studiosi, licitæ sunt, si exerceantur consilio prudentis confessarii, ad corpus in servitutem animæ redigendum, quamvis per aliquot annos vita brevior efficiatur. Et sane si licet fabrisferrariis ad lucrum vitam sibi minuere laborando quotidie prope ignem, a quo non potest non notabiliter consummari humidum illud naturale, quo tam indiget vita hominis; si licet studiosis sanitatem sibi labefactare ad scientias addiscendas, cur non licebit religiosæ perfectionis amatoribus austeritates corporales moderate amplecti, ut ribellem carnem in servitutem redigere valeant, id est ob bonum animæ? Aliud profecto est procurare directe vitæ imminutionem et aliud illam permittere ob justam causam (v. d. Thomas, 2, 2, *q.* 88, *a.* 2; *q.* 147 et *q.* 188, *a.* 6; *S. Alph.*, l. III, n. 371; et *Scavini*, l. II, nn. 763 etc. ubi plura ad praxim).

318. **Duellum**. Duellum singulare certamen armis lethalibus ex mutuo consensu susceptum, communiter definitur: *Pugna inter duos vel paucos ex condicto inita, designatis loco et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.*

Dicitur: *Ex condicto inita,* id est ex conventione prius facta pugnandi: et ideo additur *designatis loco et tempore,* sicque a rixa distinguitur, quæ non supponit pactum præcedens. *Cum periculo occisionis,* etc.; quia pugnæ quæ fiunt pugnis, avulsione crinium et similibus, possunt esse gravia peccata, sed non dicuntur proprie duella. Habetur autem duellum, etsi indictum sit eo pacto, ut pugna cesset *cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit,* ex Const. *Illius* Clementis VIII, 1592.

Duellum aliud fit auctoritate publica ex supremi principis delegatione ob publicam causam; aliud fit auctoritate privatorum. Duellum privatum dividitur in solemne, et simplex seu clandestinum. *Solemne* fit speciali forma, v. g. missis chartis provocatoriis, invitatis spectatoribus, assumptis testibus, quos profanato nomine *patrinos* vocant. *Simplex* vero duellum fit sine dictis solemnitatibus.

319. *Principia.* Duellum initum auctoritate publica, quale fuit illud Davidis cum gigante Golia, licitum est; imo desiderandum, quia paucorum cæde finitur bellum. At duellum privatum sive solemne sive simplex, est intrinsece malum et mortale: tum quia fundatur in erroneo conceptu honoris, qui cum sit bonum a virtute proveniens, per medium adeo violentum reparari ne-

quit, quodque per se malum est; tum quia repugnat rectæ rationi velle privatim dirimere quæstionem juris per vim physicam atque fortuitam: tum quia absque rationabili motivo societatem privat pluribus membris; tum quia privata auctoritate se exponere periculo hominem occidendi aut vulnerandi est usurpare jus, quod solius Dei est, et illius qui Dei vices gerit. Hinc Tridentinum dicit *detestabilem duellorum usum fabricante diabolo inductum* (sess. XXV, c. 19 *de Ref.*). V. Scavini, *l.* II, *n.* 767. Signoriellus, *Philosophia moralis,* p. 2ª (1).

Resolve: 1) *Vir equestris ad duellum provocatus non potest illud offerre vel acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat:* propositio contraria damnata est ab Alexandro VII. Quod valet ex Benedicto XIV, licet aliunde *officio et sustentatione privaretur;* licet *certo sciat pugnam non esse secuturam,* utpote ab alio impediendam; imo licet faciat *ad conservandas cum honore fortunas,* seu temporalia bona.

2) Si duellum suscipiatur ad veritatem indagandam, ad innocentiam detegendam, indueret etiam malitiam superstitionis; cum nulla sit proportio mediorum ad finem.

3) Non licet neque auctoritate publica duellum suscipere ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hunc finem ordinatum. Dicunt autem alii contra alios, licere duellum suscipere ex præscripto judicis a duobus ad mortem damnatis, ut inde victor liberetur; nam alter alterius esset constitutus minister justitiæ *(S. Alphonsus,* l. III, n. 400; *Scavini,* l. II, n. 767).

4) Licet pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, nisi pugna acceptetur; nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi.

5) Qui alterum occidit in duello, probabilius ad nihil tenetur quoad restitutionem sive occumbat provocans sive provocatus; licet enim peccaverit contra caritatem provocando, non tamen peccavit contra justitiam pugnando (nisi illum induxerit vi aut gravibus minis, sicque quasi coegerit). Nam statim ac constat provocatum libere acceptasse duellum, uterque ad invicem sibi facultatem facit: at *volenti*

(1) « Temistocle, allorchè Alcibiade nell'impeto dell'ira minacciò di percuoterlo, non lo sfidò; ma invece con pacata risolutezza, *Batti,* disse, *ma ascolta.* Ed avea ragione, chè l'onore non si difende nè colla spada nè collo scudo; non si acquista con una sfida... ma si acquista, si conserva e si difende colla virtù.... Cessino certe donne da permettere che la loro mano sia stretta da mano omicida; rifiutino di accogliere galanti duellatori nelle loro conversazioni; la femminella a cui venga richiesta la mano di sposa da un giovane che abbia duellato, rifiuti di acconsentire; basta si faccia questo per poco tempo fra noi, e la piaga in bonissima parte si rimarginerà.... » Alfani, *Il carattere degli Italiani;* Firenze, 1878.

« L'empietà stessa non ha forse elevata la voce per diffamare questo barbaro giudizio? *Guardatevi bene,* dice Rousseau, *dal confondere il sacro nome dell'onore con quel feroce pregiudizio, che ripone ogni virtù sulla punta della spada, e non giova che a produrre dei bravi scellerati.* Ma inoltre, in che consiste questo orribile pregiudizio? Nell'opinione la più stravagante e la più barbara che sia entrata nella mente umana, che cioè, tutti i doveri della società sono rappresentati dalla bravura; che un uomo cessa di essere ingannatore, birbante, calunniatore, e diviene civile, umano, delicato, quando sa ben battersi. » *Gaume* (vide Scavini, *l.* II, *num.* 767).

non fit injuria, ut ipsi debeatur restitui. Attamen, notat Lugo, etsi sic agendo possit renuntiare ac renuntiet juri ad restitutionem sibi debitam pro damnis quæ ipsi consequuntur, non ideo potest remittere compensationem damnorum, quæ aliis ex tali occisione obveniunt, cum provocationi non consentiant, puta si occisus teneatur alicui alimenta ministrare *(S. Alph.,* l. III, n. 638). Quoad pœnas in duellantes vide dicta *t.* I, *n.* 598.

320. **Abortus.** Definitur *præmatura ejectio fœtus* (id est nondum ad vitalem nativitatem apti) *ex utero matris.* Quando vero fœtus incipiat anima donari, vulgo recepta fuit opinio Aristotelis pronuntiantis corpus viri quadragesimo, fœminæ vero octogesimo die a conceptu suo esse omnibus partibus absolutum, et anima informari. Ut aliquid certi habeatur, juxta hanc sententiam, judicium est ferendum si agatur de pœnis (de quibus *t.* I, *n.* 621); cum hæc sit praxis S. Pœnitentiariæ quoad illarum absolutionem. Sed quoad cætera aliud resolvendum est, cum moderni physici pro certo habent, nulla habita sexus distinctione, animam a Deo infundi statim ac fœtus pervenit ad figuram humanam, quod accidit ab initio conceptionis, vel saltem post paucos dies ab ipsa fœcundatione *(S. Alph.,* l. VI, n. 124; *Scarini,* l. II, n. 886 et l. IV, n. 295).

Dicendum est (ait d. Thomas, 1, p. q. 118 a. 2), *quod anima intellectualis creatur a Deo in fine generationis humanæ, quæ simul est sensitiva et nutritiva.* Id est cum corpus ad debitum organismum corporis humani perductum fuerit; et tunc Deus animam creat et infundit et quatenus est sensitiva et quatenus intellectiva; nam unum est esse animæ, cum sit omnino simplex; unde oportet, ut simultaneo sit quoad utrumque ejus derivatio (It. *Contra gent.,* l. II, c. 90) vide *Sanseverinus, Liberatore.*

Principia. Quicumque malitiose in se vel in altero abortum procurat, graviter peccat, sive fœtus animatus sit sive non. Etenim in primo casu est verum homicidium, in secundo tendit in homicidium; cum proxime impediat vitam hominis. Quod nulla ratione ideo excusari potest: hinc Innocentius XI damnavit propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur;* non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Hoc tamen intelligendum: 1) De vero fœtu; nam si sit corruptus, licet illum expellere, quia potius est massa putrida. 2) De fœtu, qui jam sit in uteri possessione. Ex quo resolvitur, quod mulier oppressa poterit se vertere, coitum interrumpere, semen prohibere ne immitatur; cum tunc per accidens ex viri malitia effundatur. Non tamen poterit expellere, si jam illud receperit; quia tunc esset in pacifica

possessione. 3) Si agatur de directa veri fœtus ejectione; fœtus enim indirecte necari potest ac directe. *Indirecte*, cum aliquid fit quod ad matrem primario curandum valet, etsi quasi per consequens fœtum extinguat, ut scissio venæ, balneum, etc. *Directe*, ut est fœtum forcipibus extrahere vel in utero ipsum extinguere.

I. Indirecta actione fœtum etsi animatum explodi posse, certum est, et ideo licere remedia præbere prægnanti directe ad eam curandam, etiam cum periculo abortus (cum periculoso morbo laborat; nam remedia periculosa nonnisi in extremis tentanda sunt); tunc enim per accidens et citra intentionem abortus evenit *(S. Alph*, l. III, n. 394).

II. Directe fœtum interimere ad salvandam matrem plures gravissimi auctores cum s. Antonino contra alios probabiliter permittunt, si fœtus animatus non sit, quia impediendo animationem nullus necatur; et bonum sequitur, quia salvatur mater a certa morte. Verum cum ex accuratioribus hodiernis peritorum observationibus fere ab initio conceptionis fœtum animari receptum sit, vix admitti potest hypothesis de fœtu inanimato) — Attamen sunt qui id licitum putant etsi fœtus sit animatus; cum enim fœtus nullimode salvari possit, non ei fit injuria si medium eligatur, quod si paulisper accelerat ejus mortem, salvat tamen matrem, quæ alioquin esset certo cum ipso fœtu peritura: ex duobus malis unum impeditur. Hoc tamen accipe, si fœtus extinguatur post collatum baptisma; quod hodie ex novo instrumento dari posse in utero matris notum est: quo in *casu* (concludunt cum s. Alphonso, l. IV, n. 106) *potest negligi parva illa vitæ jactura.*

Sane in conflictu duorum jurium circa idem, si ambo salvari nequeunt, potius servandum est; hic porro potius est jus vitæ matris, jure fœtus. V. Apicella, *La craniotomia considerata in riguardo alla morale;* 2.ª ediz. Scafati, 1879. Viscosi, *L'embriotomia ne' suoi rapporti colla morale cattolica;* Napoli, 1879 (1).

321. In hac salebrosa quæstione alii pro praxi concludunt cum cl. Kerinck. Quærit: *Quid faciendum, dum sacerdos novit chirurgum in animo habere fœtum, forcipibus adhibitis, extrahere? vel in utero extinguere, pharmaco dato, ut matris servetur vita?* Respondet: quum utrinque periculum sit, puto haud oportere se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere; nil enim proderit, et in se mortis matris suscipiet odium. Plerisque quidem chirurgis videtur fœtus non possidere plenum jus ad vitam, donec utero egressus sit; eum scilicet veluti partem matris habent, quæ cum ipsius morte non est servanda; imo tanquam aggressorem in matris vitam, omnino tollendum censent. Quod si chirurgus quid liceat sibi petat, nescio quomodo vita fœtus tolli absque culpa queat *(vel etiam responderi poterit, rem esse sub judice, et in diversa auctores abire; ideo*

(1) At nescio quomodo probari valide possit, quod perforatio cranii infantis ut ipse intereat, non sit directa hominis occisio; nonne hæc occisio assumitur uti medium directum, ut per consequens salvetur mater? Sed directa hominis occisio licitane erit? S. Alphonsus vero non ait, quod tunc possit auferri fœtus vita (quod esset directe agere), sed quod potest negligi, id est non curari (et hoc est agere indirecte). Imo s. Doctor præ oculis habens illud d. Thomæ 3 p. q. 68, a. 11: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona,* concludit: *et ideo homo non debet occidere matrem, ut baptizet puerum;* ergo neque occidere puerum, ut salvetur mater. Quod si nequeat infans salvari, quin pereat mater, non ideo infans potest dici injustus matris aggressor; mater enim et filius propria vita vivunt, unus ab alia independenter; neque unus aliam aggreditur. Ideo si uterque perit, id evenit ex causis naturalibus absque nullius culpa. Ita sentiunt Ciarmadori, Eschbach, Kenrick, Vitazzi et theologi passim contra Avanzini, De Varceno, Apicella et Viscosi.

ipse videat; at ne negligat baptizare fœtum). Quod si mater petat, quid sibi faciendum, videtur oportere chirurgum orare, ut vitæ fœtus quoad potest consulat *(De Operatione cæsaria* vide n. 464) (1).

Art. 2. — De Vitæ, Pudicitiæ, Honoris et Bonorum aggressore.

322. **Aggressor vitæ.** Licitum est iniquum vitæ aggressorem occidere, vel etiam ad servandam corporis membrorum incolumitatem; attamen cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quisque enim jus habet conservandi propriam vitam et membra, eaque tuendi contra injustos invasores; *cum hoc sit cuilibet naturale* (ut ait Angelicus, 2, 2, q. 64, a. 7), *quod se conservet in esse, quantum potest; et plus tenetur homo vitæ suæ providere quam vitæ alienæ.* Hinc illud: *Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt.* Neque obstat quod tunc præferatur vita nostra temporalis æternæ vitæ invasoris, qui in eo statu occisus, damnabitur; nam non ipsi nos, sed ipse se invasor ex sui malitia conjicit in periculum damnationis; et ideo *utenti jure suo aliorum malitia obesse nec potest nec debet.*

323. Dixi: *Licitum est:* non enim tenetur quis aggressorem occidere; nam (si non agatur de eo, cujus vita sit omnino necessaria bono communi) actus virtutis est sui occisionem permittere, ne alter vita temporali simul et æterna privetur.

Dixi: *Iniquum aggressorem*; non enim licet reo se defendere contra ministros justitiæ, a quibus capitur vel ad supplicium trahitur. Neque enim datur jus juri oppositum.

Dixi: *Cum moderamine inculpatæ tutelæ*; ut scilicet in tuendis nostris juribus illud moderamen servemus, quod nequeat culpari. Nempe qui aggressionem patitur, non utatur majori violentia, quam sit necesse ad mortem vitandam; ideo si ab injusto aggressore liberare se queat clamando, fugiendo vel vulnerando tantum, non potest occidere; alioquin occideret injuste *(S. Alph.*, l. III, n. 380).

Resolve: 1) Si aggressor minando careat culpa, ut si esset in phrenesi, non tollitur jus se tuendi contra ipsum; quia utpote phreneticus, etsi non sit aggressor formaliter injustus, est tamen materialiter injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendo. Quod si certo

(1) *Dices:* Si filius in utero matris sit certo et brevi moriturus, æquum sane est et ratio suadet, ut parvam illam vitam prodigat, si hoc sit unicum remedium ad salvandam matrem suam; maxime si ipse per baptismum æternam salutem consequatur — R. *Esto quod eo in casu filius paratus esse debeat vitam suam dare pro vita matris; at nunquid ideo quis poterit in illam directe sævire, et ferro necare? Id unum semper redit: directa occisio, sine certa ac speciali Dei ordinatione, illicita est. Quanquam (notat cl. doctor Venturoli) non est ita certum, ut putatur, quod extinguendo fœtum, salvetur mater.*

scias eum in statu peccati lethalis versari (a quo post phrenesim vel ebrietatem possit resurgere), non videtur a te licite posse occidi; cum salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferre deberes, ut exigit ordo caritatis. Quanquam alii hoc adhuc concedunt nam vim vi repellere licet; et ego non tenear id quod ille intentat, pati, non magis quam si bestia aliena periculum intentaret.

2) Si fugere nequis mortem, prosequente hoste, nisi per viam angustam conterendo innocentem, licet tibi fugere cum illius periculo et interitu; quia actio ista per se directe, primario et ex intentione agentis non ordinatur ad occidendum innocentem, sed ad salvandam vitam propriam fugiendo per viam communem, ad quod habes jus (1). Secus neque liceret ad inimicos expugnandos incendere eorum urbem ubi multi sunt innocentes *(S. Alph.*, l. III, n. 393).

3) Per se licet etiam occidere aggressorem vitæ alterius nempe ratione caritatis, et hac de causa d. Thomas (2, 2, q. 60, a. 6) excusat Moysen, qui occidit Egyptium. Idque tenet etsi aggressus velit pati occidi: tunc non defenderes jus quod habet aggressus se tuendi, cui cessit; sed jus ad vitam, cui cedere nequit. Attamen privatus generatim loquendo ad id non tenetur; nam in tali occisione non potest evitari incommodum grave, v. g. timorem inimicitiarum aut publicæ justitiæ, vel horrorem qui concipitur fœdando manus nostras sanguine humano; porro caritas non obligat cum tanto incommodo: nisi invasus esset necessarius ad bonum publicum, vel sit pater, filius, uxor, frater, quos pietas obligat tueri *(S. Alph.*, l. III, n. 390).

324. **Invasor Pudicitiæ.** Si mulier aliter non potest ab invasore se liberare, an possit illum occidere, sunt qui negant; quia pudicitia quatenus virtus, cum in anima resideat, nemo eam formaliter potest auferre, nobis invitis. Materialis autem pudicitia non est tanti facienda, ut ideo liceat in invasorem tam acriter insurgere.

Verum communiter id licitum affirmant; nam mulier utitur jure suo, quo licet vim vi repellere; idque admittit etiam lex civilis. Ideo quamvis puella invasorem occidere non teneatur, sed passive se habere, quia castitas invite non amittitur; potest tamen, tum quia ipsa materialis corporis integritas maximum est bonum, ita ut quis mallet mori, quam vel solum materialiter violari; tum quia *periculum pudoris bonis fœminis morte est gravius* (2); tum denique, ne se mulier exponat periculo consentiendi peccato.

Neque dicas, quod potior est vita proximi, quam materialis nostri corporis integritas. Nam hoc semel indiscriminatim admisso, neque fas esset occidere invasorem vitæ nostræ; quia

(1) Excipiunt alii contra alios, si innocens ille esset infans non baptizatus; nam tunc, ajunt, caritas obligat ad præferendam æternam proximi salutem vitæ nostræ temporali (v. dicta de caritate t. I, n. 899). *Lugo.*

(2) S. Ambrosius, l. III *De Officiis.* Imo licet etiam interficere invasorem *pudicitiæ alienæ;* si aliter defendi nequeat *(S. Alph.*, l. III, n, 386).

invasor occisus amittit etiam vitam æternam, quæ est potior vita nostra temporali.

325. **Honoris invasor.** Non licet injustum honoris invasorem occidere aut mutilare, si dehonoratio verbis tantum fiat, ut si viro honorato contumeliose dicatur *mentiris;* aliter enim repelli injuria potest et solet, nempe verbis potest responderi verbis. Neque etiam licet, si honor factis lædatur, sed facta jam consumata sunt; tunc enim esset vindicta, non defensio. Huc spectat propositio ab Innocentio XI damnata: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc calumnia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.*

Si vero res de illo sit, qui factis honorem hic et nunc lædere conatur, viro honorato licebit omni modo injuriam propulsare. Neque illi imponi posset obligatio passive se habendi, dum alter in contemptum conatur, v. g. impingere alapam, aut vestes conspurcare; sed poterit vi injuriam repellere. Et si pervicax aggressor repulsus arma arripiat, fas erit alteri armis arma opponere. Ita plurimi cum s. Antonino contra plures *(S. Alph.,* l. III, nn. 381, 391).

Attamen, valde rarus est casus, imo potius hypotheticus, quo id liceat, si de solo honore agatur; nisi forsan cum Principe res sit. Neque enim apud cordatos vera æstimatio læditur; aliunde facile honor ordine justi judicii recuperari potest.

326. **Invasor bonorum.** Multi negant posse occidi invasorem bonorum fortunæ; cum nulla sit proportio inter rem, quæ defenditur et vitam invasoris. Verum si bona fortunæ sint magni momenti, et jam nostra sint, neque alia via defendi possint, licitum est in sententia probabilissima et communi, invasori omni modo resistere et vim vi repellere etiam usque ad latronis necem. Idque docent freti auctoritate sanctorum Thomæ, Antonini et Raymundi (1). Ratio generalis et decretoria est, quod præceptum caritatis (quod unice movet adver-

(1) Exodi XXII legitur: *Si effringens fur domum vel suffodiens inventus fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Ex quo textu s. Thomas (2, 2, q. 64, a. 7) infert: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam quam propriam domum;* supponit ergo textum in sensu d. Thomæ permittere occidi invasorem bonorum. Hac de re fusius s. Alphonsus, l. III, n. 383, et Salmanticenses, *de* V *præcepto Decalogi.*

Hæc opinio, ait Gousset, mihi probabilior videtur quam altera; prætermissis enim cæteris rationibus, latronibus adderetur audacia ad magna crimina, si honestis hominibus imponeretur obligatio perferendæ rapinæ, quoties iniquis placeat vitam vel crumenam expetere. Nec lex civilis pœnam decernit *(Cod. pœn.* a. 560).

sarios) tunc tantum obligat præferre bona proximi altioris ordinis, quando proximus est in extrema necessitate; non vero quando ipse ex malitia sua periculo mortis occurrit (1).

Neque facessit, quod persona hominis superet omnem æstimationem pecuniæ. Nonne vita animæ superat omne æstimationem vitæ corporis? Attamen licet vitam æternam injusto aggressori adimere etiam in adversariorum sententia pro nobis servanda vita corporis. Quare? quia non necessitate, sed voluntate aggressor in illud discrimen se committit: unde per ipsum tantummodo stat si velit perire.

Dictum est: *Si bona fortunæ sint magni momenti;* etenim non expedit *pro conservandis vilibus et transitoriis rebus* (agebatur de conservanda veste) *tam acriter in alios excandescere;* sunt verba juris canonici. Generatim loquendo bona illa censentur magni momenti, quibus ablatis, deficeret alicui sustentatio pro se et suis. Juxta alios sufficit bonorum jactura, quæ notabile damnum affert juxta ipsam qualitatem et statum personæ, quæ damnificatur. Hinc non liceret invasori resistere usque ad ejus necem, horologium aut baculum tibi auferre volenti.

327. Nota tres propositiones sub Innocentio XI proscriptas: 1ª *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei* — 2ª *Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus* — 3ª *Licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam contra earum possessionem injuste impedientem* (S. Alph., *l.* III, *n.* 383).

Art. 3. — De restitutione propter Stuprum et Adulterium.

328. **Stuprum.** Stuprum, si proprie sumatur, est *illicita defloratio virginis invitæ:* attamen quoad obligationes inde evenientes stuprum dicitur sive virgo consentiat sive non.

Lege autem civili *(Cod. pœn.)* stuprum accipitur pro concubitu violento cum persona alterius sexus; et violentia semper supponitur, si persona stuprata nondum compleverit annum duodecimum, vel non fuerit compos sui (v. t. I, n. 465).

(1) Quamvis autem illicitum sit occidere post factum jam consummatum injustum invasorem bonorum, quia esset tunc vindicta, non defensio; licet tamen occidere furem cum re magni momenti aufugientem, si alio modo res omnino recuperari nequeat, neque via judicii; quia in effectu perdurat aggressio. *Gury.*

329. **Defloratoris virginis absque matrimonii promissione.** Vel virgo deflorationi consensit vel non.

I. Si consensit in conscientia non tenetur stuprator erga puellam; nam *volenti et consentienti non fit injuria;* etsi aliquando in foro externo cogatur puellam dotare, nam præsumitur seducta. Item communissime negant teneri stupratorem ad aliquid tribuendum parentibus, si ob stuprum debeant augere dotem ut puella possit nubere; etenim ipsa puella se conjecit libere in tale discrimen, et mulier est domina sui corporis, non parentes; et in potestate ipsius est non nubere, vel deterius nubere. Sed excipe:

1) Si stuprator facinus propalando puellam infamaverit; tunc iniqua manifestatio esset efficax causa damnorum. 2) Si stuprator sit valde dives et puella pauper: tunc aliquam ad minus partem dotis eidem tradere debebit, etsi non promiserit; quia censetur puella sub hac spe deflorationi consensisse. 3) Si judex defloratorem ad aliquid condemnaverit ob injuriam parentibus illatam; superiori enim est obtemperandum *(S. Alph.,* l. III, n. 641).

II. Si puella verbis dissentiat deflorationi, sed stuprator adhibuerit preces repetitas et importunas, vel dona et similia ad illam seducendam et seducat, communissime dicunt, ad nihil teneri; preces enim, dona et similia non tollunt quod virgo præbeat consensum satis voluntarium; nisi preces vel dona illa talia sint, ut non facile potuerit puella molestias illas excutere.

Si vero stuprator virginem dissentientem seduxerit vi, minis, metu, fraudibus, et crimen manifestum est, tenetur tam puellæ, quam parentibus reparare damna honoris et fortunæ; cum eorum sit causa injusta et efficax. Hinc ob dehonorationem debebit veniam petere a parentibus (nisi illam non curent); puellæ vero dotem augere ita, ut bene nubere valeat perinde, ac si minime violata fuisset. Non tamen tenetur illam sibi ducere in uxorem, cum id non promiserit; nisi forte damnun aliter reparari nequeat, vel nisi adsit sententia judicis.

Si tamen crimen sit occultum et puella æque nubat, ad nihil tenetur seductor: non enim ad id tenetur pro violatione *virginitatis,* quæ probabilius non est pecunia commensurabilis. Non pro *damno,* quia nullum adest. Non pro periculo *nuptias non inveniendi,* quia inventæ sunt. Non pro *injuria parentum,* quia deflorationem ignorant *(S. Alph.,* l. III, n. 642).

330. **Deflorator virginis matrimonium promittens.** Sententia communis et tenenda cum d. Thoma *(Suppl.* q. 46) docet, quod cum promissio matrimonii adest, deflorator tenetur, generatim loquendo, puellam seductam ducere, non solum si promissio est vera, sed etiam si ficta: tum quia aliter nequit damnum adæquate reficere; tum quia in contractibus innominatis *do ut des, facio ut facias,* quando unus suam partem onerosam implevit, tenetur et alter ex justitia implere suam. Idque declaravit S. Concilii Congregatio 29 nov. 1862.

Dixi *generatim loquendo;* sunt enim casus, in quibus stuprator a servanda promissione excusatur, nempe: 1) Si stuprator *aliam jam duxerit,* uti ait Angelicus; *tunc sufficit ei si de nuptiis provideat* — 2) Si fœmina ex verbis aliisque conjecturis facile cognoscere poterat promittentis deceptionem: in hoc enim casu ipsa censetur libere consensisse. Uti si stuprator nobilitate vel divitiis valde superet conditionem mulieris quæ disparitatem non ignoraverit — 3) Si vir fœminam cognoverit existimans esse virginem, sed illam corruptam invenerit — 4) Si, ut patet, stuprator exhibeat consensum ad matrimonium quod promisit, sed puella renuat; tunc per ipsum non stat, quominus matrimonium contrahatur. Quod si puella non recuset, sed contradicant parentes, in veriori sententia tenetur stuprator ad damnum reparandum; nam matrimonium principaliter ad damni compensationem promisit. Et licet per ipsum non stet quominus nubat, sed neque id stat per puellam *(S. Alph.,* l. III, n. 642).

331. Si virginis seductor vera aut falsa matrimonii promissione, voto castitatis aut ingrediendæ Religionis sit ligatus, certum est ipsum teneri ad conjugium, si votum emisit post promissionem; nam votum illud nullius est ponderis, utpote emissum in damnum puellæ deceptæ. Imo in longe probabiliori sententia adhuc tenetur, etsi voverit ante promissionem; quia damnum deflorationis per se adæquate non reparatur, nisi per conjugium. Nec obstat votum; nam debita onerosa sunt communiter præferenda gratuitis; et ideo petenda est voti dispensatio (1). Hinc si quis voverit dare bona sua Ecclesiæ, et postea damnum alicui inferat, prius tenetur resarcire damnum et postea implere votum.

(1) Sunt qui censent dispensationem tunc non esse necessariam; verum consulendum ut ipsa petatur, quia esto etiam quod deflorator possit matrimonium inire et dein debitum reddere; istud tamen petere nequit, nisi prævia dispensatione; nec insuper aliam uxorem ducere, prima mortua.

Imo Lugo certe et longe probabilius id censet valere, etsi virgo violata fuerit conscia voti; quia cum post copulam facile posset obtineri voti dispensatio, potuit fœmina intelligere, sibi promitti dispensationis procurationem. Quam si obtinere nequeat, tenetur compensare damna *(S. Alph.,* l. III, n. 648).

332. Violans virginem, quam scit sibi esse consanguinitate vel affinitate conjunctam, sub matrimonii promissione (etiam ficta, si mulier non potuisset fictionem animadvertere), tenetur dispensationem impetrare ad pacta servanda et damna resarcienda, quamvis, ut verius puto, nulla sit facta mentio dispensationis impetrandæ. Id enim subintelligitur; prout si religiosus promittat se aliquid daturum, subintelligitur: *De licentia Prælati.* Si tamen stuprator inculpabiliter non advertisset ad impedimentum, et pro dispensatione opus esset magna difficultate aut sumptu, tunc satis est, si damna reficiat *(S. Alph.,* l. III, n. 650).

333. **Proles ex stupro.** Si proles enascatur, magis urget gravis obligatio matrimonium celebrandi ad illam legitimandam atque sustinendam.

Quod si nuptiæ locum habere nequeunt, et agatur de stupro violento, jure naturæ sub gravi stuprator tenetur ad omnes *ventris expensas,* ut vocant, nempe ad prolis alimoniam, quamdiu hæc victum sibi per se valeat comparare; cum solus fuerit causa damni. Attamen in ejus defectu tenetur mater, etsi culpam non admiserit; nam mater est: sed habet regressum in stupratorem, qui omnes expensas ei refundere tenetur.

Si vero agatur de stupro voluntario, cum uterque in culpa sit, seductor et puella tenentur in conscientia æqualiter et in solidum ex officio naturæ prolem sustinere et educare quousque sibi sufficiat — Jure autem civili, si filius legitimetur, legitimorum jura acquirit. Si non legitimetur, sed legaliter recognoscatur, est alendus et educandus. Quod si recognosci prohibeatur a lege, jus tantum habet ad alimenta, si certo colligi possit quis pater vel mater illius sit *(a.* 186, 193) (1).

(1) *Monitum.* Identidem parochus publice in catechesi et concione, et privatim in confessionali gravibus verbis puellas hortari debet (monendo item parentes ut sedulo invigilent) ne familiariter utantur cum juvenibus, neque fidant eorum promissis, qui semel ac eis rapuerint honestatem, honorem et animam, ipsas miserrime despiciunt ac derelinquunt, experientia teste. Alia apud Scavini, l. II, n. 772.

Quod si aliqua puella jam seducta sit, ad publicum scandalum amovendum curet animarum pastor, ut quam citius potest, matrimonium contrahatur; seductio enim fere semper evenit sub vera vel ficta matrimonii promissione.

334. **Adulteri obligationes.** En variæ resolutiones: I. *Si proles ex adulterio non est nata,* nulla ex hoc capite obligatio restitutionis. Imo si crimen marito occultum sit, adulteri ad nihil tenentur ergo eundem; cum non teneantur se infamare. Quod si ei innotuerit, debent personalem injuriam compensare per veniæ petitionem, signa doloris, etc., nisi maritus hæc non curet, prout ordinarie.

II. *Si proles ex adulterio nata est,* et uxor vi, minis aut dolo ad adulterium fuit inducta, damna omnia reparare tenetur adulter, utpote qui solus est eorum causa efficax. Nempe tenetur restituere filiis legitimis tam hæreditatem suæ proli relictam, quam alimenta huic exhibita, et expensas pro ejus educatione procuratas, etc. Quæ restitutio fieri potest occulte per confessarium vel aliam personam fidelem — Si vero uxor libere adulterio consenserit, et ipsa tenetur in solidum ad alendam adulterinam prolem quousque valeat sibi per se providere. Et quoad damna tam marito quam filiis legitimis obvenientia ex introductione prolis illegitimæ in familiam, si adultera uxor nequeat damnum familiæ alia ratione compensare absque gravi dispendio famæ vel rixarum periculo, debet aliis industriis uti, diligentius curare rem familiarem, cultum sui corporis minuere, adulterinum filium inducere, ut Religionem ingrediatur, si sit ad illam idoneus; et si bona propria habeat, plus legitimis quam spurio tribuere per donationes manuales, per contractum, legata, testamentum, etc. (1).

III. *Si dubitetur an nata proles, nata sit ex adulterio* (puta, quia tempus partus correspondet etiam tempori adulterii; vel quia maritus antea filios ex uxore non genuerat), communis sententia cum Concina adulterum liberat ab omni restitutionis obligatione; quia, stante tali dubio, possidet matrimonium, et filius semper reputatur legitimus, donec constet oppositum. Neque rarum est, ut qui steriles videbantur, filios insperato obtineant *(S. Alph.,* l. III, n. 651) (2).

(1) Si adulter non induxit mulierem, ut retineret filium adulterinum tanquam filium legitimum in domo viri, sed negative se habuit, est longe probabilius, quod adhuc adulter tenetur de damnis; nam filium procreando fuit causa proxima et directa damnorum *(S. Alph.,* l. III, n. 659).

(2) Fœtus editur nono plerunque mense, ex quo conceptus; interdum septimo ineunte; nonnunquam decimo completo. Itaque in foro externo qui vel post septimum ab inito, vel ante decimum mensem a soluto matrimonio nascitur, huic pater est quem nuptiæ demonstrant. Lege enim civili filius præsumitur conceptus durante matrimonio, si non nascatur ante diem 180 ab eo inito, vel post diem 300 ab eo matrimonio soluto. Natus ante vel serius non habetur legitimus, nisi vir duxerit sciens uxorem prægnantem, vel natum illico non repudiavit, vel natus non sit vitalis *(a.* 160, etc.).

IV. *Si proles sit certo illegitima, sed incertum sit ex duobus adulteris quis auctor fuerit,* tunc alii communius et absolute obligant utrumque adulterum ad restituendum pro rata, quia eo in casu damnum est certum, et constat illud ab alterutro patratum esse; uterque igitur est causa incertitudinis, quæ impedit ne compensatio ab uno determinato exigi possit. Verum alii probabilius id tantum admittunt, si duo illi adulteri ex communi consilio adulterium patraverint; vel si posterior sciat adulterium jam factum ab altero, advertens ad dubium quod ideo ex suo adulterio potest exurgere. Tunc enim ipse esset causa voluntaria incertitudinis prolis; ideo vera et culpabilis causa, ne a primo possit exigi compensatio (1).

335. Adultera, generatim loquendo, non tenetur se prodere, quamvis alio modo non valeat damnum reparare; tum quia spurius non tenetur credere matri id asserenti; nulla enim est causa quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur in alterius præjudicium. Tum quia hæc revelatio sine gravi familiæ mœrore et sine magna infamia, aliisque malis fieri nequit. Deinde nemo meretur fidem allegans turpitudinem suam *(S. Alph.,* l. III, nn. 654 et 924).

336. *Casus* 1. Anna cum adulterium commisisset, viro de hoc suspicanti et sciscitanti, respondit primo: *Matrimonium non fregi.* Secundo, cum jam a peccato fuerit absoluta: *Innocens sum a tali crimine.* Tertio, adhuc istante viro: *Non commisi,* intelligendo non commisi adulterium tibi revelandum — R. Anna a mendacio excusari potest: in primo casu dicere potuit se matrimonium non fregisse, etenim adhuc subsisit. In secundo casu dicere potuit se innocentem, nam post absolutionem peccato non amplius gravabatur: et potuit asserere etiam cum juramento. Item potuit in tertio casu negare se adulterium commisisse, intelligendo ut illud marito revelare debeat: et causa est ita respondendi, ad dissentiones aliaque gravia mala vitanda *(S. Alph.,* l. III, n. 162 cum aliis multis). *Gury.*

Casus 2. *Titius et Sempronia conjuges divites, clam hospitali propriam prolem exponunt, nil solvendo; ad hoc enim, ajunt, hospitia instituta sunt* — Graviter peccant parentes qui sine justa causa, v. g. infamiæ, scandali, impotentiæ prolem hospitali exponunt. Justinianus delictum vocat *a sensu humano alienum.* An autem exponentes prolem, teneantur hospitali reficere expensas, si pauperes sint, nega; si vero sint divites, plures affirmant; quia xenodochia solum pro pauperum sustentatione instituta sunt. Et in Diœcesi Mediolanensi infantis expositio culpabiliter facta a divite in tanti criminis pœnam est reservata, ni damna pio loco resarciantur (2). Ve-

(1) Nec obstat dicere quod possidet obligatio adulterorum ex actione injuste ab eis posita; nam ad restitutionis obligationem non sufficit actio injuriosa, sed insuper requiritur ut damnum ex illa actione sciatur certe esse secutum, ut docet d. Thomas, 2, 2, *q.* 62, *a.* 7 (S. Alph., *l.* III, *nn.* 562 *et* 658).

(2) Ideo *si proles vixerit,* restituendi sunt hospitali omnes sumptus, qui apud nutricem fieri debuerunt, et dein in ipso xenodochio usque ad annum 12, quo sufficienter laborare supponitur puer ad lucranda absolute necessaria ad victum: qui sumptus æstimatur moraliter 1000 fr.

Si proles mortua sit, sumptus restituendi a die expositionis ad diem mortis

rum alii negant teneri divites parentes ex justitia reficere hospitali (etsi pauper sit) expensas pro nutrienda prole, etsi graviter peccent contra pietatem. Quod putant probabilius; quia hospitalia hujusmodi proprie erecta sunt eo fine, ut infantes et illegitimi quicunque sint liberentur a periculo mortis tum æternæ tum temporalis, cui exponerentur, nisi in iis piis locis gratis susciperentur *(S. Alph.*, l. III, n. 656; *Scavini*, l. II, n. 668).

Cæterum pro praxi omnes, uti par est, conveniunt enixe esse urgendos genitores divites saltem titulo pœnitentiæ, ad aliquid hospitali tribuendum, ut tanti facinoris gravamen sentiant. Ideo magis, quia hodie expositorum numerus crescit in dies, quin expensæ sufficiant. Sæculi nostri opprobrium! sed ita est: quo magis decrescit religio, eo magis crescit corruptio (1).

Quæres: *An valeat dispositio testatoris, qui vocat hæredem vel legatarium hospitale vel aliud pium opus nondum erectum, sed erigendum post ejus mortem?*

R. Si id spectetur tantummodo quoad forum conscientiæ, affirma; nam defunctorum preces sacræ sunt, et ideo inviolatæ servandæ semel ac certo de illis constat — Quoad forum autem civile, alii item affirmant ex art. 2 Codicis, ex quo eruitur talia instituta haberi legaliter recognita, etiam ante illorum approbationem per Gubernii edictum. Nempe testator decernit ut illa vitam habeant et vivant; Gubernii vero recognitio, ut gaudeant juribus civilibus, quasi totidem personæ *(Tribun. Appell. Casalen. 2 junii* 1874). Alii e contra certant pro institutionis invaliditate; nam illud, quod tempore mortis testatoris non existit, incapax est ad accipiendum, si ex Cod. a. 724 et 764 excipiantur filii jam concepti tempore mortis testatoris, et filii immediati alicujus personæ determinatæ *(Trib. App. Genuen. 5 junii* 1877).

Controversiam definivit supremum Tribunal *(Cassaz. di Torino*, 31 *luglio* 1879): « Il corpo morale, fondato dal testatore nelle disposizioni di ultima volontà, è semplicemente in istato di *embrione;* per acquistare la personalità giuridica, gli occorre la legale ricognizione; pure in quello stato di embrione può essere istituito erede, salvo a non tener conto di quest'istituzione, quando gli venga diniegata la ricognizione legale. Può equipararsi al *concepito,* il quale può essere chiamato a succedere, quantunque anch'esso non diventi persona giuridica, se non quando esca vitale dal grembo materno. » Cæterum ad omne dubium auferendum, præstat, ut testator onus hæredi imponat, ut pium institutum erigat; secus hæreditas ad alios transeat.

erunt computandi franchi 84 circiter pro singulis annis: quæ restitutio fieri potest per confessarium vel alium fidum ac secretum.

Si deprehendi non possit, an proles sit mortua, an vero adhuc vivat (prout ordinarie contingit), quid in hoc casu tribuendum sit, non potest, ait Gury, certa regula definiri: solutio enim pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta plus vel minus, aut a morte præmatura pueri. Vix (ajunt) sexta pars illorum puerorum ad ætatem annorum duodecim pervenit: unde, dicunt, satis esse si pro rata dubii 200 vel 150 franchi nosocomio solvantur; ex Bouvier 300.

(1) Alicubi ad diminuendum expositorum numerum suppressum est instrumentum rotabile, in quo clam mittebantur infantes *(ruote cieche ed inesplorate)*; œconomistæ id laudant, et revera expositorum numerus fuit imminutus. Sed numquid ideo imminuta crimina abortus et infanticidia? imo creverunt; adeo ut de novo velint instauranda.

CAPUT SECUNDUM

De læsione bonorum Famæ et Honoris.

337. **Fama et honor.** Fama hic sumitur *pro opinione publica de alterius excellentia:* honor pro *ipsa testificatione alienæ excellentiæ.* Hinc patet discrimen quod adest famam inter et honorem.

Fama respicit absentem; *honor* exhibetur præsenti in se vel in alio qui illum ræpresentat, sicut rex honoratur in sua statua. *Fama* læditur vel interius per dubitationem, suspicionem, opinionem et judicium temerarium; vel exterius per detractionem. Honor vero per contumeliam læditur — Utrumque porro est in confessione explicandum; quia continet diversam specie malitiam læsio famæ ab ipsa læsione honoris.

338. Non committit juxta Lugo diversa peccata qui detrahit alicui in pluribus materiis, adeo ut debeat illas explicare in particulari; nam una semper læditur fama. Sed alii affirmant probabilius cum Sylvio, quia læduntur diversa jura in genere morum; per hoc enim quod quis est diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio. Tunc enim non habentur quidem plura peccata specie diversa, sed plura numero distincta, ob diversitatem objectorum.

Excipe, nisi crimina diversa sint connexa et unum præseferat affinitatem cum alio, ut si dicas de ebrio rixari cum uxore. Item recte excipiunt mulierculas et plebejos, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se dehonorant. Nam in communi æstimatione hæc convicia non habentur uti gravia, et audientes ipsis non præstant fidem, putantes illa potius proficisci ex impetu iræ, quam ex animo vel rei veritate *(S. Alph.,* l. v, n. 48).

339. An vero qui detrahit alicui in una tantum re, sed coram pluribus plura committat peccata, affirmat Croix; quia tot jura lædit, quot sunt personæ, apud quas alter infamatur. Sed negat Lugo, quia jus ad famam est unicum apud omnes; est ergo tantum circumstantia aggravans. Ideo sufficit dicere: *Detraxi in tali re coram pluribus (S. Alph.,* l. v, n. 49).

Art. 1. — De læsione et reparatione Famæ.

340. **Dubitatio, suspicio et opinio temeraria.** Dubitatio temeraria est *suspensio animi circa proximi bonitatem absque fundamento rationabili.* Suspicio temeraria est *assensus inchoatus, quo quis absque fundamento rationabili inclinatur ad malum judicandum de proximo suo.* Opinio temeraria dicit *assensum in illud judicium, sed de opposito formidinem habentem.* Hæc cum parum inter se discrepent promiscue usurpantur: imo Angelicus ea sub uno *suspicionis* nomine includit; 2, 2, *q.* 70 *a.* 3 *(S. Alph.,* l. III, n. 962).

Dubitatio, suspicio et opinio temeraria, regulariter loquendo, non sunt nisi peccata venialia. Sane *suspicio* non est, nisi quædam animi propensio ad assensum. *Dubitatio* est simplex animi suspensio in partem neutram inclinantis. *Opinio* est cum formidine oppositi; ergo manet adhuc in mente aliqua bona proximi existimatio, ut notat idem Angelicus — Tamen probabilius docent esse mortale, si suspicio, dubitatio vel opinio temeraria fieret de peccatis gravioribus, habita ratione personæ, ut si de Episcopo, aut de religioso temeraria fieret suspicio, dubitatio vel opinio, quod sit hæreticus *(S. Alph.,* l. III, n. 964) (1).

341. Dubia sunt in meliorem partem interpretanda, si sint *circa personæ qualitatem;* nam nemo supponitur malus, et quilibet jus habet ad propriam famam. Tamen si agatur de damno præcavendo, possumus dubia de personis pejorem in partem accipere, non quidem definiendo, ut ait Angelicus (2, 2, *q.* 60, *a.* 4), sed tantum supponendo. Hinc qui ignotum domi recipit, potest se gerere, quasi esset fur; et superior se gerere potest, ac si subditi velint delinquere; cum hoc non sit nisi ad cautelam. Neque enim ideo possunt illis aliquod detrimentum afferre.

Si vero dubia sint *de rebus,* v. g. an talis contractus sit licitus, non necessario sunt ea in meliorem partem interpretanda; sed res est suis æstimanda momentis. Quia in his nulli irrogatur injuria.

342. **Judicium temerarium.** Est *firmus animi assensus de proximi improbitate ex insufficienti indicio.* Si sit de re gravi,

(1) Insuper quoad hæc peccata inspicienda est causa, utrum nempe ex prava animi affectione seu malevolentia procedant, vel potius ex defectu mentis, ut in nonnullis scrupulosis vel phantasticis. In priori casu habenda sunt uti peccata ex pura malitia; in altero vero ex infirmitate, quæ minuit voluntarium. *Cretoni.*

communiter loquendo erit mortale; gravem enim proximo injuriam irrogat; cum violet jus quod habet, ne absque justa causa malus judicetur. Hinc Matthæi VII: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini.* At tale judicium erit veniale: 1) Si habeatur magna probabilitas sic judicandi, ut si quis judicet procacem juvenem inventum solum cum puella in cubiculo, inhonesta tractasse — 2) Si quis non advertat signa male judicandi non esse sufficientia *(Alph.*, l. III, n. 962).

Verum etsi judicium temerarium jus strictum alterius lædat, cum tamen internum sit, nullum damnum externum ei infert; ideo satis est, quod de illo reus doleat, et judicium corrigat.

343. **Detractio.** Est *alienæ famæ injusta et occulta denigratio.* Dicitur *occulta,* id est in absentia ejus cui detrahitur; quia si fit in præsentia, superadditur contumelia (1).

Detractio fieri potest directe et indirecte. *Directe*, si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur. *Indirecte*, negando bona opera proximi vel illa imminuendo, frigide laudando, vel aliquando etiam tacendo, dum alii laudant, etc. (2). Detractio fieri potest et verbis et facto, v. g. libellis infamatoriis, imaginibus hominem dedecorantibus, etc. — Varii autem modi, quibus fama lædi potest, hisce versibus indicantur a d. Thoma:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut reticet, minuit laudatque remisse.

(1) Detractionis vitium omnes invasit; siquidem in quotidiana hominum conversatione vix alia sermocinatio auditur, quam de aliorum vita et moribus. Ideo parochi et confessarii esse debet omnem curam adhibere ad hanc pestem extirpandam; videat tamen qui alios corrigere debet, ne ipse prior correctione indigeat (v. Pizzardo, *La buona maestra, ossia la mormorazione;* Bologna. Scavini, l. II, n. 778: *De ecclesiasticorum detractoribus).*

Non pauci vel ex ipsis ecclesiasticis alioquin bonæ frugis, sine ullo scrupulo superiorum mandata dijudicant ac mordent: « Non sindacare, ma sottometterci. Noi siamo troppo in basso, noi ignoriamo mille circostanze per farci censori di chi ci sovrasta: vi fosse anche del manco, sta egli bene farne la critica, alla presenza anche de' secolari? Se noi sapessimo tutti gli impacci e le tribolazioni d'una Diocesi; se tutti i giorni ci sentissimo lacerar le orecchie dalle querele de' fedeli, dei parrochi, ecc.; se fossimo sempre storditi da lagnanze delle civili autorità; sempre rimproveri, richiami, accuse; se ad ogni ordinario ci vedessimo giugnere infinite lettere di infiniti malcontenti, allora certamente andremmo più a rilento a giudicare i nostri superiori: e vedendo che la croce che loro brilla sul petto, non è tanto segno di dignità quanto simbolo di pene e fastidj, anzichè censurarne l'amministrazione, ne compatiremmo la travagliosa sollecitudine. Dicea benissimo un Vescovo: *Oggi apro il concorso d'una Parrocchia a dodici aspiranti; che volete? con tutto il mio buon volere, vado a fare undici malcontenti* » (Scavini, *l.* IV, *n.* 1).

(2) « Un servitore, per esempio, osserva il silenzio, allorchè in sua presenza si loda o si biasima il suo padrone: egli si fa chiaramente intendere con ciò, che il suo padrone non merita le lodi dategli, o meriti i biasimi che gli fanno. Nulladi-

Principia: Detractio ex genere suo mortalis est, et contra justitiam: cum homo damnificetur quantum ad detrimentum propriæ famæ. Imo est gravior ipso furto; nam fama est majus bonum, quam opes et divitiæ. Hinc Rom. I: *Detractores Deo odibiles;* et I Corinth. VI: *Neque maledici... Regnum Dei possidebunt* — Detractio unico ictu tres interficit lethaliter ex d. Bernardo, detractum, detrahentem et audientem detractionem. Nil ergo mirum, si ipsa humana societas detractores abominetur: *Abominatio hominum detractor* (Prov. XXIV) (1).

Porro si alicui detrahatur, crimen verum aperiendo, dicitur simplex *detractio;* si aperiendo falsum, dicitur *calumnia,* quæ est gravior cum detractioni mendacium superaddat proximo perniciosum. Attamen sive detractio sive calumnia potest esse tantum venialis, vel ex defectu deliberationis vel ex levitate materiæ seu damni proximo illati — In casu autem particulari ad judicandum de gravitate vel levitate damni consideranda est qualitas tum *lædentis,* an sit gravis et discretus, an garrulus et levis, adeo ut fides ipsi non habeatur; tum *læsi,* an sit bonæ vel malæ famæ apud alios: *Peccata quæ committuntur in proximum,* ait Angelicus, *sunt pensanda per se secundum nocumenta, quæ proximo inferunt, quia ex hoc habent rationem culpæ* (2, 2, q. 73, a. 3). *S. Alph.,* l. III, n. 967 (2).

344. Qui grave crimen verum revelat, sed uni vel alteri tantum, qui illud sub secreto continebit, si revelatio fiat ad leniendum offensæ dolorem, communissimum est id non esse mortale; durum enim videtur, ut quis prohibeatur solatium quærere suum dolorem amico manifestando. Hinc excusant a mortali famulos, qui referunt injurias sibi a domino illatas, uxores quæ referunt improperia mariti; item est si pœnitens id pandat confessario ad quietem, ad consilium, etc.

Si vero revelatio fiat ex levitate et sine causa, alii censent,

meno per ciò che riguarda i biasimi, il silenzio d'un servitore, d'un amico, o di qualunque altra persona, può in certi casi attribuirsi alla timidezza, alla prudenza, o al timore di un maggior male. » *Gousset.*

(1) Sed magis abominandi *susurrones*, qui secreto seminant inter fratres et amicos discordias. A detractione differt susurratio ex parte finis, quia susurratio insuper dissolutionem amicitiæ intendit. Et ideo est ex genere suo mortalis, specie diversa ac gravior detractione: unde in Confessione est exprimenda, ut notat Angelicus, 2, 2, *q.* 74, *a.* 2. Quot malorum sint causa susurrones in familiis, in communitatibus, in universa societate haud dici potest. Hinc illud: *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes* (S. Alph., *l.* III, *n.* 72).

(2) Non autem excusaretur a gravi culpa qui sine animo lædendi, sed ex levitate graviter detraheret, si id deliberate agat. Non enim officit quod detractio directe non intendatur; nam est implicite volita, si dicantur ea, ex quibus illa provenit.

esse mortale etiamsi hæc uni tantum fiat; quisquis enim ægre fert, quod apud virum cordatum dehonoretur. Multi tamen satis probabiliter negant; nam fama consistit in opinione multorum: unde non est infamatio, si crimen uni vel alteri viro prudenti reveletur. Huic sententiæ adhæret Angelicus: *Ita tamen ut non proveniat inde vel infamia vel vituperium proximo delinquenti,* id est, nisi alter alteri sit crimen manifestaturus (quod observatu difficile est), et dummodo semper excludatur animus nocendi *(S. Alph.,* l. III, n. 973) (1).

345. **Occulti criminis revelatio.** Si notitia occulti criminis extra Sacramentum habita sit, illud revelare fas est *propter aliquod bonum necessarium,* ut ait s. Thomas; at non ultra quod necessarium est. Id autem postulat:

1) Utilitas *delinquentis,* ad ipsius correctionem. Tanto magis ad consilium petendum pro delinquentis ipsius emendatione. 2) Utilitas notabilis *revelantis,* ut auxilium petat, si res ipsum respiciat; secluso tamen quocunque affectu ad detractionem. 3) Utilitas *publica,* nam bonum commune bono privato præferendum est. 4) Utilitas etiam *privata* et gravis aliorum, ut a damnis et incommodis probabiliter eventuris liberentur; nam nemo jus habet ad famam suam tuendam cum damno innocentis *(S. Alph.,* l. III, n. 969).

346. **Publici criminis revelatio.** Triplici modo crimen publicum dici posse:

1) *Publicitate juris,* cum de eo publice constat per judicis sententiam, qui reum convictum condemnavit. 2) *Publicitate facti,* cum delictum in publico patratum est, ita ut non amplius possit ulla tergiversatione celari. 3) *Publicitate famæ,* quando fama criminis pervenit ad notabilem partem communitatis. Ut autem crimen dici possit publicum fama, sufficit quod si communitas constet octo personis, illud sciant quatuor: si centum, sciant quindecim; si mille, sciant viginti circiter diversarum familiarum. Sed hic est attendendus non solum numerus, sed etiam hominum garrulitas aliæque circumstantiæ temporis, criminis et locorum, ut prudenter judicetur, an possibile sit, ut res secreta maneat: hodie maxime, cum omnia

(1) Sub secreto unus alteri, secundus tertio, et ita successive res cunctis communicari novum non est; sicque occultissima sub secreti larva, omnibus (ut plurimum non sine gravi societatis damno) nota fiunt. Hinc Chrysostomus (Hom. III *ad pop. Antioch.): Si non vis effari, neque alteri ipse dicas; postquam autem alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis et inutilia admonens et obtestans pro dictorum custodia* (Scavini, *l.* II, *n.* 787).

loca contigua censeantur ob nubem publicorum diariorum, itinerum facilitatem, ac viatorum multitudinem, etc.

347. *Principia:* I. Nullum peccatum est verum alterius crimen revelare in loco, ubi sive juris, sive facti, sive famæ publicitate generatim jam est notum: *Si palam res est, repetitio injuria non est,* ex juris adagio.

II. Satis probabiliter et communius non videtur peccare mortaliter neque contra justitiam neque contra caritatem qui crimina in uno loco publica, in alio loco manifestat ubi nondum notitia pervenit, nec perventura erit ita facile, si agatur de illis criminibus quæ hominem reddunt perniciosum, et ab aliis vitandum, ut sunt crimina latrocinii, perduellionis, etc. Expedit enim, generatim loquendo, hæc delicta publica execratione notare, ut omnes ab illis caveant.

III. Si agatur de aliis criminibus non adeo perniciosis, non est contra justitiam neque contra caritatem ea revelare ubi notitia non est perventura, si illa nota sint notorietate *juris;* nam judex vult quod sententia publica evadat, ut cæteris sit in exemplum. Idem dicendum cum Concina, si crimina nota sint notorietate *facti,* id est si publice patrata; ex hoc enim criminosus voluit amittere jus ad famam suam tuendam.

Si vero secreti criminis notitia jam certo pervenit ad majorem partem communitatis, an sit grave contra justitiam et contra caritatem ea revelare ubi illorum notitia non esset perventura vel nonnisi post notabile tempus, controvertitur. Alii affirmant, nam tunc in loco ubi delictum est occultum, nulla ratio boni publici illius manifestationem permittit, cum non supponatur perniciosum. Verum alii negant, nam semper expedit ut publica et gravia delicta ubique dignoscantur ad illorum execrationem. Idque invecta consuetudo videtur confirmare, dum historici nemine reclamante, narrant ubique, præsentibus et futuris, delicta solummodo in uno loco publice nota *(S. Alph.,* l. III, n. 974; *Scavini,* l. II, nn. 779 et seqq.).

Resolve: I. Detrahere coram pluribus, sed reticita persona, v. g. dicendo: *In tali loco esse qui male vivunt,* grave non est generatim loquendo; in omnibus enim locis hodie maxime sunt qui male vivunt. Verum aliter esset, si inde aliqua infamia alicui redundaret; sic peccat qui detrahit Ordini religioso, vel nominat Monasterium, in quo quis grave peccatum occultum commiserit; id enim toti Ordini graviter nocet. Excipit Concina si agatur de aliqua familia religiosa satis diffusa, neque sit strictioris observantiæ; cum in quolibet amplo loco ferme semper sint aliqui discoli.

II. Si nominetur persona, sed non notentur ejus peculiares de-

fectus, ut si dicas: *Multa scio de illo, sed patefacere prohibet caritas; scit me illum posse ad tacendum cogere*, id per se videtur mortale; nam gravis suspicio ingeritur in audientium animis — Si tamen nominentur defectus, sed in genere dicendo talem esse avarum, iracundum, etc., ex se non videtur mortale; quia, ut plurimum, audientes id interpretari solent de quadam propensione naturali.

III. Si nominentur defectus, sed isti naturales sint, per se mortale non est; cum enim a voluntate non profluant, animam non afficiunt, neque sunt dedecori. Poterit tamen id esse mortale ratione damni, quod inde evenire potest, vel magni mœroris, ut si proferantur in faciem, v. g. si dicas de aliquo, ipsum esse spurium.

IV. Si nominentur quidem defectus morales, sed defuncti jam sint quibus graviter detrahitur, concedunt cæteris paribus, non adeo grave esse ac detrahere vivis; cum defuncti non amplius fama indigeant ad recte vivendum. Tamen adhuc mortale esset; nam juxta communem æstimationem semper in fama sua vivere censentur. Unde proverbium habet: *De mortuis nonnisi bene.* Et d. Thomas: *Caritas quæ est vinculum Ecclesiæ membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos.*

V. Lethale esse potest de aliquo in conspicua dignitate constituto, varios defectus, etsi singuli non sint graves, revelare; nam conglobatim in communi æstimatione notabiliter ejus fama læderetur.

VI. Mortale est dicere aliquem esse adulterum, vel talem sacerdotem duellum commisisse aut esse amantem puellarum, aliaque id genus. Sed sæpe lethale non est id asserere de milite, aut de juvene mediocris æstimationis; quia eorum fama non graviter censetur læsa. Uti nec dicere de puella, quod sit garrula, vana, etc.

VII. Non licet revelare alterius crimen occultum simul narrando pœnitentiam peractam, nam culpæ manifestatio non compensatur per subsequentem pœnitentiam; semper enim quædam sinistra opinio in aliis ingeritur. Unde si quando id factum legimus, divina Providentia factum est ad horrorem vitii injiciendum, ad veritatem factorum conservandam, ad divinam misericordiam patefaciendam *(S. Alph.*, l. III, n. 979).

VIII. Detractores a lege civili mulcta et carcere puniuntur, si aliquem publice facto vel verbo diffamaverint de aliqua re, de qua ejus opinio lædatur; etsi crimen probari possit et notum sit: nisi accedat judicis sententia, vel agatur de illo qui ratione sui officii teneatur crimina revelare aut punire; cum agatur de bono publico. Ideo in hac re caute procedendum, etsi causa adsit crimen propalandi *(Cod. pœn.* tit.: *Della diffamazione, dei libelli famosi, delle ingiurie e della rivelazione dei secreti).*

348. **Detractionem audientes.** Si gravem audiens detractionem, ipsi cooperatur, detractorem excitando, laudando, approbando, interrogando, etc. graviter peccat contra caritatem et justitiam; cum influat in illam efficaciter. Si vero detractionem gravem audiens, de illa tantum secum ipse gaudeat, peccat mortaliter contra caritatem, et affective etiam contra justitiam: cum delectetur de gravi damno proximi sui. Si tandem audiens detractionem de illa non gaudeat, non peccat si se habeat modo tantum negativo, nihil dicens, nil addens, nec urgeat præceptum detractionem impediendi. Qua de re notandum:

I. Si gravem detractionem audiens est, v. g. ipse parochus, episcopus, tenetur illam sub gravi et ex justitia in sibi subjecto impedire; cum ratione officii adstrictus sit ad corrigendum subditum (v. t. I, n. 276) (1).

II. Si detractionem audiens est *privata persona,* et eam non impediat, contra justitiam non peccat; quia nulla ei obligatio ex officio incumbit; sed neque contra caritatem, si inutiliter corrigeret juxta illud Eccl. XXXII: *Ubi auditus non est, non effundas sermonem;* vel si non posset sine gravi incommodo, quocum non obligat caritas.

III. Pro praxi Lugo regulam tradit; corrigere sub gravi æqualis æqualem raro, inferior superiorem rarissime tenetur; imo absolute dicunt cum communi Thomistarum, nonnisi leviter peccare privatum, qui ex verecundia, timore, negligentia detractioni non resistit (d. Thomas 2, 2, q. 73, a. 4). Hæc sententia (quæ occurrit plurimorum angustiis) rationabiliter sustineri potest; tum quia in hac materia difficillime constat monitionem fore profuturam; tum quia facillime offenduntur detrahentes coram aliis corripi, et periculum est quod potius confirment detractionem. Excusantur autem etiam a veniali qui vel discedunt, vel sermonem ad alia industrie divertunt, vel referunt bona de illo cui detrahitur, vel faciem tristem ostendunt juxta illud Eccl. VII: *Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis* (S. Alph., l. III, n. 979).

349. **Restitutio famæ.** Si gravis est obligatio reparandi damnum grave in divitiis, a fortiori urgebit hæc obligatio, quando agitur de recuperanda fama; nam *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ.* Detractor autem tenetur non solum ad reparandum famam, sed etiam ad compensandum omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia, si aliquo modo prævisa; cum horum fuit efficax causa detractio. Obligatio autem reparandi famam est personalis, quæ ideo obligat solum detractorem; obligatio vero reparandi damna est realis, quæ ideo transit ad hæredes detractoris *(S. Alph.,* l. III, n. 991).

350. **Principia:** I. Si restitutio famæ facienda est ob revelationem criminis veri sed occulti, debet detractor, quoad potest opinionem de eo ab audientibus conceptam abolere, v. g. asse-

(1) Cæteri autem superiores probabilius ex justitia ad id non tenentur; cum ipsis non incumbat temporali bono subditi attendere. Excipe cum Lugo, si infamans et infamatus sint subditi, et infamatus imploret prælati auctoritatem, ut ei fama restituatur; tunc prælatus ex justitia tenetur providere, modo possit sine timore gravioris mali *(S. Alph.,* l. III, n. 980).

rendo: *Se male dixisse, injuste diffamasse.* Quia tamen hic modus vix hodie sufficiens est apud rusticos et simplices, qui adhuc crederent vera esse quæ a detractore dicta fuerunt; ideo convenientius erit dicere: *Se male locutum fuisse, errasse,* vel quid simile; non enim solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt juxta illud Ps. XIV: *Errant qui operantur malum.* S. Alphonsus solet hoc consilium dare, ut dicant detractores: *Ex capite meo hoc erui* (me l'ho cavato dal capo) *æquivocando nempe; quia omnia verba a mente, pro qua accipitur caput, certe procedunt* (l. III, n. 992) (1) — Sed si prudenter judicetur restitutionem hisce modis notatis factam potius fore noxiam maxime apud intelligentes, qui talem modum jam sciunt, melius erit ut tacendo de delicto, industrie agant offensum pluries data occasione honorando, de eo bene loquendo, etc.

II. Si imputatio est de falso crimine gravi, detractor sub gravi tenetur illud aperte retractare, adhibito etiam, ubi sit opus, juramento; nam qui intulit damnum, ad totum id tenetur, quod moraliter necessarium est ad injuriam reparandam, si adeo difficile non sit. Nec sufficit, ut verius dicunt, si retractatio fiat apud auditores immediatos; sed ea est facienda, quantum moraliter est possibile, etiam apud mediatos, quibus nempe crimen revelatum est ab auditoribus immediatis, si præviderit detractor, hos crimen esse aliis revelaturos, et simul videat eos retractationem negligere. Nam ipse fuit prima et efficax causa damni; at secundis causis deficientibus, semper remanet obstricta causa prima *(S. Alph.,* l. III, n. 992).

351. **Resolve:** 1) Si ex læsione famæ ob delicti falsi propalationem ortum est aliud damnum, ut si læsus privatus est famulatu, officio, si excidit spe matrimonii divitis, simul cum fama reparanda sunt damna illa juxta æstimationem prudentum, si saltem in communi fuerint prævisa; nam detractio fuit illorum culpabilis et efficax causa.

2) Idem est si damna ortum habeant ex propalatione delicti veri. Quamdiu enim crimen est occultum (nec publico perniciosum), idem est ac si non esset perpetratum. Ideo tunc tota ratio damni est sinistra opinio, quam injuste detractor ingessit in audientium animos.

3) Qui detrahunt libellos famosos publicando (qui scilicet continent infamiam occultam), gravius peccant quam illi, qui verbis tantum detrahunt; nam scripta ac signa evulgantur facilius et manent diutius. Unde ut restitutio sit efficax ac ad æqualitatem, fieri debet publica revocatione, et compensando omnia alia damna quæ inde secuta sunt.

(1) Potest etiam dicere: *se falsum dixisse, errasse, se deceptum vel mentitum fuisse.* Neque hæc verba mendacia sunt (uti cum bene multis docet Lugo), sed amphibologica; *nam ipsa peccata*, inquit Angelicus, *falsitates dicuntur in Scriptura secundum Psalmum:* Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? (1 *p. q.* 17).

In auctores et complices libelli famosi animadvertit etiam lex civilis *(Cod. pœn.)* (1).

352. **Excusantia a famæ restitutione.** Excusant:

I. Si adsit impotentia etiam moralis, uti si quis eam peragere nequeat sine suo damno longe majori. An tunc fama sit pecunia compensanda, alii probabiliter affirmant, nam fama est pretio æstimabilis, ita ex d. Thoma, 2, 2, *q.* 62, *a.* 2. Alii cum Lugo, Laymano, Sanchez, etc. probabilius negant; nam justitia obligat tantum ad reddendum ablatum aut æquivalens; porro pecunia nequit esse famæ æquivalens, utpotequæ est alterius ordinis (2).

II. Si crimen quod erat antea occultum, alia via evadat publicum; jus enim ad famam jam esset amissum. Item est si prudenter judicetur res jam oblivione deleta; nam periculosum est renovare criminis memoriam etiam per illius retractationem.

III. Si adsit infamati expressa, vel tacita condonatio: imo quandoque sufficit præsumpta, uti si ille ita sit bono animo affectus, ut si rogaretur, certo condonaret; nam quilibet est suæ famæ dominus. Attamen læsus remittere nequit, si inde sequatur scandalum vel damnum aliorum, ut si agatur de infamia magistratus aut ecclesiastici; nam eorum infamia in totum cœtum redundaret, qui ideo in despectum veniret, ejusque mandata contemnerentur. Hinc d. Augustinus: *Duæ res sunt, conscientia et fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo; qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est* (Serm. 32 ad fratres in Heremo).

IV. Si fama aliis modis sit recuperata, v. g., judicis sententia, veritatis evidentia. Item est si auditores crimen narranti fidem non adhibuerint; tunc nullum adesset damnum *(S. Alphonsus,* l. III, nn. 997, etc.).

Art. 2. — De læsione et reparatione Honoris, ac Secreti manifestatione.

353. **Contumelia.** Est *injusta honoris læsio alicui aperte irrogata.* Dicitur *aperte,* quæ fit vel in præsentia ejus qui læditur, vel in ejus absentia, sed eo fine ut id resciat.

(1) Censetur auctor libelli famosi qui aliquod signum infamatorium appendit ad januam domus alicujus, quo publice eum infamet; item qui schedulas vel literas evulgat cæcas, vel defert judici contra aliquem *(S. Alph.*, l. III, n. 995).

Legere libros famosos proinde est ac audire detractionem; ideo non licet, nisi jam publicum evaserit delictum, quod facile evenit.

(2) Monent autem communiter, quod si infamator sit dives et infamatus pauper, congruum esse ut ex æquitate aliqua fiat per pecuniam compensatio, si alter libenter acceptet *(S. Alph.*, l. III, nn. 627, 1000).

Contumelia irrogari potest tum *negative* per omissionem testificationis honoris debiti; tum positive vel verbis, vel factis, vel signis. Huc revocantur: 1) *Convicium,* quo alicui naturales defectus objiciuntur — 2) *Improperium,* si objiciatur ejus paupertas — 3) *Derisio* vel *illusio,* qua quis verbis et risu contemnitur, ut erubescat. Quæ omnia sub uno contumeliæ nomine accipi solent, et eandem speciem habent, si excipias derisionem, quæ differt ex parte motivi; nam ex Angelico alii modi intendunt honorem deprimere, hic pudorem causare (2, 2, q. 72 et 75).

354. *Principia:* I. Contumelia est peccatum ex genere suo mortale, sicut detractio; nam quemadmodum detractio proximum lædit in fama, ita contumelia lædit eundem in honore, qui est bonum præstantius divitiis quibuscunque. Hinc Apostolus contumeliosos a Regno Dei excludit: et Christus dicit reos gehennæ.

II. Attamen contumelia erit tantum peccatum veniale, tum ex imperfectione actus; tum *si sit leve convicium non multum hominem dehonestans, et proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi,* ut ait s. Thomas (2, 2, q. 72, a. 2). Imo nullum erit peccatum ex eodem Angelico, si convicium aliquod leve proferatur *causa delectationis ac joci, si debitæ circumstantiæ serventur;* id enim pertinet ad eutrapeliam. Idem est, si convicium proficiat ad correctionem: *hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos, et Apostolus Galatas insensatos.* Attamen id raro expedit, quia ex Augustino sæpius subditos ad iram excitat *(S. Alphonsus,* l. III, nn. 334, 966).

III. Contumelia gravis gravem inducit obligationem honorem restituendi (et damna reparandi, si in confuso saltem prævisa); est enim gravis juris alterius violatio. Et si honor publice fuerit ablatus, publice restitui debet coram illis qui dehonorationi præsentes fuerunt, vel saltem per modum quo satisfactio de facili ad eorum notitiam pervenire possit — Si fuit occulte honor ablatus, privatim, sed reparandus est; nam, ut pro certo habet d. Thomas (2, 2, q. 72), præter injuriam adest damnum honoris injuste læsi, qui non reparatur per signa communia postea exhibita. Satisfactio autem potest dari vel per se vel per alios.

IV. Ad restitutionem illa satisfactio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad integrandam æstimationem juxta conditionem personæ dehonoratæ. Hinc si dehonorator fuit *superior*, suffi-

cit, si dehonoratum salutet, domum invitet et benevolentia excipiat; si enim amplius ageret, non satis consuleret suæ dignitati. Unde ajunt raro teneri veniam petere Episcopum a clerico, herum a famulo, principem a subdito; *ne* (ex d. Augustino) *dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Si vero dehonorator fuerit *æqualis* vel *inferior*, requiritur satisfactio major, v. g., ut locum ei cedat, salutando præveniat et similia peragat, quibus prudenter judicetur satis reddi ablatus honor.

V. Multoties expedit, ut confessarius omittat monere pœnitentem qui sit in bona fide, de satisfactione præstanda, si prævideat monitionem non profuturam. Experientia constat quod pœnitentes facile tales satisfactiones promittunt; sed difficulter in facto adimplent, ob ruborem quem postea sentiunt.

VI. *Ab honoris autem reparatione excusatur:* 1) Qui recte credere potest, læsum reparationem recusare, ne memoria injuriæ renovetur. Vel adsit periculum, ne ideo renoventur odia — 2) Si manifesta appareat condonatio, ut si offensus sponte ad offensorem accedat, cum eo familiariter loquatur, jocose conversetur — 3) Si offensus jam sibi vindictam sumpserit, offensorem percutiendo, injuriis afficiendo, etc. Hac ratione eximuntur rustici, si inter ipsos habita fuerint ferme æqualia improperia. Idem dicit Lugo, si pro honore ablato a judice pœna inflicta fuit; tunc videtur satis honor reparatus *(S. Alph.*, l. III, n. 984).

355. Omnes tenemur contumelias patienter ferre cum tali animi dispositione, ut abjiciamus omnem vindictæ amorem; nam vindicta Domini est. Et recte monet Kempis: *Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volantia verba; non sit pax tua in ore hominum; sive enim bene sive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo: ubi est vera pax et vera gloria? nonne in me? Non magni pendas quis pro te vel contra sit; sed hoc cura et age, ut Deus tecum sit in omni re, quam facis* (1).

Dixi *Animi præparatione*; non enim semper contumeliam silentio ferre tenemur: sic ipse Christus percutienti eum alapa, dixit: *Quid me cædis?* Igitur oportebit contumeliam illatam repellere propter duo, ut notat Angelicus (2, 2, *q.* 72, *a.* 3): nempe — 1) Ob bonum ejus, qui contumeliam infert, ut ejus audacia reprimatur, dicente Scriptura (Prov. XXVI): *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur* — 2) Ob bonum aliorum, et nostrum. *Aliorum*, ut si Prælatus eam tolerando redderetur subditis contemptibilis. *Nostrum*, ut fama nostra salva sit; et ideo possumus etiam in judicio, si opus, honoris satisfactionem urgere *(Scavini*, l. II, n. 778).

(1) Vel ipse Paulus Mantegazza ad rem nostram: « Il risentimento sorge naturale, com'è del pari naturale, che voi vi sentiate trascinati per moto improvviso a maltrattare chi vi ha maltrattati. Se ciò par naturale, non è però giusto; e se voi saprete perdonare al vostro offensore, vi metterete tanto al disopra di lui, che con ciò solo vi piglierete la più giusta, la più nobile soddisfazione. »

356. **Secretum**. Est *notitia rei occultæ;* triplex distinguitur: *naturale, commissum* et *promissum (De sacramentali* erit n. 745).

Naturale quod ab ipsa natura imponitur, ut si quid sciam, quod manifestare nequeam sine gravi alterius damno. *Commissum* seu *rigorosum,* quando quis alteri quidpiam manifestat eidem committens silentium: non solum expresse, sed etiam tacite, ut si ab ipsa rei natura id deducatur: uti contingit medicis, advocatis, theologis aliisque, ad quos vel pro remedio vel pro consilio fit recursus. *Promissum,* quando qui rem manifestat, silentium exigit; et qui accipit notitiam, silentium promittit *(De secreto confidentiæ, amicitiæ, atque massonico* vide Scavini, *l.* II, *n.* 788).

Resolve: 1. Secretum *naturale* in re gravi obligat sub gravi, ut si casu aliquid scias, ex cujus manifestatione graviter alter lædatur in fama vel bonis. Id violando violatur jus alienum, et ideo qui id agit tenetur de damnis.

2) Secretum *promissum* obligat graviter vel leviter juxta intentionem promittentis et naturam susceptæ obligationis. At plerunque ex fidelitate tantum, et ideo sub levi promittentem adstringit, nisi intervenit ex violatione grave damnum.

3) Secretum *commissum* seu communicatum, quod dicitur etiam rigorosum et absolute naturale, per se sub gravi et ex justitia obligat, et quidem gravius aliis secretis; nam præter obligationem naturalem et ex fidelitate, urget etiam obligatio ex contractu oneroso *(D. Thomas,* 2, 2, q. 70, a. 1).

357. Regulariter tamen potest licite secretum aperiri:

I. Si res jam aliunde cognita est, aut publica. Imo probabiliter tuentur mortale non esse, rem gravem sub secreto cognitam revelare sub eodem secreto uni vel alteri probo, modo hic sub secreto illam contineat (quod tamen vix observari solet), et modo nullimode manifestetur illi, cui maxime celanda est, ut patet.

II. Si adest præsumptus consensus ejus, qui illud commisit. Vel manifestatio contingit ex inadvertentia, ex indeliberatione, aut ex animi persuasione, quod res non sit gravis. Vel si secretum verteret in grave damnum publicum vel innocentis vel ipsius committentis vel ei cui committitur: tunc etiamsi jurasses servare, ex caritate illud recte revelas.

III. Si cogeris ad secretum, quod non sit gravissimi momenti, manifestandum metu gravis damni, potes manifestare etsi promiseris illud servare cum jactura vitæ; tunc enim pro-

missio illa non obtineret utpote irrationalis, nisi agatur de secreto consilii.

Dictum est *regulariter;* nam qui ex officio consilia dant, ut medici, pharmacopolæ, advocati, procuratores, obstetrices et alii, ad quos recurritur pro remedio et consilio, non possunt secretum sibi commissum qua talibus, id est quatenus sunt publici officiales, revelare, etsi agatur de publico ac gravissimo damno vitando. Etenim boni publici omnino interest, ut sint hujusmodi consiliarii, ad quos tuto et fideliter recurri possit. Idque etiam lege civili firmatur *(Cod. proc. pœn.,* a. 288); ex qua vix datur casus quo liceat talis revelatio — Id maxime dicendum est de theologis et viris doctis, et præsertim de animarum pastoribus, qui ratione proprii ministerii consuluntur circa casus conscientiæ, qui in nullo casu revelari debent *(S. Alph.,* l. III, n. 970).

358. **Literarum aperitio.** Licet alienas aperire et legere:

1. Si certo constet, eas in nostrum injustum damnum conscriptas, quod habemus jus propulsandi. Item Princeps potest aperire literas, quæ tempore belli a locis hostium finitimis circumferuntur — 2) Si id sit expediens ad avertendam injuriam, modo cui imminet, jus habeat literas aperiendi ad malum illud propulsandum — 3) Si Communitatis vel Instituti regulæ, aut legitima consuetudo id sinunt: sic superior Communitatis religiosæ vel Collegii literas aperit subditorum; id enim valde confert ad disciplinam sustinendam.

Hisce exceptis, erit mortale contra justitiam legere literas alienas, si existimetur in iis contineri res graves; et exurgit gravis obligatio damna resarciendi, quæ inde evenire possunt. Nam violatur jus strictum quod proximus habet ad suum secretum. Idem dicito de literis deperditis, vel de chartis quæ recondito loco servantur, vel quas dominus apud se tenet ac custodit *(S. Alph.,* l. V, n. 705) (1).

Si dominus literas dilaceraverit, et in publicum abjecerit, et alter colligat, jungat et legat, juxta plures non peccat; si enim dominus legi noluisset, debuerat eas comburere (erit tamen veniale, si id fiat ex curiositate). Sed alii probabilius contradicunt: hoc enim ipso, quod dominus illas minutatim dilaceravit.

(1) Qui inadvertenter literas alienas aperit, non potest eas evulgare, neque notitia in illis contenta uti; cum nullum ei sit jus. At per talem aperitionem injustitia non tenetur. *Si aliquis* (ait s. Thomas) *faciat aliquid quod est injustum, non intendens injustum facere, tunc non facit injustum per se et formaliter loquendo, sed solum per accidens et quasi materialiter... Injustum per se et formaliter loquendo nullus potest facere, nisi volens* (2, 2, q. 59, a. 2 et 3).

satis ostendit haud velle, ut legantur; ex industria ergo colligere est agere fraudulenter *(S. Alph.,* l. v, n. 70) (1).

359. *Casus.* Titius cujusdam sacri Oratoris eloquentia stupefactus clam legit ejus conciones, sciens aut suspicans id illum ægre ferre. *Peccat:* 1) *Peccato curiositatis, etsi faciat animo discendi; cum hic discendi appetitus non sit secundum ordinem* — 2) *Injustitiæ; quia quilibet habet jus secreti suis in scriptis.* Nec facit quod illum jam audierit; aliud enim est sermones audire, aliud legere. *Erit autem mortale, si contingat cum notabili proximi damno vel cum magna ejusdem animi conturbatione.* Carrière.

CAPUT TERTIUM

De læsione in Bonis fortunæ seu de Furto speciatim et Rapina.

360. **Furtum.** Definitur: *Occulta ablatio vel detentio rei alienæ, invito rationabiliter domino.* Dicitur *ablatio,* ut distinguatur a simplici damnificatione, quæ fit absque ablatione rei, uti patet de eo, qui domum alienam incenderet — Dicitur *occulta,* nam si aperte fiat ac violenter erit *rapina* — Dicitur: *invito rationabiliter domino;* aliquando enim qui alienum accipit vel detinet, non furatur, imo actum virtutis exercet. Esset si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis aut vino indulgeat; librum perniciosum, ne pervertatur: tunc dominus non est rationabiliter invitus. Prudenter tamen hic agendum est, ne dum unum peccati genus

(1) Quæres: *Quid de illis, qui ad superiores literas anonymas mittunt* (vulgo *cæcas;* lettere *orbe), quibus occulta et gravia delicta manifestantur?* Communiter docent, ipsos peccare mortaliter, quia hoc est revelare occulta fratris: vel saltem notabilem suspicionem in superiore excitare. At non esset peccatum, si id fieret ex caritate, emendationem quærendo, ac solum celetur nomen scribentis, justa de causa. Nequeunt autem per se loquendo superiores ex hujusmodi literis procedere ad specialem personæ nominatæ inquisitionem quoad delicta, si occulta, quæ continent literæ, etiamsi in illis notificentur testes, qui delictum valeant probare; quia hujusmodi literæ non inducunt infamiam ex Jure canonico (l. v, t. 1 *De accusat.).*

Sed quando non agitur de pœna infligenda, sed de certioranda positiva bonitate personæ, quæ v. g. ad aliquod publicum munus assumi debet aut assumpta est, utique aliqua ratio harum literarum haberi potest, prudenter scilicet inquirendo, an persona debitis dotibus sit instructa, vel potius in perniciem communitatis, parœciæ, diœcesis sit. Nulla tunc ei irrogatur injuria; nam directa inquisitio est de bonitate, non de crimine: ideo prohiberi nequit, cum pertineat ad publicum bonum, ut tantum digni ad publica ministeria deputentur. Quod maxime currit de clericis ordinandis, siquidem Ecclesia jam de istis specialiter inquirit, dum omnes efflagitat, ut si quid habeant contra ipsos, id in Domino deponant. Sed caute procedendum, ne detur ansa malevolis: et merito a malevolis id fieri creditur, si literæ mittantur, cum non amplius suppetit inquisitioni tempus (v. Ferraris, V° *Literæ.* Scavini, *l.* II, *n.* 792).

Ex Codice pœnali a. 431 carcere et mulcta punitur qui literas anonymas, vel ficto aut vero nomine, mittit ad pecuniam extorquendam.

impedire quærimus, aliud gravius excitemus provocantes gravem alterius indignationem.

Additur *vel detentio;* nam ex d. Thoma *detinere id quod alteri debetur, eandem rationem habet cum acceptione injusta* (2, 2, q. 66, a. 3).

361. **Rapina.** Est *injusta et violenta rei alienæ usurpatio,* facta nempe præsente et contradicente domino. Specie differt a furto, quia in rapina vis adhibetur, non autem in furto; unde rapina injustitiæ furti superaddit injuriam in personam, ipsam præsentem contemnendo; seu, ut ait Angelicus, raptor vult violenter seu per propriam potestatem obtinere, fur vero per astutiam (2, 2, q. 66, a. 4).

362. *Divisio furti.* Furtum aliud est *simplex,* supra descriptum; aliud vero *qualificatum,* si aliquid superaddat. Et multiplex distinguitur: 1) *Sacrilegium,* seu furtum rei sacræ, vel rei profanæ in loco sacro; et hoc induit etiam malitiam sacrilegii — 2) *Peculatus,* quo aufertur pecunia vel res ad Fiscum pertinens — 3) *Plagium,* quo surripiebatur mancipium a domino — 4) *Abigeatus,* quo abducuntur animalia e grege alieno. Quæ gravius puniri solent (1).

Principia: I. Furtum septimo Decalogi præcepto prohibitum est peccatum ex genere suo mortale; Apostolus enim scribit: *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.* Humanitatis sensus, et ipse justitiæ ductus id suadet; et sane per furtum maxime perturbatur pax et communis tranquillitas; unde s. Thomas ait, quod si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Imo vel ipsum furti desiderium graviter prohibetur decimo Decalogi præcepto. Dixi: *ex genere suo;* nam furtum erit veniale vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus (2, 2, *q.* 66, *a.* 6).

II. Si furtum grave est, gravis erit obligatio restituendi: si leve, erit levis obligatio; justitia enim exigit, ut omnibus reddatur ad ultimum quadrantem, et pro mensura illatæ injuriæ sit etiam reparatio (*S. Alph.,* l. III, n. 518).

(1) Item generatim legibus civilibus furtum uti qualificatum habetur, et ideo gravius puniendum: 1) *Ratione valoris,* si excedat libellas 500 — 2) *Ratione personæ,* si persona quæ furatur sit famulus, hospes, caupo — 3) *Ratione temporis,* si noctu sit commissum in habitatione — 4) *Ratione loci,* si fiat in Ecclesia vel regiis possessionibus. Ut tale etiam habetur furtum animalium e stabulis vel agris: imo erit abigeatus, si valor illorum excedat 500 libellas — 5) *Ratione mediorum,* si adhibeantur arma, claves adulterinæ, etc. — 6) *Ratione rei,* ut esset res sacro cultui dicata surrepta in ipso loco sacro. Item dicendum de pecunia regia.

III. Materia furti potest esse gravis vel ratione circumstantiæ specialis, vel absolute et in se, vel etiam relate ad ipsos damnificatos.

1) Ratione *specialis circumstantiæ* furtum rei etiam levis erit mortale, tum ob damnum secutum, ut si acum fureris sartori quem scis alium non posse habere; tum ob scandalum, ut si noscas ideo alium esse blasphematurum; tum ob intentionem, ut si quis putet se rem notabilem auferre.

2) Furtum erit *absolute* grave, si independenter a damno quod patitur dominus, per se censetur sufficere ad materiam gravem constituendam. Patet autem, quod determinatio materiæ absolutæ et in se ad judicandum de peccati gravitate, tunc tantum habet locum, quando ignoretur status ac conditio personæ damnificatæ. Antiquitus rigidiores erant theologi in assignanda materia furti gravis sive relative sive absolute; cum tunc pecunia esset rarior. At hodie communiter non adeo severiores sunt; nam pecunia hisce temporibus utpote in humano commercio abundantior, non ita habetur pretiosa; ideoque majorem summam requirunt ad mortale. Quare si olim sufficiebat furtum quinque vel sex libellarum *(franchi)* ad mortale constituendum, hodie videntur communiter requiri decem, vel juxta alios quindecim circiter.

3) Erit furtum *relative* grave, quando speciatim attenditur ad damnum quod inde patitur dominus: quod quidem non idem est pro omnibus. Sic res furto ablata potest esse gravis respectu pauperum, non vero respectu divitum. *In amissione unius gallinæ*, ait Angelicus, *plus* (pauper) *gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis* (De erud. Princip., *l.* VII, *c.* 8).

Porro hodie requiri videtur circiter valor unius franci relate ad mendicos. Circiter duo cum dimidio relate ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant. Quatuor circiter vel quinque franci relate ad homines mediocriter divites. Et circiter decem, aut quindecim juxta alios relate ad divites ordinarios. A peccato autem gravi nunquam excusabitur qui viginti aut triginta francos subripuerit apud ditissimos, etiam principes.

363. **Minuta furtula.** Minuta furtula tripliciter possunt contingere: vel quando unus multum furatur in se consideratum, sed parum singulis personis. Sic mercator, qui utitur statera dolosa, parum a singulis fraudat, sed multum ab omnibus simul sumptis — Vel quando plures furantur uni, singuli parum

sed simul sumpti multum: ut si plures latrones ingrediantur domum alienam, et parum singuli subripientes domum expolient — Vel quando unus pluries furatur uni, sed parum singulis vicibus, ut famulus vel filius, qui quotidie parum a domino vel patre sustulit ad ludum.

364. *Principia:* I. Qui pluribus personis furatur, parum quidem singulis, sed multum in globo seu simul sumptum, statim ac pervenit ad notabilem quantitatem peccat graviter; quia ditescit ac multum de re aliena. Porro certum est, quod in hoc casu facienda est sub gravi restitutio; hinc ab Innocentio XI damnata est contraria propositio — Sed cui restituendum? Si domini incerti sunt, restitutio sub gravi fieri debet pauperibus aut locis piis. Si vero domini recognoscantur, quamvis ipsis videatur facienda restitutio juxta regulam generalem; nihilominus puto probabilius, non peccare graviter qui restitueret pauperibus loci; nam fur in eo casu non intulit damnum grave dominis, sed reipublicæ: quæ merito præsumitur non esse graviter invita, si restituatur partibus magis indigentibus reipublicæ. Hinc tabernarii pro minutis furtis ex se loquendo, excusantur a gravi culpa, si quod ablatum est, non tribuant ipsis damnificatis; sed pauperibus loci, vel in pias causas impendant *(S. Alphonsus,* l. III, nn. 534, 595).

II. Si plerique simul uni furentur pauca, quæ simul collecta damnum grave proximo irrogent, si id agant communi consensu aut mutua instigatione, singuli graviter peccant; ideo singuli tenentur in solidum ad restitutionem. Quod si agant independenter unus ab alio, nemo eorum peccat mortaliter, aut contrahit gravem restituendi obligationem: quia nemo esset causa formaliter injusta gravis damni. Imo probabilissimum est, neminem eorum peccare graviter, etiamsi sciant per minuta illa furta grave damnum domino irrogari; semper enim verum est neminem eorum esse causam efficacem totius damni; etsi graviter peccare possint ratione scandali.

III. Qui uni pluries furatur, sed parum singulis vicibus, si non intendat inferre grave damnum, neque paullatim ditescere in singulis furtis, non peccat graviter; nam res furtiva modica est, et animus furis non est nisi de levi. Excipe casum, quo furta levia simul sumpta pervenerint ad notabilem quantitatem, quin inter illa notabile intervallum intercesserit; tunc simul uniuntur ex re accepta, licet in ultimo furto, quod complevit materiam gravem, non animadverterit peccatum mortale. Unde

fur sub gravi tenetur ad restitutionem, etiamsi illa furtula singulis vicibus consumpserit; tenetur enim non quatenus illa retinet, sed quatenus ea accepit. Advertendum autem quod tunc, ut liberetur a gravi obligatione, probabilius satis erit restituere illam solam materiam parvam, quæ gravem complevit.

Dixi: *quin inter illa notabile intervallum intercesserit;* nam furtula minuta non censentur inter se coalescere, si adsit intervallum duorum mensium, imo etiam unius, et minus si furtula tenuia sint, et distent multum a materia gravi, et modo semper absit animus amplius furandi (1) — Cæterum ad constituendum gravem materiam major quantitas requiritur in furtis minutis, quam in aliis; minus enim in minutis solent domini esse inviti. Hinc si hæc furtula fiant eidem personæ diversis vicibus, ad materiam gravem requiritur unum simplex cum dimidio; v. g. si sint materia gravis libellæ sex, per furta minuta requiruntur novem libellæ. Si vero furtula fiant diversis personis et diversis vicibus, requirunt duplum, libellas nempe duodecim; quia tunc gravitas non tam exurgit ex damno illato, quam quod fur ditescat de alieno. Item est quoad furtula rerum expositarum, ut sunt fructus secus vias et ligna in sylvis: ad gravitatem furti major requiritur materia. Quod idem ordinarie docent de furto esculentorum ac poculentorum *(S. Alphonsus,* l. III, n. 530).

365. **Ligna in sylva Communitatis cædere.** Certum est Communitati cuilibet fas esse ob bonum publicum sub aliqua pœna vetare, ne quis ligna in ipsius Communitatis sylva cædat, si aliunde oppidani possint sibi commode providere. Hac tamen prohibitione data, communiter docent, quod non peccat saltem graviter incola in eadem Communitate ligna cædens: neque tenetur ad restitutionem, nisi magnam fecerit lignorum stragem; sed tenetur tantum ad pœnam post judicis sententiam. Talis enim prohibitio habetur communiter uti pure pœnalis.

Dixi: *nisi magnam fecerit lignorum stragem,* seu nisi magnum communitati damnum inferat; tunc excederet in jure suo particulari et restituere deberet Communitati læsæ (nempe pauperibus vel pio instituto loci ipsius). Hæc tamen, ut *magna* di-

(1) Hac de re confessarii prudentes se gerant, et caveant ne alligent onera gravia et importabilia et imponant in humeros pœnitentium, eos illico sub gravi ob minuta furtula obligando ad restitutionem. Generatim satis est illos hortari ut si commode fieri potest damnificatis aliquid restituant maxime pauperibus; sin autem intentionem gerant satisfaciendi per eleemosynas; item orent, Missam audiant pro iis qui damna passi sunt etc.

catur, non est attendenda gravitas materiæ in se, sed damnum quod ipsi infertur Communitati. Hinc videtur non peccare saltem mortaliter qui sibi comparat unam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, vel duas singulis hebdomadibus etiam ad vendendum; quia quod dives accipere potest ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum, ut cætera necessaria emat *(S. Alph.,* l. III, n. 529; *Scavini,* l. II, n. 793) (1).

366. **Furtum uxorum.** Uxor, cui commissa est domestica administratio, non est furti rea subducendo aliquod de communibus bonis (etsi habeat bona propria) pro victu, vestitu, cæterisque familiæ necessariis, vel pro ordinariis eleemosynis. Sæpe enim mariti ignorant quæ sunt necessaria vel convenientia familiæ, et nonnisi cum rixarum periculo exiguntur ab uxore.

Hoc tamen esse debet in ea mensura, quam proprius status concedit; nam si uxor, mariti voluntate non satis prudenter præsumpta, frumenta, pecunias et hujusmodi in notabili quantitate impenderit in eleemosynas, donationes et similia ex bonis communibus, peccat graviter et debet restituere ex bonis paraphernalibus; quæ si non habeat, tenetur majori cum solertia in re domestica curare compensationem, cum proposito abstinendi in posterum ab hisce largitionibus *(S. Alph.,* l. III, n. 540).

367. Si uxoris pater, mater, vel proles alio matrimonio suscepta egeat (ubi maritus nolit ipsis opitulari) poterit uxor ex communibus bonis, si propria non habeat, iis subvenire. Nam jure naturæ tenetur eosdem alere, et maritus debet rationabiliter consentire. Quam facultatem extendunt plures ad fratres et sorores; concordat jus civile *(a.* 140 *et seqq.).*

368. Si maritus dissipet dotem uxoris, tenetur illam restituere uxori vel hæredibus; quia dotis proprietatem non habet. Quod magis dicendum si, ista invita, distrahat bona paraphernalia; nam proprietas, administratio, ususfructus est solius uxoris.

Si vero dissipet bona communia, generatim negant maritum teneri ad restitutionem; quia uxor ex lege non habet jus strictum, nisi ad suam partem bonorum, quæ, soluto matrimonio, extabunt. Ideo quamvis maritus bona communia dissipando peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios; non

(1) In sylvis privatorum aut omni aut saltem gravi culpa vacant pauperes, qui ex his colligunt, imo et succidunt fructices, virgulta ad ignem necessarium. Quippe non immerito dixeris hæc eis ex caritate deberi, maxime si domini sciant et taceant. Dum ne succidendo vastent, nec cædant arbora vel arborum ramos (nisi emortuos forte), nec palos eorum, aut vinearum detrahant, nec sepes diruant. *Summula Reatina.*

tamen contra justitiam. Sed uxor præcavere potest bonorum dissipationem illorum separationem juridice postulando; et interim præstat bona caute abscondere, ut in utilitatem familiæ servet *(a.* 1418; *S. Alph.,* l. III, nn. 539, 546) (1).

369. **Furtum filiorumfamilias.** Filiifamilias graviter peccant, si invitis parentibus, ex bonis domesticis surripiant summam notabilem; non enim sunt bonorum illorum domini. Unde si cohæredibus noceant notabiliter, tenentur sub gravi ad restitutionem ex bonis propriis, si habeant; vel quantitatem rei ablatæ conferendo in divisione hæreditatis post mortem patris, nisi pater expresse aut tacite restitutionem remiserit, et remittere potuerit: quod præsumitur si furtum jam sit consumptum, nec ideo filius ditescerit — Quod si filius sit solus, neque habeat cohæredes, eum liberant a restitutione; quia pater tunc non censetur ita invitus. Et in omni casu, si filius operas domi præstat patri indebita, compensatio fieret pro rata *(S. Alph.,* l. III, n. 543).

In furtis tamen filiorumfamilias (et uxoris) plus requiritur ad gravem materiam, quam in furtis extraneorum; quia paterfamilias est minus invitus, et si invitus sæpe est magis invitus quoad modum, clam nempe surripiendi, vel ratione finis ob quem surripitur, v. g. ad ludendum; quam quoad substantiam rei surreptæ. Ex lege civili non datur actio patri vel marito in filiorum furtis, uxorum et vicissim. Neque in furtis inter fratres et affines in eodem gradu, si simul convivant. Cooperatores tamen extranei puniuntur *(Cod. pœn.).*

370. **Furtum famulorum.** Si famuli esculenta et poculenta domo exportent in materia gravi aut vendant, graviter peccant et tenentur ad restitutionem; cum domini graviter et merito sunt inviti. Si vero ea domi consumunt, facilius excusantur, nisi esculenta et poculenta sint pretii extraordinarii; quia dominus, maxime si non ita tenax, in his esse solet magis invitus circa modum illum occultum, quam circa rerum substantiam. Sciunt enim domini id communiter evenire; ad modum quo operarios in vineam conducens scit, uvas ab iis esse co-

(1) An teneatur uxor *de suo* restituere quæ maritus furatur ab extraneis, nega: nam obligatio restituendi et personalis et realis est; uti *personalis* obligat ipsum damnificatorem vel cooperatores; uti *realis* rem respicit furto sublatam. Porro, ut supponitur, uxor neque ratione detentionis neque ratione cooperationis damnari potest (hoc vicissim currit de furtis uxoris quoad maritum). Cæterum etsi uxor non teneatur restituere de suo; teneretur, si posset, de bonis familiæ, si ideo facta sit ditior utendo re aliena.

medendas ad saturitatem; nam quis bovi trituranti os alligabit? *(S. Alph.,* l. III, nn. 344 et 454).

Si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, peccant mortaliter, et de restitutione tenentur; nec major quantitas requiritur, quam in aliorum furtis. Imo eorum furtum jure civili gravius punitur; cum domini in hoc sint maxime inviti, et famuli ipsorum abutantur confidentia *(Cod. pœn.).*

371. **Excusantia a malitia furti.** Præter compensationem (de qua n. 298) excusat necessitas. Quo nomine non intelligitur necessitas *ordinaria*, quam communiter patiuntur pauperes ostiatim viventes; alioquin nihil esset magis commune, quam furtum. Neque *gravis,* in qua nempe vita valde molesta ducitur; hanc enim facile quisque fingere potest, et aliunde aliquo modo potest depelli; quod si moleste vivitur, vivitur tamen.

Sola igitur *extrema* necessitas vel quasi extrema excusat, in qua nempe vita nostra vel proximorum nostrorum periclitatur, aut aliud gravissimum malum imminet, v. g. captivitas. Non jam quod hæc necessitas permittat furari, et faciat licitum furtum (hoc semper malum est); sed quia tunc omnia bona evadunt communia, adeo ut furtum nequeat amplius locum habere; et surripiendo non amplius surripiatur alienum, etsi sit magni valoris. *D. Thomas,* 2, 2, q. 66, a. 7 *(S. Alph.,* l. III, n. 702) (1).

Casus. Sergius mercatoris officinam ad aliquid emendum ingressus, nemine inspiciente, aureum anulum surripuit, quem tamen æneum putabat. Domum reversus cognoscit anulum aureum esse; sed post per urbem deambulans eum amisit. *Sergius omnibus attentis anuli aurei valorem solvere tenetur; quia probe sciens anulum aureum se abstulisse, fuit in mora culpabili illum restituendi, et in se suscepit omnem obligationem anulum uti talem restituendi; propterea omne periculum in se suscepit utpote damnosus damnificator, non excluso casu fortuito.* Episc. Eula.

372. **Resolutiones ac monita pro praxi quoad furtum.**

I. In tanta opinionum varietate circa restitutionis obligationem, caveat confessarius, ne statim obliget pœnitentes ad restitutionem: *Si enim sciens urgeat* (ait Bouvier) *obligationem restitutionis in casu, quo duplex datur opinio probabilis, injuste urgeret cum damno pœnitentis. Sed ille qui est causa injusti damni, ad restitutionem tenetur.*

II. Etsi in dubio solutionis generatim adhuc sit facienda restitutio (nam nequit fieri satis obligationi certæ per dubiam impletionem); attamen si debitor sit probus diligensque in debitis solvendis, et agatur de re longi temporis, adeo ut prudenter judicari possit ipsum solvisse, non esset inquietandus, etsi pro certo id affirmare

(1) Dives autem qui res suas occultat, ne pauper de iis sibi provideat si in extrema necessitate, non peccat nisi contra caritatem. Peccaret etiam contra justitiam, si pauperem impediret vi. *D. Thomas,* 2, 2, q. 66, a. 7.

nequeat. Idque magis tenet de meticulosis, qui jugiter dubitant (v. t. I, n. 65).

III. Graviter confessarii reprehendant illos genitores, qui aliquid domum deferentibus eorum filiis, leviter acquiescunt ipsorum rationibus. Principiis fortiter obstent, neque sinant, ut vel quid minimum surripiant quocunque prætextu.

IV. Parochi et confessarii sedulo adlaborent ad extirpanda minuta furtula quæ a pluribus absque ullo scrupulo committuntur; quæ etsi parva in se, numero gravia fiunt; et grave societati damnum afferunt. Hinc devastatores sylvarum, agrorum, et qui quotidie fraudant in vendendis et ponderandis mercibus, si non resipiscant, sunt absolutione indigni.

V. Si Confessarius vel Parochus debeat consilium infirmo tribuere, qui de rapinis occultis ditescerit, maxima prudentia opus habet in restitutionis modum suggerendo. Rationem habere debet: 1) *Familiæ* infirmi; si enim sint hæredes necessarii, præteriri nequeunt quoad legitimam — 2) *Personarum,* si enim prudenter damnificatis fieri possit restitutio, ipsis certo facienda est; non pauperibus — 3) *Temporum,* si infausta sint, et legata pro Ecclesia non habeantur rata; suggerat, ut legata præcipua in pauperum favorem, pro hospitalibus, etc. legaliter fiant. Quod si non sit amplius modus testamenti condendi, curet ut per hæredes, vel alios benemoratos (non tamen facile per ipsum parochum), plura tribuantur pauperibus, etc., intendendo propriis satisfacere obligationibus. Quæ si locum haberi nequeant, satis est, si infirmus dispositus sit ad prodendum, si convaluerit.

VI. Anima defuncti non jam detinetur in purgatorio, ut vulgo creditur, donec ab illius hæredibus sit facta restitutio ab ipso debita; nam nemo punitur ob culpam aliorum. Attamen si hæredes sollicite restitutionem peragant exhibendo aliquam pro anima debitoris satisfactionem, pie confiditur Deum hanc pro illa anima, ex parte saltem, benigne accepturum esse. *Gury (Scavini,* l. II, nn. 532 et 705; l. IV, nn. 44 et seqq.).

TRACTATUS NONUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

373. **Sacramenti definitio.** Novæ Legis Sacramentum communiter definitur: *Signum sensibile, a Christo permanenter institutum ad significandam et producendam gratiam.*

Dicitur: *Signum:* signum ex d. Augustino *est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire* (l. II de doctr. christ.). Quod quidem Sacramentis convenit: sic v. g. exterior corporis ablutio in Baptismate facit nos venire in cognitionem interioris ablutionis animæ.

Dicitur: *Sensibile,* id est sensibus patens; *est enim homini connaturale,* ait d. Thomas (3 p. q. 60, a. 4), *ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium.*

Dicitur: *A Christo institutum;* quia hoc signum, cum non habeat ex natura sua, ut id significare queat quod revera significat; ideo requiritur specialis determinatio ac institutio. Solus autem Christus potentia suæ divinitatis poterat signis sensibilibus adnectere virtutem conferendi gratiam *(D. Thomas,* q. 64, a. 3) (1).

Dicitur: *Permanenter* (seu stabiliter); cum enim præcipue per Sacramenta populus Dei in unam religionem coalescat et ab aliis distinguatur; tandiu Sacramenta erunt perduratura, quandiu

(1) Christus Dominus Sacramenta instituit non solum potestate divina, sed etiam potestate qua pollebat ut *homo*, tum propter hypostaticam unionem naturæ humanæ cum persona divina; tum propter merita suæ passionis et mortis. De hac potestate, quæ cum Angelico 3 *p. q.* 72 a theologis dicitur potestas *excellentiæ*, ipse Christus ajebat: *Omnia mihi tradita sunt.*

ipsa catholica religio, quæ durabit usque ad consummationem omnium sæculorum.

Dicitur: *Ad significandam et producendam gratiam;* nam ad naturam Sacramentorum novæ Legis pertinet non tantum significare, ut volunt Novatores; sed etiam et maxime producere gratiam interiorem, nempe sanctificantem, qua efficiamur justi et Deo grati. Ideo Sacramenta nostra non sunt signa mere speculativa; sed etiam practica, id est, ut ait d. Thomas (in 4, d. 27, a. 2, q. 3), *efficiunt quod significant*, nempe gratiam quam significant, operantur.

Et ideo hoc signum *sacrum* evadit, cum natum sit hominem sanctificare (*S. Alph.*, l. VI, n. 2).

374. **Sacramentorum existentia et numerus.** De fide est, in nova Lege septem esse Sacramenta proprie dicta, a Christo instituta: nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Est contra protestantes qui modo plura, modo pauciora admittunt; sed rectius nullum, cum ea inefficacia habeant (1). Veritas tamen catholica definita est in generalibus Conciliis Lugdunensi, Constantiensi et Florentino; tandem Tridentinum ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Domino N. J. C. instituta, aut esse plura aut pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit* (sess. VII, c. 1) (2) — Adde ss. Patrum consensum, qui data occasione septem Sacramenta memorant; adde omnium ecclesiarum liturgias, et constantem universalem traditionem etiam cœtuum christianorum, qui a remotissimis temporibus ab Ecclesia catholica divisi sunt, ut videre est penes

(1) Sacramenta juxta Lutherum sunt *signa* sive *sigilla* divinarum promissionum ad excitandam fidem; juxta Zwinglium sunt *signa divinæ gratiæ*, quæ Ecclesiam certiorem faciunt de suscipientium fide; juxta Calvinum sunt signa vel pignora, quæ electum certiorem faciunt de adepta fide divinisque promissis. Anabaptistis Sacramenta sunt *signa allegorica* spiritualis vitæ; arminianis, socinianis, mennonitis nudi ritus exteriores sunt, quibus christiani ab infidelibus secernuntur; quakeris *actus spirituales et interni effectus cœlesti luminis;* schwedenborgianis *symbola* sunt, quibus Deus et homo invicem conjunguntur; rationalistis denique sunt ritus longe præstantiores ritibus paganorum significatione tum symbolica tum morali. Sed contra est catholica veritas. *Perrone.*

(2) Lotio pedum, etsi a Christo instituta, nunquam habita fuit ut verum Sacramentum; cum stabiliter instituta non sit, sed habeatur potius ut quoddam humilitatis ac caritatis exercitium. Itemque aliquando latiori sensu ob eorum utilitatem Sacramenta vocabantur martyrium, mysteria passionis D. N., professio religiosa (*Scavini*, l. III, n. 195; *S. Alph.*, l. VI, n. 5).

Martenium et Allatium. Quod porro semper unum apud omnes invenitur, non est erratum; nam error stabilitatem nescit (1).

Dixi: *In nova Lege;* si enim Sacramenti nomen sumatur pro quocunque signo, etiam in veteri lege fuerunt Sacramenta. Idque supponit Tridentinum *(sess.* VII, *c.* 11), dum tradit novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis differre: tale fuit agnus paschalis, circumcisio, et variæ purgationes in lege Mosaica. Hæc tamen Sacramenta et vel ipsa circumcisio in probabiliori sententia non conferebant interiorem justitiam ex opere operato; id enim nonnisi Sacramentorum legis gratiæ proprium est; sed conferebant tantummodo justitiam externam ac legalem. Hinc Apostolus illa vocat *ægena et infirma elementa,* quia gratiam nec continebant nec conferebant (Gal.XIV).

Ad peccatum verum originale delendum sufficiebat pro parvulis fides in Salvatorem venturum ad salutem eorum directa ab aliis; ut enim docet Angelicus: *Peccatum, quod ex altero contrahitur, ex altero potest habere medicinam.* Quod quidem pro masculis hæbreorum, qui non moriebantur ante octavum nativitatis diem, id obtinebat in circumcisione. Pro cæteris, et etiam pro gentilibus qui veram religionem substantialiter servabant, non est dubitandum, *quin et ipsis misericors Deus* (ut habetur c. *Majores* 3 de Bapt.) *qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* V. d. Thomas, 3 *p. q.* 62 *et* 70. (S. Alph., *l.* VI, *n.* 4. Scavini, *l.* III, *n.* 194).

Dixi: *In lege mosaica;* an etiam fuerint Sacramenta in statu innocentiæ, alii affirmant cum Suaresio, ut nempe in gratia perseveratur. Alii negant cum d. Thoma, cum eis non indigerent homines *ex*

(1) De traditionis vi inter cæteros, v. card. Franzelin, *De traditione;* et Episc. Bonomelli, *Summa totius Theologiæ dogmaticæ*, t. I.

D. Thomas congruam rationem, cur Christus nec plura nec pauciora quam septem instituerit Sacramenta, desumit ex analogia vitæ spiritualis cum vita corporea. Nempe sicut in ordine naturali et corporis requiritur: 1) Ut homo nascatur — 2) Ut crescat — 3) Ut nutriatur — 4) Ut medicinam accipiat ægrotans — 5) Ut muniatur contra hostes in periculis — 6) Ut regatur — 7) Ut species humana per generationem conservetur (3 *p. q.* 65).

Ita in ordine supernaturali et animæ datur: 1) *Baptismus* ad nativitatem — 2) *Confirmatio* ad incrementum — 3) *Eucharistia* ad nutrimentum — 4) *Pœnitentia* ad medicinam — 5) *Extrema-Unctio* ad munimen — 6) *Ordo* ad regimen — 7) *Matrimonium* ad fidelium propagationem. Huic facit illud Proverbiorum IX: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* (De circumcisione v. *Scavini,* l. III, n. 194). Errores autem quoad Sacramenta a Tridentino damnati v. *t.* I, *n.* 963.

Etsi autem septenarius Sacramentorum numerus in Scriptura non inveniatur expresse notis arithmeticis indicatus, sparsim tamen huc illuc omnium mentio habetur (non tantummodo Baptismi et Eucharistiæ, ut dicunt novatores). Patebit ex dicendis de singulis Sacramentis.

rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur (3 p. q. 61) — In statu autem legis naturæ ad delenda peccata, docent communiter aliquod fuisse institutum signum seu Sacramentum; id enim Dei bonitati valde congruit; *quamvis quid illud esset... Scriptura latere voluerit*, ait d. Augustinus, l. v contra Julianum *c.* 11.

375. **Principia.** I. Christus non solum Baptismum et Eucharistiam (quod de fide est a Tridentino definitum, quodque generatim admittunt vel ipsi protestantes, etsi cum erroris admixtione); sed alia quoque Sacramenta immediate instituit, nempe ipse per se omnia singillatim designando: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? de cœlo ista Sacramenta venerunt,* ajebat d. Ambrosius vel alius antiquus auctor *de Sacramentis* (l. iv, c. 4). Hinc Apostolus se et cæteros in Apostolatu socios haberi voluit non ut auctores, et promulgatores, sed tantummodo, ut *dispensatores mysteriorum Dei* (i Cor. iv).

II. Imo probabilius ipsa materia et forma non tantum Baptismi et Eucharistiæ, sed aliorum quoque Sacramentorum fuerunt a Christo Domino in specie determinatæ, ut docet cum d. Thoma Benedictus XIV (1). Nam Tridentinum definivit, posse Ecclesiam mutare ritus in administratione Sacramentorum, *salva tamen illorum substantia;* at posset et hanc mutare, si Ecclesia Sacramenta instituisset. Nihil autem ad substantiam magis pertinet, quam eorum materia et forma, quippe quæ sunt partes, ex quibus illa coalescunt *(S. Alph.,* l. vi, n. 12).

III. Septem Sacramenta non sunt paria in dignitate. Tridentinum enim habet: *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit* (sess. iv, c. 3). Est autem Eucharistia omnium excellentissima, eo quod non gratiam solum contineat, sed ipsum gratiæ Auctorem. Ratione necessitatis Baptismus est potissimus Sacramentorum. Ratione perfectionis et ministri Confirmatio et Ordo. Extrema-Unctio et Pœnitentia sunt infe-

(1) Audiendus Angelicus: *In usu Sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis: quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res, quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in Sacramentis novæ Legis quibus homines sanctificantur... oportet uti rebus ex divina institutione determinatis* (3 p. q. 60, a. 5).

rioris gradus; quia ordinantur ad vitam christianam tantum in casu supervenientis defectus (1).

IV. Sacramenta: 1) Alia sunt *necessaria* singulis hominibus, alia *non*. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit* (sess. VII, c. 4) — 2) Alia sunt *imprimentia characterem* in anima, ut sunt Baptismus, Confirmatio et Ordo: et alia *non imprimentia*, uti cætera — 3) Alia dicuntur *vivorum*, alia *mortuorum*, prout sanctificantem gratiam tantum adaugent, vel ex primaria eorum institutione illam conferunt — 4) Alia dicuntur *formata*, alia *informia*, prout gratiam producunt dum suscipiuntur; aut intercedente obice, effectum suum suspendunt, donec obex removeatur (*S. Alph.*, l. VI, n. 67; *Scavini*, l. III, n. 208).

V. Omnia Sacramenta (supposito subjecto capaci ea recipiendi) tribus perficiuntur, videlicet *rebus* tanquam materia, *verbis* tanquam forma, et persona *ministri* cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. *Eugenius IV.*

376. Dices: *Christo interroganti quid boni opus esset, ut haberet vitam æternam, respondit:* Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; *et hæc enumerat, nulla facta Sacramentorum mentione* (Matth. XIX) — R. Ad servanda mandata auxilium supernæ gratiæ requiritur; unde etiam media adhibere necesse est, a Deo ad gratiam acquirendam instituta et præscripta. Porro inter hæc media præcipuum locum tenent Sacramenta, quorum quidem usus in Divinis Scripturis clare præcipitur.

377. Utique Deus poterat aliis modis gratiam sanctificantem omnino necessaria ad salutem, nobis communicare; sed ex quo statuit ut ipsa conferatur per Sacramenta, hæc de necessitate sumenda sunt.

CAPUT PRIMUM

De Materia, Forma et Ministro Sacramentorum.

378. **Materia et Forma Sacramentorum.** *Materia* est res sensibilis præexistens, quæ adhibetur ad Sacramenti confectionem. *Forma* vero sunt verba quibus utitur minister ad applicandam rem illam præexistentem ad esse Sacramenti. Quamvis

(1) Item matrimonium est extremæ necessitatis ad propagationem, et habet secundum quid quandam excellentiam ratione significationis; significat enim conjunctionem Christi cum Ecclesia. At non simpliciter; dignior enim est cœlibatus (vide *d. Thomas*, 3 p. q. 65, a. 3 et 4).

autem res sensibilis et verba sint diversorum generum, quia res sensibilis est a natura, verba a ratione; attamen, notat Angelicus, conveniunt in unum, nempe in ratione significandi (3 *p. q.* 60, *a.* 7).

Divisio materiæ. Multiplex dividitur materia Sacramentorum:

1) Alia *remota,* et est ipsa res externa et sensibilis, ex qua Sacramentum conficitur: talis est aqua in Baptismo. Alia *proxima*, et est actio, qua minister materiam remotam applicat subjecto Sacramentum suscipienti: talis est in Baptismo ablutio, quia per hanc ablutionem ipsa materia remota, nempe aqua, applicatur baptizando.

2) Alia *certa,* quam certe constat esse reapse illam, quam Christus determinavit: puta aquam naturalem in Baptismo. Alia *dubia,* ut si dubitetur, utrum reapse sit illa, quæ pro dato Sacramento constituta est: puta si pro Baptismo exhibeatur liquidum de quo incertum est, utrum sit aqua naturalis.

3) Alia *essentialis,* quæ absolute requiritur ad validitatem Sacramenti. Alia *accidentalis,* quæ ad majorem tantummodo significationem aut reverentiam pertinet.

Divisio formæ. Forma Sacramentorum: 1) Alia est *absoluta,* quæ absolutis verbis enunciatur, v. g. *ego te baptizo.* Alia *conditionalis,* cui adnectitur aliqua conditio, v. g. *ego te baptizo, si non es jam baptizatus* — 2) Alia *certa,* alia vero *dubia:* prout nempe vel certum, vel dubium facit Sacramentum — 3) Alia *substantialis,* alia *accidentalis;* prout de necessitate requiritur ad valorem, vel non.

379. **Principia**: Certum est in Eucharistiæ confectione ad validitatem requiri proximitatem sive conjunctionem physicam materiæ cum forma; quia pronomen demonstrativum *hoc, hic,* non potest verificari, nisi materia sit præsens.

In aliis Sacramentis ad validitatem proximitas talis esse debet, ut secundum moralem hominum æstimationem, spectata natura Sacramenti cujuslibet, verba ita censeantur cadere in talem materiam, ut inde unum totale exurgere judicetur; si enim *tanta sit interruptio verborum* (ex Angelico, 3 p. q. 60, a. 8), *quod intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur sensus Sacramenti, et per consequens veritas ejus* — Item materia et forma ad validitatem debet ab uno eodemque ministro applicari erga idem subjectum. Nam si unus materiam, alius formam poneret, verba formæ non verificarentur; si enim Titius, v. g. diceret *ego te baptizo*, dum Cajus aquam effundit, Titius falsum proferret, siquidem ipse non baptizaret.

Dixi 1: *Spectata natura cujuslibet Sacramenti;* nam conjunctio moralis diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum. Sic in Baptismate, Confirmatione, Extrema-Unctione et Ordine conjunctio materiæ cum forma debet esse talis, ut dum minister verba pronuntiat, moraliter censeatur lavare, signare, ungere et consecrare. Quod fit, sive materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, sive immediate postquam prolata est — In Pœnitentia vero aliquandiu poterit absolutio differri; cum sit instituta ad modum judicii forensis, in quo non semper subito profertur sententia (modo satis præsens sit pœnitens, quando absolvitur); attamen distantia non tanta esse debet quanta fit in judicio forensi: putat Croix valide absolvi pœnitentem post horam a confessione. Cæterum in Matrimonio poterit consensus unius partis tamdiu sequi consensum alterius, quandiu hic moraliter censetur permanere, uti in contractibus, quorum quidem naturam Matrimonium imitatur *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 8).

Dixi 2: *Ad eorum validitatem;* ad licitatem enim ex præscripto Ritualis verba uno et eodem tempore, quo applicatur materia, proferenda sunt. Ad scrupulos tamen repellendos communiter advertunt sufficere, ut forma proferatur, dum applicatur materia, saltem antequam desistatur applicari.

380. Cæterum cum valor Sacramentorum pendeat a sola Christi institutione, non vero ab opinione hominum, etsi probabiliori; patet generatim loquendo et extra casum necessitatis, nos in iis conficiendis sequi debere quod securius est; et ideo licitum non esse ea administrare cum opinione tantum probabili de eorum valore (1). Id deducitur etiam ex propositione 1ª ab Innocentio XI damnata (v. t. I, n. 72) — Hinc qui secus agit, graviter peccat: *a)* Contra *Religionem*, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis. *b)* Contra *caritatem,* quia discrimini se committit proximum fructu defraudandi. *c)* Contra *justitiam,* quia ex quo vult Sacramentum ministrare, se tacite ad valide ministrandum obligat in bonum suscipientis.

Dixi: 1) *Generatim loquendo;* nam cum adest vera probabilitas, ea Sacramenta bene possunt ministrari, in quibus potest Ecclesia defectum supplere: ut evenit in Pœnitentia, si forte sacerdos jurisdictione careat; justa enim causa adveniente ac

(1) Intellige: *quando tutior potest poni*. Sane est ut plurimum impossibile quod confessarius habeat cognitionem plusquam probabilem de dispositione pœnitentis, cum hæc nitatur signis per se fallibilibus.

titulo, Ecclesia jurisdictionem supplet in bonum fidelium — 2) *Extra casum necessitatis ;* si enim homo sit in extrema necessitate suscipiendi hic et nunc Sacramentum, nec præsto sit materia certa seu tutior, dubia est adhibenda, ut ipsi provideatur quoad potest; sub conditione tamen tunc est administrandum ob reverentiam Sacramenti ipsius *(S. Alph.*, l. VI, n. 49) (1).

381. **Sacramenta sub conditione.** Si conditio Sacramento apposita sit de præterito, v. g. *te baptizo, si non es baptizatus ;* aut de præsenti, v. g. *absolvo te, si catholicus es ,* valet vel non valet Sacramentum prout existit vel non illa conditio; tali enim conditioni Sacramentum est alligatum.

Si vero conditio est de futuro contingenti, v. g. *te absolvo, si futurus eris sacerdos,* nullum fit Sacramentum; quia conditio tunc suspendit intentionem ministri, et ideo impedit ne forma hic et nunc applicetur materiæ. Excipe Matrimonium, quod cum sequatur naturam contractus, etiam sub conditione de futuro contingenti iniri potest, modo perseveret consensus datus.

Si tandem conditio est de impossibili, v. g. *te absolvo, si cœlum digito tetigeris,* non obest; nam nugatorie censetur posita *(S. Alph.,* l. VI, n. 26; *Scavini,* l. III, n. 14).

382. **Sacramentorum iteratio.** Sacramenta sine gravi culpa iterari nequeunt, nisi in dubio prudenti de eorum validitate; nam gravis injuria illis irrogaretur, ea inaniter repetendo. Si vero adest prudens dubium quod invalide sint collata, tunc et possunt et ordinarie debent sub conditione iterari; id enim postulant tum Sacramenta ipsa ne frustrata maneant, tum ea suscipientes ne ipsorum effectu priventur.

Hinc 1) Loquendo de Baptismo, si prudenter dubitetur, an quis sit valide baptizatus, sub conditione rebaptizandus erit, ut ejus saluti consulatur. Idem dicendum de Confirmatione et Ordine, si grave dubium sit, an quis hæc Sacramenta valide receperit; cum enim ea una tantum vice conferantur, qui illa dubie recepit, semper dubie viveret, an sit confirmatus, ordinatus, baptizatus.

2) Loquendo de Eucharistia, qui prudenter dubitat, an verba consecrationis protulerit, illa repetat sub conditione: v. g. *Si nondum consecravi:* ex Rubrica Missalis.

3) Loquendo de Matrimonio, si agatur de legitimanda prole et jamjam mater aut pater sit moriturus, nec satis possit ve-

(1) Propositum Synodi Pistoriensis de omittenda forma conditionalis mentione sub prop. 27 damnatur ut temerarium, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contrarium.

rificari, si prior conjux adhuc vivat, illud sub conditione contrahitur, *si soluta* vel *solutus es.*

4) Loquendo de Extrema-Unctione, si eam conferens dubitet an infirmus adhuc vivat, prosequatur unctionem conditionate, *si adhuc vivis.*

5) Loquendo tandem de Pœnitentia licitum est confessario prudenter dubitanti an pœnitentem absolverit, illum absolvere sub conditione: *Ego te absolvo, si nondum es absolutus,* etiam ipso pœnitente inscio.

Dixi *in dubio prudenti;* qui enim leviter dubitat, nescitque cur timet, aut solum non recordatur reflexe, se verba formæ pronuntiasse, peccat si formam iteret, aut etiam verbum unum ter aut quater repetat; quia formam mutat, inducitque Christum quem repræsentat, ridicule agentem; verum generatim est tantum leve peccatum. Imo in praxi scrupulosi plerunque omnino a peccato excusantur; quia nimis agitati, vel sine advertentia ita agunt.

Qui vero non valet mente quieta revolvere conditionem suis terminis expressam, et tamen Sacramentum conficiat sub conditione, quia advertit hic et nunc ita esse agendum, non est condemnandus. Hinc non est damnandus sacerdos, qui extemplo accurrens ad infirmum jam sensibus destitutum, illum absolvit sub conditione, quia ita didicit esse in simili casu peragendum; quin præcise sciat quænam ista conditio. Necesse autem non est ut ea ore exprimatur; sed sufficit mente concipi, ut communiter docent. At conditio clare exprimenda erit in Baptismo dubio publice collato, ne adstantes credant Baptismum absolute iterari contra Ecclesiæ legem (*S. Alph.*, l. III, n. 29). V. Berardi, *De recidivis,* c. 2.

383. **Mutatio materiæ et formæ in Sacramentis.**

1) *Materiæ mutatio* contingit dupliciter, *substantialiter* et *accidentaliter.* Mutationem *substantialem* patitur materia, quando ex communi judicio eadem amplius non censetur ac illa, quæ a Christo fuit instituta, ut si in Baptismo vinum pro aqua adhibeatur; tunc non conficitur Sacramentum. *Accidentalem,* quando licet ex aliqua parte differat ab illa, quam solet Ecclesia adhibere; adhuc tamen eandem naturam sibi retinere existimatur: ut si quis aquæ Baptismi cineres in parva quantitate immisceret: et tunc Sacramentum adhuc validum est.

2) Idem est de *formæ mutatione.* Substantialiter mutatur forma, si verba ita immutentur, ut eorum sensus non amplius habeatur, et sic manifestum est (concludit d. Thoma, 3 *p. q.* 60, *a.* 8) quod tollitur veritas Sacramenti; v. g. si quis in Baptismo diceret: *Ego te ungo in nomine* etc. Accidentaliter vero, si

etiam mutatis verbis, sensus idem maneat ex communi hominum usu, ut si quis in Baptismo diceret: *Ego te abluo*, loco: *ego te baptizo* — Mutatio autem formæ facilius erit substantialis, si fiat in principio, puta si loco *in nomine patris*, dicatur *in nomine matris*, quam si fiat in fine verborum, ut si dicatur *in nomine patrias, et filias;* ideo est ex Angelico (3 *p. q.* 60, *a.* 7) *quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mutat significationem; variatio autem ex parte finis dictionis, ut plurimum non mutat significationem.* Cæterum ad cavendum ab erroribus maxime cavendum est a præcipitatione.

Sex modis præcipue mutari potest forma: additione, detractione, variatione, transpositione, corruptione, interpollatione. Hinc versus:

Nil formæ ponas, nil demas, nil variabis,
Transportare cave, corrumpere verba, morari.

Qui scienter formam Sacramentorum *substantialiter* mutat (quod valet etiam de mutatione materiæ) peccat mortaliter; imo et sacrilegii se reum constituit. Nam nullum facit Sacramentum; et ideo gravem injuriam irrogat ipsi Sacramento et fidelibus illud suscipientibus — Imo peccaret mortaliter etiam mutando *accidentaliter*, etsi Sacramentum non invalidet, si id agat ex contemptu, vel si omissio sit multum importabilis ac sub gravi præcepta, ut esset aqua benedicta in Baptismate solemni, vel azymus in Eucharistia pro latina Ecclesia *(S. Alph.*, l. VI, nn. 109, 224 432; *Scavini*, l. III, n. 16).

Casus. Sacerdos Sacrum faciens, lapsu linguæ aut distractionis ad panis consecrationem dixit: *Hoc est Calix;* sed errorem advertens retractavit mentaliter verbum *Calix* et dixit *Corpus meum* — R. Cum in usu humano si lapsu linguæ effluat ex ore verbum indebitum, statim sola illius verbi mutatione corrigatur, neque initium orationis repeti soleat; ideo consecratio panis saltem probabiliter valida fuit; sicut valet Baptismus sic collatus: *Ego te baptizo in* honore, no... *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Attamen ad omne dubium auferendum et unitatem sermonis servandam, erit repetenda tota forma sub conditione: sed peracto Sacro, non est aliud pro stipendio celebrandum; nam factum supponitur recte factum. *Croix.*

384. **Sacramentorum Minister.** Est qui nomine Christi, cujus vices gerit, actionem sacramentalem peragit. Est autem solus homo viator: cum ipsi tantum de ordinaria Dei providentia id tributum sit: est contra Lutherum, qui etiam diabolo (quocum familiariter utebatur) hanc tribuit facultatem. Veritas patet ex Scripturis, ubi legitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum* (Hebr. III) (1).

(1) D. Thomas theologicam rationem assignat: *Tota virtus Sacramentorum a passione Christi derivatur, quæ est Christi secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non Angeli...; et ideo* (ordinarie) *ad homines pertinet dispensar Sacramenta, et in eis ministrare, non ad Angelos* (3 p. q. 63, a. 7).

Dictum est: *De ordinaria Dei providentia;* nihil enim impedit, quominus Deo dispensante, et Angeli et animæ corpore proprio solutæ Sacramenta extraordinarie ministrent, in assumpto corpore (1).

385. Duplex generatim distinguitur minister Sacramentorum:

1) *Ordinarius*, qui per legitimam ordinationem, ideo vi muneris proprii, Sacramenta conficit. Hinc Tridentinum definivit: *Si quis dixerit christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit* (sess. VII, canone 10).

2) *Extraordinarius*, qui conficit aliqua Sacramenta, sed ob peculiare privilegium, delegationem vel necessitatem.

ART. I. — De Requisitis ad Sacramenti confectionem seu de Intentione, Attentione, Fide et Probitate Ministri.

386. **Intentio ad Sacramenti confectionem.** Intentio est actus voluntatis, quo quis deliberate vult aliquid agere vel omittere. Ideo intentio debet esse serio posita et ex animo; secus non haberetur verus actus voluntatis sed ejus fictio — Multiplex tamen distinguitur intentio: *actualis*, est voluntas præsens; *virtualis*, est voluntas quæ præcessit, sed perseverans in aliquo exteriori actu humano; *habitualis*, est voluntas præterita non revocata, sed in nullo actu exteriori perseverans; *interpretativa*, quæ tantum supponitur; *mimica* seu *jocosa*, qua quis exterius et interius irridet quod agit; *externa* tantum, qua quis exterius rem serio agit, sed illam irridet interius; *interna* et *externa simul*, qua quis interius serio facit quod externe agit. Item *absoluta* et *conditionata*, prout nullam vel aliquam conditionem adnexam habet, de qua supra n. 72 (v. t. I, n. 12).

387. **Principia:** Ad validam Sacramenti confectionem requiritur in ministro *deliberata voluntas saltem faciendi quod facit Ecclesia* per illum ritum (per conjunctionem materiæ cum forma), nempe faciendi aut quod Christus instituit, aut quod vidit per Parochum fieri, aut quod christiani faciunt vel vera Ecclesia. Sane actus administrandi Sacramenta, cum commissus sit instrumento animato seu hominibus, debet esse humanus: talis porro non est qui sine deliberatione et interna vo-

(1) Deus enim, ait Angelicus (3 *p. q.* 64, *a.* 7), non ita virtutem alligavit Ecclesiæ ministris, ut per angelos illam tribuere non possit; *sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata.* Quod quidem narrant evenisse de celeberrimo Sanctuario Einsildensi.

luntate ponitur (1). Est de fide: Tridentinum enim definit *(sess.* VII, c. 11): *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Hinc si mulier ignara fidei nostræ puerum in vitæ discrimine abluat his verbis: *Ego te baptizo* etc., volens id facere quod christianas obstetrices eo in casu alias fecisse vidit, vere baptizat. Aliter esset si hæc mulier ea ablutione non aliud putet, quam medicinam præbere; tunc enim non haberet intentionem faciendi quod christiani ex institutione Ecclesiæ faciunt (2).

388. *Resolve:* 1) Hinc omnino invalida est intentio jocosa; hæc enim, dicente Angelico, *excludit rectitudinem intentionis, per quam perficitur Sacramentum* (3 p. q. 64, a. 10).

2) Vera ac deliberata intentio quæ requiritur, necesse non est, ut sit actualis, etsi sit exoptanda; *hoc enim*, ait d. Thomas, *non est totaliter positum in hominis potestate, qui præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare secundum illud Psalmi* XXXIX: Cor meum dereliquit me.

3) Sufficit intentio *virtualis,* hæc enim satis influit in actionem ministri, adeo ut vere humana ac deliberata dici possit: *Puta,* habet d. Thomas, *cum sacerdos accedit ab baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

4) Non tamen sufficeret *habitualis;* quamvis enim ea aliquando elicita fuerit, tamen in nullo effectu seu actionum se-

(1) Pulcre d. Thomas: « Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi: sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari et ad munditionem corporalem et ad sanitatem corporalem et ad ludum et ad multa alia hujusmodi. Et ideo oportet quod determinetur ad unum, et hæc intentio exprimitur per verba quæ in Sacramentis dicuntur, puta cum dicit: *Ego te baptizo in nomine* etc. » (3 p. q. 64, a. 8).

(2) Ambrosius Catharinus, qui Tridentino adfuit, docuit ad veram intentionem sufficere, ut minister serio debitam formam materiæ exterius applicet ut facit Ecclesia, volens celebrare ritum quem Ecclesia celebrat; interius tamen non habeat intentionem faciendi illo ritu quod vult facere Ecclesia, imo habeat intentionem contrariam. Ex Tridentino enim requiritur tantum intentio *faciendi quod facit Ecclesia;* non vero intentio faciendi quod intendit facere ipsa Ecclesia. Hæc doctrina a Lutheri et Calvini doctrina differt; nam isti contendunt valere Sacramentum etiam per jocum ministratum. Negari tamen non potest, ut observat Benedictus XIV, grave vulnus huic opinioni inflictum fuisse ab Alexandro III, dum damnavit hanc n. 28 propositionem: *Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.* Hinc Pontifex vult, ut Sacramenta characteristica sic administrata iterentur sub conditione, si periculum sit in mora: secus Sedis Apostolicæ oraculum exquiratur.

rie perdurat. Tanto minus sufficeret intentio *interpretativa*, quæ nunquam elicita fuit, sed eliceretur tantum, si de re agenda mens cogitaret; non enim intentio quæ *esset*, sed quæ *est* in actum influit *(S. Alph.*, l. VI, n. 16).

5) Ad validam Sacramenti confectionem, non requiritur, ut minister expresse intendat Sacramentum conficere (modo Sacramentum positive non excludat), vel ejus effectus producere, puta gratiam et characterem; sed sufficit intentio generalis, serio posita: nempe sufficit, si minister applicando materiam subjecto velit facere quod tali ritu intendit Ecclesia. *Quamvis ille*, iterum Angelicus, *qui non credit Baptismum esse Sacramentum aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat dum baptizat conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse; et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite* (in 4 dis. 6, q. 10, a. 3). Hinc valide baptizat qui credit nullum effectum habere Baptismum in animam; *quia non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia*, uti declaravit S. Officii Congr. 18 dec. 1872.

6) Non requiritur, ut intelligatur Ecclesia Romana; etenim valet Baptisma collatum ab hæreticis, qui Ecclesiam Romanam non putant veram; nam prævalet semper generalis intentio faciendi quod facit vera Ecclesia. Sane cum vera Ecclesia sit romana, in explicita generali intentione faciendi quod facit vera Ecclesia, implicite continetur intentio faciendi quod facit Ecclesia romana. Excipe casum quo quis ita mordicus propriæ sectæ adhæreat, ut nonnisi quod hæc facit expresse intendat efficere; vel ita male affectus sit in Romanam Ecclesiam, ut ex proposito nolit prorsus facere quod hæc facit illo ritu; tunc vera deficeret intentio *(S. Alph.*, l. VI, n. 21) (1).

389. **Attentio ad Sacramenti confectionem.** Attentio est applicatio mentis ad ea, quæ peraguntur. Duplex est: alia *interna*, quæ consistit in ipsa advertentia mentis ad id, quod agitur. Alia *externa*, quæ excludit omnem aliam actionem, quæ impedit ut actio fiat humano modo (v. t. I, n. 193).

(1) Cæterum ne nimium solliciti simus suspicantes de valore Sacramentorum ob ministrantis intentionem; nobis satis est si verba proferat, ut notat Angelicus, *nisi contrarium exprimatur ex parte ministri vel recipientis Sacramentum* (3 p. q. 64, a. 8).

Principia: Ad Sacramenti validitatem omnino requiritur attentio externa, qua scilicet minister externos ritus præscriptos humano modo perficiat; secus non haberetur nisi actio materialis. Non tamen requiritur ad validitatem attentio interna, ita ut intellectus hic et nunc deliberate consideret quod actu agit; id enim non est totaliter positum in nostra potestate. Igitur valide administrat Sacramentum minister, qui interne et actualiter non attendit, utpote distractus.

Attamen ad licitatem collationis requiritur, ut absit omnis voluntaria distractio; reverentia enim Sacramento debita id exigit. Verum commune est, non peccare nisi venialiter ministrum, qui voluntarie se distrahit, nisi inde oriatur periculum errandi: et excepta Eucharistia, in qua qui voluntarie se distrahit, probabiliter mortaliter peccat ob maximam reverentiam ipsi debitam *(S. Alph.,* l. VI, n. 14).

390. **Fides in ministro.** Ad validitatem Baptismi requiri in ministro catholicam fidem, ideoque illud invalidum esse, si ab hæretico collatum sit, docuerunt sæculo III nonnulli Asiæ et Africæ Episcopi cum Cypriano et Firmiliano. Sed ex constanti Ecclesiæ fide et praxi, cujus quidem testes sunt Patres, catholica Ecclesia contrarium semper docuit. Idque post Florentinum Concilium in Decreto unionis, definivit Tridentinum: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma, anathema sit* (sess. VII, c. 4).

Quoad alia autem Sacramenta non est quidem expresse definitum; sed est fidei proximum tum ob intimam analogiam, tum ex constanti traditione et praxi Ecclesiæ, quæ nunquam repetit Sacramenta ab hæreticis rite collata. Virtus enim Sacramenti agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum uti per instrumentum illa conficit: porro effectus alicujus rei sequitur conditionem causæ principalis, non instrumentalis. Hinc Angelicus: *Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cujus fide suppletur id, quod deest fidei ministri* (3 p. q. 64, a. 9). Hinc hæretici, schismatici, excommunicati, degradati valide consecrant, si valide ordinati, et cætera Sacramenta conficiant. Excipe tamen hæreticos publicos et vitandos quoad sacramentum Pœnitentiæ; qui illud invalide administrant extra mortis articulum, defectu jurisdictionis. (Quoad matrimonium autem *v. n.* 983).

Fides tamen catholica requiritur ad licitatem; nam sine vera

fide impossibile est placere Deo: qui porro Deo non placet, peccat scienter usurpando ea quæ sunt Dei.

391. **Vitæ probitas in ministro.** De fide est, ad validam Sacramenti confectionem, non requiri in ministro probitatem vitæ: est contra Donatistas, Waldenses, Wicleffitas et Hussitas, quorum error pluries damnatus fuit. Tandem contra protestantes omnes Tridentinum definivit: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit* (sess. VII, canone 12).

Augustinus qui ex professo contra hanc hæresim stilum acuit, ministros comparat modo cum agricola, qui solo mandat semina; modo cum canali, quo devehitur aqua. At agricola licet impius, semini non nocet; canalis sive lapideus sive alterius materiæ, fœcundas aquas semper vehit. Neque opponas, quod *arbor mala nequit bonos fructus facere;* id verum est, quando arbor mala, idest impius, propria virtute agit: sed Sacramentorum minister non agit propria, bene vero divina Christi virtute (1). Ideo non repugnat, ut qui gratiam non habet, v. g. hæreticus, aliis gratiam tribuat. Sic famulus licet pauper, tamen aureis sua opera a domino missis alium ditat; sic medicus licet corpore infirmus potest aliis mederi *(D. Thomas,* 3, p. q. 64, a. 5).

Tamen certum est ministros, saltem consecratos, solemniter (id est uti ministros et ritu præscripto) in mortali Sacramenta conficientes, ac ministrantes mortaliter peccare; quia ad hoc peculiariter ordinantur et consecrantur, ut nempe sancta sancte pertractent (2); cum debeant Domino conformari juxta illud Levit. XIX: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum* (3).

(1) Ita etiam *victimæ impiorum* dicuntur *abominabiles;* verum id non est ex parte rei oblatæ, sed ex prava offerentium dispositione. Quod si aliquando Sacramentum ab impio collatum suo frustretur effectu, id non est, quia impius minister, sed quia susceptor scienter de improbitate ministri participat. Quo sensu ajebat d. Ambrosius: *Non sanat Baptisma perfidorum, non mundat; sed polluit.*

(2) Audiatur Angelicus: *Conveniens est, ut Sacramentorum ministri sint justi; quia ministri debent Domino conformari secundum illud Levitici* XIX: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.... *Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta, secundum se ipsa, incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale* (3 p. q. 64, a. 6). Et Rituale Romanum ait: *Impure et indigne* (Sacramenta) *ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt.*

(3) *Quot* (quæres) *peccata committit qui celebrat in mortali?* Sporer docet celebrare in mortali unum esse sacrilegium, quia actiones celebrantis, licet sint plu-

Ideo sacerdos graviter peccat etsi extra Missam ministret in mortali Eucharistiam; quamvis enim non conficiat Sacramentum, illud dispensat tanquam ad id specialiter consecratus. Verum in probabiliori sententia unum tantum mortale committit, si plures una vice communicet; nam est una actio moralis et unum solummodo convivium: sicut unum dicitur prandium, quamvis plures in eo se reficiant (1).

392. Utrum vero peccet mortaliter etiam laicus, vel sacerdos qui Sacramentum privatim administrat in peccato mortali, controvertitur. Sententia quæ videtur probabilior, affirmat; nam semper clamat ratio: *Sancta sancte esse tractanda.* Et licet tunc isti non *exhibeant se ministros Ecclesiæ* ex d. Thoma, et ideo non agant uti Ecclesiæ ministri; agunt tamen uti ministri Christi cujus personam repræsentant, et cui ministrando debent se conformare: unde gravem tum Christo, tum Sacramento injuriam irrogant. Excipe, nisi periculum sit in mora, ut si infans jamjam sit decessurus, et privatim baptizans non advertat in ea confusione ad se perfecte conterendum; non enim habetur ratio accidentis *(S. Alph.,* l. VI, n. 32).

Probabilius ergo peccat graviter mulier, si Baptismum in statu mortalis peccati ministrat. Item contrahentes Matrimonium in mortali, non solum Sacramentum suscipiendo, sed etiam illud administrando; ministri enim sunt.

NOTA. Si in conficiendis et in administrandis Sacramentis status gratiæ requiritur, recte infertur, omni temporis momento debere obstetrices in gratia vivere; cum ex earum munere omni momento vocari possint ad levandas mulieres ac infantes baptizandos. Quod magis dicendum de sacerdotibus ad ampla nosocomia, vel communitates deputatis. Et fortius de Parochis, quibus obligatio continue urget Sacramenta ministrandi.

393. Imo si agatur de Eucharistia, certum est conficientem et suscipientem teneri sub gravi ex Tridentino Confessionem præmittere et absolutionem curare, si sit sibi conscius mortalis peccati, nec sufficeret conteri *(sess.* XIII, *cap.* 7, *et can.* 11).

res, tamen integrant unum ministerium sacrificii. Sed verius dicendum, quod celebrans in mortali quatuor sacrilegia committit: 1) Quia *conficit Sacramentum indigne* — 2) Quia *Sacramentum suscipit indigne:* secus dicendum, si post sumptionem sumat particulas superfluas; quia hæc ultima sumptio pertinet ad unum sacrificium — 3) Quia *ministrat indigno*, nempe sibi, celebrans enim duas agit partes, unam uti sumens, et unam uti minister — 4) Quia Eucharistiam *ministrat indigne.* Unde duodecim sacrilegia committit, qui in Nativitate tres Missas celebret in mortali: quanta in uno facinore sunt crimina! *(S. Alph.,* l. V, n. 44; l. VI, n. 35. *Scavini,* l. III, n. 199). Cæterum, confitenti satis est si dicat, se celebrasse in lethali.

(1) Attamen verius confessarius tot sacrilegia committit quot absolvit; quia singulæ absolutiones sunt distincta Sacramenta *(S. Alph.,* l. V, n. 6; l. VI, n. 35).

Quoad alia Sacramenta multi idem affirmant ex Catechismo Romano, nam eadem est ratio irreverentiæ; certitudo autem status gratiæ per contritionem perfectam difficile habetur. Longe tamen plures (ait Antoine) id negant, et quidem probabilius; tum quia tale præceptum nulla lege statuitur, et Tridentinum illud non imposuit, nisi casu quo agatur de Eucharistia: tum quia Rituale R. dicit quod eo in casu convenit confiteri. Verbum *convenit* satis declarat Confessionem esse tantum de majori convenientia: quo sensu explicant Catechismum Romanum.

Quod etiam currit de Eucharistiæ distributione; unde sufficit in ministro moralis ad se justificandum diligentia per contritionem; nec requiritur summa per absolutionem *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 34).

394. **Sacramenti susceptio ab indigno.** A ministro indigno ob peccatum mortale, nisi gravis adsit causa, nefas est petere aut recipere Sacramenta, tum ob reverentiam ipsis debitam; tum ob caritatem quæ postulat, ne ministrum ponamus in occasionem peccandi, indigne sacra tractando (1). Attamen in omnium sensu fas est, causa gravi interveniente, ab alio petere rem bonam, licet ex pravitate sua eam cum peccato sit præstiturus. Esset si urgeat præceptum Confessionis vel Communionis vel Missæ audiendæ, si ex dilatione Confessionis sit periculum relapsus, vel manendi (licet ad horam) in mortali *(S. Alph.,* l. VI, n. 88) (2).

395. A ministro vero indigno ob aliquam censuram, aut inhabilitatem canonicam, non licet petere aut recipere Sacramenta, si sit vitandus ob gravem Ecclesiæ prohibitionem. Excipe casum necessitatis: ita licet petere Baptismum et Pœnitentiam, cum sint tantæ necessitatis; Extremam-Unctionem, si infirmus aliter juvari non possit; Ordinem, si communitas egeat sacerdotibus; Matrimonium, si prolis bonum postulet, vel ipsorum sponsorum.

Si vero minister non sit vitandus, Sacramenta accipere et

(1) Cæterum non est simplicis fidelis inquirere in vitam sacrorum ministrorum; id enim et odiosum est in se, et in praxi periculosum et onerosum fidelibus. Ubi non adest seductionis periculum, et omnibus nota et apertissima non est ac scandalosa nimis sacerdotis vita; item si ipse sub oculis et approbatione Episcopi ministerium exercet, minister habebitur uti sufficientibus dispositionibus præditus ad sacra ministranda. *Billuart* (v. *Scavini*, l. III, n. 200).

(2) Hinc d. Thomas (2, 2, *q.* 78, *a.* 4): Inducere hominem ad peccatum nunquam licet; uti tamen cum causa peccato alterius ad bonum licitum est: et Deus utitur omnibus peccatis ad bonum. Ideo licet mutuum accipere cum usuris propter aliquod bonum nostrum.

petere licet juxta veriorem sententiam (præcluso scandalo). Concilium enim Constantiense indistincte concessit fidelibus cum toleratis communicationem. Neque probabilius ad talem communicationem requiritur causa (nisi adhuc peccato mortali excommunicatus inquinatus sit); cum illa universim concessa sit *(S. Alph.,* l. VII, n. 171).

Casus. Sacerdos quidam lethali peccato inquinatus, tanto horrore sacrilegii committendi captus est, ut cum debeat die festo pro populo celebrare, deficiente confessarii copia, quid agit? Ad profanationem Eucharistiæ devitandam, Missam quidem celebrat, sed prætermittit verba utriusque consecrationis — *Malissime egit; imo sacrilegium multo majus commisit sanctissimum Missæ sacrificium simulando, quin reapse illud conficeret. Debebat elicere actum contritionis perfectæ, et valide celebrare.* Gury.

396. An autem peccet mortaliter qui in mortali exercet functiones sacras, quæ Sacramenta non sunt, sunt qui generatim affirmant; nam s. Thomas sine ulla distinctione habet: *Quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin illud indigne faciat, unde patet quod peccat mortaliter* (in 4 dist. 24, q. 1, a. 3; q. 5, a. 4). Verum communius et satis probabiliter negant, cum istæ functiones non sint proxime ordinatæ ad sanctificationem. Hinc:

Resolve: I. Probabiliter non peccat mortaliter subdiaconus ministrans solemniter in mortali. Neque diaconus; licet enim Diaconatus sit Sacramentum, non tamen diaconus ministrans facit Sacramentum. Item probabiliter non peccat mortaliter Episcopus in mortali conficiens Chrisma vel Oleum sanctum; nam Sacramentum non conficit.

II. Communissime ac probabilius nec peccat mortaliter minister qui in mortali dedicat templum, benedicit vestes, conficit aquam lustralem, exorcizat; quia non facit Sacramentum. Neque sacerdos, qui assistit Matrimonio, cum illius ministri sint contrahentes.

III. Valde probabiliter peccat graviter qui in mortali Eucharistiam ex officio tangit ob maximam quæ huic debetur reverentiam; etsi alii non improbabiliter negent, cum non sit administratio Sacramenti. Billuart autem tenet lethale esse, si Eucharistia tangatur immediate et in se; veniale vero, si tangatur tantum mediate, puta Ostensorium in processione gestando vel populum benedicendo.

IV. Si concionator est publicus peccator, non videtur posse excusari a mortali, si increpet vitium, de quo ipse est publice jam diffamatus, cum sit causa ut prædicatio et prædicator contemnatur juxta illud Rom. II: *Qui alios doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras; nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes* — Si est occultus, probabilius peccat tantum venialiter ob aliquam irreverentiam; tum quia doctrinæ scopus non impeditur; tum quia prædicatio non est exercitium Ordinis, sed officii Ordini adnexi *(S. Alph.,* l. VI, nn. 35, etc.).

Art. 2. — De Sacramentorum administratione et simulatione.

397. **Sacramentorum administratio.** Qui curam animarum non habent, non tenentur nisi ex caritate Sacramenta ministrare, habita ratione necessitatis. At tenentur ipsi quoque sub gravi, si fideles versentur in gravi necessitate spirituali (ex dictis t. I, n. 282).

Si vero agatur de Parochis, de Coadjutoribus in cura animarum, de Viceparochis et iis, quibus ex officio vel commissione id onus incumbit, certum est eos teneri ex justitia Sacramenta ministrare subditis, etiam cum periculo vitæ in extrema eorum necessitate. Item commune est, ipsos teneri ex justitia subditis ea ministrare quoties rationabiliter petunt, cum pro illis *constituti sint in iis, quæ sunt ad Deum;* et teneantur ovium profectui consulere (S. Alph., *Ho. ap.*, tr. IX, n. 7; *Praxis Conf.; Op. mor.*, l. VI, n. 58).

Resolve: 1) Peccat graviter pastor, qui se ordinarie difficilem præbet in confessiones audiendo (vel in communicando); qui serus ad ecclesiam venit, morosus officium suum præstat, et nonnisi iterum iterumque rogatus Sacramenta dispensat. Cum boni pastoris sit non solum præsto esse rogantibus, sed expectare, imo quærere oves suas, quæ non rogant; aliter agendo fideles pedetentim a Sacramentis avertuntur. Attamen non censetur grave, si denegatio fiat raro, secluso scandalo et gravi petentis contristatione ac necessitate.

2) Non tenetur pastor quotidie cum scrupulosis tempus terere; cum tam frequens confessio ipsis non expediat; nec jus strictum ipsi tam frequenter habeant ad absolutionem.

3) Peccat graviter, generatim loquendo, pastor qui subditorum confessiones excipere recusat ob suam commoditatem, nisi statis diebus; cum fideles possint esse in necessitate spirituali ea statim suscipiendi, cum petunt.

4) Cum parochorum sit Sacramentorum frequentiam urgere, ideo pastores mercenarii animarumque interfectores habendi sunt illi, qui fideles a tali frequentia desuadunt, et confessariis qui illam promovent, offendicula ponere non erubescunt.

Poterit etiam per alios hæc munia parochus obire, si parœcia ampla sit, uti si habeat coadjutorem; sed videat ne incurium et otiosum se præbeat hæc omnia per alios sine legitima causa habitualiter adimplendo, adeo ut vix personaliter vocatus administret; videat ne laborando per alios, per alios remuneretur, ut ait d. Ber-

nardus (1). Et pluries S. Concilii Congregatio, ac signanter in Casalen. 27 julii 1626 declaravit: *Si animarum cura sit ampla, potest parochus coadjutorem retinere, ita tamen ut ea omnia per se ipsum impleat circa hujusmodi curam animarum et Sacramentorum administrationem, quæ implere potest* (Vide Scavini, l. I, nn. 453 et 647).

398. **Simulata Sacramenti administratio.** Simulatio seu fictio duplex est: una *formalis,* qua quis directe intendit alium decipere. Altera vero *materialis,* quæ tantummodo proximi deceptionem permittit.

Principia. Simulatio formalis illicita est non modo in administratione Sacramenti, sed in omni alia re; est enim mendacium facti. Imo in Sacramentis neque simulatio *materialis* licita est, si ficte ponatur quod pertinet ad ipsam Sacramenti essentiam; est enim gravis injuria in Christum abutendo rebus sacris ab ipso institutis. Hinc Innocentius XI damnavit propositionem: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramenti administrationem simulandi.* Ideo in nullo casu licet proferre sine intentione verba absolutionis supra indispositum; celebrare Missam non proferendo verba consecrationis; hostiam non consecratam pro consecrata præbere. Esset etiam causa idololatriæ, quæ utique est materialis in populo qui fictionem ignorat; non tamen in ipso qui scienter tribuit fidelibus occasionem hostiam non consecratam adorandi et accipiendi; quantum enim in se est (ex d. Thoma, 3 *p. q.* 80, *a.* 6) faceret idololatrare illos, qui credunt hostiam illam esse consecratam (v. *Scavini,* l. II, n. 902).

Dixi: *Si ficte ponatur quod pertinet ad Sacramenti essentiam:* si enim aliud signum ponatur, quod non sit usurpatio Sacramenti, tunc materialis simulatio, secluso scandalo et contemptu, cum causa licita est; nam neque fit injuria Sacramento, cum illud non frustretur: neque mendacium committitur, cum non intendatur directa proximi deceptio; sed simpliciter veritas occultetur, quod justa accedente causa, omnes cum d. Thoma permittunt. Hinc licet confessario super indispositum recitare aliquam orationem cum signo crucis loco absolutionis, ne adstantes cognoscant ipsum dimitti inabsolutum. Idem agere licet, si pœnitens minetur mortem ob negatam absolutionem

(1) Ad rem de isto habet Calino in suis Lectionibus:

Ad noctis horas per Vicarium surgis — Horas diurnas per Vicarium cantas.
Animas tuorum per Vicarium pascis — Animasque vinculis per Vicarium solvis.
Conventia cœli per Vicarium vises.

non jam intendendo deceptionem pœnitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis pœnitens se decipiat credens illam orationem esse formam absolutionis. *S. Alph.*, l. VI, nn. 59, 61 et 659 (1).

CAPUT SECUNDUM

De Sacramentorum Subjecto.

399. **Sacramenti Subjectus.** Ille dicitur qui est capax illud suscipiendi. Est autem solus homo viator; cum in eo solum omnis vera justitia vel incipere vel cœpta augeri possit vel amissa reparari; nam Sacramenta ad hæc producenda instituta sunt.

400. Non tamen omnes homines viatores sunt omnium Sacramentorum capaces: sic mulieres Ordinem, ac pueri nondum adepta ratione, Extremam-Unctionem, aut Pœnitentiam invalide suscipiunt — Cæterum alia requiruntur ad validam, alia ad validam simul et licitam Sacramentorum susceptionem.

401. **Principia.** *De valida Sacramentorum susceptione.*

I. Baptisma prærequiritur in omni subjecto ad valorem aliorum Sacramentorum, quæ pro solis Ecclesiæ membris sunt instituta: porro per solum Baptisma membra ipsius Ecclesiæ omnes efficiuntur. Hinc si Judæo Eucharistia ministraretur, ipse reciperet Corpus Christi materialiter tantum sicut in ipsa pyxide recipitur.

II. In infantibus, et amentibus a nativitate ad valide suscipienda Sacramenta quorum sunt capaces, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem, nulla requiritur dispositio. Pro his supplet Christi et Ecclesiæ intentio.

III. In adultis ad validam susceptionem non requiritur fides catholica nec vitæ probitas; patet ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ semper prohibuit hæreticos ad fidem nostram conversos baptizare; aliunde Sacramentum non perficitur hominis justitia, sed Dei virtute, ut docet Augustinus *de Baptismo*, l. III, c. 14. Excipe Pœnitentiam, cum actus pœnitentis sint illius materia et inter materiam sit contritio, quæ vera esse nequit sine fide et pietate (*D. Thomas*, 3 p. q. 68, *a.* 8).

(1) Item graviter non peccant qui metu gravi coacti matrimonium inire simulant; quia cum desit voluntarius consensus, deest materia et forma; et proinde non est simulatio Sacramenti, sed tantum simulatio contractus.

IV. Non requiritur in adultis ad validam susceptionem attentio; nam actus humanus non procedit ab attentione, sed a voluntate seu intentione (v. supra n. 389). Requiritur igitur intentio seu voluntas Sacramentum suscipiendi; neque enim nisi vere volenti, cum potest velle, gratia tribuenda est *(d. Thomas)* (1) — Quod si aliquando aliqui dicuntur baptizati vel ordinati inviti, id intelligitur de coactione morali, seu secundum quid, quod quidem voluntarium non destruit *(S. Alph.*, l. VI, n. 80).

402. Sed quænam debeat esse ista intentio, dico:

1) Ad suscipiendam Extremam-Unctionem, Confirmationem et Eucharistiam docent communiter, sufficere intentionem interpretativam; nam cum hæc Sacramenta nihil importent oneris, facilius præsumitur volitio generalis. De Extrema-Unctione expresse habet Rituale: *Hoc Sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui ante illud petierunt, seu verosimiliter* (nota) *petiissent.*

2) Ad Baptismum et Ordinem non sufficit ad validitatem intentio interpretativa, quia sine voluntate explicita nemo debet obligationem legum Ecclesiæ et status clericalis suscipere. Sufficit tamen intentio habitualis; nempe ut quis prius habuerit nec retractaverit intentionem Sacramenti suscipiendi. Id tenet universalis Ecclesiæ praxis: id expresse docet Benedictus XIV Instructione *Postremo.* Quod valet maxime de Baptismo, cum sit omnimode necessitatis; hinc si constet dormientes, lapsos in amentiam ac furiosos prius habuisse intentionem illud suscipiendi, *in articulo necessitatis debet eis conferri Baptismus,* ut ait d. Thomas, in 4, d. 6, q. 1, a. 2; et 3 p. q. 68, a. 12 (2).

3) Ad Pœnitentiam et Matrimonium valide suscipiendum intentio requiritur saltem virtualis. Ad *Pœnitentiam;* quia in hac pro materia requiruntur actus pœnitentis ipsius, qui haberi nequeunt sine voluntate saltem virtuali recipiendi Sacramentum. Si tamen agatur de moribundo sensibus destituto, sub conditione absolvendus est; intentio enim supponitur; aliunde ipse adjuvandus est meliori, quo potest modo. Ad *Matrimonium;*

(1) Hinc si adultus baptizatus comederet hostiam consecratam, nesciens esse consecratam, careret gratia sacramentali et esset perinde ac si panem comedisset, ut docet d. Thomas, 3 *p. q.* 80, *a.* 3. Aliter tamen est, si illam comederet adultus carens usu rationis, ut verius dicunt cum Lugo; quia in illo nulla intentio præsens vel præterita desideratur.

(2) Imo Gury suadet illud esse sub conditione conferendum, etsi non constet de intentione, si contraria non fuerit manifestata *(Casus Consc.*, t. II, n. 205).

quia ad contractum requiritur consensus saltem virtualis; cum enim uterque conjux juxta receptam sententiam non solum sit subjectus, sed etiam minister, requiritur in ipsis intentio illa, quæ requiritur in ministris aliorum Sacramentorum *(S. Alph.*, l. VI, n. 81).

403. *Requisita ad licite etiam Sacramenta suscipienda.*

Principia. I. Ad recipienda *Sacramenta mortuorum* requiritur in adultis fides, spes, et dolor de peccatis: 1) Fides, quæ est *fundamentum et radix omnis justificationis* — 2) Spes, *qui enim hæsitat... non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino* — 3) Dolor de peccatis, quia sine pœnitentia non fit remissio. Hoc tamen accipe de actualibus, non de peccato originali; quia facti alieni neminem pœnitet. Cum autem Sacramenta mortuorum ad peccata delenda sint instituta, sufficit attritio, ut docet d. Thomas; si enim hæc præexigerent contritionem, quæ *operit multitudinem peccatorum*, præexigerent effectum ad quem producendum ipsa sunt instituta *(S. Alph.*, l. VI, n. 139).

II. Ad utiliter suscipienda *Sacramenta vivorum* requiritur in adultis status gratiæ præexistens; quia ipsa ad gratiæ augmentum instituta sunt, et nonnisi per accidens aliquando conferunt primam gratiam. Hinc graviter peccaret qui ea sciens in mortali susciperet: imo gravius eo, qui illa tantum conficeret vel ministraret; quia non solum Sacramenta indigne tractaret, sed illa frustranea redderet, et gratiæ obicem poneret *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 86) (1).

404. **Sacramentorum denegatio.** Fatentur omnes generatim loquendo gravissime peccare ministrum, qui Sacramenta ministrat indignis, quos nempe scimus actu esse excommunicatos majori excommunicatione, vel mortali culpa inquinatos. Excipe nisi indignitas ex Confessione sacramentali sit nota ob inviolabile sigillum. Nam et malæ eorum susceptioni cooperaretur et se infidelem exhiberet dispensatorem. Hinc Christus: *Nolite*

(1) *Sed* (quæres) *an aliquando licitum sit in mortali suscipere Sacramenta vivorum, si casus extemplo contingat, ut si jamjam sit Hostia ab hæretico profananda?* — Alii negant, quia ex una parte illico contritionem elicere quis potest, si ad Deum recurrat; ex alia nulla est impurior cloaca immundo corde. Sed communius affirmant; idque pro rarissimo casu non videtur improbabile, si subito irruat hostis; nam difficillimum est contritionem extemplo elicere. Et tunc in mortali existens reflexe non intendit sumere Eucharistiam uti Sacramentum, sed vult illam abscondere in corpore suo sicut in pariete ad majorem cavendam injuriam. Idem dicunt de laico accumbente in scamno communicantium, qui mortalis recordetur et subito conteri nequeat.

Hi susciperent quidem Sacramentum; attamen sine fructu *(S. Alph.*, l. VI, n. 86).

Sanctum dare canibus: ubi *canum* nomine ex sanctis Ecclesiæ Patribus veniunt peccatores.

405. Dictum est: *generatim loquendo;* nam ut licite Sacramenta denegari possint, et sub gravi debeant: 1) De petentis indignitate constare debet, adeo ut ejus delictum nulla possit tergiversatione celari: quia nemo præsumendus malus, nisi probetur — 2) Videndum, an indignitas sit publica vel non, idest an peccator sit publico notus, vel occultus; et an petitio Sacramentorum fiat in publico, vel in occulto.

Peccator autem *publicus* ille dicitur, cujus crimen vel pessima vita communiter cognoscitur, ut sunt notorie excommunicati, meretrices, concubinarii, civiliter tantum nupti, etc. Si vero improbitas in loco non sit nota vel solum pauci illam sciant, peccator dicitur *occultus* — Peccator vero *occulte petens* dicitur qui solus reperitur cum ministro vel paucis aliis nullius momenti, ut sunt pueri. Si secus, *publice petere* censetur.

406. **Principia**: I. Si petentis indignitas in loco publica est, procul dubio eo in loco Sacramenta illi sunt deneganda sive publice sive occulte petat (nisi de ejus emendatione satis constet et de scandali reparatione). Tunc obtinet illud: *Nolite sanctum dare canibus.* Neque ideo peccator ille infamatur; cum omne jus amiserit ad famam ob ejus publicam indignitatem. Imo grave scandalum fidelium ex Sacramentorum concessione tunc sequeretur (1).

II. Si petentis indignitas est occulta, ei debent denegari Sacramenta casu, quo *occulte* petat (nisi prius velit reconciliari cum Deo); quia Sacramenti reverentia et caritas proximi, ne ipse re sacra abutatur, id postulant. Neque tunc infamatur, cum denegatio occulta sit — Si vero *publice* petat, Sacramenta non sunt neganda, prout omnes docent cum d. Thoma (2); et Eugenius Papa id confirmat exemplo Christi, qui Judam non repulit a Communione. Sane peccator occultus habet jus, ne publice

(1) Attamen si peccator sensibus destitutus est et mortis periculum instat, poterit (si aliud non obstet) ei absolutio dari sub conditione et etiam Extrema-Unctio (non tamen Viaticum); tunc enim præsumitur ut quantum in se est, ipsum pœniat; ideoque adjuvandus gratia Sacramentorum, ne forsan pereat qui per illa salvari potest. At quoties est sui compos infirmus, ut absolvatur, non solum debet ipsum pœnitere si publice fecerit contra Ecclesiæ jura; sed palam (nisi res sit oblivione deleta) tenetur reprobare mala quæ fecit, ad scandalum reparandum.

(2) *Occulta*, ait Angelicus (3 p. q. 80, a. 6), *non possunt publice puniri; sed sunt divino judicio reservanda....* Monet autem: *Potest tamen sacerdos qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum; vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant antequam de peccatis pœniteant et Ecclesiæ reconcilientur.*

infametur; at infameretur, si palam repelleretur a sacra Mensa. Adde scandala et perturbationes, quæ secus orirentur in Ecclesia; fideles enim timentes ne aut odio, aut imprudentia sacerdotis rejiciantur, a Sacramentis retraherentur.

Excipiunt, si agatur de *Ordine* suscipiendo; qui enim se ingerit in munia publica sine idoneitate, repelli etiam debet cum illius infamia, etiam delicto juridice non probato. Ita S. Concilii Congregatio 22 martii 1643 — Idem est de *Matrimonio*, cui Parochus assistere prohibetur, v. g. si extra Confessionem impedimentum agnoscat (*S. Alph.*, l. VI, n. 48).

III. Si peccatum publicum sit, debent negari Sacramenta, etsi peccatum non sit notum illis, in quorum præsentia publicus ille peccator petit; nam jam amisit jus ad famam. Si vero peccatum non sit publicum, quamvis notum plerisque ex præsentibus, probabilius Sacramenta non sunt deneganda; nam petens adhuc possidet famam suam respective ad omnes, qui ejus crimen ignorant.

Ideo sequitur, tunc tantum indigno publice petenti denegandum esse Sacramentum, cum ferme omnibus nota est ejus actualis indignitas; id quod raro admodum in magnis civitatibus ob defectum præsertim personalis cognitionis evenire potest. Idem tenendum, si peccator petat Sacramentum eo in loco, ubi suum crimen est occultum, etsi publicum sit in alio loco; nisi notitia criminis facile sit ibi perventura (*S. Alph.*, l. VI, n. 43).

407. An vero possint dari Sacramenta publice indignis, si secus timeantur damna gravissima, uti carcer diuturnus, propriorum bonorum expoliatio, alii cum Roncaglia affirmant, si Sacramenta non petantur in odium fidei, vel in contemptum Religionis et absit scandalum; quia licite permittitur alterius peccatum ad propriam tuendam vitam ac bona.

Alii distinguunt cum Alasia (qui casum suum ponit de metu mortis). Si indignitas petentis invalidum reddat Sacramentum, ut si quis te compellat ad dandam Extremam-Unctionem infanti vel sano vel indisposito absolutionem, non licet; quia non Sacramentum, sed ejus abusus daretur: quod est malum intrinsecum. Si vero indignitas respicit dumtaxat licitatem, sed adhuc relinquat Sacramentum validum, uti si sacerdos compellatur gravissimis minis, v. g. ad Eucharistiam publice indigno ministrandam, ajunt illam, urgente causa (et religionis contemptu ac scandalo, quoad potest, remoto) posse tribui: tunc culpa sumenti imputabitur; quia verum Sacramentum daretur ac res bona, qua tamen alter ex mera sua malitia abutitur: *Nam exterior receptio Sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, non est per se mala, sed solum habet adjunctam malitiam per accidens, ex prava nempe dispositione suscipientis, et posset esse bona, si recipiens vellet.* Ita argumentatur Antoine loquens de administratione facta occulto peccatori: quod quidem (ajunt) valet

etiam si peccator sit publicus, cum nulla diversitas assignari possit, nisi quod ob publicitatem superadditur scandalum. Verum scandalum satis auferri potest, si publice fiat protestatio vim sibi esse factam, et fiat nota talis coactio.

Hæc sententia (ait s. Alphonsus, *Opus mor.*, l. VI, n. 49) olim mihi probabilis visa fuit. Sed, melius re perpensa, oppositum nunc teneo; hoc enim videtur directe cooperari sacrilegio. Adde: vix ac ne vix quidem evitari potest scandalum fidelium; cum videant adeo aperte sanctum dari canibus. Adde S. Sedis responsa, quæ jugiter præcipiunt, ut administrationi Sacramentorum retractatio præcedat manifesta pro manifeste indignis. Hinc volunt illud d. Chrysostomi usurpandum, casu adveniente: *Animam potius tradam meam quam Dominicum alicui Corpus indigne concedam* (Scavini, l. III, n. 202) (1).

408. Synodus Viglebanensis anno 1876 hæc notat pro praxi: « Qui publicis flagitiis ita contaminati sunt, ut nulla tergiversatione excusari possint nec scandala reparaverint, etiamsi publice petant, prætermittendi sunt atque arcendi, ut præcipit Rituale R. Videant tamen ministrantes, ne hac in re præcipiti et inconsulto zelo abripiantur. Persæpe potest haberi uti sufficiens signum emendationis sacramentalis confessio coram pluribus facta: *qui enim,* ita s. Ligorius, *publice confessus est, publice censetur emendatus* (2). »

CAPUT TERTIUM

De Sacramentorum Effectibus.

409. **Effectus Sacramentorum**. Duplex est effectus a Sacramentis immediate proveniens: unus omnibus communis, *gratia.* Alter proprius nonnullorum tantum, *character.*

Dixi: *immediate proveniens;* nam tertius est, *cognatio spiritualis* proveniens ex Baptismo atque Confirmatione; sed tantummodo ecclesiastico jure.

410. **Gratia**. Duplex est modus gratiæ producendæ: 1) *Ex opere operantis;* est cum Deus gratiam elargitur intuitu fidei

(1) Habet Gousset: Cum personam certo admittendam non esse judicabimus, erit dimittenda; vel potius ipse discedat minister absque rumore, absque solemnitate, quin ullam sibi observationem permittat, nisi id fiat de instantia personæ quæ Sacramentum postulat, cui tantum respondebit sibi *displicere,* quod ei concedere non possit quod postulat.

Si persona notorie indigna Communione ad sacram mensam accedat, sacerdos illam præteribit, quin eam communicet. Quod si ea sit sola, eam monebit; sed non dicat quare eam non communicat. Quidquid ab hac negatione sequatur, abstineat parochus a revelandis e suggestu vel quoquo modo publice causis quæ possunt suam agendi rationem justificare; secus potest ex diffamationis prætextu inquietari. Attamen parochus ad difficultatibus occurrendum et ne discrimini facile se committat, præstat ut in antecessum consulat Episcopum, qui normam indicet. Incidimus enim in mala tempora (Vide Lit. Circul. Cardin. Simeoni 28 jan. 1878; hanc refert *La Scuola cattolica*, t. XI, pag. 577).

(2) *Op. mor.*, l. VI, n. 47, ubi addit cum Croix: *Secus si adesset occasio, et illam non deseruerit.* V. supra nn. 405 et seqq.

et pietatis illius, qui operatur. Sic si quis extra Sacramentum eliciat actum perfectæ contritionis, et sic obtineat peccatorum remissionem et gratiam, dicitur eam obtinere ex opere operantis — 2) *Ex opere operato,* quando gratia confertur non propter fidem et pietatem operantis; sed propter opus in se, id est vi materiæ et verborum; ideo habens ejus producendæ efficaciam independenter a merito operantis.

Multiplex autem distinguitur a theologis gratia, quam Sacramenta conferunt: *actualis, habitualis, prima, secunda* ac *sacramentalis.* Nempe *actualis* est illustratio intellectus et motio voluntatis ad salutarem actum in nobis producendum. *Habitualis* (alio nomine *sanctificans)* est, qua homo immediate fit justus, filius Dei adoptivus, æternæ vitæ hæres; gratia enim per modum habitus animæ inhærentis concipitur, et ea ornatus dicitur esse in statu gratiæ. *Prima*, quæ nullam aliam supponit in subjecto cui infunditur, et est ea qua primum justificatur peccator. *Secunda,* quæ aliam supponit in subjecto, cui datur, præexistentem: quam tamen auget, ita ut non sint diversæ gratiæ, sed diversi gradus ejusdem gratiæ. Tandem *sacramentalis,* id est jus, quod digne suscipiens Sacramenta habet ad gratias actuales necessarias ad assequendum finem proprium cujuscunque Sacramenti *(D. Thomas,* 1, 2, q. 3 et seq.; et 3 p. q. 62, a. 2).

411. **Principia.** 1) De fide est Sacramenta novæ Legis gratiam conferre non ponentibus obicem, ex opere operato. Est contra Novatores, qui volunt Sacramenta esse tantum ad fidem excitandam instituta. Tridentinum, sessione VII, canone 6 *(De Sacr. in genere)* definivit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut ipsam non ponentibus obicem non conferre... anathema sit.* Et canone 8: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Veritas evidentissime nititur Scripturæ testimoniis (ex dicendis de singulis Sacramentis); eamque firmat et unanimis Patrum doctrina, ipso fatente Calvino. Adde constantem Ecclesiæ sensum, quæ semper uti validum habuit parvulorum Baptismum, etsi a malis ministris collatum: at talis Baptismus non ex virtute ministri, quia malus; non ex virtute infantis, quia nullius actus est capax: ergo ex opere operato valere debet *(D. Thomas, Cont. gent.* l. 4, c. 57).

II. Etsi nulla suscipientium dispositio requiratur tanquam

causa efficiens gratiæ, cum hæc producatur per vim Sacramenti; tamen quædam in ipsis requiruntur dispositiones, tanquam conditiones, quibus obstacula removeantur, a quibus effectus actu impediri potest; et ideo dictum est *non ponentibus obicem*. Sic ignis utut actuosus, in ligna tamen madida suam non exercet activitatem (1) — Hinc etiam patet, quod Sacramenta gratiam conferunt majorem vel minorem pro majore vel minore suscipientis dispositione. Sacramenta enim sunt causæ necessariæ, quæ operantur vi promissionis a Deo factæ; at illud causæ necessariæ proprium est, ut majorem vel minorem effectum sortiatur, prout magis vel minus idoneum est subjectum, in quo operatur. Sic idem ignis ligna vividius vel remissius comburit, prout illa magis vel minus sicca sunt.

III. Sacramenta gratiam producunt tum habitualem, primam vel secundam; tum sacramentalem.

1) *Gratiam habitualem*, non semper actualem: ut patet in parvulis, qui incapaces sunt ad actus eliciendos; et tamen gratiam recipiunt per Sacramenta, quorum sunt capaces.

2) *Primam* vel *secundam;* nam Sacramenta mortuorum, Baptisma videlicet et Pœnitentia de se et primario conferunt gratiam primam, qua nempe homo mortuus Deo fit Deo acceptus (2). Sacramenta vero vivorum primario instituta sunt, ut gratiam sanctificantem jam existentem per se augeant (3).

3) *Gratiam sacramentalem;* nam Sacramentum quodlibet præter habitualem conferre debet gratiam, quæ respondeat fini, ob quem fuit institutum, seu addere *quoddam divinum auxilium* (ut ait d. Thomas, 3 *p. q.* 72, *a.* 2) *ad consequendum Sacramenti finem*. Hinc *Baptismus* præter gratiam habitualem suppeditat auxilium speciale, ut christianus contemnere possit vanas mundi pompas, quibus renuntiat, vitam spiritualem

(1) Hac valida ratione solvuntur Novatorum objectus, qui fidei totam justificationem tribuunt. Utique fides præexigitur, cum sit radix omnis justificationis; sed ut dispositio necessaria, non ut formalis causa. Quod vel ipse Leibnitius ex protestantium secta fatetur, ut videre est penes Perrone.

(2) Baptismus delendo peccatum originale, et alia si quæ præcesserint; Pœnitentia delendo peccata post Baptismum commissa. Notandum illud *de se* et *primario;* quia aliquando potest utrumque per accidens gratiam justificantem jam in anima existentem invenire eamque augere, v. g. si quis adultus ad Baptismum accederet perfectam habens caritatem. Is ornaretur gratia sanctificante ante Sacramenti susceptionem; et tunc gratia illa non posset nisi augeri.

(3) Hoc tamen non impedit quominus hæc quoque Sacramenta per accidens primam gratiam conferre possint: ut si quis putans bona fide se esse in gratia, non sit, et ea suscipiat. Nam cum Sacramenta vivorum non compatiantur peccatum, e consequenti si casu peccatum mortale inveniant, ipsum tollunt; modo alius non ponatur obex. *Angelicus*, 3 p. q. 30 (*S. Alph.*, l. VI, n. 6).

conservare, et rite cætera Sacramenta suscipere. *Confirmatio*, ut fidem, data occasione, intrepide profiteatur. *Eucharistia*, ut maneat et progrediatur in amore Christi, et in gratia permaneat. *Pœnitentia*, ut commissa crimina sincere detestetur, peccatorum occasiones devitet ac in gratia perseveret. *Extrema-Unctio*, ut infirmus roboretur animo, a peccati reliquiis purgetur, dæmonis insidiis resistat facilius, et in pristinam corporis sanitatem restituatur, si animæ expediat. *Ordo*, ut sacri ministri functiones digne exerceant. *Matrimonium*, ut conjuges fidem servent, cupiditates reprimant, prolem pie educent, et conjugii onera patienter sustineant (*S. Alph.*, l. VI, n. 5).

412. Valide autem potest Sacramentum suscipi sine gratia; nam contingere potest, ut omnia ponantur, quæ ad validam, sed desint in suscipiente quæ ad utilem receptionem ponenda sunt. Uti si adultus susciperet Baptisma, quin doleat de actualibus peccatis, Sacramentum valet et character imprimitur; quia nihil de substantia deest: adest intentio, et subjectus capax. Esset tamen *informe*, idest sine gratia, quæ indisposito non datur; et ideo si in eo statu moritur, excluditur a regno Dei — Si validum, ideo obice remoto (seu fictione, ut ajunt, recedente), Sacramentum reviviscit, et gratiam confert. Ad modum, quo remoto obice a flumine, aquæ statim revertuntur in alveum suum marte proprio, ac sicut ante fluunt. Obex autem removetur supplendo dispositiones quæ ab initio defuerunt; adeoque contritione imperfecta si agatur de Baptismo (si tamen interim nil grave admissum fuerit); perfecta si de reliquis Sacramentis. Hoc autem in omnibus Sacramentis evenire posse docent cum d. Thoma, 3 *p. q.* 69, *a.* 9 et 10; et *in* 4 *d.* 49, *a.* 2 (Vide *s. Alph.*, l. VI, nn. 87, 444; et *Scavini*, l. III, n. 207).

413. **Character sacramentalis.** Character Sacramenti definitur: *Signum spirituale, indelebile, animæ impressum, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur.*

Dicitur: *Indelebile;* per characterem enim homines ordinantur seu consecrantur ad ea, quæ sunt divini cultus. Quæ autem semel consecrata et dedicata sunt, quandiu subsistunt, semper consecrata et dedicata remanent — Dicitur: *Ad divina deputatur;* deputatur enim per Baptismum ad cætera Sacramenta suscipienda; per Confirmationem ad fidem Christi profitenda, ut bonus miles Christi; per Ordinem ad rite obeunda munia ministerii clericalis: et ideo etiam patet quod hi characteres diversificant inter se, quia sunt ad diversos actus — Dicitur: *Et ab aliis distinguitur*, nempe baptizatus a non baptizato, miles a non milite, sacerdos a laico (*D. Thomas*, 3 p. q. 63).

Principia: De fide est contra Protestantes sacramentalem characterem esse admittendum, eumque a tribus tantummodo

Sacramentis imprimi quæ ideo nequeunt iterari. Sic enim Tridentinum definivit: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (sess. VII, c. 9). Idipsum docuit Eugenius IV Decreto ad Armenos. Hæc veritas, quæ in Scripturis satis innuitur (uti II Corinth. I), ex constanti traditione firmissime sustinetur, cujus quidem testes sunt tum græci, tum latini Patres, ut videre est penes Perrone et Knoll *(S. Alph.,* l. VI, n. 6).

CAPUT QUARTUM

De Sacramentorum Cæremoniis et Sacramentalibus.

414. **Cæremoniæ Sacramentorum**. Sunt *ritus illi, qui in Sacramentorum celebratione adhibentur ex instituto Ecclesiæ;* siquidem ad illam tantum spectat ea decernere, quæ ad eorum convenientem administrationem sicut et susceptionem requiruntur; cum Sacramenta a Deo Ecclesiæ concredita fuerint. Unde in Syllabo proscripta fuit hæc n. 44 propositio: *Civilis auctoritas etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis, decernere.*

Harum autem cæremoniarum plures vel ab exordio Ecclesiæ in usu fuerunt, ut patet ex ss. Justino, Cypriano, Cyrillo et ex antiquis Ritualibus. Qui si graviter et debite fiant, Sacramentorum commendant dignitatem, et reverentiam tuentur, atque multum conferunt ad fidelium pietatem et ædificationem. Caveat ergo minister, ne ob agendi consuetudinem vel memoriæ defectum quidquam omittat; præstat ideo, ut identidem cæremonias privatim percurrat, et semper præ manibus habeat ad preces recitandas Rituale.

415. **Principia:** Peccat minister qui cæremonias vel mutat vel negligit vel aspernatur; quia non curat Ecclesiæ præcepta gravibus de causis imposita: et fideles a devotione revocat, a pietate et a fide, experientia teste (1). Peccant autem morta-

(1) Item esset si quis vellet lingua vernacula cæremonias agere ad populi intelligentiam; cum cessaret ea uniformitas quæ in toto orbe habetur, et Sacra vilescerent; nam eas necesse esset exprimere in proprio cujusque populi dialecto. Utique orientales eas persolvunt lingua græca, syriaca, etc.; sed populus nil aut fere nihil intelligit ob tantam diversitatem quæ existit inter antiquam et modernam linguam.

liter qui partem notabilem illarum negligunt, aut aliquam tantum, sed cum gravi scandalo fidelium, vel ob contemptum. Venialiter vero, si eas non servant *per invincibilem omnimodam imprudentiam, aut aliquando etiam propter parvitatem materiæ,* ut dicit Benedictus XIV *(de Sacr. Miss.,* l. III, c. 13). In hac re nihil negligendum est. Hinc ajebat s. Theresia: *Io darei la vita per la più piccola cerimonia della Chiesa.*

Merito igitur d. Thomas cæremonias præterire *pestiferum* esse dicit (2, 2, q. 93). Et Tridentinum: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit* (sess. VII, can. 13). Monet autem Gousset: « Est parochorum, prædicatorum, catechistarum officium non solum Sacramentorum naturam et effectus, sed etiam Ecclesiæ cæremonias fidelibus explicare, quæ tam aptæ sunt ad excitandam fidem, spem et pietatem. Pauci sunt sacerdotes etiam inter exercentes sacrum ministerium, qui aliquid sibi in hac re exprobrare non debeant. Hinc populi ignorantia quoad partem catholici cultus; quæ maxime est momenti. Hinc in plures fideles tædium et indifferentia quoad mysteria et sacramenta religionis. »

416. **Sacramentalia.** Sunt cæremoniæ sacræ ab Ecclesia institutæ ad quosdam effectus spirituales producendos: ut aquæ lustralis aspersio (1), benedictio cinerum, palmarum, cereorum, et Agnus Dei (sunt imagines cereæ a solo Pontifice benedictæ ac chrismate delibutæ), etc. Illorum usus antiquissimus est et ab Apostolis descendens.

Principia. Sacramentalibus vis inest remittendi venialia et gratiam sanctificantem augendi, non ex opere operato ut verius et communius docent cum d. Thoma; sed *in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, vel cum aliquo motu reverentiæ in Deum et ad res divinas* (3 p. q. 87, a. 3). Qui pii motus obtinentur per modum impetrationis ratione precum Ecclesiæ, quibus Sacramentalia conficiuntur *(S. Alph.,* l. VI,

(1) Notanda quoad aquam benedictam: 1) Ejus aspersio super populum restringitur ad dies dominicos ante Missam; et permittitur etiam in diebus solemnibus ubi est consuetudo. Sed omittitur cum Episcopus solemniter celebrat vel solemniter Palmarum benedictionem peragit ex S. R. C. — 2) In ultimo majoris Hebdomadæ triduo removenda est a vasis Ecclesiæ aqua benedicta. S. R. C. 12 nov. 1831. Sed tunc in alio loco asservanda est pro incensi et ignis benedictione, quæ fit hisce diebus; item ad adspergendum infirmum, cui Ss. Viaticum et Extrema-Unctio hoc triduo ministratur; item ad adspergenda defunctorum cadavera — 3) Aquæ benedictæ adveniente causa non benedicta adjungi potest, dummodo hæc semper sit in minori quantitate; tunc ex Angelico (in 4 Sent. d. 12, q. 1, a. 3, q. 6) *acquiritur ei virtus aliqua ex benedictione; et ideo illa virtus potest pervenire ad aquam additam* (Scavini. l. III, n. 212).

n. 92; et *Scavini*, l. III, n. 211: *de crucis signo, de aqua benedicta* plura habet, ac *de rosa aurea)* (1).

417. Casus. *Titius sine ullo scrupulo projicit canibus ossa agni vel ova quæ in Paschate benedicuntur.* Gretserus putat id illicitum; sed ea vult comburi et cineres decenter tractari. At negandum, quia res ejusmodi non benedicuntur benedictione constitutiva sive consecrativa, idest per quam reddantur res in rigore consecratæ; sed tantum benedictione invocativa, per quam solum invocatur specialis assistentia Dei circa rerum illarum usum, ad quem inserviebant ante benedictionem. Sic sæpe a sacerdotibus benedicuntur omnes cibi ante mensam; et tamen postea licite ex illis datur canibus — Similiter est licitum candelis benedictis uti ad alios profanos usus, decenter tamen: v. g. pro studio. Benedictio enim definitur: *Ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo vel aliquod bonum alicui adprecatur, vel aliquod ex profano sacrum efficitur;* vel etiam ex sacro *sacrius* ut cum Ecclesia jam benedicta, consecratur *(S. Alph.*, l. VI, n. 94).

DISPUTATIO SECUNDA

DE BAPTISMI SACRAMENTO, EJUSQUE NECESSITATE.

418. **Baptismus**. Vox *baptismus* (vel *baptisma)* idem est ac *immersio, ablutio, lavatio.* Prout Sacramentum est, definitur a Catechismo Romano: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Communiter solet definiri: *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem hominis regenerationem per exteriorem corporis ablutionem cum aqua sub præscripta verborum forma.* Quibus verbis omnia habentur quæ necessaria sunt ad Sacramentum novæ Legis. Nempe 1) *Ritus sensibilis et externus* in aquæ ablutione. 2) *Christi institutio,* cum ipse ad

(1) Crucis novæ benedictio Episcopo vel ab ipso delegato reservata, intelligitur de cruce cœmeterii, aliisque publice exponendis, v. g. in eminenti loco ad repellendas tempestates. Cruces vero altarium, processionum et usui privato destinatæ non sunt benedicendæ de præcepto; ideo simplex sacerdos potest eas benedicere privatim formula Ritualis pro nova cruce. *S. R. C.* 7 aug. 1628; 2 julii 1704; 12 aug. 1834.

Sacerdotes tam sæculares quam regulares possunt benedicere privatim fornaces et similia; sed non solemniter uti faciunt parochi. S. C. C. 5 maji 1718.

In benedictionibus pro quibus Rituale non dat formulam, est (ex S. R. C. 12 aug. 1854) *producendum signum crucis super re benedicenda cum formula:* In nomine Patris, etc.; *deinde res ipsa absque cereo cum aqua benedicta aspergenda est* (v. Scavini *de variis benedictionibus*, l. IV, Append. 53[a]).

Cæterum hac de re vide Rituale Romanum nuper editum a S. Congregatione de Propaganda fide, ubi plurimæ habentur formulæ.

baptizandum mandaverit. 3) *Gratiæ collatio* in spirituali regeneratione. Idque definitum habemus in Florentino et Tridentino Conciliis; et firmus semper fuit omnium christianorum etiam reformatorum consensus. Et ipsa judæorum persuasio erat, Baptismum ad delendum peccatum et gratiam infundendam a solo Messia esse instituendum; cum enim Joannes Baptista negaret se esse Messiam, stupentes judæi dixerunt ei: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus?* Jo. I. Vide Knoll (1).

Valde probabile est cum d. Thoma (3 p. q. 66, a. 2) Baptismus fuisse institutum cum Christus in Jordane voluit a Joanne baptizari: tunc videtur aquæ virtutem regenerandi illo contactu tributam fuisse. Promulgatum vero constat post resurrectionem cum Christus Apostolos misit in universum mundum: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (S. Alph., l. VI, n. 96).

419. **Necessitas Baptismi.** Baptismus primum novæ Legis Sacramentum post sufficientem Evangelii promulgationem omnibus necessarius est ad salutem necessitate medii, nisi ejus vices suppleat votum vel martyrium.

Dixi 1: *Post sufficientem Evangelii promulgationem*, ut Tridentinum docet (sess. VI, c. 4); cum enim lex Baptismi positiva sit, non potest obligare, nisi sit sufficienter promulgata. Hinc Apostolus ait: *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* (Rom. X).

Dixi 2: *Omnibus necessarius est ad salutem necessitate medii;* ergo etiam infantibus. Quod de fide est et probatur illis Scripturæ verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (2). Quæ quidem cum generalia sint, etiam infantes obstringere debent. Hinc d. Ambrosius: *Christus nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate* (l. I de Abrah. c. 18). Idque firmatur

(1) Christus ipse voluit baptizari tum ad humilitatem, tum ut Joannis baptismum probaret, tum ut aquas suo contactu consecraret, tum ut assuefaceret homines ad suum baptisma *(D. Thomas*, 3 p. q. 38).

(2) Infantes non ideo damnantur, quia violarunt Baptismi legem; sed ab æterna cœli beatitudine excluduntur, quia originali peccato detinentur *(Scavini*, l. III, n. 52; et Perrone, *De Baptismo)*.

Neque dicas nunc, necessitate Baptismi admissa, deteriorem infantium conditionem evasisse, siquidem ante Evangelii promulgationem illi per fidem parentum salvabantur. Nam paucissimi erant parentes veram fidem habentes, qui illam applicationem facerent; nunc autem Baptismus ubique, semper et ab omnibus in necessitate administratur, et hodie in immensum crescit numerus parvulorum qui baptizantur, maxime auxilio Institutionis *S. Infantiæ*, quæ ideo omni studio promovenda est.

constanti et universali traditione. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit* (sess. VII, can. 5).

Dixi 3: *Nisi ejus vices suppleat votum, vel martyrium.* Hinc triplex distingui solet Baptismus, nempe flaminis, sanguinis et fluminis juxta hunc versiculum:

Baptismus reddunt et votum et sanguis et unda.

1) *Flaminis;* est ardens desiderium, seu votum etiam implicitum Baptismum suscipiendi — 2) *Sanguinis* est effusio sanguinis, seu mors tollerata pro fide aut alia virtute christiana, ut docet d. Thomas (2, 2, *q.* 124, *a.* 5) — 3) *Fluminis,* nempe verum Baptisma, quod Sacramentum est, et quod semper intelligitur, cum sine addito usurpatur Baptisma. Imo cæteri nonnisi istius vices supplent; et ideo non infirmant veri Baptismi necessitatem: et propterea recte dicitur *unum baptisma* (Vide nn. 447, 448; et *d. Thomas,* 3 p. q. 66, a. 11).

Quod ut intelligatur, notandum: medium salutis vel est *internum,* nempe gratia sanctificans; vel *externum,* nempe in præsenti Baptismus. Sine medio interno actu et re percepto impossibile est vitam æternam obtinere; nam sine gratia salvatur nemo; res est absolute necessaria. At sine medio externo, nempe Sacramento, potest homo salvus fieri, si aliunde possit gratia sanctificante donari. Hoc porro evenit per Martyrium et Baptismi votum *(S. Alph.,* l. VI, n. 95).

Opponunt: *Christus* (Joannis VI) *ait:* Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam æternam. *Porro sicut ex istis verbis nemo colligit parvulis esse necessariam Eucharistiam; ergo pariter ex aliis Joannis* III: Nisi quis renatus fuerit etc. *Baptismi necessitas argui nequit.*

R. Non tenet paritas: verba enim Joannis III generalia sunt, nec præceptum solum continent, sed medium seu conditionem absolutam ad ingressum Regni cœlorum, quæ ideo etiam infantes respicit. E contra quæ habentur Joannis VI verum mandatum continent, ideo in persona secunda enunciata sunt; porro præcepti positivi infantes capaces non sunt.

CAPUT PRIMUM

De Baptismi Materia et Forma.

420. **Baptismi materia remota.** De fide est contra Gnosticos, Manichæos et nonnullos alios Novatores materiam remotam ac necessariam Baptismi non aliam esse præter veram

et naturalem aquam, ut clare innuunt ea Christi verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* etc. Et Philippus cum eunuchum regis Candacis edocuisset doctrinam Christi *venerunt ad quandam aquam, et ait eunuchus: Ecce aqua; quid prohibet me baptizari?* (Act. VIII). Hinc Tridentinum definit: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa D. N. J. C.:* Nisi quis etc., *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit* (sess. VII, can. 2). Catholica veritas universali traditione omnium ecclesiarum firmatur, nec non baptisteriis ubique erectis.

Resolve: I. Est *materia valida:* 1) Aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum — 2) Aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine; sulphurea vel mineralis, frigida vel calida; collecta ex vapore, rore; vel effluens tempore nimboso e pariete, foliis, etc. — 3) Aqua turbida, aqua luti (non tamen lutum), aqua mixta cum aliis substantiis, modo aqua sit certo prædominans, et *non ita ingrossata, ut recedat a vera raritate aquæ,* ut ait d. Thomas *in* 4, *d.* 3, *a.* 3, *q.* 3 (1).

II. Est *materia invalida:* 1) Lac, sanguis, lacrymæ, sudor, saliva, sputum, urina — 2) Vinum, oleum, cervisia, jus densum ex adipe, etc. — 3) Lutum, atramentum, fel, liquores, succus herbarum ac florum; non est enim aqua (iterum *d. Thomas,* 3 p. q. 66, a. 4).

III. Est *materia dubia:* 1) Cervisia et atramentum, etsi tenuia; item jusculum et lixivium — 2) Aqua ex sale soluta vel arte alchymica educta e floribus, plantis, etc. — 3) Nix, glacies, pruina et alia similia nondum resoluta. Materia dubia adhibenda est in necessitate, cum nequit haberi materia valida, Baptismum conferendo sub conditione: *Si hæc materia sit sufficiens, ego te baptizo,* etc. Quod si sic baptizatus supervixerit, erit item (sub conditione *Si non es baptizatus)* baptizandus, ut cum materia apta, certo provideatur ejus saluti.

Cæterum ad licitatem quod spectat, extra necessitatem sub

(1) Proposito dubio de Baptismo collato cum aqua benedicta, quæ tamen ob climatis intemperiem fœtida evaserat, S. Officii C. 17 apr. 1830 respondit: *Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis. Et in casu necessitatis præferendam aquam naturalem; sed providendum renovatione aquæ fontis baptismalis juxta Rituale Romanum.*

Convenienter autem aqua adhibetur ex divina institutione, ut multis probat d. Thomas, 3 *p. q.* 66, *a.* 3. Aqua lavit, baptismus abluit peccata; aqua temperat calorem, et baptismus mitigat fomitem concupiscentiæ; aqua ubique abundat et convenit huic Sacramento tantæ necessitatis, etc.

mortali est adhibenda aqua munda; et in Baptismo solemni aqua specialiter Oleo catechumenorum, ac Chrismate consecrata tum ex præcepto Ecclesiæ; tum in reverentiam Sacramenti *(S. Alph.,* l. VI, n. 102).

421. **Materia proxima Baptismi.** Cum materia Sacramenti proxima non aliud sit, quam actualis applicatio materiæ remotæ facta subjecto, cui Sacramentum confertur, cumque aqua applicetur baptizando per ablutionem, clare deducitur, *ablutionem* ipsam esse materiam Baptismi proximam. Quæ ablutio tripliciter fieri potest:

1) Per *immersionem,* corpus nempe mergendo in aqua sicut in balneo: primis sæculis Baptismus ordinarie conferebatur trina immersione. Et in Ecclesia ambrosiana ter mergitur in aquam caput infantis — 2) Per *aspersionem,* modo quo solent aspergi fideles aqua lustrali — 3) Per *infusionem,* vel potius *effusionem:* et est ablutio hodie in usu in Ecclesia latina romani ritus, quæ quidem consistit in effundendo aquam super caput baptizandi.

Ad *valorem Baptismatis* nihil refert quocunque modo ex dictis puer abluatur, cum semper censeatur vere ablutus, ut patet ex consensu universalis Ecclesiæ, quæ modo uno, modo altero modo, vel a primis temporibus Baptismum ministravit, juxta locorum, circumstantiarumque varietatem; est contra græcos schismaticos, qui solam immersionem admittunt. Attamen in qualibet Ecclesia sub gravi observanda est qui viget ritus, ut notat d. Thomas (3 *p. q.* 66, *a.* 8). Hinc (extra necessitatem) trina ablutio ex Rituali sub gravi requiritur in Ecclesia romana, nempe infunditur aqua super caput infantis in modum crucis, simul verba proferendo hoc modo: *N.* (exprimatur nomen baptizandi) *ego te baptizo in nomine Patris* ✝ (fundat primo) *et Filii* ✝ (fundat secundo) *et Spiritus Sancti* ✝ (fundat tertio). *S. Alph.,* l. VI, n. 108 (1).

(1) Ex Rituali Ambrosiano: « Parochus infantem supinum a patrino sublatum utraque manu excipit, ita ut dextera capiti ejus propior sit; tunc ter occiput mergit in aqua in crucis formam; et mergendo, si certe scit illum non esse baptizatum, explicate profert: *N. ego te baptizo in nomine ✝ Patris, ✝ et Filii, ✝ et Spiritus Sancti. Amen.* Quæ verba proferantur, dum ter mergit; semel dum ait: *N. ego te baptizo in nomine Patris;* iterum dum ait: *et Filii;* tertio dum dicit: *et Spiritus Sancti. Amen.* Compater autem postremo manum infanti supponit, et de fonte levat; atque ita tenet, ut orientem spectet.

» Sin autem parochus re investigata atque explorata, dubitat an infans baptizatus sit, ita dicit: *N. si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine ✝ Patris, ✝ et Filii, ✝ et Spiritus Sancti. Amen;* idque mergendo modo supra notato. Parochus baptizati infantis caput mantili abstergit. »

Dices: *Sine immersione non repræsentatur figura sepulturæ Christi ut vult Apostolus:* Consepulti enim sumus cum illo (Christo) per baptismum in morte (Rom. VI). *Et sine trina immersione non significatur Trinitas divinarum personarum, nec triduum quo Christus mortuus jacuit in sepulcro* — R. Quocunque modo fiat ablutio sepultura Christi repræsentatur, licet non ita expresse; nam semper corpus hominis vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum. Significatio autem Trinitatis jam fit in Baptismo per verba formæ. Tandem triduum sepulturæ Christi non est de necessitate salutis, quia etiamsi una die fuisset sepultus vel mortuus, suffecisset ad nostram redemptionem; ideo hoc neque est de necessitate Sacramenti. Cæterum loco trinæ immersionis, trina ablutio præcipitur *(D. Thomas,* 3 p. q. 66, a. 8).

422. **Pars abluenda in Baptismo.** Pro certo valet Baptisma, si ablutio contingat in capite uti præcipua corporis parte, in qua fundantur omnes sensus. Imo communissime docent valere etiam, si contingat in scapulis, humeris, pectore vel parte alia principali; quia est vera hominis ablutio. Quia tamen semper remanet aliquale dubium, cum dissidium sit inter Doctores, ut notat Benedictus XIV, cumque hac in re tutiora sequenda sint; merito docet Angelicus, quod si caput non possit ablui, Baptisma sit postea iterandum sub conditione, uti etiam Rituale præscribit. Quod multo magis fieri debet, si Baptismus datus sit in digito, in pede, vel alia parte minima.

Si vero ablutio contingat solum in *veste,* tale Baptisma esset prorsus invalidum; cum non abluatur homo. Quod si ablutio tangat tantum *capillos,* res dubia est; ideo in necessitate Baptisma est conferendum sub conditione: *Si capax es;* et postea si puer possit rite baptizari, Baptisma est iterum sub conditione: *Si non baptizatus,* repetendum. Hinc monet Rituale, quod si baptizandus sit capillatus, *digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminet sacerdos, dum dextera aquam infundit:* et optimum tunc erit, si in fronte abluatur puer *(S. Alph.,* l. VI, n. 107) (1).

423. **Puer adhuc in utero matris.** Alii cum d. Thoma negant posse valide baptizari puerum in ipso utero matris per aliquod instrumentum, si nondum pars aliqua prodierit; quia nemo dici potest *renatus,* nisi prius natus sit; nam de baptizando dictum est: *Nisi renatus fuerit ex aqua.* Verum alii satis

(1) Negant communiter esse materiam sufficientem unam vel alteram aquæ guttam, præsertim si gutta non fluit. Probabilius tamen Holman et Elbel dicunt esse materiam dubiam. Sed si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis baptizandi (caput) commune est cum Anacleto, Coninchio, Filiuccio, Scoto, Bonacina aliisque Baptismum validum esse (licet Continuator Tournely adhuc dubitet); sed hoc nonnisi in necessitate fiat *(S. Alph.,* l. VI, n. 107, q. 6).

probabiliter affirmant (maxime si ablui potest caput): quibus non parum adhæret Benedictus XIV; quia talis homo jam existit viator (1). Nonne de Christo in utero Virginis vix concepto dictum fuit Matthæi I: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est?* Quidquid sit, puto, in casu necessitatis talem puerum esse omnino baptizandum sub hac conditione, *si es capax*. Et de hoc a Parocho instruendæ sunt obstetrices; ideo magis, quod tunc Baptismus ab obstetrice (vel chirurgo) pudoris causa est dandus. Nec obstat quod puer sit involutus in secundina (pellicula quæ infantem tegit); quia hæc est veluti pars infantis.

Monet Rituale: *Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, iterum est baptizandus.* Idipsum docet d. Thomas (3 *p. q.* 68, *a.* 11). Quod si aliquam partem emiserit, puer in ea conditionate: *Si es capax,* baptizetur, urgente necessitate. Sed postea si perfecte nascatur et vivat, est rebaptizandus sub forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* etc. Et hoc multo magis, si fuerit baptizatus in utero clausus *(S. Alph.,* l. VI, n. 107).

424. **Forma Baptismi.** Definitum est tum in Lateranensi, tum in Tridentino, veram et legitimam Baptismi formam consistere in his verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, juxta illud Christi præceptum: *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Hinc Tertullianus: *Lex tingendi imposita est et forma: ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* etc. Est contra Marcosianos, Montanistas, Arianos et Novatores sæculi XVI, qui hac in re erroneas sententias propugnarunt.

Vides ergo quinque ad formam pertinere, juxta quæ Baptismi valor expendi debet: 1) *Persona, quæ baptizat,* ut exprimatur actio ministri. 2) *Persona, quæ baptizatur;* nam forma circa determinatam personam versari debet; ideo nullum est Baptisma si omittatur pronomen *te.* 3) *Actus baptizandi,* nempe actualis applicatio aquæ corpori, ut ita materia determinetur ad specialem effectum. 4) *Unitas divinæ naturæ,* ut vera habeatur Dei confessio. 5) *Divinarum personarum distinctio cum propriis vocabulis,* ut probat Patrum consensus, Ecclesiæ praxis ac Christi institutio.

Resolve: 1) Si quis puerum in flumen projiciat formam baptismi pronuntiando, probabiliter invalide baptizat; quia contactus aquæ non

(1) Verum s. Thomas ideo negat: quia ductus ab opinione, quæ suo tempore vigebat, fieri non posse, ut per instrumentum aqua ad corpus infantis in utero clausi pertingeret; nam statim addit (in 4, d. 12, q. 1): *Nisi forte dicatur quod ablutio baptismalis qua corpus matris lavatur ad filium in ventre existentem perveniat, sed hoc esse non potest* (S. Alph., l. VI, n. 107).

fieret a ministro, sed a corporis mole. Sed alii probabiliter docent valere baptismum; quia omnia concurrunt, materia, forma, intentio et actio ministri. Quidquid sit, dicimus nunquam fas esse infantem, quamvis mox decessurum, in flumen projicere, quia nunquam fas est innocentem directe occidere; quod si projectus salvari potest, esset rebaptizandus sub conditione *(S. Alph.,* l. VI, n. 105).

2) Si quis verba formæ proferens supponat puerum alteri, qui aquam infundit, invalide baptizat; quia individua debet esse in Baptismo causa moralis, idem scilicet et qui aquam infundit et qui verba pronuntiat. Aliter esset, si quis puerum supponeret aquæ e tecto decidenti: tunc enim, cum hic solus moraliter operetur, ipse in veritate dicitur abluere *(S. Alph.,* l. VI, n. 106).

425. **Variatio formæ Baptismi.** Est tum substantialis, tum accidentalis.

Variatio *substantialis* habetur, quando non amplius existit substantia verborum, quæ præscripta sunt: hæc profecto Sacramentum invalidat. Esset si quis dicat: *Ego te baptizo in nominibus Patris,* etc.; vel *in Patre et Filio,* etc.; vel *cum Patre et Filio,* etc. Non enim satis explicaretur unitas essentiæ divinæ.

Variatio *accidentalis* habetur, quando sensus adhuc remanet quoad substantiam: hæc Sacramentum non invalidat (nisi variet in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia). Esset si quis vel mutet idioma; vel substituat verba synonima; vel omittat verbum *ego:* nam adhuc satis redditur sensus; *ponitur enim ad majorem expressionem intentionis,* ut ait d. Thomas, 3 p. q. 66, a. 5. Vel (saltem in probabiliori sententia) si omittat verbum *in:* latino enim idiomate aliquando tacentur præpositiones. Vel ob balbutiem formam corrumpat in fine; sic enim voces constitutæ sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent, cum jam ab initio sensus præoccupatus sit *(S. Alph.,* l. VI, n. 112) (1).

426. *Resolve:* 1) Si dicatur: *Ego te baptizo in nomine Ss. Trinitatis,* Baptismum est valde dubium, ne dicam invalidum; cum non exprimantur singulæ personæ Ss. Trinitatis, ut præcepit Christus; et ut evenit in ejus Baptismo, qui fuit origo sanctificationis nostri Baptismi: in quo adfuit Trinitas in distinctis ac sensibilibus signis, *scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba* (D. Thomas, 3 *p. q.* 66, *a.* 5).

2) *Quid de Baptismo dato in solo* nomine Christi Jesu? Nemo

(1) Baptismum infanti collatum sub forma: *Io ti battezzo nome di Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo,* validum censuit S. C. C. 12 sept. 1801; cum non dubitaretur de fide regionis et proferentis. Inspecto vulgari proferendi usu, corruptio ex lapsu linguæ accidentaliter procedens non mutat sensum substantialem formæ sacramentalis. Idem dicendum paritate rationis de forma: *Io ti battezzo* (vel *abbatezzo) del nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo.*

Item valet si dicatur *baptismo* loco *baptizo* ex C. S. Officii ad Episcopum Novar. 22 maji 1871. Item dicunt, si obstetrix sic baptizet: *Io ti battesimo in nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo:* est enim *battesimo* a voce vernacula *battesimare,* quæ recte redditur pro *battezzare.* Item plures dicunt valere si mulier dicat *io ti battezzo in domine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* ajunt adhuc sensum haberi, cum in latinæ linguæ ignaro non censeatur substantialis corruptio (v. apud *Scavini,* l. III, n. 217 plures aliæ formæ, et de modis usurpatis ab hæreticis).

Invalidum vero videtur esse baptisma si loco *te baptizo,* dicatur *et baptizo;* nam non satis determinatur subjectum baptizandum; omissio enim pronominis *te* invalidum facit baptismum ex S. C. de Propaganda fide 5 julii 1841.

illum hodie uti validum habet; deest enim præscripta illa trina Personarum invocatio, de qua in Evangelio, in Patribus et Tridentino. Neque obstant verba: *In nomine Christi baptizabantur viri* (Act. VIII). Communius interpretes ibi pro nomine *Christi* intelligunt Baptismum a Christo institutum ad differentiam Baptismi Joannis: et hæc videtur vera sententia cum d. Thoma, *loco cit. a.* 6.

3) Si formæ consuetæ addatur et in nomine B. Mariæ Virginis, tunc, ut habet d. Thomas, *q.* 60, si additio illa fiat ex importuna devotione, valet Baptismus. Secus si intentio habeatur tribuendi Beatæ Virgini efficaciam ad Baptismi valorem; nam perverteretur vera Divinitatis confessio *(S. Alph.*, l. VI, n. 111; *Scavini*, lib. III, n. 217).

CAPUT SECUNDUM

De Baptismi Ministro.

427. **Baptismi minister.** Triplex distinguitur. *Ordinarius*, qui jure ordinario baptizat solemniter. *Extraordinarius*, qui solemniter quidem (seu publice) baptizat, sed tantum ex delegatione. *Necessitatis*, qui in necessitate privatim, cæremoniis omissis, baptizat.

428. **Minister ordinarius Baptismi.** Est non solum Episcopus, sed quilibet sacerdos. Constat ex Decreto ad Armenos, ex Catechismo Romano et praxi Ecclesiæ. Verum facta parœciarum distinctione, hodie Jure ecclesiastico *minister ordinarius ac legitimus est Parochus, vel alius sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus*, uti ait Rituale Romanum. Nam æquum est, ut Pastor suis ipse ovibus provideat *(S. Alph.*, l. VI, n. 115).

Resolve: 1) Parochus extra parœciam suam, vel intra eam alienos illicite baptizat sine licentia saltem rationabiliter præsumpta proprii pastoris. Peccant autem qui sine licentia sui parochi alteri deferunt prolem baptizandam; siquidem jus proprii pastoris violant.

2) Peregrini et vagi possunt baptizari in qualibet parœcia; attamen alicubi prævalet consuetudo, ut peregrinus pro Sacramentis recurrat ad parochum, in cujus parœcia hic et nunc moratur. Si autem mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda. Si tamen pagus proprius parum distet, v. g. duabus aut tribus horis; tunc potest baptizari etiam in propria parœcia. Imo in nonnullis Synodis id præcipitur, si tamen possit commode fieri, ut in Novariensi.

3) Advenæ qui proprium habent alibi domicilium, probabilius possunt recipere Baptismum, atque alia Sacramenta etiam a parocho alterius loci, ubi nempe quasi-domicilium contraxerunt.

4) Nocturno tempore solemne Baptisma non est conferendum, uti cautum est sacris canonibus, nisi necessitas vel famæ servandæ studium vel aliud suadeat.

5) Nemo potest se ipsum valide baptizare, nam actio ministri est ad alium; et Baptismus est quædam spiritualis generatio, at nemo se ipsum gignit.

6) An duo possint unum baptizare eodem tempore, distinguendum: si quilibet intendit agere independenter ab alio uti causa individua, validus est Baptismus; quia adsunt omnia requisita (qui tamen primus formam complet, ipse solus baptizat, ut patet). *Nec traderent aliud et aliud Sacramentum,* ait Angelicus; *sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum per utrumque conferret.* Hoc tamen erit graviter illicitum, nisi forte excuset subitus timor, ne alioquin infans non tinctus decedat. Si vero unus intendit agere dependenter ab alio, ut causa communis, invalidus est Baptismus tam si dicat *ego te baptizo;* quam si dicant simul, *nos te baptizamus.* Nam, ut ait idem Angelicus, *homo non baptizat, nisi ut minister Christi et vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus; ita oportet unum esse ministrum, qui Christum repræsentet* (3 p. q. 67, a. 6. *S. Alph.,* l. VI, n. 120).

7) Qui non est ordinarius minister, et publice baptizat, peccat graviter; quia usurpat jus alienum in re gravi. Imo clerici diaconatu inferiores irregulares evadunt, si id temerarie audeant. Hanc tamen pœnam communius et probabilius non incurrunt laici; quia textus loquitur de clericis tantummodo (*S. Alph.,* l. VI, n. 114).

429. **Minister extraordinarius Baptismi.** Minister extraordinarius qui potest publice seu solemniter baptizare, est Diaconus, ut constat ex Jure canonico et Pontificali romano. Verum tantummodo de commissione, vel licentia Episcopi aut Parochi. Quæ licentia vel commissio adeo est in præcepto, ut (in communiori ac probabiliori sententia) sub gravi prohibeatur diaconus sine illa publice baptizare, licet Parochus absit, a quo petatur facultas, et urgeat casus (*S. Alph.,* l. VI, n. 118).

Imo hæc delegatio nequit diacono fieri, nisi ob necessitatem vel magnam utilitatem, ut si non adessent sacerdotes, et multi

essent baptizandi vel si Parochus graviter infirmetur. Ratio est, inquit Angelicus, quia ad diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter et quasi ex proprio Officio præbere, sed assistere et ministrare sacerdotibus (3 *p. q.* 67).

430. **Minister necessitatis Baptismi.** Quilibet homo rationis utens, sive vir sive mulier, sive catholicus sive hæreticus, sive fidelis sive infidelis potest semper valide, et in necessitate etiam licite baptizare; est contra Calvinistas. Imo tunc baptizare tenetur; *secus*, ut ait Tertullianus, *laicus reus erit perditi hominis.* Id constanti traditione firmatur; et de fide est ex Lateranensi IV capite *Firmiter*, et Decreto ad Armenos. Sane, ut habet Angelicus, pertinet ad divinam misericordiam, ut quæ sunt de necessitate salutis, quisque facile inveniat (3 *p. q.* 67, a. 3, 4 et 5. *S. Alph.*, l. VI, n. 117).

Casus. Laurenius qui nunquam audiit, cum sit surdus-mutus a nativitate, edoctus tamen loqui et intelligens significationem verborum sicut cæteri, rite proferens verba baptizavit infantem; an valide?

S. Officii Congr. 4 junii 1875 respondit: *Nihil esse respondendum, cum non sit nec necessarium nec expediens ut respondeatur.* Noluit definire; at in extrema necessitate, cum nullus alius adest, videtur surdum-mutum qui loqui scit, posse ac debere sub conditione Baptismum administrare. Ita eximii Bononienses surdomutorum Institutores.

431. **Ordo inter ministros Baptismi.** Rituale ordinem designat: *Si adsit sacerdos diacono præferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum; vel nisi melius fœmina sciret formam et modum baptizandi.* Item jure canonico prohibentur pater et mater propriam prolem baptizare, si alii adsint. Item si adsit sacerdos, sed excommunicatus, in veriori sententia postponendus est; cum uti putidum membrum habeatur.

Verius autem docent laicum peccare graviter, si baptizaret, præsente sacerdote, sine legitima causa; cum sacerdoti commissum sit ex potestate Ordinis baptizare. Si laicus autem baptizaret sine causa, præsente diacono, qui non habeat commissionem, utrum adhuc peccet graviter, disputant; cum diacono hoc jus non competat, nisi ex ipsa delegatione. Si vero laicus, præsentibus aliis clericis inferioribus, baptizaret, recte ajunt id non esse mortale; cum sit tantummodo aliqualis indecentia (*S. Alph.*, l. VI, n. 117).

432. **Baptismus quando ministrandus.** Infantibus quo ci-

tius fieri potest Baptismus a parocho est ministrandus (idest intra triduum a nativitate juxta Romanam praxim; intra octiduum juxta praxim d. Caroli). Hinc Rituale: *Parochus hortetur, ne pueris Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis;* infantes enim, ut notat Angelicus *(in* 4, *d.* 4, *a.* 3), multis vitæ periculis obnoxii sunt; et aliunde præstat quam citius eos a potestate dæmonis liberare, cui per peccatum originale subduntur — Qualis autem reputetur (extra gravem causam, et periculum mortis infantis) dilatio mortalis, videtur communius et probabilius eam non esse talem, nisi 10 vel 11 dies excedat. Cum causa autem gravi, v. g. ut expectetur patrinus, ut Baptismus solemniter administretur, potest expectari ad mensem, modo infans bene se habeat, et non adsit specialis prohibitio *(S. Alph.,* l. VI, nn. 118, 140, 144).

433. Si vero agatur de adultorum Baptismate, id ex Rituali, *ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur; alioquin Parochus ipse baptizet, statuta cæremonia.* Præstat autem ad aliquod tempus eum differre ob utilitatem baptizandorum, ut plenius instruantur et probentur; Christus enim (ait Angelicus Doctor) præceptum baptizandi discipulis tradens præmittit doctrinam Baptismo dicens: *Euntes docete, baptizate.* Non tamen diu, ne baptizandus tanto bono privetur (3 *p. q.* 68, *a.* 3, et *q.* 71, *a.* 1).

Ordinarii, si non habent domum catechumenorum, catechumenos in aliqua religiosa domo vel apud pios fideles instruere curent ac probare: quæ probatio ad minus durare solet per 40 dies. Porro cum adultus baptizatur, ipse per se debet interrogationibus ministri respondere, pœnitentiam agere, orare, errores damnare, si de hæretica secta sit. Potest autem retinere suum nomen, si ab Ecclesia probetur; item potest post Baptismum recipere et Confirmationem, et etiam Eucharistiam. *Baruffaldus.*

434. **Locus ad Baptismum.** Locus ordinarius Baptisma conferendi est Ecclesia parochialis, vel alia ubi jus Fontis est; ideo generatim loquendo in illa debet sub gravi Baptisma administrari. Excipe: 1) Casum necessitatis, v. g. periculum infamiæ parentum, vel periculum vitæ ipsius infantis: tunc privatim domi conferatur Baptismus — 2) Si baptizandus sit filius regis vel principis, nepos, aut eorum descendens. Tunc ex Rituali id fieri potest *in eorum Capellis seu Oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta,* et cum omnibus cæremoniis; quia illarum omissionem solus casus necessitatis excusat *(S. Alph.,* l. VI, n. 118).

Sine rationabili causa ab Episcopo probanda non licet Baptismum solemniter conferre in Sacristia. *S. Rituum Congregatio* 16 martii 1861.

CAPUT TERTIUM

De Baptismi Subjecto.

435. **Baptismi subjectus.** Dicitur quisquis est capax et idoneus ad illum recipiendum. Talis est omnis et solus homo vivus et nondum baptizatus, quamvis infans (1). Est contra Anabaptistas et alios Novatores; Christus sane indiscriminatim de omnibus loquitur dicens: *Nisi quis renatus fuerit* etc. Concordes sunt Patres, et universalis traditio: hinc Auctor Constitutionum Apostolicarum: *Baptizate vestros pueros.* Idem habet Concilium generale Viennense, et Tridentinum definivit: *Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit* (sess. VII, can. 13 *de Bapt.)* — Neque obstat quod parvuli actum credendi non habeant; nam, ut ait d. Thomas: *Sicut ad incurrendum peccatum originis sufficit aliena voluntas, ita ad obtinendam gratiam in parvulis sufficere debet Ecclesiæ fides.* Quod autem baptizandi sint prius docendi ex Christo Domino, id intelligitur de iis, qui instructionis capaces sunt, nempe de adultis *(D. Thomas,* 3 p. q. 71) (1).

Infantes vero baptizati cum capaces fiunt, statim tenentur Ecclesiæ legibus, quin interrogentur an velint Ecclesiæ subdi; in quavis enim societate quivis nascitur, ex eo instanti obstrictus fit jure naturali ad omnes illius leges servandas. Idque magis si agatur de lege Evangelica, lege salutis; et definitum est a Concilio Tridentino *(sess.* XIV). Vide *Perrone.*

(1) Etiam campanæ baptizari solent et debent, non quasi fidei et gratiæ sint capaces, sed ut earum sacra vox fideles ad Ecclesiam convocet, defunctos pie ploret, nimbum fugat, ac festa honoret. Talis baptismus seu benedictio est solius Episcopi, cum in ea adhibeantur sacra olea; et simplici sacerdoti comitti nequit sine speciali Apostolico privilegio; et semper fieri debet juxta Pontificale et aqua ab Episcopo benedicta ex *S. R. C.* 19 apr. 1687 — Si campanæ ante benedictionem in turri jam sint collocatæ et sine magna difficultate dimitti nequeant, cum non deceat Episcopum in pontificalibus illam ascendere, potest sacerdos illas aqua benedicta adspergere; *S. R. C.* 16 julii 1594 — Inscriptiones autem quæ in illis insculpere solent, religiosæ sint et prius ab ecclesiastica auctoritate probatæ.

Præstat ultimo, ut parochi modum servent in iis pulsandis ad evitandas altercationes et hostilitates *(Scavini,* l. IV, n. 411: *De Campanis.* Stocchi, *Guida pratica amministrativa dei Parrochi).*

(2) Viguit olim apud nonnullos usus, ut nonnisi ad seram ætatem baptisma susciperent; sed id fuit semper ab Ecclesia reprobatum. *Perrone.*

436. **Baptismi iteratio.** Baptismus validus in nullo casu iterari potest; tum quia imprimit characterem qui indelebilis est; tum quia principaliter datur contra originale peccatum; sed originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus; tum quia Baptismus est quædam spiritualis regeneratio; sed unius non est nisi una generatio: *Quia homo semel nascitur,* ait d. Thomas, *multoties autem cibatur, semel tantum datur Baptisma, multoties autem Eucharistia* (p. 3, q. 66, a. 9). Hinc nullus est Baptismus iteratus: et qui temere baptizat valide baptizatum (etsi baptizet sub conditione, ut probabilius dicunt), aut qui baptizatus scienter iterum Baptismum suscipit, grave committit sacrilegium et irregularitatem incurrit. Vide tamen infra *de irregularitate (S. Alph.,* l. VI, n. 122).

Si vero de Baptismi validitate dubium sit, illud conditionate iterandum est, uti patet. Verum quoties est iterandum Baptisma adultorum catholicorum, secreto est faciendum ad evitanda murmura. Et quidem sine præjudicio matrimonii (quod semper subsistit) si forte eo ligatus sit ille, de cujus Baptismo dubitatur. Cæterum præstat ut consulatur Episcopus, uti in omni gravi re fieri oportet (v. *Scavini,* l. III, n. 226, ubi modum edocet quoad adultos).

Resolve: I. Ad probandam Baptismi collationem sufficit unus testis ocularis, probus et fide dignus, sive masculus sit sive fœmina. Neque hic periculum est deceptionis: quod timeri potest in cæteris rebus humanis, in quibus vel ex acceptione personarum vel ex lucri spe unus testis facile corrumpitur.

II. Baptisma præsumitur valide collatum, si sermo sit de adultis, qui nati sunt a parentibus catholicis, et inter catholicos educati; tametsi nullum extet in Libris baptizatorum testimonium, nisi graves adsint conjecturæ in contrarium. At baptizandus est sub conditione adultus, qui ab infantia raptus fuerit a barbaris; nec certo scitur, an fuerit baptizatus *(S. Alph.,* l. VI, n. 131).

III. « *An Baptismus conferri debeat hæreticis, qui se convertunt ad religionem catholicam a quocunque loco proveniant et ad quamcunque sectam pertineant?* S. Officii Congregatio 20 nov. 1878 respondit: *Negative;* sed in conversione hæreticorum a quocunque loco vel a quacunque secta venerint, inquirendum de validitate Baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute.

Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione per acta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei » *(Acta S. Sedis,* t. XI).

IV. Valet Baptisma, si baptizans erravit circa personam illud suscipientis, putans illum esse Titium cum sit Sempronia, nisi intendat expresse (quod vix supponitur) non baptizare nisi Titium; nam semper intelligitur illud præsenti conferri. Item est de aliis Sacramentis: Matrimonio et Ordine ut plurimum exceptis; cæterum si quis constituit ordinare Sejum et Cajum, sed manus eis imponens putet Sejum esse Cajum, reor utriusque Ordinationem ratam esse; nam prævalet prima intentio.

V. Quoad baptizatos domi ab obstetrice vel alio laico, monet s. Carolus: *Si, re accurate investigata, Parochus exploratum habuerit puerum, forma servata, baptizatum esse, caveat omnino ne tunc sub conditione baptizandi formam adhibeat.* Quæ investigatio maxime erit: 1) Quam infundendo aquam formam pronuntiaverit. 2) Quam et quantam aquam, et ubi infuderit. 3) An eadem persona et formam protulerit et abluerit. 4) Quam habuerit intentionem.

VI. Cum obstetrices ex officio non habeantur ubique, curent parochi, ut nonnullæ integerrimæ ac prudentes mulieres ad hoc munus deputentur. Quæ identidem sunt instruendæ (notando casus qui in Rituali habentur et evenire possunt); item examinandæ, et semper monendæ, ut duas saltem præter infantis matrem personas, si fieri possit, Baptismo adesse curent, ut de administrationis modo fidem facere possint. Imo tenentur omnibus suis parochianis diligenter explicare quæ ad Baptismum pertinent, etiam vernaculo sermone; cum evenire possit, ut inopinato casu, illud ministrare debeant (apud *Scavini* plura l. III, n. 223). *S. Alph.,* l. VI, n. 137.

437. **Fœtus abortivus**. Qui scilicet ab utero egreditur ante tempus partui destinatum est immaturus, utcumque parvus, si habeat formam humanam et det signum vitæ, absolute et illico baptizandus est; jam enim animatus est. Si vero in eo vix appareant indicia humanitatis et vitæ, fœtus baptizandus est sub conditione: *Si es homo.*

Item dicendum de informi productione (nisi manifesta putre-

factionis signa jam exhibeat); idque hodie præsertim, cum vigeat et fundata sit opinio, fœtum citius animari (1).

438. **Infantes monstruosi.** Si ita sint *monstruosi*, ut formam referant plane bestialem, non sunt capaces Baptismi. Quod si in capite saltem et pectore hominis formam habeant, absolute baptizandi erunt. Si vero caput tantum sit ferinum, differendum erit Baptisma, donec certius res cognoscatur consulendo Episcopum, et peritos. Quod sì adsit periculum mortis, erit conferendum sub conditione: *Si es capax,* vel *Si es homo, ego te baptizo,* etc. Ita ex Rituali, ne pereat qui salvari potest.

Quod si infans membra hominis habeat geminata, uti si unum sit caput et unum pectus, licet quatuor sint brachia vel pedes, unum est individuum completum; ideo unum dandum Baptisma. Si duo sint capita et duo pectora, duo judicantur individua; ideo duo danda sunt Baptismata. Si duo essent capita et unum pectus, datur absolute unum Baptisma super unum caput; aliud vero conditionate super caput secundum, dicendo: *Si tu es alius homo.* Si tandem unum sit caput et duo pectora simul, primo est baptizandum caput absolute, dein infunditur aqua super duo pectora simul, cum intentione non adhuc baptizatum abluendi, dicendo nempe: *Si alius es homo, ego te baptizo* etc. Rituale.

439. **Infans peste laborans.** Infans nuper natus peste laborans, aut de ea suspectus utpote a matre pestifero morbo affecta natus, quamprimum a sacerdote deputato baptizandus est, cæremoniis omissis; postea si superstes sit et liber ab omni pestis suspicione parocho offeratur, ut cæremonias suppleat. *S. Carolus* (vide t. I, n. 968).

440. **Infantes expositi.** Qui *expositi* sunt sine ulla schedula testante de Baptismo, baptizandi sunt sub conditione: *Si non es baptizatus,* etc. Imo licet schedulam habeant, sententia verior et communior adhuc tenet baptizandos esse sub conditione, nisi ea talis sit ut certitudinem pariat, v. g. si a persona nota scripta sit vel subscripta. Alias semper remanet prudens dubium de valore. Ita Benedictus XIV, et S. Concilii Congregatio (*S. Alph.*, l. VI, n. 121).

441. Idem dicendum de filiis illegitimis qui a syndacis ad hospitale mittuntur, qui vix ac ne vix quidem in hoc temporum calamitate de Baptismate conferendo curant vel fidem faciunt.

(1) Imo ex peritorum judicio neque incipiens putrefactio certæ mortis signum putatur: *Questo segno che è certo per gli adulti, è incerto trattandosi di neonati in apparenza di morte; la desquamazione della cuticola, le flittene* (pustole) *a color paonazzo, l'esalazione putrida mascherano talvolta un residuo di vita ancora richiamabile.* Giordano.

442. **Filii hæreticorum.** Possunt utique baptizari (ait Gury, *Casus Conscientiæ)* filii hæreticorum, volentibus parentibus; quia secus ipsi Baptismum in sua secta admittentes, curabunt ut filii a ministro hæretico baptizentur — Si vero Baptismum non admittunt, tunc eorum filii habentur ut filii infidelium, qui si nulla probabilis spes concipi possit, ut possint suo tempore in vera fide instrui, non erunt baptizandi, hodie maxime; cum baptizari nequeant sine magna et publica perturbatione. Firmatur ex vigenti consuetudine Ecclesiæ, quæ idipsum firmat, etsi omnium saluti sit studiosissima; et ita habet Instructio S. C. de Propaganda fide. Excipiunt tamen casum extraordinarium, ut si puer sit in mortis periculo, et secreto et prudenter baptizari valeat (vide *Cretoni* apud *Gury).*

443. Hæc prohibitio non ita facile admittitur quoad catholicos qui a fide defecerunt, et apostatæ facti sunt, si inter catholicos degentes, qui nolunt filium baptizare; tum quia id caute fieri potest sine ullo discrimine; tum quia cum filius adhuc degat inter catholicos, perversio non adeo timenda est; tum etiam quia puer ex iniquitate patris pati non debet animæ suæ detrimentum. Verum sine Episcopi consilio non expedit, ut Parochus quæstionem resolvat ob incommoda, quæ oriuntur; parentes enim possunt illum accusare de violatione patriæ potestatis. *Gousset.*

444. **Filii infidelium.** Certum est valide baptizari infidelium filios, parentibus invitis; *non enim*, ut ait Augustinus, *scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.

An vero etiam licite, invitis parentibus, baptizentur, communior et tenenda sententia, quæ firmatur ex praxi Ecclesiæ et consuetudine universali, docet generatim loquendo filios infidelium illicite baptizari, si eorum parentes sint vel censeantur fore repugnantes (quamvis aliunde christianis principibus civiliter subjiciantur). Etenim baptizati vel subducuntur a parentibus, et eis fit injuria; nam (ait Angelicus, 3 p. q. 68, a. 10) *de jure naturali est quod filius antequam habeat usum rationis sit sub cura patris;* vel relinquuntur penes eosdem, et fit injuria Sacramento, cum illud exponatur irreverentiæ *(S. Alph.*, l. VI, n. 126) (1).

(1) Si tamen proles jam sit, invitis parentibus, illicite baptizata, tunc Benedictus XIV prohibet eam reddere parentibus ob certum periculum perversionis prolis et profanationis Sacramenti. At contra legem civilem in praxi hodie nequit justissima hæc prohibitio sustineri *(Scavini*, l. III, n. 224).

Dixi *generatim loquendo:* nam quando infidelium filii christiane educari valent, licite baptizantur: 1) Si parentes sint nostra mancipia, vel jure belli capti sint. 2) Si alteruter parentum petat vel si, mortuo patre, ille consentiat, apud quem est patria potestas. 3) Si infans sit in certo periculo mortis. 4) Si puer jam compos rationis Baptisma petat; nam, ut ait d. Thomas, *quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis (tunc incipiunt suæ potestatis esse;* sed caute id fieri debet, si ex lege civili adhuc filius sit sub patria potestate. In dubio an adeptus sit rationis usum, expectandum, nisi urgeat necessitas. 5) Si puer sit positus extra curam parentum, uti si esset expositus; vel si pater offerat filium, et postea consilium mutet; jam enim Ecclesia jus acquisivisset. Ita Benedictus XIV, S. C. Concilii decreta, ac communis Doctorum sensus.

445. *Resolve:* I. Non licet extra periculum moraliter certum imminentis mortis, infantes a parentibus infidelibus ultro oblatos baptizare, si post Baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. *S. Officii C.* an. 1777.

II. Licite baptizantur infidelium filii amentes a nativitate de quibus nulla spes est fore ut aliquo deinceps rationis intervallo potiantur; tales enim amentes inter infantes computantur; caute tamen et prudenter, ne in christianam religionem infidelium odium et sævitia in ipsos fideles concitetur.

III. Non licet baptizare infidelium pueros, etsi grassante peste, de centum ut plerunque accidit, nonaginta péreant, præterquam in præsenti mortis periculo, quod ipsum baptizandum determinate attingit. Neque enim omnes moriuntur ipsa grassante lue, qui semper remanerent sub cura infidelium eorum superstitionibus imbuendi. S. C. de Propaganda fide *(v, Scavini,* l. III, n. 224).

IV. Dum curandum est, ut infantes nati ex genitoribus civiliter tantum junctis quantocius baptizentur, cavendum simul est parochis (si per ipsos stet) ne pro his solemnitates adhibeantur, nempe campanæ et organi sonus; cum id in honorem parentum aliquatenus etiam cedat. S. C. C. 31 julii 1867 *(Scavini,* l. III, n. 231).

Casus. Latona uxor catholica mariti Laertii calvinistæ natam sibi prolem ad sacerdotem catholicum vult deferre pro Baptismo; sed maritus omnino vult ipsam a ministro calvinista esse baptizandam. Pia mater antequam maritus id agat, secreto prolem defert ad parochum catholicum, qui illam baptizavit Petri nomen ei imponens, cum putaret esse puerum; at puella erat. *Quid?*

Si Latona præviderit prolem ab hæretico esse invalide baptizandam, tunc illam potuit ad parochum catholicum deferre, vel etiam ipsa baptizare si alius catholicus haberi non potuit. Secus non; quia minus videtur malum ex Voit, quod infans baptizetur ab hæretico, quam quod rebaptizetur — Quoad errorem vero ministri, qui, v. g. cogitabat baptizare (vel absolvere) unum cum esset alius, vel puerum cum esset puella, regulariter loquendo non invalidat Sacramentum; cum intentio ministri debeat primario dirigi, ac dirigatur ad personam præsentem qualiscunque denuo ea sit, si tamen capax: hinc

Baptismus validus est, sicut et absolutio. Dixi *regulariter*, nam excipe Matrimonium, in quo contrahentes propter magnum onus quod suscipiunt, merito limitant suam intentionem ad talem personam excludendo omnes alias. Item excipe si revera constat positive, quod minister etiam in aliis Sacramentis alligat voluntatem ad certam personam vel materiam excludendo aliam: hoc tamen non est supponendum, cum id communiter sine peccato esse non possit ob inconvenientia quæ eveniunt. *Lugo, Suarez, Salmanticenses, Granadas* cum aliis generatim (v. supra n. 436).

CAPUT QUARTUM

De Baptismi Effectibus et Cæremoniis.

446. **Baptismi effectus.** Baptismi effectus sunt divino jure:

I. *Gratia sanctificans;* quæ hominem interius regenerat ac justificat, peccata omnia tum originale tum actualia totaliter remittens. Hinc illud Apostoli I Cor. VI: *Abluti estis, sanctificati estis.* Et d. Augustinus contra Pelagianos: *Baptisma abluit peccata omnia, prorsus omnia* (1) — Peccata autem remittit non tantum quoad *culpam;* nam *in renatis nihil odit Deus;* sed etiam quoad *pœnam,* cum *nihil prorsus eos* (baptizatos) *ab ingressu cœli remoretur* ex Tridentino (sess. V, c. 5); et ideo baptizatis nulla opera satisfactoria imponenda sunt. Remanet tamen peccati fomes, sed mitigatus ad spirituale exercitium. Vide d. Thomas, 3 p. q. 68 et 69.

II. *Gratia sacramentalis,* id est gratia tribuens jus ad gratias actuales necessarias ad conservandam vitam spiritualem per Baptismum acceptam, et ad digne suscipienda alia Sacramenta, quorum Baptismus est janua.

III. *Characteris impressio,* quo baptizatus Dei servitio æterne mancipatur (*S. Alph.*, l. VI, n. 138; et supra n. 413). Adde de jure Ecclesiæ *spiritualem cognationem.*

447. **Baptismus Joannis.** Tridentinum habet: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit* (sess. VII, c. 1). Hinc docet Angelicus: *Baptisma Joannis non fuisse per se Sacramentum, sed quoddam Sacramentale disponens ad Baptisma Christi.... Tota doctrina et operatio Joannis præparatoria erat ad Christum, sicut ministri et inferioris artificis est præparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex* (3 p. q. 38).

(1) Item contra protestantes, quorum alii docent per Baptismum peccata solummodo tegi, seu non imputari; alii maxime recentiores volunt Baptismum non esse nisi ritum cooptationis in cœtum fidelium. *Perrone.*

448. **Baptismus flaminis.** Nempe votum seu desiderium Baptismum aquæ suscipiendi tempore opportuno, si adjunctam habeat contritionem vel amorem Dei super omnia, vices veri Baptismi supplere de fide est a Tridentino definitum *(sess.* v, c. 4). Sane qui diligit, non manet in morte. Unde quoad remissionem peccatorum et collationem gratiæ Baptismus flaminis eosdem effectus producit ac Baptismus aquæ. Non tamen quoad characteris impressionem, et cujuscunque reatus pœnæ remissionem; cum hoc solius sit Sacramenti.

Baptismi autem desiderium sufficit, si implicitum, prout continetur in generali dispositione faciendi omnia a Deo præscripta, ut docet d. Thomas *(S. Alph.*, l. VI, n. 96).

449. **Baptismus sanguinis.** Hic Baptismus (si non suppetat tempus suscipiendi Baptismum aquæ) quasi ex opere operato ex privilegio, ratione imitationis passionis Christi, remittit culpam et pœnam; excluso tamen charactere sacramentali. Imo martyrium vices supplere Baptismi etiam in pueris, probat Ecclesiæ praxis, quæ semper uti martyres venerata est infantes ab Herode pro Christo necatos, qui Ipsum moriendo confessi sunt. Quod fundamentum habet in verbis Domini: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (Matth. x). Hinc de istis ajebat d. Augustinus apud s. Thomam: *Non habebatis ætatem, qua in passurum Christum crederetis; sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis* (2, 2, q. 124).

In adultis tamen præter acceptationem martyrii ex motivo supernaturali, requiritur probabilius etiam contritio vel dilectio Dei super omnia, ex illo Apostoli (I Corinth. XIII): *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil nihi prodest.* Unde patet, concludit Angelicus (3 p. q. 66, a. 12), quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, et non e converso *(S. Alph.*, l. VI, n. 97).

Casus. Berta pia ac casta matrona cum nolit in adulterium consentire, ab iniquo tentatore occiditur; cum autem uterum gerat cum ipsa et infans perit. *Berta est vera martyr cum ob bonum virtutis seu castitatis conjugalis mortem subeat; opera enim secundum quod ad Deum referuntur sunt quædam fidei protestationes; ex quo fit ut qui potius mori vult quam a virtute christiana deficere ipso facto se vitæ suæ Deum præferre protestatur, ut ait d. Thomas,* 2, 2, *q.* 124, *a.* 5 — *An etiam infans sit martyr, alii affirmant exemplo puerorum ab Herode necatorum; nihil autem refert si infans nondum natus sit. Verum alii id tantum concedunt quando infans proprie occiditur in odium Christi vel alicujus virtutis, ut patet de pueris ab Herode interfectis. In nostro porro casu id non evenit.* Bonacina.

450 **Baptismi Cæremoniæ**. Has *vetustate* laudari, fatetur ipse Calvinus; *universalitate* celebrari, constat ex Ecclesiarum Ritualibus; commendari *sanctitate*, patet ex mysteriis, quæ significant, uti probant passim cæremoniarum expositores; *utilitate* autem prædicari, indubium est; nam per eas et Sacramenti reverentia et fidelium devotio et instructio obtinetur, ut notat Angelicus, 3 p. q. 66, a. 10.

451. Cæremoniæ aliæ Baptismum antecedunt, uti *designatio patrini*, qui pro puero respondeat. *Nominis alicujus Sancti impositio*, ut puer patronum habeat. *Exorcismi*, ad dæmonem fugandum — Aliæ Baptismum comitantur, uti *abrenuntiatio Satanæ*, quam pronunciamus. *Fidei professio*, quam spondemus. *Oleum sanctum*, quo inungimur quasi athletæ Dei — Aliæ subsequuntur, uti *unctio chrismatis*, ut baptizatus intelligat se nomen habere a Christo, quod idem est ac unctus. *Cerei accensi traditio*, ut luceat lux noviter baptizati coram hominibus. *Impositio vestis albæ*, ut innocentiam jugiter servet, etc. (*D. Thomas*, 3 p. q. 71, a. 2).

452. **Principia**. Cæremonias Baptismi negligere in parte notabili est mortale, ut esset solemniter baptizare sine patrinis, cum id sit ex præcipuis cæremoniis; vel admittere patrinos non designatos; vel baptizare in aqua non consecrata; vel sine unctione Chrismatis aut Olei catechumenorum si habeatur; vel cum Chrismate, et Oleo alterius anni, si recentia haberi possint.

453. Non debet in Baptismo conferendo omitti Chrismatis et Olei unctio, quia Chrisma et Oleum recens nondum haberi potuit; nec defectus est ratio differendi Baptismi, etsi ad breve tempus. Imo tunc etiam benedictio Fontis baptismalis debet fieri cum Chrismate et Oleo præcedentis anni, et ea aqua ad baptizandum adhibenda est usque ad vigiliam Pentecostes; et hac vigilia nova benedictio fiat cum novis benedictis oleis. Ita *S. R. C.* 23 *sept.* 1837 (V. s. Alph., *l.* VI, *n.* 141) (1).

(1) Bis in anno solemnis fontium baptismalium benedictio peragitur in locis præcipuis, videlicet in sabbato sancto et in vigilia Pentecostes.

Si in anno ita aqua deficiat, ut timeatur eam omnino defecturam, aqua non benedicta minori in quantitate permisceri potest; quod si aqua prorsus defuerit, est a proximiori parœcia poscenda vel aliam juxta præscriptum Ritualis benedicenda est. Quando autem fons renovatur, quidquid aquæ benedictæ superest, non in pila aquæ lustralis, sed in baptisterii vel Ecclesiæ sacrarium effundenda est. Sacrarium est fovea quædam modicæ profunditatis: potest etiam inservire locus ubi sacerdotes lavant manus pro Missæ sacrificio, et in illum etiam infundenda aqua, qua lavantur purificatoria, corporalia, pallæ, etc. si proprium sacrarium non adsit. Quoad *Baptisterium*, v. Rituale Romanum et Scavini, *l.* III, *n.* 227.

454. **Patrini in Baptismo.** Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizandum de sacro Fonte levant, et in se ejus curam suscipiunt. In baptismo privato patrini non necessario sumuntur, etsi laudabilius adhiberi possint. At in publica administratione sub gravi adhibendi sunt ex Ecclesiæ præcepto.

Hinc Tridentinum: *Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter sciscitetur quem vel quos elegerit* (sess. XXIV, c. 2. *de Ref.)*. Antiquissimus est in Ecclesia eorum usus, et historici aliqui eum desumunt ab Hygino Pontifice sæculi II. Rationem hujus institutionis ex eo deducit d. Thomas, quod spiritualis generatio assimilatur carnali, in qua parvulus nuper natus indiget nutrice et pædagogo: quod de ipsa Confirmatione valet, quæ est Baptismi complementum *(S. Alph.,* l. VI, n. 146).

Qui alium suscipit de sacro Fonte, obligatur ad curam de ipso quoad res fidei et morum. *Sed ubi nutriantur inter catholicos christianos* (ait d. Thomas) *satis possunt patrini ab hac cura excusari, præsumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur* (3 p. q. 67, a. 8). Quæ tamen præsumptio hodie vix habet locum ex Gousset.

455. Prohibentur ex Ecclesiæ lege patrini munus exercere in Baptismo: 1) Monachi et moniales — 2) Publice criminosi aut infames; schismatici, apostatæ et hæretici; manifestim excommunicati vel interdicti; quique rudimenta fidei ignorant — 3) Conjuges respectu propriæ prolis extra necessitatem — 4) Plures duobus; et si duo sint, sub gravi prohibentur duo viri, aut duæ fœminæ, ne multiplicentur cognationes. Cum vero dicat Tridentinum *sive vir, sive mulier,* patrinus si unicus sit, probabilius potest esse tam masculus quam fœmina in omni casu. Ex divo autem Thoma: *Nihil prohibet, quin vir et uxor simul aliquem de sacro fonte levent* (in 4, d. 42, q. 1, a. 3); idque consuetudine introductum est *(S. Alph.,* l. VI, n. 157).

Generatim autem ex Constitutionibus synodalibus prohibentur sacerdotes et clerici sine speciali Episcopi licentia. Item muti, impuberes, qui præcepto Paschali non fecerint satis; nondum confirmati; exteri ignotique (Cætera *de Matrimonio,* n. 965) (1).

456. Quando patrinus et matrina cum infante accedunt, parochus si alterutrum debeat certo respuere, id sine strepitu agat, neque

(1) Qui paschali præcepto satis non fecerunt, hodie prudentius admitti possunt, nisi aliud obstet, sive propter ingentem numerum qui hac culpa tenentur; sive quia opportune adest occasio illos ad meliorem frugem revocandi. *Gousset* (v. *Scavini,* l. III, n. 228).

causam aperiat; sed candido dulcique animo (remotis testibus) tantum innuat, ægre se pro patrino illum suscipere non posse; addens quod potest adesse ut simplex testis. Verum vel rimaneat vel secedat ex Gousset, parochus sacrum ritum celebret; sufficit enim unius patrini vel matrinæ præsentia. Cæterum ad evitandas omnes querimonias præstat, ut parochi in catechesi opportune fideles præmoneant quales esse patrini debeant sive in Baptismate sive in Confirmatione, ne scilicet eos deligant ad hoc officium quos repellere oporteat. Attamen hac misera ætate maxima lenitate opus est.

457. Interrogata S. Pœnitentiaria 5 julii 1856: Quomodo se gerere debeant parochi si censura innodatus se sistit ut patrinum agat in sacramento Baptismi vel Confirmationis, respondit, quod fideles non tenentur illos vitare, si non sint vitandi, maxime si secus timeantur scandala vel gravia mala; peccant tamen graviter ipsi censurati qui contendunt communicare cum fidelibus in divinis. In alia vero declaratione S. Pœnitentiaria remittit ad responsum datum quoad illos qui censura irretiti Matrimonium celebrare volunt; ex dicendis n. 1025 (*Scavini*, l. III, n. 228; l. IV, n. 221).

458. **Nominis impositio baptizando**. Monet Rituale R.: *Curet Parochus, ne obscœna, fabulosa, vel ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum.* Ex quo deducit Buix, non esse peccatum imponere nomen non Sancti; cum ex Rituali hoc sit monitum, non præceptum; dicit enim: *curet... quatenus fieri potest* (1).

459. Imo, ait, nec illicitum est nomen in Baptismo impositum mutare auctoritate propria; cum hoc nullo jure sit prohibitum. Licet semper in Confirmatione, ex S. Rituum C. 20 sept. 1849.

460. Nomen designatur a parentibus vel patrinis; in defectu a parocho. Parochus autem statim ante cæremonias nomen baptizandi sciscitari debet, cum incipiat illum nominatim interrogare. Quæ interrogationes fieri nequeunt vernacule, neque vernacule iterari postquam latine factæ sunt ex S. Rituum C. 31 augusti 1867.

Casus 1. Parochus baptizaturus, patrino a parentibus designato non statim adveniente, impatiens designavit Titium qui aderat ad puerum de Fonte suscipientem. Prolata vix forma Baptismi, venit patrinus designatus a parentibus, qui illico se aliis adjungit. *Graviter deliquit parochus proprio marte patrinum designans diversum a pa-*

(1) S. Alph., *Opus. mor.*, l. VI, n. 145. Rosignoli, *Devoti ossequj ai Santi del mese e del nome.* Præstat sane ut desumantur nomina e *Martyrologio Romano* juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, ut ita Sanctorum frequens memoria nos excitet ad virtutem, et eorum auxilium super nos invocetur, uti ex ss. Ambrosio et Chrysostomo discimus; quod probat ipse Benedictus XIV, *De Canonizatione Sanctorum*, l. IV, parte 2ª, c. 19. Et ideo non est facile acquiescendum volenti imponere nomen ethnicum, etc. V. *Sull'imposizione dei nomi nel Battesimo, dissertazione*; Genova, 1878.

rentibus designatum sine gravi ratione; fecit contra præceptum Tridentini. At Titius cognationem contraxisse videtur, quia non designatus tunc tantum non contrahit, quando simul adest cum designatis: quod hic non evenit. Designatus a parentibus vero non contraxit cognationem, quia jam collato Baptismo advenit. S. Alphonsus, Gury et Episcopus Eula.

Casus 2. Impius pater sub hac tantum conditione permittit suum puerum baptizare, si *Voltaire* nomen illi imponatur. *Tantum in casu quo baptizandus in periculo sit, parochus baptismum sic administrabit, quia Sacramenta propter homines, et scandali periculum abesset a fidelibus qui causam sciunt. Idem dicito, si nomen obscœnum et impium imponi parentes velint; mutari enim potest.* Solutiones Panormitanæ, 1873.

461. **Cæremoniarum in Baptismo repetitio.** Si Baptismus solemniter collatus deprehendatur nullus, cum Baptismo repetendas esse cæremonias alii cum s. Antonino, secluso scandalo vel infamia baptizantis aut baptizati, affirmant; quia cæremoniæ habentur uti accessorium, ideo repetendæ cum principali. Sed communius negant, quia in Sacramentis characterem imprimentibus tenenda est regula canonica et generalis, nempe nihil iterandum, sed caute supplendum quod fuerit prætermissum. Utraque sententia videtur probabilis; at prima consulenda *(S. Alph.,* l. VI, n. 144).

462. Certum est tamen, quod infans domi baptizatus etsi valide, gravi cogente necessitate, v. g. ob justum timorem infamiæ vel inimicorum, intra nonum ab ortu diem (vel cum primum fieri poterit) ad Ecclesiam est deferendus, ut omissa suppleantur; et quidem sub mortali, cum agatur de re gravi, *ut servetur uniformitas in Baptismo* ex d. Thoma, 3 p. q. 71, a. 3. Attamen si agatur de iis qui ab hæresi veniunt, Episcopus ex rationabili causa potest dispensare a supplendo omissa ex Rituali.

Quando autem supplentur omissa super adultum, ex S. Rituum C. 27 aug. 1836 cæremoniæ sunt adhibendæ quæ in Rituali adsignatæ sunt pro Baptismate infantium. Si vero sint supplendæ super adultum ab hæreticis valide baptizatum, servandæ sunt designatæ pro Baptismate adultorum (1).

463. **Minister post Baptismum.** 1) Rituale monet Parochum, ut adnotet de vice in vicem, nulla interposita mora, in libro apposito, modo præscripto, annum, diem et horam nativitatis, parentes, patrinos: si infans jam vel sub conditione baptizatus, si expositus, etc.

2) Multi Parochos damnant de mortali, si hæc negligant: neque obstat quod status civilis non amplius utatur eorum opera; sed suos habeat deputatos ad hæc acta conscribenda. Id enim adhuc necessarium est et sub gravi ab Episcopis merito præscriptum.

(1) Ex decreto autem ejusdem Congregationis 22 sept. 1820: *Si sacerdos in necessitate extra Ecclesiam baptizet, omittere debet omnes cæremonias quæ Baptismum præcedunt, etiamsi infans tamdiu victurus videatur. Collato autem Baptismo ut supra, debet infantem in vertice ungere Chrismate si habeat, imponere vestem albam et candelam accensam præbere. Cum autem convaluerit infans, præsentandus est in Ecclesia: ibique et nunquam extra Ecclesiam supplendæ sunt cæremoniæ, omissæ quæ Baptismum præcedunt.*

cum sit in bonum Ecclesiæ ad dignoscendas parentelas, gradus quoad Ordines, Matrimonia, etc. (1). Neque id grave est, si statim fiat, de vice in vicem.

3) Si quando e libris baptizatorum fides extrahenda est (idem dicito de aliis attestationibus matrimoniorum, vel mortuorum), de verbo ad verbum est transcribenda cum subscriptione illius qui illam exaravit, notando in antecessum quod sic legitur in dictis libris; et postea parochus declaret copiam esse originali conformem *(per copia conforme)*; ac tandem actum subscribat notando locum, mensem, diem et annum. Si fides inservire debeat pro publicis Officiis, recognosci debet ab episcopali Curia; et oportet etiam, ut carta sit obsignata *(bollata)*, idque sub mulcta, nisi agatur de militibus aut pauperibus, vel de privato usu et ecclesiastico tantummodo, quod quidem declarandum est. Præstat autem ut unaquæque parœcia proprium sigillum custodiret ad firmandas supradictas attestationes, ut major illis detur auctoritas *(Scavini,* l. I, n. 614) (2).

4) Tenetur parochus instruere patrinos de cognatione spirituali contracta, et de obligationibus inde prodeuntibus. Matribus autem et nutricibus præcipere, ut caveant a decumbendo cum infantibus ob periculum suffocationis, nisi tali utantur præsidio, ut infantis vita nullum subeat periculum. Imo in pluribus Synodis hic decubitus cadit sub episcopalem reservationem *(S. Alphonsus,* l. VI. n. 160).

APPENDIX. — De Operatione Cæsarea.

464. **Operatio cæsarea.** Operatio seu sectio cæsarea in hoc consistit, quod uterus matris ferro aperiatur, ut fœtus extrahi possit et baptizari. Si periculum mortis matris sit probabile, nec mater potest suo positivo consensu incisionem permittere, nec illam chirurgus operari. Mortua autem matre, incisio fieri potest et debet, sed statim ac de matris morte certo constet *(S. Alph.*, l. VI, n. 106) (3).

(1) Id autem ipsos fideles obligat, qui tenentur deferre ad ecclesiam et parocho denuntiare suos natos. Qui etiam civilem præscriptionem observare debent ad civiles effectus obtinendos; ex qua intra quinque post partum dies infans præsentari debet Officiali civili, nisi gravis dispenset causa. Qui si illegitimus sit, declaratur nomen patris vel matris, si ipsi velint; secus non *(a.* 371 seqq.).

(2) Parochi est hosce libros, mercari suis expensis, nisi adsit contraria consuetudo vel specialis conventio; cum etiam ipsius sit (si quando ex illis fides extrahenda est) emolumenta exigere, pauperibus et militibus exceptis.

(3) Lugo, Roncaglia dicunt pene miraculum esse, quod pereunte matre proles supervivat ut Baptismum recipiat. Sed alii contrarium docent ex multorum experientia; et s. Alphonsus, *Ho. ap.*, tr. VIII, n. 26 habet: *Nihilominus est qui mihi testatur non semel accidisse, quod ob peritiam chirurgorum, statim ac mater spiritum exhalaverit, inciso matris utero, proles viva extracta fuerit et baptizata.*

465. Verum si nec chirurgus daretur nec medicus nec alia persona perita, num parochus vel presbyter illam exequi tenetur? Negat Gousset et consentit Kerink; id enim characterem sacerdotalem dedecet, horrorem incutit, et forsan fit sine ullo fructu; nam præterquamquod incisio fieri debet statim, peritissimum chirurgiæ hominem exigit hæc difficilis operatio, etiam matre mortua. Imo Parochus nec illam consulat in arte non peritis, et matre nondum certe mortua; secus se gravissimo discrimini exponeret coram civili lege.

466. Concludam cum cl. Rivarolo *(Il governo della parrocchia)*: « O la malattia che temesi, è per recare la morte alla donna incinta, è malattia comune e di qualche durata, e allora avvi tutto il comodo di renderne partecipe il sanitario locale (aut viciniorem) di prendere a tempo tutte le cautele, perchè al verificarsi della morte se ne faccia da chi di dovere l'operazione. O la pregnante soccombe di morbo repentino, e fors'anche nell'atto stesso che il sacerdote le amministra i primi soccorsi della religione, ed allora è vietato dalla legge civile egualmente che dall'ecclesiastica di procedere indilatamente alla sezione cadaverica, non essendo mai lecito, come l'insegna l'Angelico, di sacrificare la madre per provvedere col Battesimo alla salute spirituale della prole (3 p. q. 68, a. 11). Ma in tali casi è necessario lasciare scorrere alcune ore sia perchè abbiano agio a svilupparsi i segni principali e più certi della seguìta morte, sia perchè possano esaurirsi gli incombenti prescritti dalla legge, vale a dire la visita del medico necroscopo ed il legale accertamento della morte. Ed un tale intervallo di tempo somministrerebbe al Parroco zelante uno spazio abbastanza comodo per renderne informato o il medico o il cerusico, o il flebotomo o la levatrice del comune, ed averne la loro opera senza che abbia ad operare egli stesso. Solo in questo frattempo egli dovrebbe curare che si mantenga con panni riscaldati al fuoco sempre calda la regione dell'utero della defunta, e d'innestare nella bocca della stessa una cannuccia per introdurre nell'utero un'aria più pura, e per coadjuvare la esalazione degli aliti cadaverici, i quali potrebbero recar la morte al bambino » (v. Scavini, l, IV, Append. 44ª : *De fœtus animatione, causis abortus amovendis et operatione cæsarea,* nn. 295 et seqq.).

Etsi aperitio oris mortuæ matris a nonnullis physiologis inutilis censeatur, non tamen videtur omittenda; hac de re nulla cautio satis.

DISPUTATIO TERTIA

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

467. **Confirmatio.** Secundum novæ Legis Sacramentum communiter definitur: *Sacramentum a Christo institutum, quo per manuum impositionem et sacri Chrismatis in fronte unctionem, sub præscripta verborum forma, baptizato Spiritus Sanctus datur, ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam.*

468. **Principia.** De fide est contra hæreticos maxime Dallæum et Basnagium, Confirmationem esse verum Sacramentum a Baptismate distinctum. Quod Sacramentum proprie dictum sit, clare evincunt Scripturæ: nam Actorum VIII legitur, quod Petrus et Joannes missi Samariam ad confirmandos fideles jam baptizatos, *imponebant super eos manus et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ubi habentur tria ad verum Sacramentum necessaria: 1) *Signum sensibile* in manus impositione — 2) *Gratiæ collatio,* acceptio Spiritus Sancti — 3) *Divina institutio,* cum ritus externus a sola Dei institutione possit habere vim gratiæ conferendæ. Constat ex Patribus, inter quos audiatur d. Augustinus: *Sacramentum Chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Accedit perpetuus omnium Ecclesiarum orientalium, etsi a se invicem sint in pluribus discrepantes, consensus, ut videre est apud Martenium et Renaudotium. Hinc merito Tridentinum definivit (sess. VII, c. 1): *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse et non potius verum et proprium Sacramentum, anathema sit.* Vide Perrone.

Ex quibus item constat Confirmationem esse a Baptismate omnino distinctam; cum diversa sit forma, diversa materia, diversique effectus utriusque Sacramenti. Hinc Eugenius IV in Decreto fidei ait: *Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide.* Est ergo Baptismus sacramentum mortuorum, Confirmatio vero vivorum (V. *d. Thomas,* 3 p. q. 72).

469. **Confirmationis institutio.** Sacramentum hoc probabilius fuit institutum in nocte Cœnæ, ut expresse docet s. Fabianus papa: *Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis et lavit eorum pedes (sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit.* Et forte ob eam causam in die Cœnæ chrisma consecratur *(S. Alph.,* l. VI, n. 161) (1).

470. **Confirmationis necessitas.** Non adest obligatio illam

(1) Non tamen tunc Apostolis data est potestas Confirmationem administrandi, cum nondum essent Episcopi nec jurisdictionis potestatem accepissent; sed post resurrectionem ex illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis* etc.; tunc fuerunt constituti Episcopi. Attamen recentiores apocrypham habent s. Fabiani epistolam.

Christus autem ex d. Thoma (3 *p. q.* 72, *a.* 1) hoc Sacramentum instituit *non exhibendo,* id est non illud administrando alicui, sed *promittendo* secundum illud: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

sumendi de necessitate medii; nam etiam sine ipsa haberi potest remissio peccatorum et vita æterna, id est et per Baptismum, et Pœnitentiam.

An vero Confirmatio sit de necessitate præcepti sub gravi sumenda, sententia negativa non videtur satis probabilis postquam Benedictus XIV Bulla *Etsi Pastoralis* declaravit *eos gravis peccati reos teneri, si cum possint, ad Confirmationem accedere, renuunt ac negligunt* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 182; et *Opus dogm.*, sess. XII, *n.* 17).

471. *Casus.* Eleonora matrona ad ætatem provectam venit quin Confirmationem receperit. Modo recusat suasionibus confessarii obedire, cum erubescat se miscere cum pueris ac puellulis Confirmationem acceptura, vel etiam ita vetula rogare Episcopum, ut eam loco secreto confirmet. Confessarius acquiescit. *Recte agit confessarius etsi de gravi præcepto hoc Sacramenti suscipiendi constaret, cum timere debuit ne mulier monita et renuens majus animæ detrimentum caperet; neque enim sunt statim aperiendæ obligationes omnibus; quandoque dissimulandæ sunt, cum prævidetur pœnitentem non esse obtemperaturum.* Gury.

CAPUT PRIMUM

De Materia, Forma et Ministro Confirmationis.

472. **Materia remota Confirmationis.** Est Chrisma (vox græca quæ significat *unguentum)* confectum ex oleo olivarum et balsamo, benedictum ab Episcopo.

I. *Oleum* necessarium est de necessitate Sacramenti; et quidem de olivis expressum. Nam cum simpliciter dicitur *oleum,* semper intelligitur oleum olivarum. Qua de re caute invigilandum (etiam quoad oleum infirmorum); nam hodie oleum uti de olivis expressum vendi solet, cum tamen sit de alia materia (1).

II. *Balsamum,* quod sit de necessitate præcepti, certum est. Sed an sit etiam de necessitate Sacramenti, adeo ut secus invalidum sit, communius et probabilius affirmant cum s. Thoma ac Catechismo R. Et Eugenius IV ad Armenos docet materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo et balsamo (2).

(1) Recens hujusce deceptionis exemplum habemus; et nonnisi operatione chymica fraus dignosci potuit, ob tantam oleorum assimilationem.

(2) In hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, ut aliis bonus odor simus perseveranter. Et ideo oleum adhibetur utpote sui diffusivum, cui admiscetur balsamum propter fragrantiam odoris. et quia incorruptionem præstat *(D. Thomas*, 3 p. q. 72, a. 2).

In articulo tamen mortis, deficiente balsamo, bene potest sub conditione conferri ex solo oleo, cum adhuc sit probabilis sententia, quæ docet solum oleum sufficere.

III. *Chrisma benedicendum* est ab Episcopo, uti a proprio ministro non solum de præcepto, ut perpetuo traditio probat et omnes tuentur; sed etiam de necessitate Sacramenti, ut affirmant communius cum Angelico; in Decreto enim Eugenii IV materia Confirmationis expresse dicitur: *Chrisma ab Episcopo benedictum*. Quæ sententia uti tutior tenenda est; quamvis quæ docet benedici posse etiam a simplici sacerdote de Papæ licentia, sit speculative probabilis. Sicut enim Papa potest committere chrismandi facultatem simplici sacerdoti; ita videtur posse eidem committere Chrismatis benedictionem *(S. Alph.,* l. VI, n. 162).

473. **Proxima Confirmationis materia**. Hac de re controvertitur; at sententia quam sequor cum sanctis Thoma, Bonaventura et Antonino, docet materiam adæquatam totalem et necessariam consistere in Chrismatis unctione, quam agit Episcopus in fronte confirmandi, et in simultanea illa manus impositione super chrismandum, quando dicit: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis,* etc., quæ manus impositio ab unctione est indistincta. Ex historia enim patet illam Chrismatis unctionem fuisse semper adhibitam in Ecclesia tam Latina quam Græca *(S. Alph.,* l. VI, n. 164) (1).

474. Unctio de necessitate Sacramenti fieri debet in fronte. Patet tum ex praxi Ecclesiæ: tum ex *Sacramentario* Gregorii Magni; tum ex Decreto ad Armenos. Linitur confirmatus (ait d. Thomas, 3 p. q. 72, a. 9) chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret esse christianum — Imo de essentia in modum crucis facienda est; alioquin verba formæ non verificarentur: et advertat Episcopus, ne Chrisma in pollice deficiat. Quod autem unctio fieri possit penicillo vel alio instrumento in necessitate, merito negatur; nam deesset immediata impositio manus, quæ requiritur (*S. Alph.,* l. VI, n. 165).

Neque dicas Apostolos sola manuum impositione hoc Sacramentum administrasse. *Nam*, ut ait d. Thomas, *ad impositionem manuum Apostolorum et etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Spiritus Sanctus super fideles sub visibilibus signis, sicut a prin-*

(1) Non autem consistit partialiter in generali ac prima impositione manus ab Episcopo in omnes confirmandos facta: et S. C. de Propaganda fide 6 aug. 1840, declaravit: *Non esse repetendam neque sub conditione Confirmationem, si illa prima manuum impositio omissa fuerit* (v. Encycl. Benedicti XIV, *Ex quo primum*).

cipio descendebat super Apostolos.... Et ideo non erat necessario sensibilis materia sacramentalis ubi sensibilia miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius (c. 4 *de eccl. hier). est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri (id est Apostoli) Chrismatis hostiam nominant* (3 p. q. 72, a. 2).

475. **Forma Confirmationis.** Consistit in illis verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sic definivit Eugenius IV in Decreto ad Armenos.

In hoc Sacramento (ait Angelicus, 3 p. q. 72, a. 4) datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnæ; porro ad hoc tria sunt necessario indicanda: 1) *Causa conferens* illud robur, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur per verba: *In Nomine Patris* etc.; singillatim autem personæ exprimuntur sicut in Baptismo, cum Confirmatio sit illius perfectio — 2) *Ipsum robur spirituale,* quod homini confertur, et id exprimitur per verba: *Confirmo te* etc. (si dicatur *corroboro* mutatio esset accidentalis) — 3) *Signum* quod pugnatori datur, sicut dari solet in corporali militia, et quantum ad hoc dicitur: *Signo te signo crucis,* in quo signo rex noster triumphavit. *Hoc autem signum* (iterum Angelicus, *Contra Gentiles,* l. IV, c. 62) *in fronte suscipiunt, quod publice fidem Christi confiteri non erubescant* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 168).

476. **Minister Confirmationis.** Minister ordinarius, qui nempe vi ordinationis suæ completam potestatem accipit, est solus Episcopus. Est de fide; ait enim Tridentinum: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum; sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit* (sess. VII, c. 7). Id eruitur ex Actis Apostolorum, ubi semper leguntur confirmasse Episcopi. Et firmat Patrum auctoritas (Vide *d. Thomam,* 3 p. q. 72, a. 11).

477. Attamen sacerdos simplex ex speciali Pontificis delegatione potest esse minister Confirmationis extraordinarius. Constat ex Decreto ad Armenos; eruitur ex Tridentino, quod dicens Episcopum esse *ordinarium* ministrum, supponit existere extraordinarium, nempe simplicem sacerdotem. Firmatur ex pluribus Pontificum concessionibus; inter alios Pius VI Bulla *Etsi* hanc facultatem concessit abbati Einsildensi in Helvetia pro catholicis occultis, accepto Chrismate ab Episcopo Constantiensi. *Papa in Ecclesia,* ait d. Thomas, *habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam quæ sunt superiorum Ordinum, committere*

quibusdam inferioribus (Vide s. Alphonsum, *l.* VI, *n.* 170; Scavini, *l.* III, *n.* 232).

478. **Obligatio confirmandi.** Episcopus tenetur non solum confirmare subditos petentes quoties commode potest, sed etiam opportunitatem illis præbere hoc Sacramentum suscipiendi. Hinc peccat graviter, si longo tempore, v. g. per octo aut decem annos a Confirmatione conferenda abstinet, nisi tamen illum revera excuset moralis impossibilitas (1).

An vero peccet graviter Episcopus non confirmans moribundum petentem, alii cum Bonacina affirmant; quia privat illum summo bono. Sed probabiliter negant alii cum Lugo; cum enim non agatur de Sacramento salutis, et res sit tantum de casibus particularibus, excusat incommoditas, quæ adest adeundi ægrotos in propria domo; et ita praxis se habet *(S. Alph.*, l. VI, n. 175).

479. *Hoc Sacramentum,* ait Pontificale, *potest conferri minus solemniter quocunque die, hora et loco ex causa ad arbitrium Episcopi.* Et ideo jejunium tam in confirmante quam in confirmando, de quo in Jure canonico, hodie est tantum de consilio.

Quoad *vestem:* præscribit Pontificale, ut Episcopus induat amictum super rochetum (vel superpelliceum si sit religiosus) ac stolam, pluviale albi coloris, ac mitra et baculo utatur. Sed declaravit S. C. de Propaganda fide, sufficere quod Episcopus sola stola adhibita super rochetum (vel superpelliceum si religiosus) confirmet *(S. Alphonsus,* lib. VI, n. 184).

CAPUT SECUNDUM

De Subjecto, Effectibus et Cæremoniis Confirmationis.

480. **Confirmationis subjectus.** Confirmationis subjecti sunt omnes et soli baptizati, nondum confirmati. *Omnes baptizati;* quia nemo est, qui adversus tentationes et naturæ imbecillitatem non debeat roborari. *Soli baptizati;* quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum; nemo sane in Ecclesia potest adolescere, nisi prius in ipsam intraverit. *Nondum confirmati:* sic indicatur Sacramentum hoc non posse iterari.

Etiam perpetuo amentes esse possunt subjectum Confirmationis; licet enim nunquam videantur spiritualiter pugnaturi, id tamen per accidens contingit. Et fieri aliunde potest, ut aliquo saltem perfruantur lucido intervallo, quo eis tam magnum robur prosit ad salutem. Cæterum ipsis, sicuti moribundis hoc

(1) Cum Confirmatio non sit Sacramentum omnino et absolute ad æternam salutem necessarium, difficile erit tueri Episcopum obstringi ad illud peste laborantibus administrandum, etiam cum proximo vitæ suæ periculo. Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XIII, c. 19, n. 6.

Sacramentum datur, *ut in resurrectione perfecti appareant* (d. Thomas, 3 *p. q.* 67, *a.* 12); et fortius cum diabolo pugnare possint, si forte indigeant.

Infantes vero valide suscipiunt hoc Sacramentum, quacunque ætate; sic fuit usus in Ecclesia latina usque ad sæculum XIII (et etiam nunc in Hispania; in græca autem Ecclesia Confirmatio infantibus ministratur immediate post Baptismum). Verum hodie apud nos, deficiente alia causa, v. g. periculo mortis vel longa absentia Episcopi, *maxime convenit Sacramentum iis differre usque ad annum septimum* ex Catechismo R. et Pontificali; nam rationis usum assecuti Sacramentum uberiori fructu suscipient *(S. Alph.*, l. VI, n. 180).

481. Episcopus graviter peccat, si in aliena Diœcesi confirmet sine licentia illius Episcopi. Imo confirmans in aliena etiam subditos suos, incurrit ex Tridentino (sess. VI, c. 5 *de R.)* suspensionem a pontificalibus (v. t. I, n. 648). Valida tamen est Confirmatio, cum ab Ordine dependeat — Cæterum communius et probabilius licitum esse in propria Diœcesi alienos subditos confirmare: idque constat ex praxi ubique recepta; præsumitur enim consensus illorum Episcopi *(S. Alph.*, l. VI, n. 173).

482. **Dispositiones in confirmando**. Ut valide suscipiatur Confirmatio, in infantibus sufficit Baptisma; in adultis requiritur insuper intentio, saltem interpretativa. Ut tamen confirmandi fructuose eam suscipiant, debent esse in gratia, cum Confirmatio sit Sacramentum vivorum. Utrum autem debeant confiteri, id probabilius videtur tantum de consilio etiam pro iis qui sibi mortalis conscii sunt, modo contritionem perfectam eliciant. Curandum autem:

1) Ut quantum ætas tulerit, confirmandus rudimenta fidei, Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, et Sacramenti suscipiendi naturam edoctus sit. Benedictus XIV Constit. *Etsi* eos prohibet, qui parum sunt instructi in doctrina christiana. Et ideo parochi esse debet illos disponere tempore opportuno.

2) Ut jejunus accedat, si adultus mane confirmetur, quod laudat Catechismus R. Sed est tantum de consilio.

3) Monendus etiam, ut vestitu decenti, et fronte non sordibus conspersa, nec capillis obtecta confirmandus accedat: ad Sacramenti reverentiam pertinet *(S. Alph.*, l. VI, n. 179).

483. **Confirmationis effectus**. Confirmatio:

I. Confert gratiæ sanctificantis augmentum: cum enim Confirmatio sit Sacramentum vivorum, primam gratiam jam supponit in subjecto. Ait tamen Angelicus: *Si aliquis adultus in*

peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat (putans nempe bona fide se contritionem perfectam habere, cum tamen non habeat, et non sit nisi attritus) *per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur remissionem peccatorum* (3 p. q. 72, a. 7) (1).

II. Confert gratiam Sacramentalem, seu propriam hujus Sacramenti: quæ est speciale robur ad fortiter pro fide præliandum. Huic autem gratiæ comites sunt septem dona Spiriritus Sancti: *In hoc Sacramento*, ait d. Thomas, *datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes* (1, 2, q. 68).

III. Imprimit characterem (v. *de Sacramentis in genere)*. Tandem cognationem spiritualem inducit, sed hoc ultimum ex jure tantum Ecclesiæ *(S. Alph.*, l. VI, n. 169).

484. **Confirmationis cæremoniæ**. Aliæ ipsam antecedunt; aliæ comitantur; aliæ illam subsequuntur.

1) Præcipua quæ antecedit, est *patrini designatio,* quæ sub gravi requiritur, si haberi possit. *Qui accipit hoc Sacramentum* (ait Angelicus, 3 p. q. 72, a. 10) *ab alio tenetur quasi per alium in pugna spirituali erudiendus.* Neque obstat quod ipse sit jam adultus; nam, ex eodem d. Thoma, *licet qui confirmatur sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter* — Designatio patrini quando est confirmandus puer, pertinet ad parentes, et in defectu ad Episcopum. Patrinus unus tantum sit oportet ex canonico jure; diversus a Baptismi patrino, nisi aliqua adsit causa in contrarium; et ejusdem sexus cujus est confirmandus juxta usum Ecclesiæ et ritum Pontificalis, nisi alicubi forsan aliud ferat legitima consuetudo. Patrinus autem nequit esse religiosus vel monialis, nisi persona confirmanda esset pariter regularis. Item prohibetur manifestus censuratus, vel gravioribus criminibus illigatus, vel fidei rudimentis ignarus ex Pontificali. Item alicubi prohibetur, ut eodem die quo quis confirmatus est, alteri patrini officium præstet, ut in Synodo Novariensi. Patrinus penes nos manum dexteram

(1) Alter accidentalis, extraordinarius et temporaneus effectus in gratiis gratis datis consistebat; qui conveniens erat pro statu et conditione nascentis Ecclesiæ, ut per miracula facilius dilataretur. Unde sicut cum arbusta plantamus, tamdiu aquam infundimus, quandiu radices egerint, ac postea omnis irrigatio cessat; ita miracula perpetrata sunt quandiu fides nondum tenaces radices jecerat: at fide radicata, miracula cessarunt.

ponit super dexterum humerum confirmandi (1): quod sufficit ex S. Rituum C. 20 sept. 1749 (2) (v. *quoad reliqua* n. 966).

2) *Alapa* comitatur, quæ leviter infligitur in maxilla confirmati; tum ut Confirmationis recordetur; tum maxime ut intelligat se paratum esse debere ad omnia fortiter toleranda pro Christo. Omissio alapæ, secluso scandalo, non est mortalis. Postea statim abstergitur frons ipsius confirmati a ministro gossypio comburendo.

3) Confirmationem subsequitur *communis benedictio*, quæ confirmatis omnibus simul ab Episcopo datur in fine. Quæ cum sit simplex cæremonia ex communi Doctorum, probabiliter non videtur obligare sub culpa monitio, ne ante illam ab Ecclesia discedatur. Imo Layman et Palaus docent monitionem esse omittendam, si magnus sit concursus, ut pluribus quoad pueros inconvenientibus occurratur, qui diu in templo clausi sistere nequeunt *(S. Alph.*, l. VI, n. 188).

Quoad Confirmationem præstat legere præclara monita quæ habentur in Rituali ambrosiano; et Instructione Synodi Novariensis. Item oportet, ut parochi notent qui confirmati sunt in libro speciali vel in libro animarum: ita facilius curare poterunt, ut omnes hoc Sacramento muniantur, et attestationes facere, si requirantur.

DISPUTATIO QUARTA

DE EUCHARISTIA

485. **Eucharistia** (græce *bona gratia)* appellatur Sacramentum Corporis Christi; tum quia Christus illud instituit *gratias agens;* tum quia per illud possumus dignas pro acceptis beneficiis gratias Deo rependere; tum quia in eo Christum recipimus omnium gratiarum fontem (V. *d. Thomas,* 3 p. q. 73, a. 4).

Dupliciter Eucharistia consideratur: vel respective ad homines, quos sanctificat, sub qua ratione est Sacramentum; vel respective ad Deum, quem colit et placat, sub qua ratione est Sacrificium. *Differunt autem plurimum inter se hæ duæ rationes*, ait Cate-

(1) In Rituali ambrosiano legitur: « Qui confirmandi sunt sinistrum pedem supra dextrum suorum patrinorum ponant, manibus pie junctis sint, et recti stent..... Quo in statu (confirmatus) permanebit quoad frons abluta abstersaque erit. Nemo autem frontem, sacro chrismate illitam attingat, ne Crucis quidem causa, nisi prius ablutam atque abstersam. »

(2) Si Episcopus velit non tantum ministri, sed simul etiam patrini officium gerere, officium patrini agat per procuratorem ex *S. Rituum* C. 14 *junii* 1873.

chismus Romanus: *Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra Eucharistia dum in pyxide continetur vel ad ægrotum defertur, Sacramenti non Sacrificii rationem habet.* Ad rem d. Thomas: *Dicendum quod hoc Sacramentum simul est Sacrificium et Sacramentum; sed rationem Sacrificii habet in quantum offertur, rationem autem Sacramenti in quantum sumitur* (3 p. q. 79, a. 5).

PARS PRIMA

De Eucharistia prout est Sacramentum.

486. **Eucharistiæ Sacramentum**. Communiter definitur: *Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem animæ alimoniam, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter et substantialiter continetur sub speciebus panis et vini.* Dicitur ad spiritualem animæ alimoniam; sicut enim per cibum et potum alitur vita hominis corporalis, ita per Eucharistiam alitur vita hominis spiritualis, dicente Christo Domino: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Eucharistiam verum esse Sacramentum contra hæreticos, protestantes ac rationalistas definitum est a Florentino et Tridentino Conciliis (1); in Eucharistia enim reperiuntur conditiones verum Sacramentum novæ Legis constituentes: 1) Ritus sensibilis, et sunt species externæ panis et vini — 2) Divina institutio; nam *Dominus Jesus* (verba sunt Apostoli I Cor. IV) *in qua nocte tradebatur accepit panem et gratias agens, fregit et dixit: Accipite et manducate, hoc est Corpus meum* etc. — 3) Gratiæ promissio: *Qui manducat hunc panem,* ait Christus, *vivet in æternum* etc. Accedit omnium fidelium persuasio, constans traditio et Patrum consensus.

Christus instituit Eucharistiam in ultima cœna, quam fecit cum Apostolis suis ad vesperam, quæ immediate passionem suam præcessit; quæ erat dies decima quarta mensis Nisan (martii), in qua agnus paschalis ex præcepto legis mosaycæ erat mactandus. Constat ex Scripturis (*Matth.* XXVI, et *Marci* XIV); ex Patribus, ut videre est penes Petavium, Billuart, Patritium, etc. Hinc Tridentinum asserit, *Christum, celebrato veteri paschate*

(1) Omnium autem primus, qui impugnavit realem Christi præsentiam in Eucharistia fuit Berengarius sæculo XI, in pluribus Conciliis subito refutatus, ut videre est penes Witassium. Hujus hæresis sectatores, ut Petrobrusiani, Albigenses, Wiclephitæ, etc. *Sacramentarii* appellantur.

quod in memoriam exitus ab Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituisse Pascha (sess. XXII, c. 1) (1).

487. **Principia**: I. De fide est, Christum in sacramento Eucharistiæ esse vere, realiter et substantialiter præsentem corpore et anima una cum divinitate. Hinc Tridentinum: *Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri vere et realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem unacum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo uti in signo vel figura aut virtute, anathema sit* (sess. XIII, can. 1) (2) — Quod item firmat omnium Patrum doctrina ac perpetua Ecclesiæ traditio. Hinc s. Ignatius episcopus et martyr, et s. Joannis Evangelistæ discipulus hæreticos Docetos insectatur, *eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris N. J. Christi.* Et constat manifestissime tum ex verbis, quibus Christus Eucharistiam promisit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita;* tum ex verbis quibus illam instituit: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum,* etc. D. Thomas, 3 *p. q.* 75, *a.* 1 *et* 4 (v. Scavini, *l.* III, *nn.* 103 *et seqq.*).

II. De fide est, peracta consecratione, totam substantiam panis et vini converti in Corpus et Sanguinem Christi, ita ut panis et vini nihil amplius remaneat præter externas eorum species: est contra Lutheranos maxime, qui una cum Corpore et Sanguine Christi, etiam panis et vini substantiam admittunt. In hoc situm est dogma *transubstantiationis* (quod est veluti sequela dogmatis de reali Christi præsentia) sic a Tridentino definitum: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini unacum Corpore et Sanguine D. N. J. C.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus*

(1) Pascha nostrum non jam inductum est in memoriam hujusce institutionis, sed Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi. Ideo autem Pascha appellari cœpit, quia primis Ecclesiæ sæculis non raro contingebat, ut illa solemnitas in diem Paschatis Hebræorum caderet; in Asia talis erat usus. In prima tamen Nicæna Synodo (anno 325) sancitum est, ut Paschæ dies festus dominica post quartam decimam lunam ab omnibus ageretur; ne christiani judæos imitari viderentur (Vide *Scavini,* l. III, nn. 234, 235, ubi etiam *de agapis*, et *Eucharistiæ figuris).*

(2) *Vere*, idque credendum indubitanter contra Zvinglium qui Christum nonnisi in symbolo et figura voluit esse in Eucharistia præsentem. *Realiter*, contra Calvinistas, hi enim fingunt Christum per solam fidei apprehensionem esse in Eucharistia. *Substantialiter*, contra nonnullos Calvini discipulos, qui contendunt non substantiam, sed virtutem, efficaciam dumtaxat Corporis Christi esse in Eucharistia (v. S. Alph., *Opera dogmat.*, sess. XIII).

panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit (sess. x, can. 3) — Id jam declaratum fuerat in Lateranensi IV, in Constantiensi ac Florentino. Id firmat traditio ss. Patrum. Omnes tandem liturgiæ ab Apostolorum ætate ad nos usque unaniniter concordant. Vel ipse Leibnitius licet protestans id fassus est: *Pia antiquitas*, ait, *aperte satis declaravit, panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem, passimque hic veteres agnoscunt metastoicheiosin, quem latini* transubstantiationem *recte verterunt* (Syst. th.). V. *Scavini*, l. III, n. 238 (1).

III. De fide est, consecratione facta, Corpus Christi integrum haberi sub specie panis, et integrum sub specie vini ex eodem Tridentino cap. 3: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima, et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem.* Et cum persona Filii, etiam Pater et Spiritus Sanctus, seu tota Trinitas in Eucharistia mirabili prorsus modo (nempe per *circuminsessionem*, ut ajunt) præsens est; nam personæ divinæ tres sunt, sed unus Deus *(D. Thomas*, 3 p. q. 76).

IV. De fide est in sacramento Eucharistiæ totum Christum contineri sub utraque specie, et facta separatione, in qualibet speciei parte. Hinc Tridentinum: *Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit* (sess. XIII, c. 3) (2). Christus enim

(1) Dogma transubstantiationis est veluti sequela dogmatis de reali Christi præsentia, a quo proprie distinctum est; nam hoc directe adstruit Christi præsentiam, illud modum hujus præsentiæ tuetur, id est per cessationem omnis substantiæ panis et vini: quod quidem per *transubstantiationem* recte exprimitur. Hinc jure proscripta est propositio 29 Synodi Pistoriensis, quæ illam vocem vellet omittere; nam ita *notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses.*

(2) Dicitur in Tridentino canone *facta separatione:* unde de fide non est totum Christum esse sub singulis specierum partibus etiam ante divisionem. Attamen omnino certum videtur; neque enim fractio efficere potest, ut Christus totus sit ubi antea totus non erat.

conficiens et præbens Eucharistiam Discipulis suis dixit: *Hoc est Corpus meum; hic est Sanguis meus; manducate ex hoc, bibite ex hoc omnes.* Atqui non omnes ex eo manducassent totum corpus neque totum bibissent sanguinem, si quælibet particula totum non continuisset: manducatio enim debebat esse multiplex; debebat ergo omnis particula totum Christum continere *(D. Thomas,* 3 p. q. 76, a. 2 et 3).

V. De fide est, Eucharistiam non consistere in usu et sumptione, ut contendunt Lutherani et Calviniani; sed in re permanenti. Definivit enim Tridentinum: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse Corpus et Sanguinem D. N. J. C.; sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; et in Hostiis seu Particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit* (sess. XIII, c. 4). Firmat praxis Ecclesiæ; constat enim ex antiquis monumentis in templis Eucharistiam fuisse asservatam, in ciboriis aliisque repositoriis. Et ratio suffragatur: 1) Christus antequam Apostolis Eucharistiam traderet, ait: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Ergo Eucharistia ante sumptionem jam existebat — 2) Eucharistia fuit instituta tanquam cibus; at natura cibi est, ut in sua natura existat independenter ab ejus usu (S. Alph., *Opera dogmatica;* Scavini, l. III, n. 236) (1).

Hinc canit Ecclesia: *Dogma datur christianis, quod in carnem transit panis, et vinum in sanguinem. Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter verum ordinem. Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latent res eximiæ. Caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus sub utraque specie. A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur. Sumit unus, sumunt mille; quantum isti, tantum ille; nec sumptus consumitur. Fracto demum Sacramento, ne vacilles; sed memento, tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura: qua nec status nec statura signati minuitur* (S. Thomas).

(1) Licet Eucharistia duplici conficiatur materia, et ideo quælibet species sit materialiter diversa; formaliter tamen utraque constituit unum Sacramentum. Tum quia est unus et idem Christus sub utraque; tum quia ambæ materiæ unam animæ alimoniam respiciunt, quemadmodum cibus et potus unum est alimentum *(D. Thomas,* 3 p. q. 73, a. 2).

Cæterum nil prohibet, si Eucharistia physice spectata duplex dicatur Sacramentum. Utrumque videtur innuere Ecclesia, dum in sacra liturgia modo Eucharistiam designat numero singulari, ut cum dicit: *Sacramentum Corporis Christi;* modo numero plurali, ut cum habet: *Purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 190).

488. Christus desinit esse in Eucharistia, quando tanta fit specierum immutatio, ut juxta consuetum loquendi modum non amplius videatur panis et vinum, sed materia corrupta. Hinc merito deducunt, species in tabernaculo clausas frequenter renovandas esse; cum corruptioni magis subjectæ sint *(D. Thomas,* 3 p. q. 77, a. 4).

Quoad vero susceptores pertinet, alii censent in laico species corrumpi (etsi non penitus digestæ ac consumatæ) intra quinque *Pater* et *Ave;* in sacerdote vero postquam ille vestibus sacris est exutus. Lugo tamen refert plures medicos Romæ a se consultos putasse, id intra minutum evenire in laico; in sacerdote intra medium quadrantem. Verum hic ratio habenda est majoris vel minoris stomachi caliditatis, et dispositionis *(S. Alph.,* l. VI, n. 225).

489. **Solvuntur objectiones.** Objicies 1. Illud Christi: *Manducate et bibite* sensu metaphorico accipi debet, nempe de manducatione et potu spirituali. Et sane Christus subjungebat: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam; verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

R. Christus Dominus omnem sensum metaphoricum excludit inquiens: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Nemo autem dixerit cibum et potum spiritualem esse *et vere cibum et vere potum.* Deinde Apostolos et Judæos literaliter locutiones Christi accepisse, ex eo patet quod primi novitate sermonis quasi offensi inquiebant ad invicem: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Alii autem *litigabant inter se dicentes: Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Porro si Christus, qui est *via, veritas et vita*, metaphorice fuisset locutus, debuisset ex eorum animis talem errorem et offensionem sustollere. Verum non sustulit, imo crebra repetitione sensum literalem aperte confirmavit dicens: *Amen amen dico vobis; nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. VI) — Neque obstant verba, quæ postea subjunxit Christus: *Spiritus est qui vivificat*, etc. Hoc enim subjunxit non ad indicandam spiritualem manducationem per fidem, sed ad excludendam materialem Capharneitarum intelligentiam, qui Corporis Christi manducationem modo cruento intelligebant, ita ut illius Corpus in propria specie premeretur dentibus et in frusta divideretur. *D. Thomas,* 3 p. q. 75.

Objicies 2. Christus de se ipso ait: *Ego sum panis* (Joan. VI); nec tamen ita dicendo se ipsum mutavit in panem; ergo dicens *hoc est Corpus meum,* panem in corpus suum non mutavit — Adde: Joannes affirmat quod *Verbum caro factum est* (Joan. II), quin tamen inferri possit Verbum conversum esse in carnem; ergo vere dici potest *hoc est Corpus meum*, quin panis substantia fuerit immutata — Adde: nonne de ferro candente et de dolio vinum continente recte dicitur *hic est ignis, hoc est vinum*, etiamsi nulla intercesserit mutatio. Ergo dicere potuit Christus: *hoc est Corpus meum*, etsi substantia panis adhuc subsistat, et in ea sit inclusum Corpus Christi Domini.

R. Ad 1. Priora verba metaphorice intelligenda sunt; siquidem non absolute Christus se panem appellavit, sed *panem vivum*, *panem vitæ*, scilicet comparate ad manna hebræorum, de quo sermo erat: at posteriora verba sensum literalem habent, lutheranis ipsis fatentibus, et patet ex contextu. Adde: repugnare Christum mutari posse in panem, cum id vetat ipsius natura, quæ immutabilis est; at nulla pugna, si panis in Christi corpus convertatur.

Ad 2. Verbum est inconvertibile in panem: at panis bene mutari potest: unde verba Apostoli pro modo suo sunt accipienda, quod nempe Verbum assumpsit humanitatem, sed haud mutando; panis vero immutatus fuit, et tota ejus substantia in Christi corpus conversa est, solis panis speciebus remanentibus.

Ad 3. Ferrum candens ignis dicitur, quia omnes ejus partes ignis pervadit: item vini dolium vinum appellatur, quia ex communi usu destinatum est ad vinum continendum. At in nostro casu nec panis partes omnes Corporis Christi pervadit, nec a natura sua vel communi usu panis destinatus est ad continendum Christi Corpus. Hinc qui de pane, in quo lateret aurum, diceret *hoc est aurum,* falsum diceret: quia panis nec a natura sua, nec etiam ex hominum consuetudine ordinatus est ad continendum aurum.

Objicies 3. Christus post consecrationem subjunxit: *Dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum*, etc. (Matth. XVI). Ergo vinum adhuc erat in calice post consecrationem; ergo tantum figurate dicitur Sanguis Christi.

R. Eo in loco non agitur de calice consecrato; sed de calicis non consecrati distributione, quæ ante Eucharistiæ institutionem obtinuit, ut clarius patet apud Lucam (cap. XXII). Cæterum non pugnat quod Sanguis Christi vinum adhuc appelletur; tum quia ex vino conversus est: res autem in aliam versa in Scripturis primum etiam nomen retinet juxta illud: *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam* (Joan. XI); tum quia Sanguis Christi adhuc apparentiam habet vini, et in Scripturis res per eam, quam habet apparentiam, sæpe indicatur: sic Deus qui sub forma ignis apparuit, *ignis consumens* vocatur (Deut. IV). Sic etiam nonnulli Patres Eucharistiam appellant typum, figuram, imaginem, signum Corporis Christi, ratione nempe specierum panis et vini, quæ ex Christi institutione sunt signum et figura Corporis sui, non absentis quidem, sed præsentis et sub ipsis realiter contenti.

Objicies 4. Dogma realis Christi præsentiæ in Eucharistia rectæ rationi repugnat. Repugnat: 1) *Quod unum corpus, nempe Christi, sit simul in pluribus locis, scilicet in tot hostiis consecratis.* 2) *Quod accidentia subsistant sine subjecto, nempe panis et vinum sine panis et vini substantia: et sane si instituatur chymica analysis particulæ aliquæ consecratæ, in ea reperitur substantia vegetalis panis et vini.* 3) *Quod Christi Corpus nos nutriat et ejus Sanguis nos etiam inebriet.* 4) *Quod Corpus Christi profanetur, frangatur, corrumpatur.* 5) *Quod panis fiat Corpus Christi vivum.*

R. Eucharistia (sicut reliqua Religionis mysteria) cum superet rationis nostræ captum, fieri nequit, ut demonstretur eam rectæ rationi repugnare. Ut enim duorum terminorum ostendatur intrinseca repugnantia, clara illorum cognitio habenda est, ut sic comparentur, et ex comparatione contradictio resultet: nempe scire deberemus quid sit corpus in ordine supernaturali, quid corpus glorificatum, et in statu sacramentali, quæ locorum natura, et materiæ essentia; quæ omnia ignoramus. Nequeunt igitur adversarii judicare de repugnantia Corporis Christi in Eucharistia, seu in statu corporis gloriosi et sacramentalis, prout non posset cæcus, qui nullam coloris ideam habeat, affirmare, quod repugnet circulus rubei coloris. Hoc indirecto principio, omnes difficultates solvi possunt. Sed respondendo directe:

Ad 1. Dicimus: sicut potest homo speculum formare, in quo unus idemque homo appareat multiplicatus, licet multiplicatus non sit: poterit Deus, cujus virtus est infinita, multiplicem panem in verum Christi corpus convertere, ita ut unum idemque eodem tempore in pluribus locis vere existat, quin varium et multiplex sit.

Ad 2. Cum Deus possit per se ipsum producere omnes effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam; poterit etiam per se ipsum conservare accidentia sine subjecto, subtracta substantia, per quam prius veluti per propriam causam conservabantur. Impossibile est autem, ut instituatur processus chymicus corporis gloriosi et incorruptibilis, ut est Christi corpus post ejus resurrectionem: quod si

analysis chymica instituatur in species, jam ipsæ corrumpuntur; cum immutentur, ac partes secernantur. Ergo sicuti cessat in stomacho nostro realis Christi Corporis præsentia, statim ac corrumpuntur Eucharisticæ species; sic cessat, dum per chymicam operationem eædem species immutantur.

Ad 3. Utique Christi Corpus in Eucharistia, cum sit incorruptibile, nequit per se nos nutrire; sicut neque etiam nos nutrit aut inebriat substantia panis et vini, quæ in eo non sunt. Deus itaque extraordinaria ratione supplet (aut novæ substantiæ reproductione ut aliquibus placet, aut alio modo sibi cognito); Deus enim ad exercitium fidei nostræ constituit, ut panis, idem dic de vino, consecratus easdem subeat vices, et eosdem producat effectus divina virtute, quos produceret, si consecratus non esset.

Ad 4. Corpus Christi utpote gloriosum non magis attingitur in profanationibus, quam ipsa Divinitas, quæ etsi ubique præsens, non ideo tamen dicitur sordescere in sordibus. Homines igitur sacrilegi sibi nocent, non Christi Corpori in se. Nec alteratis speciebus eucharisticis ideo corrumpitur Christi Corpus, sed desinit esse. Ideo corruptio, fractio et similia nonnisi de speciebus prædicari valent. Vide *Perrone* et *Knoll*, et passim d. Thomas, 3 *p. q.* 75 *et seqq.*; et *Contra gentiles.*

Ad 5. Audiatur d. Ambrosius: *Sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus et factum est cœlum: jussit Dominus et facta est terra: jussit Dominus et facta sunt maria; jussit Dominus et omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi; si ergo tanta est virtus in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur?* (de Sacram., l. IV, c. 4).

CAPUT PRIMUM

De Cultu, Asservatione, Expositione et Necessitate Eucharistiæ.

490. **Cultus Eucharistiæ debitus.** Cultus debitus in his maxime consistit, ut Eucharistia (id est Christus sub speciebus contentus) latriæ cultu etiam externe et publice adoretur, peculiari celebritate veneretur, et solemniter in processionibus circumferatur. Hæc omnia de fide sunt a Tridentino contra novatores definita *(sess.* XIII, *can.* 6). Et recte, ut disserit idem Concilium; *nam illum eundem Deum præsentem in eo* (Sacramento) *adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum, dicit:* et adorent eum omnes Angeli ejus *(Scavini,* l. III, n. 240).

Quoad religiosas processiones extat Circularis ministerialis, quæ omnes vetat agere (si excipias quæ instituuntur vel pro administrando Viatico, vel pro funere deducendo) sine civilis auctoritatis facultate tempore opportuno in scriptis obtenta. An ideo processiones sint omittendæ vel venia postulanda eas peragendi? *S. Pœnitentiaria ad præmissa rescribit, sacris pastoribus et ecclesiarum rectoribus omnino abstinendum esse a prædicta facultate petenda. Tolerari tamen posse, ut eam aliæ personæ sæculares vel etiam ecclesiasticæ, dummodo hæ privatæ sint, suo non vero ecclesiæ nomine, impetrare conentur. Quod si agatur de processionibus*

ex fundatione instituendis earumque facultas prædicto more obtineri nequeat, Ordinarii erit modum eas peragendi præscribere, quem magis in Domino expedire visum fuerit (30 sept. 1876) (1).

491. **Eucharistiæ conservatio.** Laudabilis est consuetudo Eucharistiam servandi. Imo ex pluribus decretis S. C. Concilii continuo et habitualiter conservanda est in omnibus Ecclesiis parochialibus, ideoque et in Cathedralibus, quæ primæ diœceseos parochiæ habentur; sed in uno altari tantum. Item in ecclesia Regularium utriusque sexus, si cum votis solemnibus; ast quoad moniales prohibet Tridentinum (*sess.* XXV, *c.* 10 de Regul.) *ne intra chorum aut septa monasterii* conservetur. Sed quoad alias ecclesias etiam collegiatarum, aut religiosæ familiæ sine votis solemnibus, requiritur, ut permanenter Eucharistia asservetur, *præsidium Apostolici Indulti vel immemorabilis consuetudinis, quæ illius præsumptionem inducat,* ut ait Benedictus XIV, Bulla *Quamvis justo* (2) — Ipsa autem collocanda est in tabernaculo clave obserato et mundo; in altari majori vel in alio quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius et decentius videatur (3). In eo autem nec reliquiæ, nec chrisma nec oleum infirmorum, nec quid aliud præter Eucharistiam reponendum est ex Rituali.

Est autem jugis obligatio eam servandi cum lumine: quod si reditus deficiant, instituatur eleemosynarum collector; et mortaliter peccat qui per notabile tempus non curat, ut ardeat lumen. Plures graves auctores dicunt esse notabile tempus, si integro die vel aliquot integris noctibus id fiat — Oleum autem olivarum utendum est; at in montanis, cum sine magnis ex-

(1) Processiones in Ecclesia perantiquæ sunt; de illis mentionem faciunt Tertullianus, s. Basilius, s. Ambrosius aliique Patres, ut videre est penes Baronium ad annum 58, n. 112. Porro religiosas processiones prohibere est in detrimentum catholici cultus; processiones enim, et præsertim *sacræ ad insigniora catholicæ nostræ religionis Sanctuaria peregrinationes* (dicente Pio IX Brevi 17 dec. 1875) *tum fidei fovendæ et excitandæ plurimum conferunt; tum mutuo sunt fidelibus ad virtutum exercitium incitamento, animosque ita disponunt, ut divinam misericordiam facilius consequantur in tempore opportuno* (*v.* Scavini, *l.* I, *nn.* 628 *et seqq.* Moroni, V.° *Processione*).

(2) Quod valet etiam de seminariis, collegiis, manicomiis, hospitalibus; sed pro istis de facili privilegium concedi solet. Imo ex S. C. C. 7 febr. 1756 eruunt, posse Episcopum indultum concedere pro continua retentione in ecclesia hospitalis; cum res sit de infirmis, si tamen ibi suus sit sacerdos, et salvis juribus parochialibus (*S. Alph.*, l. VI, n. 248).

Ruralis sacerdos si in sua ecclesia servatur Eucharistia, tenetur ad residentiam et quotidianam Missæ celebrationem per se vel per alium. *S. R. C.* 16 martii 1833.

(3) Tabernaculum, quod Tridentinum *sacrarium* vocat, debet esse intus decenter ornatum, et foris conopœo opertum ex panno sive gossypio sive lana sive cannabe contexto coloris albi vel etiam coloris diei, ex S. C. R. 21 julii 1855. Pluribus tamen in locis conopœum in desuetudinem abiit.

pensis illud haberi nequeat, lampas communiter nutritur oleo ex nucibus, et alio ex vegetabilibus. Hac in re en decretum S. Rituum Congr. 9 junii 1864, probante Pio IX: Quæsitum fuit utrum attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate comparandi oleum olivarum substitui possint alia olea, quæ ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petrolio? Responsum fuit: *Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest vegetabilibus* (v. Scavini, *l.* III, *n.* 241 et *l.* IV, *nn.* 350 *et seqq.)* (1).

492. **Eucharistiæ expositio**. Eucharistiam non tantum asservare, sed illam publicæ venerationi exponere licet. Qui usus et antiquus est et salutaris; cum retrahat a vanis atque ad devotionem excitet. Quia tamen frequentata vilescunt, ideo curandum, ut omnia debito ordine fiant; qua in re en regulæ:

1) Si quis privatus expositionem fieri curet ad publicam devotionem promovendam, hæc publica potius, quam privata causa videtur dicenda.

2) Videndum, an iis locis ubi fit expositio, devotio Sacramenti augeatur magis vel minuatur, et juxta id expositio facienda erit, vel omittenda.

3) Expositio semper fiat cum ornatu, pompa ac splendore; et Hostia in Ostensorio seu Radio conspicienda præbeatur in excelso throno in baldachini forma extructo; duodecim saltem cereis in altari ardentibus, præter quatuor vel duos propius ad ipsum thronum (v. *S. R. C.* 23 julii 1846; *Cæremon. Episcoporum,* l. I, c. 13, n. 3; et Moroni, V.° *Tabernacolo, Trono)* (2).

4) Si Eucharistia privatim (ut ingruente tempestate) exponenda videbitur, a tabernaculo non extrahatur; sed Pyxide velata in aperto tabernaculi ostiolo exponatur cum assistentia sacerdotis stola et superpelliceo induti, et sex saltem luminibus cereis, et preces cum populo ideo convocato fundantur, quin

(1) Cum non una sit sententia circa hoc decretum, ita ut nonnulli putaverint posse petrolium adhiberi in ecclesiis proprio arbitrio et extra necessitatem, modo non adhibeatur ante Ss. Eucharistiam vel ante imagines sacras, quæsitum fuit an id recte? S. C. re mature perpensa, scribendum censuit: *Minime adhiberi posse petrolium vel aliud oleum ex vegetabilibus ad illuminandam Ecclesiam; sed in usu tantum necessitatis ex prudentia Ordinariorum; die* 20 *martii* 1869 (Acta S. Sedis, *t.* XI).

(2) In Congreg. Ss. Rituum proposita fuit petitio artificis Joseph Rua: utrum admitti possit usus cujusdam machinæ ab ipso constructæ, cujus ope elevaretur et reponeretur Ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur? Emi Patres re accurate perpensa unanimi suffragio responderunt: *Negative;* 7 julii 1877.

populus benedicatur; ex S. C. Episcoporum 9 dec. 1820 (*S. Alph.*, l. VI, n. 424. V. *Scavini*, l. III, n. 114; l. IV, n. 372).

493. **Necessitas Eucharistiæ.** Certum est illam non esse necessariam necessitate medii. Nam Baptismus sufficit, ut quis Christi membrum evadat, et filius Dei adoptivus cum jure ad cœlestem hæreditatem: *Quicumque baptizati estis*, ait Apostolus, *Christum induistis; nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Firmat praxis Ecclesiæ, quæ neque parvulis illam præbet, neque quoquomodo impeditis. Et signanter quoad pueros habet Tridentinum: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit* (sess. XXI, c. 4). Vide *d. Thomas*, 3 p. q. 73, a. 3; *Scavini*, l. III, n. 243.

Est tamen Eucharistia necessario sumenda ex gravissimo præcepto tum divino tum ecclesiastico. Præceptum divinum continetur in illis Christi verbis: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* — Præceptum vero ecclesiasticum habetur in celebri decreto Concilii Lateranensis IV anno 1215: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur... Suscipiens reverenter ad minus in paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Quod iterum firmavit Tridentinum (*sess.* XIII, *c.* 9).

494. Non est autem sumenda sub utraque specie; hæc enim sumptio solis sacerdotibus necessaria est in actu celebrationis, ut sacrificium compleant, cæteris prohibita. Id definivit Concilium Constantiense contra Hussitas ideo dictos *calixtinos;* et contra Lutherum et Calvinum Tridentinum, dum ait: *Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos christifideles utramque speciem Ss. Eucharistiæ sacramenti sumere debere, anathema sit* (sess. XXI, c. 1). Id eruitur ex Scripturis, ubi habetur alterutram speciem totam tribuere virtutem; dicitur enim *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem*, etc. (1 Cor. II). Firmatur ex traditione; nam per tredecim priora sæcula, quibus viguit contraria disciplina, sæpe sub una tantum specie Communio tribuebatur, uti infirmis, teste Eusebio; pueris, teste Cypriano; domi persecutionis tempore, teste Tertulliano.

Ecclesia autem convenienter usum calicis interdixit, tum ob periculum effusionis Sanguinis, in tanta fidelium quotidie crescentium multitudine; tum ob multitudinem abstemiorum, et eorum qui sine nausea vel etiam vomitu nequirent haurire ex calice communi; tum ob vini in multis regionibus penuriam. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non con-*

ficientes, sub panis tantummodo specie communicarent, aut in eo errasse, anathema sit (sess. XXII, c. 2). V. s. Alph., *Opera dogmat.*, sess. XXI; Scavini, *l.* III, *n.* 259. Perrone.

495. **Præceptum divinum communicandi.** Obligat et per se et per accidens divinum communicandi præceptum.

I. Obligat per se et sub gravi non tantum in proximo periculo mortis (ex dicendis *De Viatico)*, sed etiam sæpius in vita. Nam Eucharistia instituta est per modum cibi spiritualis ad animam nutriendam et confortandam; at cibus sæpe sumendus est. Attamen Christus tempora non determinavit; sed Ecclesiæ suæ statuenda reliquit; quæ quidem Communionem annuam tempore Paschatis statuit. Unde per Communionem semel in anno eo tempore sumptam præcepto divino et ecclesiastico satisfit — Hoc tamen præceptum non adimpletur per Communionem sacrilegam; non enim susciperetur *reverenter*, ut vult Lateranense; neque *digne*, ut præcipit Christus. Hinc contraria propositio n. 55 damnata est ab Innocentio XI.

II. Obligat *per accidens* quoties Eucharistia necessaria sit ad superandam gravem tentationem. Tamen id raro evenit, cum ad hoc ordinarie sufficere possint alia media, orationes, pœnitentiæ, etc. *(S. Alph.*, l. VI, n. 295).

496. **Præceptum communicandi in Paschate.** Tempus paschale, quo urget præceptum communicandi (declarante Eugenio IV, Bulla *Fide digna)* exorditur a Dominica Palmarum, et cessat Dominica in Albis; et ideo dicitur *quindena paschalis.* Unde qui toto illo tempore non communicat, etsi pluries in anno Eucharistiam susceperit, præcepto non satisfacit. Episcopi tamen et eorum Vicarii generales solent ex consuetudine ferme ubique inducta, plus temporis concedere sive ad anticipandum sive ad posticipandum, cum hac vel illa paræcia; non item cum diœcesi per edictum generale: cum hæc sit lex Pontificis (vide Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XII, c. 6) (1).

Qui Paschali tempore non communicavit, an teneatur adhuc ad communicandum sub gravi in illo anno, plures cum s. Antonino negant, etsi ex malitia omiserit communicare; nam cum hoc præceptum sit affixum tempori paschali, eo transacto non amplius potest dici, quod quis communicando communicet in Pascha; ideo satis est, ut se pœniteat — Hæc sententia non est contemnenda, sed sententiæ communiori affirmanti me sub-

(1) Si de individuis agatur potest tempus paschale protrahi etiam ex parochi dispensatione seu declaratione rationabili. *Ferraris, Cretoni.*

scribo. Hoc enim præceptum continet virtualiter duo præcepta, alterum communicandi saltem semel in anno, alterum communicandi in Paschate: porro si hoc transiit, illud adhuc perseverat. Id satis colligitur ex verbis Concilii: *Suscipiens reverenter ad minus in Paschate;* ergo si Communio in paschate fuit omissa, debet sumi antequam terminetur annus *(S. Alph.*, l. VI, n. 297).

Casus. Titius initio quadragesimæ cum iturus sit in longinqua nec sit per plures menses reversurus, præcepto paschali ante discessum in antecessum satisfacit. Nec amplius curat de illo implendo, etsi casu potuerit reverti adhuc præcepto paschali durante — R. *Cum ex communi sententia et universali usu fidelium probata hoc præceptum urgeat a paschate ad pascha, hinc dicendum videtur nullam esse obligationem præveniendi, etsi prævideatur non posse communicari illo tempore; quia, ut bene advertit Suarez, talis Communio non esset impletiva præcepti, cum nondum urgeat ejus obligatio. E converso certum est, quod cœpto tempore paschali, si quis impediendum a Communione se prævideat, tenetur illico eam accipere.* S. Alphonsus.

497. **Quos obligat præceptum paschale.** In Paschate communicare tenetur *omnis fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit,* ut ait Lateranense. Ergo etiam carcere detentus, uti praxis probat; etiam infirmus, ut monet Rituale, etsi ante tempus Paschale jam communicaverit. Sed dantur exceptiones:

I. Quoad *adultos* ex citato Concilio excipitur casus, quo *proprius sacerdos* rationabiliter judicaverit Communionem differendam esse. Quo nomine communiter accipitur Parochus vel confessarius.

II. Ad *pueros* quod attinet, communissimum ac probabilius est eos ad paschalem Communionem non statim teneri ac usum rationis consequuntur. Discretionis enim anni accipiendi sunt respective ad materiam: porro major discretio seu cognitio requiritur ad Eucharistiam, quam ad Pœnitentiam suscipiendam; cum Pœnitentia respiciat actus proprios, nec ita in ea sit exercenda fides. Discretio autem pro suscipienda Eucharistia in eo sita est, ut puer sciat non tantum discernere inter bonum et malum, sed etiam ut appareant in eo signa devotionis, ita scilicet quod sciat distinguere panem materialem a sacramentali. Ajunt autem regulariter pueros decennes aptos esse ad Communionem, et ideo hujus obligationis esse capaces. Quare merito d. Carolus præcipit parochis, ut illos qui decennium attigerint, instruant atque rite disponant.

Dixi: 1) *Non statim teneri;* attamen probabilius communi-

care non prohibentur; *quia* (ait d. Thomas, 3 *p. q.* 80, a. 9) *tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere.* Quod confirmatur ex can. penult. 26, q. 6, ubi dicitur: *Cui Pœnitentiæ sacramentum conceditur, neque Eucharistiæ sacramentum denegari debet, si desiderat.*

Dixi: 2) *Regulariter pueros decennes aptos esse;* nam citius vel serius possunt obligari juxta eorum capacitatem. Unde recte reprehendunt parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem, nisi pueros in certa ætate jam constitutos (*S. Alph.*, l. VI, n. 301) (1).

498. **Prima puerorum Communio.** Si parochus cupit totam suam parœciam reformare, puerorum perdiligentem suscipiat curam; nam *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea:* quod si aliquando forsan recedet, de facili ad primam revertetur. Ideo eos allicere studeat, eorum se accommodet ætati, et pueriliter quoad potest cum pueris agat; caveat ne eorum honestos jocos prohibeat vel festivitatem obtundat. Et maxime satagat eos ad primam Communionem rite disponere.

1) Sciat ex instructionis defectu evenire, ut res adeo excellens fiat nullo fere devotionis sensu, nulloque animæ profectu. Cum puerorum ætas sit nimium levis, oportet ut ipsi industrie patienterque edoceantur de hoc cœlesti cibo; doctrinas eorum tenellæ ætati exemplis, similitudinibus quoad potest aptando, æmulationem etiam inter illos excitando, etc. V. Gaume, *S'avvicina il gran giorno.*

2) Optimum esset pueros, puellasque communicaturas simul convocare in aliquo Oratorio, ut vacent per triduum exercitiis spiritualibus modo et tempore eorum ætati accommodato.

3) Adlaborandum quammaxime, ut in Confessione puer rite disponatur; ad quod quidem plurimum confert, si generalem Confessionem emittat. Absit autem, ut talis Confessio perfunctorie, celeriter ac sine ullo religionis sensu fiat ab ipso pœnitente, vel excipiatur a confessario (*de hoc* v. infra *n.* 739). Puellæ ad crates confessionarii audiendæ sunt, non facie ad faciem, ut cum pueris fieri potest.

4) Oportet ut prima Communio cum apparatu et magnificentia quoad potest fiat, ut facilius pueri per visibilia ad spiritualia assurgant; nec ab eorum animis unquam excidat memoria tanti diei, et juge ad virtutem incitamentum sit (2).

(1) Synodus Taurinensis anno 1873 hæc habet: *Quivis confessarius ad quem veniat adolescens, qui etsi decimum tertium annum attigerit, tamen nondum ad Communionem accesserit, si in his adjunctis hic constitutus appareat, ut proprium parochum adire nequeat, eximium præstabit caritatis opus, si eum doceat in catechesi et ad Communionem promoveat. Eum vero hortetur, ut parochum suum hac de re certiorem faciat.*

(2) Ad rem Ody, *Il direttore dell'infanzia;* opus eximium: « Un giovinetto che faccia la prima Comunione con una santa disposizione pone, mediante le grazie che lo ricolmano, un germe di pietà e il seme di quelle virtù che mai interamente si annientano.... Le grazie ottenute in questa memorabile circostanza, lasciano profonde vestigia nei loro cuori.... Essendo la prima Comunione della massima importanza, poichè da essa e dal modo con cui si fa, dipende tutta la nostra vita avvenire, per quante sollecitudini possano praticarsi dai Parrochi per preparare i giovinetti, elleno non saranno mai superflue. » Vide Episc. Eula, *Collectio Casuum* etc. 1875. Scavini, *l.* IV, *nn.* 430 *et seqq.*, *ubi plura* de puerorum admissione ad primam Communionem, de instructione, praxi et fructu.

5) Parochus ipse suggerat actus pietatis, ac fervoris ante et post Communionem; neque illos dimittat sine efficaci exhortatione et monito ad perseverandum. Multum autem confert ut aliqua pia effigies vel liber illis donetur, qui epocham quodammodo signet (quod etiam alicubi in usu est in Confirmationis administratione). Attamen ipsa functione peracta, non vero in ipso Communionis instanti; secus pueri nimium distrahi solent vel imaginem considerando vel librum volutando, et forsan etiam furtim bis communicando, ut bis donum accipiant (v. Gaume, *Gesù è la mia porzione).*

6) Puer non tantum prima vice, sed iterum atque iterum ad Communionem adjuvandus, donec sibi sufficere possit. Item præstat, ut identidem in anno, puta in solemnioribus saltem festis post primam Communionem ad novam accedat; ideo non bene se gerunt qui pueros de uno ad aliud Pascha expectare faciunt (V. s. Alph., *Notificatione ad clerum,* 1764).

499. **Locus ad Communionem paschalem.** In propria parœcia, a proprio pastore, nisi dispensatio obtineatur vel privilegium, Communio paschalis est sumenda. Et non fit satis, si Communio vel in ipsa Cathedrali aut Lateranensi vel Vaticana Basilica (nisi a proprio Parocho) suscipiatur. Ita generatim explicant canonem Lateranensem; ita declaravit Innocentius XI; ita præcipiunt plurima decreta posteriora; ita praxis habet, et merito; oves a proprio pastore cognosci debent (1). Excipe:

1) Sacerdotes, qui ubivis celebrant, ex consuetudine satisfaciunt; non tamen si tantum communicarent. Item Regulares qui ex privilegio in suis ecclesiis ad Communionem paschalem admittere possunt proprios familiares, modo actu inserviant, intra eorum septa resideant et sub eorum obedientia, ut ex Tridentino docet Benedictus XIV.

2) Peregrinos et vagos, qui ex Rituali rite communicant, ubi actu degunt (neque necesse est, ut Communionem sumant de manu Parochi illius loci; cum proprium non habeant Pastorem). Item est de militibus, qui non sint in statione.

3) Omnes qui habent licentiam Pontificis vel proprii Episcopi aut ejus Vicarii generalis, vel Parochi, ut patet. Quæ licentia sufficit etsi tantum præsumpta, si adsit moralis certitudo de consensu *(S. Alph.*, l. VI, n. 240).

Non videtur autem iterum teneri in parœcia communicare, qui ibi sacrilege adimplevit præceptum paschale; quia iste jam adimplevit finem præcepti quoad locum. Sufficit igitur, ut alicubi reverenter communicet ad satisfaciendum præcepto; neque enim per sacrilegam Communionem adimpletur. *Gury.*

(1) Ne ipse titularis coadjutor, nolente parocho, potest Communionem paschalem distribuere, quia etsi et ipse curam animarum habeat, eam nonnisi dependenter a parocho tenet.

Casus. Titius optans paschalem Communionem sumere in aliena parœcia, ubi confitetur, non audet licentiam petere a suo pastore, cujus asperitatem ac denegationem veretur. Ille autem urgetur vel necessitate communicandi statim post confessionem; vel timore ne sacrilegio parochi cooperetur quem scit in peccato; vel naturali quadam antipatia seu involuntaria repugnantia erga illum. *Quid?* — Puto quod potest communicare in aliena parœcia ad satisfaciendum præcepto; si enim nequit præsumi parochi consensus, præsumi debet consensus Episcopi. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit pati infirmitatibus nostris* (Hebr. IV); et Ecclesiæ mens est, ut in rebus disciplinaribus munerum persolutio filiis suis expeditior fiat. *Gousset* (v. Scavini, l. III, n. 244).

500. **Viatici administratio et susceptio**. Extat grave præceptum communicandi in periculo mortis. Constat ex Nicæno Concilio generali I; ex praxi fidelium et ratione; cum enim cibus iste cœlestis sit institutus ad roborandum contra hostium impugnationes, tunc maxime sumendus, cum magis oppugnamur. Unde mulieres difficulter parituræ, periculose navigaturi vel prœliaturi, cum moraliter possunt, sub gravi tenentur communicare. Et ideo curandum est, ut isti omnes hoc Sacramento muniantur.

Solius autem est Parochi Viaticum administrare (nisi urgeat necessitas et Parochus non adsit): hoc enim universali lege et consuetudine constat (1). Et Pius IX Constit. *Apostolicæ Sedis* subjicit excommunicationi latæ sententiæ et Pontifici simpliciter reservatæ *religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia* (vide t. I, n. 611) — Præstat ut Parochus, cum nequit id agere per se, alium deleget, sed confessarium si forsan infirmus Confessione indigeat. Hic plura notanda et resolvenda pro praxi.

I. In dubio *vomitus*, non est tribuendum, nisi cessaverit ad sex saltem horas: et si vomitus proveniat ex cibo, ad experimentum particula non consecrata tribui potest (2).

II. Quoad *tussim*, si ea sit adeo frequens, ut nequeat infirmus particulam trajicere, Communionem impedit; secus non. Monet Rituale: *Diligenter curandum est, ne iis tribuatur Via-*

(1) Jus tamen administrandi Sacramenta Episcopo infirmo spectat ad primam dignitatem cathedralis Ecclesiæ: itemque ei defuncto funera persolvendi; et emolumenta causa funerum exigendi ad Canonicos Cathedralis jus pertinet, non ad parochum. Neque huic juri Canonici possunt renuntiare; cum inductum sit ut consulatur dignitati Episcoporum. S. Concilii C. 24 martii 1878; et S. R. C. 22 nov. 1861.

(2) *Quid si infirmus sacras rejicit species?* Si illæ appareant, ad ecclesiam deferantur in vaso mundo, donec sint omnino corruptæ. Si non possint discerni, quidquid fuerit rejectum, stuppis colligatur comburendum; et cineres si fieri possit in Sacrarium projiciantur, saltem in ignem. *Gousset* (v. Scavini, *l.* IV, *n.* 47).

ticum, a quibus ob frænesim, sive ob assiduam tussim aliumque similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri possit.

III. Periculose infirmus etiam non jejunus ex Rituali communicet, nisi facile possit Viaticum suscipere jejunus. Qua in re non est scrupulose agendum, inquirendo an possit vel non infirmus sumere hoc Sacramentum jejunus: neque ideo diferri debet medicina sumenda. Idque ideo magis, cum in Concilio Constantiensi et Rituali periculose infirmi generatim excipiantur ab hac lege.

IV. Eucharistia, ex Rituali, deferenda est manifeste et honorifice cum luminibus et dato campanæ signo. Hinc Tridentinum anathemate damnat qui dicunt *non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur.* Nocte tamen, urgente necessitate, deferri potest tantum cum lumine, sine apparatu; non tamen secreto, ut in locis hæreticorum (1).

V. Utrum liceat non tantum festinare valde, sed currere (ne infirmus sine Viatico moriatur), est probabile, scandalo tamen præcluso.

VI. Parochus, etiam absente indultario, potest in casu necessitatis celebrare in Oratorio privato, ut Viaticum ministret. S. Rituum Congr. 23 sept. 1836.

VII. Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, a Parocho deferri potest equitando; de arbitrio tamen et prudentia Episcopi, qui ideo interpellandus est, si casus occurrere possit: 22 jan. 1740 *in Laudensi.* Imo Parocho laboranti reumate et Viaticum infirmis deferenti, si alius sacerdos non adsit, juxta plures potest Episcopus pro particulari casu permittere usum pileoli in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum *(Scavini,* l. III, n. 245).

VIII. Post Viaticum infirmus adjuvandus est ad gratias agendas divino Hospiti, aliosque virtutum actus exercendos; fiat tamen moderate, quiete, ad intervalla, ne gravetur ægrotus *(S. Alph.,* l. VI, nn. 242 et 291; v. *Scavini,* l. IV, ubi plura ad praxim nn. 47 et seqq.).

(1) *Ubi Turcarum vis prævalet et iniquitas* (quod cum Gousset dicendum quoque videtur de absoluta impiorum parentum oppositione inter catholicos, sed cum Episcopi venia), *sacerdos stolam semper habeat coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat; sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.* Sic docet Benedictus XIV Constit. *Inter omnigenas;* idque memoratum fuit Hiberniæ Episcopis a S. C. de Propaganda fide 25 febr. 1853, et a Pio IX confirmatum.

IX. Infirmo (cui ob mortis periculum Communio administrata fuit non jejuno per modum Viatici) poterit non solum si novum occurrat periculum, sed etiam eodem perdurante, eidem si exposcat, adhuc non jejuno, pluries Viaticum ministrari: nam Sacramentum hoc sumitur non solum ad satisfaciendum præcepto; sed etiam ad robur contra tentationes, quæ in morte validiores sunt. Et Benedictus XIV monet Episcopos, ut id Parochis insinuent, imo Episcopi possunt ex eodem Pontifice pœnam decernere in Parochos, qui ægrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectant falsis prætextibus *(S. Alph.*, l. VI, nn. 244, 285) (1).

X. Qui mane communicavit, si eadem die incidat in periculum mortis, an adhuc communicare teneatur, et Viaticum sumere, alii affirmant cum Diana, quia urget præceptum communicandi in mortis periculo. Alii negant cum Anacleto, quia prohibetur sub gravi bis in die communicare. Alii cum Gobat dicunt id liberum esse ipsi infirmo, ita ut possit, si velit, denuó Eucharistiam sumere per modum Viatici. Sed probabilius mihi videtur distinguendum esse morbum violentum, ut si quis post Communionem fuerit vulneratus mortaliter, a morbo naturali, v. g. si apoplexia corripiatur. In secundo casu non tenetur communicare, nam videtur posse dici jam mane communicasse in periculo: quia jam aderat morbus, licet occultus. Quod non valet de primo casu *(S. Alph.*, l. VI, n. 244) (2).

501. Casus 1. *Sylvius parochus renuit Viaticum administrare ægroto rationis usu destituto, et puero nondum ad Communionem admisso; quia sunt incapaces.*

R. Quoad 1. Utique ægroti, cum non sint moraliter capaces, non obligantur curare hujus præcepti adimplementum, cum in eo statu incapaces sint ad omnem legem adimplendam. Ex hoc tamen, addit Gousset, non inferendum quod parochus dispensetur ab obligatione Viatici eis administrandi, si certo nulla sit timenda indecentia, et certo constet eos non esse in peccato mortali; Sacramenta enim prosunt ex *opere operato* non ponentibus obicem. Ratio videtur esse, ait Lugo, quod christianus, ex vi illius voluntatis generalis vult sumere Sacramenta more christiano, quando scilicet debito tempore et modo dari possunt — Hac ratione non licet dare perpetuo amentibus, cum nulla in eis sit voluntas; nec furentibus, quibus vix Viaticum administrari potest absque irreverentiæ periculo *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 80; et cl. Carena, *Se si debba amministrare il Ss. Viatico agli ammalati che attualmente sono privi dell' uso della ragione; lettera ad un parroco;* Malta, 1877).

Ad 2. *Quoad pueros* spectat, communissimum est cum Benedicto XIV illos teneri Viaticum suscipere etsi nondum habeant ætatem requisitam ad primam Communionem, si doli capaces et cibum cœlestem a materiali discernant. Ratio: ex una parte pueri in tali periculo tenentur ex præcepto divino communicare; ex alia utilitas,

(1) Quodnam temporis spatium præcise intercedere debeat inter ipsas Communiones, non conveniunt; communius censent octo circiter dies. Sed hic attendendæ sunt locorum et personarum circumstantiæ: sic facilius et sæpius ea concedi potest infirmis religiosis vel aliis personis piis in communitate; quia tunc quiete fit, quin populus continuo congregetur.

(2) Tempore pestis si sacerdos abhorreat a Viatico administrando manibus, plures plura proponunt: sed omnium forsan melius Cajetanus tradit, quod sacerdos deponat sacram Particulam in loco apto, v. g. in patena vel alio vase mundo, v. g. nitido cochleari, et protendat ægroto, qui ore admoto, illam sumat *(Scavini*, l. IV, num. 53; et dicta t. I, n. 968).

Eucharistia tunc majorem dispositionem non requirit. Si tenentur pueri, sub gravi illos disponere tenentur parochi. Cæterum, ait Gousset, si postea convaluerint ad Eucharistiæ susceptionem obligandi non sunt, donec primam Communionem solemniter perfecerint *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 401).

502. *Casus* 2. Lambertus parochus dubitans de mortis periculo Viaticum infirmo non vult administrare; nam leges loquuntur de vero periculo — *Si dubium sit prudens et fundatum, Viaticum est administrandum; tunc Ecclesia pia mater recte præsumitur velle ægroto favere, ideo magis quia experientia constat multos infirmos decedere sine Sacramentis ob expeciationem. Et hoc præcipue valet, si infirmus longe ab ecclesia distet.* S. Alphonsus.

CAPUT SECUNDUM

De Materia et Forma Eucharistiæ.

503. **Materia remota Eucharistiæ.** Est panis et vinum: de fide est, et constat tum ex ipsa Eucharistiæ institutione, siquidem Christus panem et vinum adhibuit, idque Apostolus facere jussit; tum ex Conciliorum generalium Lateranensis IV, Florentini ac Tridentini definitione; tum ex unanimi Patrum traditione ac constanti omnium Ecclesiarum praxi. *Ratio autem hujus institutionis,* ait d. Thomas, *potest triplex adsignari:* 1ª *ex effectu, quia talis panis melius nutrimentum præstat, unde competit ad significandam excellentiam gratiæ, quæ in hoc Sacramento conferlur.* 2ª *Ex usu Sacramenti, quia panis triticeus est, qui communius in usum cibi venit; alii autem panes non fiunt nisi propter defectum tritici, unde et panis simpliciter dictus intelligitur de triticeo, sicut et oleum de olivis; unde competit huic Sacramento, cujus usus est in manducando.* 3ª *Ex re contenta quæ est Christus, qui se grano frumenti comparavit dicens:* Nisi granum frumenti cadens in terram, *etc.* (4 Dist. 11, q. 2, a. 2. Item v. 3 p. q. 74).

Est autem de necessitate præcepti divini, quod Eucharistia consecrari debeat sub utraque specie. Hoc ipsa Eucharistiæ natura exigit, quæ est per modum convivii, quod cibo et potu perficitur. Firmatur ex Tridentino, ex quo habetur Christum præcepisse sacerdotibus, ut Corpus suum offerrent non aliter quam sub utraque specie per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et id semper Ecclesia docuit. Ideo in nullo casu licitum est consecrare unam speciem vel ad Viaticum administrandum, et aliter agere esset immane sacrilegium ex d. Thoma, 3 *p. q.* 83, *a.* 6 *(S. Alph.*, l. VI, n. 196).

504. **Panis.** Panis ad validitatem Eucharistiæ confici debet ex farina triticea et aqua naturali (quæ non refert, si sit marina, cum hæc vera sit aqua). De fide est: et hoc Ecclesia tum ex Christi exemplo, tum ex communi verborum acceptione semper tenuit, uti demonstrant Patrum testimonia, liturgiæ et Concilia omnia (1).

Dixi *ad validitatem;* nam ad Sacramenti substantiam nihil interest sive azymus sive fermentatus panis adhibeatur, modo sit triticeus; quia tam unus quam alter est simpliciter panis, et unus ab alio quoad speciem non differt. *Circa materiam hujus Sacramenti,* ait Angelicus (3 p. q. 74, a. 4), *duo possunt considerari, scilicet quod sit necessarium et quod conveniens: necessarium quidem est ut sit panis triticeus, sine quo non perficitur Sacramentum; non est autem de necessitate Sacramenti quod sit azymus vel fermentatus, quia in uoquoque confici potest.* Idque de fide definitum est in Concilio generali Florentino. Accedit perpetua universæ Ecclesiæ praxis, quæ pro locorum ac circumstantiarum varietate utrumque panem semper adhibuit. Præcipit tamen idem Concilium, ut unaquæque Ecclesia suum ritum sub gravi servet: et sane uterque ritus sustinetur. Fermentato utuntur Græci, tum ne se judæis conforment; tum ut ostendant Dei Filium carne indutum esse, sicut fermentum miscetur farinæ. Azymo utuntur Latini, tum ut Christum imitentur, qui sic consecravit; tum ut sic edoceamur, quod de Christi Corpore (quod sine corruptione conceptum est, ut notat d. Thomas) participantes, epulari debemus *non in fermento malitiæ: sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I Corinth. v). V. *s. Alph.,* l. VI, n. 202. *Scavini,* l. III, n. 247. *Perrone.*

505. Hostiæ ac particulæ curandum, ut sint tenues, nitidæ, non ante 15 dies (vel 20 ex d. Carolo) circiter confectæ; et quoad fieri potest ab ecclesiasticis, vel a sacris virginibus præ-

(1) Ergo non est materia apta panis ex oryza, milio indeo (vulgo *melica*), hordeo, phaseolis, phabis, pisis, lentibus, nucibus, avena, panico, castaneis, amygdalis et similibus rebus præparatus; quia non esset panis usualis. Item neque amydum quod fit ex tritico corrupto. Neque massa triticea cruda aut frixa sine aqua; vel panis triticeus, sed alio liquore, quam aqua confectus, ut butyro, lacte, ovis; quia non esset panis ordinarius.

Neque hostiæ rubræ alteriusve coloris non naturalis, quibus literæ obsignantur; per admixtionem enim cinnabaris alteriusve materiæ heterogeneæ notabiliter alterantur. Sed quoad mixtionem ad rem Angelicus: *Modica permixtio non solvit speciem; quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo* (3 p. q. 74, a. 3).

Panis autem ex siligine seu secali est saltem materia invalida, et ideo nefas est illum adhibere (*S. Alph.,* l. VI, n. 200).

paratæ, ut tam mundam oblationem decet. Cæterum consecrare sine causa hostiam non adeo maculatam vel fractam, esset tantum veniale. Imo etsi notabiliter fracta vel maculata, si post oblationem deprehendatur, amoto scandalo, licite consecratur; quia jam est Deo dicata *(S. Alph.,* l. VI, n. 199).

Resolve: 1) Ex S. Rituum C. 16 dec. 1826 consuetudo consecrandi hostias a tribus vel sex mensibus confectas est ingens abusus. Quod si hunc toleret Parochus, alii sacerdotes istis hostiis uti nequeunt.

2) Antequam in sacro vaso particulæ reponantur, vannantur cribro sat amplis foraminibus perterebrato.

3) Noviter consecratæ particulæ cum veteribus non misceantur; nec licet veteres consecratas imponere noviter consecratis. Sed in alia pyxide sunt conservandæ, nisi statim omnes distribui, vel a sacerdote in Missa sumi valeant. S. R. C. 3 sept. 1672.

4) In renovatione sunt consumandæ tum hostiæ tum particulæ quæ extant in tabernaculo, post sumptionem Sanguinis ante purificationem ex S. R. C. 9 apr. 1753.

5) Benedictus XIV Const. *Etsi* vult, ut particulæ singulo octiduo vel hyemali tempore ad summum quintadecima die renoventur. Qui ultra mensem renovationem differunt non videntur posse excusari a gravi irreverentia, maxime si tempus est humidum: quia in pyxide facile corrumpuntur, et difficilius in axymo cœpta corruptio ex visu dignoscitur; ideo, ut notat Gardellini, maxima adhibenda est cautela ne id contingat; nam, semel corruptis panis speciebus, cessat esse Corpus Christi.

6) Si sunt plures particulæ consumandæ, poterit sacerdos plures simul sumere; at cum una sit Communio, non debet eas sumendo se signare. Particulas autem minutiores in pyxide repertas mittat sacerdos in calicem, easque superinfuso vino sumat. Et poterit etiam vinum in pyxidem infundere ad minimas particulas colligendas; vinum tamen erit postea in calicem refundendum.

7) Si sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc posset purificare pyxidem et sumere reliquias; nam actio moraliter una reputatur. *Elbel.*

506. **Vinum.** Solummodo vinum de vite est apta materia Eucharistiæ. De fide est ex Decreto ad Armenos. Et sane liquor, quo usus est Christus ad Eucharistiam, *generatio* seu *genimen vitis* expresse vocatur. Praxis Ecclesiæ confirmat, cujus testes sunt inter cæteros s. Justinus, s. Cyprianus; itemque liturgiæ omnes. Et congruenter ex Angelico; *quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus Sacramenti, qui est spiritualis lætitia, quia scriptum est Psalmo* CIII: Vinum lætificat cor hominis (3 p. q. 74, a. 5).

507. **Resolve**: I. *Mustum* non licet adhibere ob fœces, nisi in necessitate. Hinc Julius Papa: *Si necesse fuerit, botrus in calice exprimatur.* Ergo est validum; sane mustum *habet jam speciem vini,* ut ait d. Thomas, *etsi dedeceat propter impuri-*

tatem. Aliter est si exprimatur de uvis acerbis; nam *agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini* (3 p. q. 74, a. 5).

II. Succus ex uvis passis vel zibebis, si aliter provideri omnino nequeat, licitus est, *dummodo liquor extrahendus ex zibebo vel uvis passis, ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum* (ex S. Congregatione 22 julii 1706).

III. Vinum *congelatum,* si resolvatur, adhiberi poterit; cum vini naturam habeat. Si maneat congelatum graviter prohibetur: quamvis verius sit materia de se apta; quia licet non sit actu potabile, est tamen potabile de sui natura (sicut est comestibilis panis durus).

IV. *Acetum,* cum sit vinum substantialiter corruptum, et ideo genuinam vini naturam non amplius retineat, est materia invalida. Idem dicendum est de vino, cujus vis omnino evanuit, nempe de *vappa.*

V. In *vino acescente* valide consecratur; sed peccat graviter sacerdos, si tale vinum scienter adhibeat, et agatur de tali acrimonia, ut vinum jamjam censeatur ingressum in limites corruptionis (id est *se già sia arrivato ad essere colla punta* ex Lambertini). *Potest confici* (Sacrificium), ait d. Thomas, *de vino acescenti, sicut et de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* At si haberet tantum quasi initium acrimoniæ, et aliud vinum nequeat substitui, levis esset inordinatio, a qua justa causa excusat; et ita ajunt accipiendam esse Rubricam, quæ hoc damnare videtur *(S. Alph.,* l. VI, n. 206) (1).

VI. Monet s. Pius V, ut in calicem infundatur eadem vini quantitas in qua fuerunt species sanguinis, et sumatur per ean-

(1) Quare nequit valide consecrari Eucharistia, si liquor exprimatur ex pomis, malis granatis, cerasis, moris, oryza aliisque fructibus, quia vinum non esset. Vel si succus exprimatur ex uvis omnino acerbis; cum sit tantum in via ad vinum. Vel si vinum in pane sit imbibitum; quia non est potus, sed cibus. Vel sit ad dimidiam aut tertiam partem decoctum; tunc julapium est, non vinum.

Item neque est apta materia spiritus vini, cum non sit proprie vinum, sed stillatus vini. Attamen vinum aromatibus simpliciter conditum illicite quidem, sed valide adhiberetur; nisi tanta sit alteratio, ut in communi æstimatione vinum non amplius censeatur *(S. Alph.,* l. VI, n. 206).

Monitum pergrande: « Quanto si dee temere in questo secolo di speculazione ed empietà, che sia nulla la materia del santo Sacrificio! Morendo in certa diocesi del Belgio un commerciante che dava il vino delle Messe a tutto il Vescovato, dichiarò che il vino che aveva somministrato in vent'anni, non conteneva un grano d'uva. Persino nelle Ostie hanno talvolta mescolato farina di patate (o di riso) con quella di grano. Perciò alcuni sacerdoti si fanno da loro stessi il vino e le ostie per la Messa. » Mach, *Tesoro del sacerdote,* par. 2ª (v. *Scavini,* l. III, nn. 248 et seqq.)

Non esset autem vinum substantialiter immutatum, si ei admisceatur parum sacchari ad temperandam ejus acerbitatem.

dem partem, qua sumptus fuit sanguis. Decentius autem est, ut sanguis sumatur unico haustu; atque ideo ut calix semel ori admoveatur, aliquantulum immorando, ut reliquiæ omnes quantum fieri potest, attrahantur *(S. Alph.,* l. VI, n. 408).

508. **Aqua vino miscenda**. Præceptum hujus admixtionis utpote ab exemplo Christi et apostolica traditione proveniens, semper servatum fuisse ab Ecclesia testes sunt antiquissimi Patres, ut ss. Iræneus et Justinus, nec non vetustissimæ liturgiæ apud Renaudotium. Hinc contra protestantes Tridentinum definivit: *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* Ex eodem Concilio id constitutum est , *tum quod Christus Dominus ita fecisse creditur; tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exivit* (sess. XXII, c. 7 et 8). Hæc mixtio præscripta est sub gravi; attamen non de necessitate Sacramenti, aut præcepti divini. Unde si fuit omissa non amplius post consecrationem facienda est *(D. Thomas,* 3 p. q. 74, a. 64) (1).

Aqua debet esse naturalis, et est miscenda cum vino in ipso calice in modica quantitate: *Parum aquæ,* ait Rubrica Missalis; *aqua modicissima,* ait Eugenius IV. In praxi generatim est consulendum, ne sacerdos excedat octo vel decem guttulas (vino calicis concavum superante); et si casu nimium aquæ infuderit, iterum aliquid vini addendum erit, *et præcipue,* addit Angelicus (3 p. q. 74, a. 8), *si vinum sit debile; quia si tanta fuerit appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 208).

509. **Materia proxima Eucharistiæ**. Materia proxima Eucharistiæ dici potest transubstantiatio, quæ per verba consecrationis perficitur, et per quam fit ut substantia panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi convertatur.

Principia: I. Ad *validam* consecrationem, requiritur ut materia remota (panis et vinum) sit physice præsens, ita ut a ministro determinari possit forma demonstrativa *hoc, hic,* quæ requirit conjunctionem physicam materiæ cum forma ad hoc, ut elevari possit ad esse Sacramenti. Id exigit forma ipsa demonstrativa; ideoque requiritur conjunctio physica materiæ cum forma. Nempe oportet, ut ipsa materia non valde a cele-

(1) Hæc præscriptio adeo gravis est, ut ex Suarez (citra scandalum vel sacerdotis perturbationem) a Missa sit abstinendum, si aqua desit, etsi ea jam cœpta fuerit, nondum tamen canone incœpto; imo etsi Viaticum dandum esset moriturc. Hoc tamen vix evenit; deficit aliquando vinum, non aqua.

brante distet, et sensu aliquo ab ipso percipiatur vel ratione sui, ut si videatur; vel ratione vasis, in quo continetur, uti si sit in pyxide super corporali; vel ratione cumuli, uti si particulæ unæ aliis sint impositæ; id enim censetur præsens, quod potest humano modo demonstrari per pronomen *hoc, hic*. Secus esset de hostia post parietem posita, vel tabernaculo inclusa, vel sub corporali abscondita; non enim videtur connaturaliter designari per pronomen *hoc*. Secus pariter, si materia ita parva sit, ut percipi non possit; nam Sacramenta sunt signa sensibilia.

II. Ad *licitam* consecrationem, requiritur insuper, ut ritus præscripti observentur. Ideo necesse est ut materia consecranda in forma orbiculari major pro celebrante, pro fidelibus minor, sit decens et munda, et reposita in altari, super corporale, imo supra petra sacra; et pyxis, ubi particulæ continentur, offertorii et consecrationis tempore sit discooperta, etc. *(S. Alphonsus,* l. VI, nn. 218, etc.) (1).

510. *Resolve:* 1) Qui habet coram se undecim hostias, et non vult consecrare nisi decem eas non determinando, ex Rubrica Missalis valide non consecrat.

2) Si particulæ consecratæ misceantur non consecratis, totus cumulus sub conditione consecrandi non consecratas, consecretur.

3) Si post consecrationem advertat sacerdos duas esse hostias, licet putaret unam, ambas sumat; quia ambæ sunt consecratæ. Neque officit error speculativus; nam semper prævalet intentio absoluta consecrandi materiam præ manibus, nisi fiat positiva exclusio. Si tamen id evenerit post offertorium, unam reponat, quam sumat uti panem benedictum, post ultimam ablutionem.

4) Si multæ sunt particulæ consecrandæ, satius est eas ponere in pyxide. Si paucæ, poni possunt in alia patena; nunquam vero in alio corporali plicato (*S. R. C.* 12 aug. 1804).

5) Si quis ante Sacrificium monitus fuit de particulis consecrandis jam super altare positis; vel animadvertit ab alio afferri, ut consecrentur, etsi dum consecrat, earum non meminerit, modo sint præsentes in ipso corporali, sunt consecratæ. Quia intentio præcedens consecrandi virtualiter perseverat.

6) Si sacerdoti post oblationem offerantur particulæ, ut eas consecret ad populum communicandum, licite consecrat, suppleta mentaliter oblatione. Imo probabiliter id fieri potest etiam Canone incœpto, si aliunde plures Communione carerent. Si tamen unus vel alter tantum remaneret communicandus, aut sit communicandus infirmus, Benedictus XIV suadet potius, ut detur ei pars propriæ hostiæ: et sufficeret pro causa, si communicaturus diu expectare deberet.

(1) Pro Missa celebranda uti hostia minori *(particula)*, remoto scandalo, quod removetur admonendo populum, si major deest, leve est; at nullum peccatum si causa adest, uti si currat dies festus, vel etiam si id fiat ex devotione. Imo ex Roncaglia tenetur id agere sacerdos, si dandum esset Viaticum infirmo *(S. Alph.*, l. VI, num. 205).

7) Ciborium (nempe Pyxis) positum in corporali, te advertente, si illud intenderis consecrare, remanet consecratum, etsi ex oblivione remanserit clausum tempore consecrationis, quia est præsens, et sacerdos censetur semper habere intentionem absolutam consecrandi quidquid, ipso advertente, fuit positum supra corporale, et est honeste consecrabile. Idem dicendum de vino in calice cooperto.

8) An vero Ciborium extra corporale ex oblivione relictum remaneat consecratum, alii affirmant; nam jam adfuit voluntas particulas in eo contentas consecrandi, nec fuit retractata. Sed probabilius ac communiter negant, quia cum intentio extra corporale consecrandi sit graviter illicita; illam tu habuisse non præsumeris (1). Attamen prima sententia non videtur improbabilis; cum ideo res dubia sit, pro praxi dico particulas illas esse sumendas post purificationem ante digitorum ablutionem. Quod si multæ sunt, poterunt sub conditione in alia Missa consecrari.

9) Quoad guttas vini, quæ sunt interius in calice separatæ a majori quantitate, an remaneant consecratæ si sacerdos circa eas nihil intendat, disputant; ideo res dubia est. Ad tollendas tamen omnes anxietates dicit Croix habendam esse intentionem totum consecrandi quod est in calice, ne scilicet in calice sit vinum quod non sit consecratum. Sicut etiam præstat agendo de pane, ut hæc una semper sit sacerdotis intentio consecrandi materiam positam in corporale, quin numerum designet *(S. Alph.,* l, vi, nn. 214, etc.).

511. **Eucharistiæ forma.** *Forma hujus Sacramenti,* ait Eugenius IV ad Armenos, *sunt verba Salvatoris, quibus* (sacerdos) *hoc conficit Sacramentum.* Firmatur constanti traditione, et Patrum doctrina, qui unanimiter docent consecrationem fieri per verba Salvatoris. *Sermo Christi* (ait inter alios d. Ambrosius) *hoc conficit Sacramentum* — Pro duplici autem materia duplex est forma.

I. Forma pro consecratione panis consistit in verbis: *Hoc est Corpus meum,* prolatis a sacerdote assertive in persona Christi (2). Constat ex Florentino et Tridentino Conciliis, et ex ipsa divina institutione; nam Christus transubstantiavit panem in corpus suum prædicta verba proferendo. Additur secundum

(1) Nec obstat dicere (scite advertit Roncaglia) remanere consecratam hostiam factam cum fermento, quamvis si sacerdos advertisset, noluisset consecrare, cum id sit peccaminosum. Ergo pariter remanet consecratum ciborium extra corporale positum, etsi sacerdos si advertisset, noluisset illud consecrare.

Lata est disparitas, quia principaliter intendit sacerdos velle integre sacrificare, adeoque nolle omittere hostiæ vel vini consecrationem ob aliquem defectum ignoratum. Dum vero intelligitur nolle consecrare particulas nisi modo licito, non destruitur hæc intentio ab alia validiore intentione de essentia sacrificii ponenda; quia ponitur integrum sacrificium etiam sine illarum consecratione. *Vindiciæ Alphonsianæ*, t. ii.

(2) Unde non valeret forma: *Hoc est Corpus Christi.* V. d. Thomas, 3 p. q. 78, a. 1, ad 4 *(S. Alph.*, l. vi, n. 222). Ad assequendam quoad Eucharistiæ formam in consecratione tum panis, tum vini genuinam Doctoris Angelici sententiam, consulatur opus præclarissimum: *Instit. theologiæ ad mentem Angelici præceptoris d. Thomæ... pro usu scholarum per RR. fr. Puig et fr. Xarrié;* Barcinonæ, 1864.

consuetudinem romanæ Ecclesiæ propter continuationem ad verba præcedentia particula *enim;* sed hæc non est de essentia; attamen non improbabiliter in re tam gravi non videtur levis materia quæcunque levis mutatio deliberate facta.

II. Forma pro vini consecratione essentialis communius hæc habetur: *Hic est calix Sanguinis mei* (vel quod idem est: *Hic est Sanguis meus);* hæc enim verba quæ habentur in Scriptura, satis probabiliter sufficiunt ad significandum id quod in hoc Sacramento efficitur, nempe præsentiam Sanguinis Salvatoris sub speciebus vini. Sunt tamen qui requirunt etiam sequentia: *Novi et æterni Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* ut ita exprimatur virtus passionis Christi: cum ad hoc quoque Eucharistia sit instituta. Quod cum satis probabile sit, ideo qui ea omisissent, deberent integram sub conditione formam repetere; vide d. Thomas, 3 p. q. 78, a. 1 et 2 *(S. Alph.,* l. VI, n. 222) (1).

512. In consecratione panis ex communi ac probabilissima sententia non requiruntur de essentia verba antecedentia: *Qui pridie quam pateretur* etc.; et in consecratione calicis illa: *Simili modo,* etc.; nam hæc verba historice tantum proferuntur; nec ullam efficaciam sacramentalem videntur habere. Sed contrariam sententiam non audeo improbabilem dicere; tanto magis quia juxta Rubricas, si quando ob dubiam consecrationem forma repetenda sit, incipiendum est a verbis: *Qui pridie,* et *Simili modo (S. Alph.,* l. VI, n. 233).

513. « Oportet verba consecrationis proferre distincte, reverenter, » continuate et naturaliter, quemadmodum fert ratio sermonis com- » munis quidem, sed gravis et serii. Hinc improbandi sacerdotes, » aliunde æstimatione digni, quorum aliqui talem ponunt moram in- » ter singula verba, ut eorum sensum et nexum plene dissolvant;

(1) Valida est, sed graviter illicita consecratio, si dicatur: *Hic cibus, hic potus, hic calix,* etc. vel *hæc res;* vel *contentum sub his speciebus, est corpus meum, est sanguis meus.* Item: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo* (ut habetur Lucæ XXII); vel *hoc est corpus meum quod de virgine sumpsi; hic est sanguis meus infiniti caloris;* vel *hoc, istud est meum corpus, hic est meus sanguis;* vel *hoc est sanguis meus.* Ratio quia manet idem sensus, nec fit mutatio substantialis. Item: *Hoc est colpus meum,* vel *copus meum,* vel *xanguinis, calis.* Nam voces sic institutæ sunt, ut si aliquando cum vitiosa latinitate proferantur idem tamen significent.

Invalida autem erit consecratio, si dicatur: *Hic* (nempe adverbialiter) *est corpus meum;* si autem *hic* ponatur substantive, sed per errorem grammaticalem loco *hoc,* valet. Item invalida dicendo: *Hoc corpus est meum, hic sanguis est meus, hoc sit,* vel *fiat corpus meum:* quia non significaretur transubstantiatio facta, sed facienda. Item *hoc est substantia mea,* etc. Item communiter dicunt invalidam formam, si dicatur: *Hoc enim corpus meum;* nam licet illud *est* in aliis verbis adjunctis quandoque subintelligatur; tamen in præsenti ex ipsa propositione absoluta minime percipitur, dum hic non habentur alia adjuncta, quæ satis denotent subaudiri verbum *est (S. Alph.,* l. VI, n. 221; *Sarcini,* l. III, n. 251).

» alii vero unumquodque verbum ita violenter emittunt, ut capite et » corpore trementes convulsionibus agitari videantur. Isti ut nihil » omittant, omnia pervertunt, ita ut *hoc* fiat *hocce*, et *meum* fiat » *meummc*, et ita de cæteris. Nos eos de hoc tantum adprecamur » ut paulisper considerent, num sit credendum, Jesum Christum ita » loquutum fuisse cum sanctam instituit Eucharistiam. Sed certum » est, quod hujusmodi absurdæ commotiones et pios contristant et » simplices stupefaciunt et libertinos ad risum provocant. » Ad rem Collet *(De saints mystères,* c. 5).

Cæterum quoniam hujusmodi defectus non tam ex intentione et voluntate, sed ex quadam infirmitate et consuetudine miseranda sensim sine sensu originem ducunt; ideo nunquam satis animo revolvitur hoc consilium: *Principiis obsta, sero medicina paratur.* At omnino sunt improbandi illi sacerdotes qui verba consecrationis lingua tam præcipiti et tono tam libero et profano proferunt, ut non videantur Jesum appellare, nisi ad proprium judicium. *Gousset.*

CAPUT TERTIUM

De Ministro et Subjecto Eucharistiæ.

514. **Minister Eucharistiæ.** Duplex est: *confectionis* seu *consecrationis,* et *dispensationis.*

I. Omnis et solus sacerdos est minister Eucharistiæ conficiendæ. De fide est, et constat ex Scriptura, ubi Christus solis sacerdotibus in Apostolis hanc tribuit consecrandi potestatem verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Idque definierunt Nicænum I, Lateranense IV, et Tridentinum. Firmatur autem constanti traditione, cujus testes sunt omnes liturgiæ et Ecclesiæ Patres. Hinc d. Hieronymus contra Luciferianos: *Si diaconi qui sacerdotibus adeo proximi sunt, consecrandi potestatem non habent, eo minus cæteri clerici et laici.*

2. Minister distributionis Eucharistiæ, alius est ordinarius, alius extraordinarius. Patet autem, quod hic quæstio est de licita distributione; cum enim Eucharistia per se subsistat, valide a quolibet administrari potest.

Principia: 1. Licitæ distributionis minister ordinarius est quilibet sacerdos. Id constat ex Tridentino: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens jure ac merito retineri debet* (sess. XIII, c. 8). Debitus tamen ordo postulat, ut solus Parochus, eam dispenset; pastoris enim est oves suas pascere. Ideo qui contra illius vel superioris positi-

vum et justum dissensum eam ministraret, graviter peccaret usurpans jus alterius in re gravi.

Dictum est *contra positicum et justum dissensum;* nam hodierna consuetudine consensus semper præsumitur; imo consuetudo habet, ut in quacunque ecclesia sacerdos Missam celebret, Eucharistiam fidelibus petentibus distribuere possit. Et ideo nisi adsit gravis et impellens causa, parochus ne prohibeat: quod si specialis causa urgeat prohibendi ipse sollicitus esse debet ad illam subito administrandam petentibus. Cæterum non facile præsumenda est licentia, si agatur de Viatico et sumpsitione Eucharistiæ ex obligatione. Imo quoad Viaticum extra casum necessitatis sine parochi licentia ministrare, omnino illicitum est. Quoad Communionem vero paschalem consuetudo servanda erit *(S. Alph.,* l. VI, n. 235).

II. Minister vero extraordinarius ex jure Canonico est Diaconus; qui in necessitate extrema, absente sacerdote, potest imo tenetur Viaticum administrare. Imo ajunt diaconum posse Eucharistiam populo ministrare etiam in gravi necessitate, nempe cum nullus adsit sacerdos, qui id commode possit; si tamen tunc ipse teneat commissionem a parocho, et seclusa in populo admiratione. Debet autem esse indutus superpelliceo et stola transversa (*S. Alph.*, l. VI, n. 237) (1).

515. **Servanda in Eucharistiæ distributione.** Ex debita Sacramento reverentia præcipue in ministro requiruntur: 1) Ut sit in statu gratiæ; nam sancta sancte tractanda sunt — 2) Ut sit immunis a censuris, quæ illum prohibeat; secus graviter peccaret et irregularitatem incurreret — 3) Ut tempus, horam et modum servet.

I. Quoad *tempus:* excepto Viatico, nequit Eucharistia ministrari et quidem sub gravi tempore interdicti localis. Item (extra privilegium) neque nocte Nativitatis D. N. J. C.; neque feria VI in Parasceve, ex pluribus decretis. Quoad Sabbatum sanctum respondit S. Rituum Congregatio anno 1850 7 sept.: *Post Missam Sabbati sancti licet poscentibus distribuere Communionem; non vero intra, ni adsit consuetudo.*

II. Quoad *horam,* communiter docent quod per se loquendo qua-

(1) Ordinarius minister solus sacerdos est: et merito, sicut enim ad eum utpote medium inter Deum et hominem pertinet dona populi Deo offerre; ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Extraordinarius minister habetur Diaconus, cum enim sit propinquus ordini sacerdotali, in necessitate ei datur, ut aliquid participet de ejus officio *(D. Thomas,* 3 p. q. 82, a. 3).

At quidquid sit de antiqua disciplina, hodie nec subdiaconis neque laicis licet Eucharistiam ministrare; hinc ex Concilio Rhemensi neque ad infirmos per laicos potest ea tribui, ut ait d. Thomas, *in* 4, *d.* 13, *a.* 3.

libet diei hora in ecclesia dispensari potest. Non tamen noctu vel in extrema diei parte. Neque (nisi adsit specialis causa) multo post meridiem. S. Rituum C. 7 sept. 1816 permittit administrationem tempore, quo Missa ex Rubricis vel indulto permittitur in ea ecclesia.

III. Quoad *locum*, receptum est, Eucharistiam tribui posse in omnibus ecclesiis, aut oratoriis publicis. At in privatis dari non potest neque particulis in Missa consecratis sine expressa Ordinarii licentia ex Benedicto XIV *(Epist. 2 junii* 1751). S. Alph., *l.* VI, *n.* 360.

IV. Quoad *modum* Eucharistiam administrandi attendendus est ritus Ecclesiæ consuetus; qua de re notamus:

1) Communio extra Missam ministranda est lotis manibus, cum cotta, stola ac luminibus. Si tamen sola lumina desint, Suarez dicit esse solum veniale; idem putat Roncaglia, si sola omittatur stola. In casu vero necessitatis (ut si infirmus jam sit moriturus), communius est et satis probabile hæc omnia omitti sine peccato.

2) In ea ministranda uti debet sacerdos pollice et indice; nam licet tota manus sit consecrata, tamen juxta ritum solummodo pollex et index sunt ad hoc munus destinati. Excipiunt probabiliter casum necessitatis gravissimæ.

3) Nemini plures particulæ tradantur neque grandiores, sed una tantum *justæ magnitudinis,* ut ait Rubrica, id est neque ita magna ut videatur hostia sacrificii, neque ita parva, ut intra ministrantium digitos quasi abscondatur (1). Et quando particulæ non sufficiunt, servetur consuetudo dividendi consecratas particulas, si adest. Idque maxime si adsit necessitas, vel ne quis per multos dies Communione esset privandus (2).

4) Si inserviens desit in hac administratione, ipse communicaturus, si sit vir, inservire potest; secus suppleat sacerdos. Mulier supplere nequit neque extra cancellos; nisi sit monialis, sed intra claustrum *(S. Alph.,* l. VI, nn. 227, 241).

5) Communio in Missis defunctorum cum paramentis nigris etiam cum particulis præconsecratis potest ministrari in ipsa Missa, et post Missam; imo cum rationabili causa (ut si fidelibus grave sit expectare) etiam ante Missam. Sed si fiat ante vel post Missam, omitti debet benedictio, ex S. R. C. probante Pio IX 23 julii 1868 (3).

6) Si in festo de præcepto plures sint communicandi, præstat ut Communionis distributio fiat absoluta Missa; ne fideles tædio afficiantur nimium expectando.

(1) In archidiœcesi Taurinensi præscribitur, ut particularum diametrus habeat saltem tria centimetra.

(2) Quæsitum fuit: An in administranda fidelibus sacra Communione liceat loco tobalearum linearum uti tabellis ex metallo; vel ejusmodi usus tolerari possit in iis diœcesibus in quibus fuit introductus? S. R. C. 20 martii 1875 respondit: *Non esse improbandum usum tobalearum linearum.*

An sacerdote celebrante, sacra Communio intra Missam ministranda sit prius sacrificio inservienti? Resp. *Ministrum sacrificii ratione ministerii præferendum esse cæteris, quamvis dignioribus.* S. R. C. 13 julii 1658.

Patenæ suppositio per sacerdotem cotta indutum in Communione generali quæ per dignitates agitur, licita est (S. R. C. 3 sept. 1661); et est purificatorio tenenda. Ipse tamen sacerdos administrans Communionem sive intra sive extra Missam prohibetur tenere patenam per se ipsum, uti inter digitos manus sinistræ, quæ sacram pyxidem gestat, mento communicantium illam supponendo. S. R. C. 20 augusti 1854 (v. *plures alias Resolutiones apud* Scavini, l. III, n. 252).

(3) Hoc decreto statuitur in Missis defunctorum violacea paramenta adhiberi non posse pro distributione Eucharistiæ, nisi in Ecclesia die 2 novembris, ubi fit expositio pro Oratione 40 horarum. Item notandum: Parochus non potest præcipere, ut Communio nonnisi intra Missam distribuatur ex S. Rituum Congr. 7 dec. 1844.

516. **Subjectus Eucharistiæ.** Subjectus capax Eucharistiam sacramentaliter suscipiendi, est solus homo viator, et baptizatus. *Baptizatus,* quia Baptismum est janua omnium Sacramentorum; unde eam infidelis susciperet tantum materialiter. *Viator;* nam mortuis quæ ad vitam conferunt, inutilia sunt *(S. Alph.,* l. VI, n. 235).

Hæc de validitate, ad licitatem autem requiritur, ut administratio congruat ex Ecclesiæ præscripto et communi Doctorum sensu cum reverentia quæ tanto Sacramento debetur. Hinc:

517. **Resolve**: I. *Pueris* sufficienti rationis usu carentibus Eucharistia in latina Ecclesia non est danda nec in mortis articulo. Sub gravi id præcipitur; et ideo contraria quæ olim vigebat disciplina, mutata fuit.

II. *Amentibus,* si tales perpetuo sint, cum æquiparentur infantibus, est Communio deneganda ex Rituali. Si vero *prius quando erant compotes suæ mentis, apparuerit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis)* (d. Thomas, 3 *p. q.* 80, *a.* 9); Sacramentum enim ex opere operato effectum sortitur.

III. *Semifatuis,* si sciunt distinguere cœlestem cibum ab aliis, communicentur tempore paschali et in morte; nam urget præceptum, et ipsi sufficientem devotionem concipere possunt; excipe si adsit periculum irreverentiæ. Præstat autem, ut illi antecedenter detur particula non consecrata, ad dignoscendum utrum decenter communicari valeant.

IV. *Mutis* ac *surdis* simul a nativitate, urgente præcepto, est Eucharistia danda, si ex signis constet eos discretionem habere, et satis esse instructos circa hunc spiritualem cibum, ac sciant in Sacramento contineri divinam personam. Imo nihil impedit ut sæpius tunc communicent, prout recte fit quoad educatos in institutis — Sed est deneganda *mutis, surdis ac simul cæcis a nativitate,* cum in illis nulla discretio (v. t. I, n. 285) (1).

(1) Attamen factum narrant vix credibile: « Una sera verso le dieci ore andando un sacerdote per la visita degli infermi in una delle corsie degli uomini che sono nella Piccola Casa della Divina Provvidenza in Torino, s' imbattè in un uomo sui sessant'anni sordo-muto cieco dalla nascita, che stava rimendandosi un pajo di mutande. Per la specialità del fatto si fermò ad osservarlo, ammirato dalla sveltezza e dirittura con che cuciva. Ma crebbe lo stupore, quando venuta a fine l'agugliata di refe, vide che preso il gomitolo ne misurò un'altra lunga quanto il braccio sinistro, co' denti la tagliò, poi messosi in bocca l'ago lo fermò coi denti lasciatone però di fuori in modo perpendicolare la cruna. Ed ecco che aguzzato un po' una dell'estremità del refe, con quella infilò in un attimo l'ago e ripigliò il cucire al punto che era rimasto. A tale osservazione comprese il buon sacerdote che lì in

V. *Epilepticis* negatur Communio tantum in ipso parosismo. Idem dicendum de *obsessis,* quando non sunt sui compotes. Qui cæteroquin ex Angelico pluries in anno recte communicant juxta prudentiam confessarii, cum Communio sit speciale remedium ad dæmones arcendos (*S. Alph.,* l. VI, nn. 302 etc.).

VI. *Capite damnatis* Communio danda est (etiam non jejunis) vel pridie vel ipso die mortis; et per modum Viatici ex S. C. de Propaganda fide 5 julii 1841. Hunc usum ubique invehendum monet Benedictus XIV; imo Pius V usum contrarium omnino reprobat.

VII. Si infirmus *chronicus* sit non solum in Paschate, sed etiam per annum hortandus, ut Communionem sumat; *maxime,* ut ait Rituale, *si festi alicujus celebritas id suadeat,* v. g. in Nativitate Domini, in Pentecoste et Assumptione. Generales autem infirmorum Communiones, præsertim vero paschalem, peculiari apparatu, pompa, atque populi frequentia condecorare præstat.

ART. UNICUS. — **Dispositiones ad suscipiendam Eucharistiam.**

518. Duplicis sunt generis dispositiones ad digne Eucharistiam sumendam: aliæ ex parte animæ; aliæ ex parte corporis. Hinc Tridentinum contra protestantes: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum ss. Eucharistiæ sacramentum, anathema sit* (sess. XIII, can. 11).

519. **Dispositio ex parte animæ.** Duplex dispositio ex parte animæ seu præparatio necessaria est ad fructuose hoc Sacramentum suscipiendum: *remota* una; altera *proxima.*

520. **Præparatio remota.** Ad hanc remotam præparationem requiritur:

I. Immunitas a censura, cum hæc spiritualibus bonis privet. Attamen urgente necessitate ad scandalum vitandum, com-

quel sordo-muto cieco dalla nascita non eravi un fatuo. Domandò se era già stato ammesso a Ss. Sacramenti, ed avutone che no, solamente che mattina e sera appoggiato de' ginocchi ad una sedia faceva per qualche minuto un rumore colla bocca come chi volesse pregare, lo commise ad un giovane sui diciasette anni, il quale messosi attorno con santa pazienza ed ingegnosa carità, col solo comporgli diversamente le dita delle mani l'istruì in poco tempo dei misteri principali di nostra santa Religione da poter essere ammesso all'assoluzione sacramentale ed alla Ss. Comunione, nè solo una volta, ma più; ed è quegli di cui parla la *Civiltà Cattolica*, serie 3ª, vol. II, pag. 623, n. 25: *Un altro è sordo-muto e cieco, eppure ragiona ed opera quasi come ogni altro.* Boetti, *Dei sordo-muti dalla nascita in ordine alla Ss. Eucharistia, dissertazione.*

municare licet, si censura occulta sit, et nemo adsit qui ab illa absolvat; cum hæc prohibitio sit tantum juris ecclesiastici.

II. Immunitas a mortali; ait enim Apostolus I Corinth. IX: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem indigne, reus erit Corporis et sanguinis Domini*, id est ac si Christum occiderit, punietur (1). Addit: *Judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini,* id est manducat suam condemnationem; gravissimo enim sacrilegio maculatur, non discernens corpus Christi a cibo corporali.

III. Sacramentalis Confessio et absolutio in eo, qui sibi mortalis culpæ conscius est, etsi contritus videatur, nisi urgeat necessitas communicandi vel celebrandi, et simul desit confessarius. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus est ex Tridentino. Idque Concilium ex Ecclesiæ consuetudine deducit, et ex illis Pauli verbis: *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (sess. XIII, c. 7, et c. 11).

Dixi: I. *Qui sibi mortalis culpæ conscius est;* qui enim est dubius, an mortale commiserit, v. g. an adhæserit pravæ cogitationi, etiamsi non confiteatur, rigorose loquendo, potest celebrare et communicare; quia revera non est sibi conscius mortalis culpæ. Attamen tenetur ad contritionem, ne se periculo exponat frustrandi effectum Sacramenti: imo consultius est confiteri ad conscientiæ tranquillitatem — E contra si quis est certus de gravi peccato commisso, non potest communicare, nisi certus item sit se per Confessionem probatum fuisse; quia possidet præceptum quod requirit probationem moraliter certam, prout certum fuit peccatum (*S. Alph.*, Ho. ap., tr. XV, n. 34).

Dixi: II. *Nisi urgeat necessitas communicandi vel celebrandi;* et quidem gravis, adeo ut judicio prudentum censeatur gravis confitendi præceptum cessare. Unde per se non suffici onus Missæ dicendæ ex Beneficio, magna devotio, Indulgentia lucranda. Esset autem gravis necessitas, si Communio vel celebratio omitti nequeat sine scandalo vel infamia, uti si sacerdos jam populum convocaverit, et sub nullo prætextu suspendere possit celebrationem; si parochus Missam festo die celebrare debeat;

(1) Peccatum tamen occidentium Christum fuit multo gravius, ait Angelicus: 1) Quia illud fuit Corpus Christi in specie propria; hoc autem est contra Corpus Christi in specie Sacramenti — 2) Quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo: non autem hoc peccatum (3 *p. q.* 80, *a.* 5).

vel id necesse sit ad infirmum Viatico reficiendum. Idem esset, si allato Viatico, tempus non suppeteret ad complendam infirmi Confessionem de mortalibus absque periculo mortis vel infamiæ. Tunc audito aliquo peccato, sacerdos moribundum ad contritionem excitet, absolvat, communicet, et postea suppleat si adhuc vivat (1).

Dixi: III. *Et simul desit confessarius.* Copia autem confessarii non censetur deesse, vel quia confessarius, cui solemus confiteri, est absens; vel qui adest confessarius est junior, notior, non doctus. Sed deesse censetur, si adiri nequeat absque magna difficultate, v. g. arduo itinere; vel adsit quidem, sed sit jurisdictione privatus, aut non approbatus pro eo loco, aut si Confessionem audire recuset (2). Item est si confessarius sit penitus ignarus idiomatis pœnitentis; vel non habeat facultatem absolvendi a reservatis, et solummodo reservatis sit ligatus pœnitens; cum ea directe remitti nequeant, nec pœnitens teneatur confiteri peccata jam remissa, cum hæc peccata non sint materia necessaria confessionis (V. *Scavini*, l. III, nn. 143 *et* 258). Vide infra n. 716.

521. Si simul cum reservatis habeat non reservata, tunc cum possit ab hisce directe absolvi, ea tenetur confiteri. Item si advertat se non habere contritionem, sed solum attritionem et habeat sola reservata, tenetur confiteri peccatum aliquod veniale vel mortale jam remissum, ut in statu gratiæ communicet *(S. Alph.,* l. VI, nn. 265, 585).

522. Resolutiones: 1). *Si necessitate urgente, sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur* ex Tridentino (sess. XIII, c. 7). Illud *quamprimum* rigorosam et gravem obligationem continet, ideo Confessio differri non licet.

(1) « Si sacerdos post consecrationem incœptam recordetur se aliquid comedisse vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium et sumere Sacramentum. Similiter si recordetur se peccatum aliquod comisisse, debet pœnitere cum proposito confitendi et satisfaciendi, et sic non indigne sed fructuose sumet Sacramentum. Et eadem ratio est si meminerit se excommunicationi cuicunque subjacere, debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi, et sic per invisibilem Pontificem Jesum Christum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum, quod peragat divina mysteria. Si vero ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod Missam incœptam desereret, nisi grave scandalum timeretur. » *D. Thomas,* 3 p. q. 83, a. 6. (V. *s. Alph.*, l. VI, n. 262, qui etiam probabilius habet id, quod hic uti tutius docet d. Thomas.)

(2) Item si confessarius adstans jure vel injuria haberetur uti imprudens, inconsideratus, vel etiam minus cautus de sacramentali secreto, et hisce aliisque defectibus repugnantiam plus minusve rationabilem, sed insuperabilem injiceret in animam pœnitentis. *Collet* et *Gousset.*

Et Alexander VII damnavit contrarias propositiones sub n. 38 et 39, quæ asserunt Tridentini mandatum confitendi *quamprimum* esse consilium, non præceptum; et per illud *quamprimum* intelligi cum sacerdos suo tempore confitebitur: quas propositiones qui docet et defendit incurrit in excommunicationem simpliciter Papæ reservatam ex Constit. *Apostolicæ Sedis* (vide t. I, n. 595) — Porro per illud *quamprimum*, commune est, ac receptum triduum intelligi; nam ex jure *statim fieri dicitur, quod intra triduum fit.* Potest tamen contingere quod sacerdos ille teneatur confiteri eadem die et forte eadem hora, uti si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit; vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec possit cras confiteri. Hoc tamen præceptum confitendi *quamprimum* satis probabiliter ac communissime non obligat qui mortalis peccati conscius communicavit, necessitate urgente, absque Confessione; nam Tridentinum loquitur tantum de ipso sacerdote celebrante *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 266).

2) Qui post Confessionem rite peractam recordatur alicujus mortalis ex inculpabili oblivione non declarati, ex communiori sententia tenetur illud confiteri antequam communicet, vel celebret; cum mortalis vere sit conscius, neque illud sit confessus. Attamen plurimi etiam recentiores valde probabiliter contrarium docent: quod quidem mihi videtur valde rationi consentaneum; nam qui bona fide cum dolore generali suorum peccatorum est confessus, vi Sacramenti justificatus est; et ideo sufficienter se probavit, et quidem Confessione sacramentali. Quamvis autem teneatur peccatum illud deinde clavibus Ecclesiæ cum de novo confitetur subjicere, non ideo sequitur, quod debeat statim ante Communionem confiteri; etsi id præstet suadere ad majorem animi tranquillitatem ac consolationem, si id commode fieri possit *(S. Alph.,* l. V, n. 257).

3) Quoad pollutionem habitam paullo ante Communionem, si fuit voluntaria communiter docent cum d. Thoma *(in* 4, *d.* 7). teneri qui se polluit, saltem sub veniali abstinere se a Communione *per aliquod tempus ob reverentiam,* licet sit contritus ac confessus; nisi aliud justa causa exigat, prout confessario videbitur. Si vero fuit involuntaria, casu quo pollutio nullam relinqueret perturbationem, potest communicare; quia externa macula inculpabilis, maxime si præteriit, ad moralem honestatem non pertinet. Si vero reliquit perturbationem, dicunt communiter esse veniale communicare; verum sufficit tunc, ut homo

conetur perturbationem repellere et media adhibeat, ut devote accedat. *D. Thomas,* 3 p. q. 80, a. 7. *(S. Alph.,* l. VI, n. 261).

523. **Præparatio proxima.** Ad hanc præcipue pertinet:

1) *Viva fides,* qua credimus sub specie panis contineri totum Christum, discernentes cœlestem illum cibum a profano: quod est *dijudicare Corpus Domini,* uti jubet Apostolus — 2) *Profunda humilitas,* ita ut cum Centurione clamemus: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum,* etc. Quo enim minus de nobis in nobis invenit Deus, eo magis de suis nos replet — 3) *Vehemens desiderium* Eucharistiam recipiendi. Vivum enim desiderium de aliquo, erga illud mire inflammat.

524. **Dispositio ex parte corporis.** Ex hac parte requiritur: 1) *Corporis mundities* ac *decentia,* ut tantum mysterium revereamur — 2) *Jejunium naturale,* ut nullus cibus sumatur ante Corpus Domini.

525. **Corporis mundities.** Nulla physica corporis macula per se Communionem impedit, cum ad bonitatem vel malitiam moralem nihil conferat; nec per se obstet devotioni. Hinc lepra, fluxus sanguinis et similia maxime si perpetua, Communionem non prohibent. Id unum exigitur, ut sordes apparentes si possunt auferri, auferantur; et omnia in oculis, in incessu, in vestitu sint composita.

526. **Corporis decentia.** In eo consistit, ut nihil communicaturi in oculis, vultu, incessu, habitu præseferant quod eos dedeceat, quibus dictum est: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. VI). Hinc sacerdotes more laicorum communicantes vult Rituale, ut cotta et stola sint induti: quod tamen omittere commune est, veniale tantum esse. Alii clerici cum cotta communicent; si tamen sint diaconi, stola pendente ab humero sinistro, ex Cæremoniali Episcoporum. Clerus in Presbyterio communicat; extra populus (1).

527. **Jejunium.** Communicaturo sub gravi præceptum est jejunium naturale a medio noctis illius diei, quo communicat. Constat ex praxi universali, ex Rituali, ac pluribus Conciliis,

(1) Præparationem corporis brevius describit Rituale Ambrosianum: « Oculis non vagis, sed in Christi Corpus pie conjectis. Barbæ pilis circa os bene præcisis. Ore supra pannum lineum suppositum modeste porrecto. Capite non demisso. Lingua paullulum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente. A suspiriis abstineant, manibus pectori admotis instar crucis ex veteri disciplina; aut supplicibus, iisque nudis. Armis depositis. Toto denique corporis habitu decenti, humili et modesto, non sordido. Mulieres non sumptuosis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco aut pigmentis vultu illito; non pectore nudo, aut tenui velo obtecto; velo denso bene super faciem demisso, etc. »

præsertim Constantiensi — Hoc autem præceptum non admittit parvitatem neque *ex parte temporis:* unde cum primo ictu horologii media nox sit expleta, qui aliquid sumit post primum ictum (licet ante ultimum) non amplius potest communicare; nam verificatur illum non esse amplius jejunum. Neque *ex parte rei:* unde si quis vel minimum sumpserit, quamvis per modum medicinæ extra casum infirmitatis periculosæ mortis sub gravi prohibetur communicare; et merito, ne in os hominis aliquid intret ante Christum, ut ait d. Thomas, 3 *p. q.* 80, *a.* 8.

528. **Principia.** Ad jejunium frangendum ex communi sententia requiritur: I. Ut quod sumitur, *sumatur ab extrinseco et in stomachum trajiciatur:* quod enim sumitur intrinsecus, non reputatur trajici per modum cibi. Hinc deglutiens sanguinem e capite fluentem vel gingivis, non solvit jejunium. Secus si sanguinem sugeret ex digito, illum in stomachum mittendo; sicut frangeret qui noctu, immisso saccharo in ore, adhuc aliquid trajiceret post mediam noctem. Item qui lavando os, vel degustando jusculum aut vinum aliquam guttulam cum saliva voluntarie (non autem casu) trajiciat.

II. Ut quod sumitur, *sumatur per modum comestionis* vel *potionis;* quia juxta communem hominum sensum hoc modo tantum jejunium frangitur. Hinc illud non solvit qui pulverem vel etiam ex accidenti respirando per os, aut per nares attraheret muscam, pluviam, nivem, et deglutiret; quia talis actio non est comestio, sed respiratio. Attamen si hoc fieret ex proposito in re, quæ rationem habet alimenti, esset voluntaria deglutio.

III. Ut quod sumitur, *habeat rationem cibi* vel *potus* (etsi involuntarie sumatur, ut si quis aquam deglutiat, quia labitur in flumen, vel quia alius per vim illam in os ejus infundit). Secus non esset comestio nec potatio, ut communis sententia docet. Hinc non solvitur jejunium, si edantur res omnino indigestibiles, ut capilli, ungues, metallum, lapilli, fila serica aut lanea, ossicula fructuum omnino depurata; quia hæc non habent rationem cibi. Secus esset, si res sint digestibiles, quæ in substantiam hominis converti possint, ut charta, palea, linum, pulvis medicinalis; vel cera, quæ fere semper aliquid mellis retinet; arborum folia, etc. (*S. Alph.,* l. VI, n. 278).

529. **Resolve**: 1) *Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur* (ait d. Thomas, 3 *p. q.* 80, *a.* 8), *non im-*

pediunt communionem (1); quia non habent rationem cibi. Si vero voluntarie, alii tenent jejunium non frangere, quia tales reliquiæ non sumuntur per modum cibi. Hæc sententia non videtur improbabilis; sed contraria probabilior est et consulenda; nam hæc trajectio, si cum vera industria fit, nova comestio videtur. Attamen cum non sit scrupulose agendum, ideo in praxi subscribo sententiæ Benedicti XIV, nempe quod reliquiæ e dentibus divulsæ quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, utique sunt expuendæ; quin tamen sit obligatio illas e dentibus extrahendi, etsi prævideatur cum saliva deglutiendæ *(S. Alph.,* l. VI, n. 279).

2) Olim non licebat usque ad horam sextam sive *bibere* sive *edere* post Communionem: quod præceptum hodie abrogatum est. Attamen ex decentia (ut merito notat d. Thomas, 3 *p. q.* 80, *a.* 8), aliqua mora servanda est post sumptionem tanti Sacramenti ad alios cibos sumendos; ex Croix saltem ad quadrantem, nisi adsit aliqua causa excusans *(S. Alph.,* l. VI, n. 287) (2).

3) Per se non est illicitum statim post Communionem *expuere,* modo nullum particulæ fragmentum in ore remanserit. Nullum enim est periculum irreverentiæ erga sacras species; nam via per quam sputa ejiciuntur, non est via cibi et potus; sed est via respirationis. Attamen congruum est, ut communicantes per aliquod temporis, id est ad horæ quadrantem, ab expuendo se abstineant *(S. Alph.,* l. VI, n. 283).

4) Olim stricte prohibebatur tabaci usus tum ante Communionem, tum etiam ante Missam; sed aliter hodie se habet usus. Unde commune est nunc licere: 1) Tabacum per nasum sumere, licet aliquid illius in stomachum descendat; non enim sumitur per modum comestionis — 2) Fumum tabaci ore haurire; quia fumus non est cibus nec potus, neque hoc modo sumitur, saltem id licet ex usu cohonestante, ut ait Benedictus XIV — 3) Tabacum masticare (vel aroma, glycyrrhizam aut quid simile) semper ac foras expuatur succus. Nihil enim in stomachum trajicitur, vel nonnisi præter intentionem. Neque per modum cibi id fit, sed per modum salivæ. Verum id indecens est: ideo veniale, si fiat sine causa *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 280).

530. **In dubio jejunii.** Cum præceptum jejunii negativum sit, ne scilicet quis communicet post jejunii fractionem, ideo

(1) *Et eadem ratio,* addit, *de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ quod vitari non potest.*

(2) Item ex eodem Angelico l. cit.: *nec refert utrum post cibum vel potum assumptum dormierit aut etiam digestus sit quantum ad rationem præcepti; refert autem quantum ad perturbationem mentis....*

quoties non dantur præsumptiones tam fortes, ut communicaturus probabilius credat jam sonuisse duodecimam horam, cum aliquid deglutivit, possidet libertas communicari volentis, quousque contrarium non probetur. Dicunt autem communissime licere inter plura horologia dissonantia sequi ultimum, quod signat mediam noctem, modo non constet de errore, neque sit tale ut plerunque erret (*S. Alph.*, l. VI, n. 278).

Quæsitum fuit a S. Rituum Congregatione: *An tam pro recitatione Officii divini, quam pro jejunio naturali ante Communionem præscripto, vel etiam pro abstinentia a carnibus et lacticiniis diebus jejunii, conformari quis possit tempori dicto* medio, *aut juxta proprium placitum tempori vero vel medio; ita ut aliquando uni, aliquando alteri adhæreat?* Die 7 aug. 1875 respondit: *Standum publicis horologiis* (v. item *Acta Sanctæ Sedis*, t. VII; Scavini, *l.* II, *n.* 194).

Et 16 martii 1876 declaravit: *Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum.*

531. **Causæ a jejunio excusantes.** Causæ ob quas licet communicare (vel celebrare) non jejunus, sunt:

I. *Periculum mortis,* sive proveniat ex morbo naturali; sive proveniat ex judicis sententia, quæ nempe reum damnat ad ultimum supplicium.

II. *Periculum profanationis,* ut si periculum sit, ne Eucharistia male tractetur, v. g. ab hæreticis, vel ab impiis, si non ipsa sumatur.

III. *Periculum scandali* vel *gravis infamiæ.* Esset si sacerdos jam Missam inchoaturus recordaretur se non esse jejunum (quod tamen ab aliis ignoratur), et debeat celebrare coram populo, quin causam innoxiam allegare possit.

IV. *Necessitas perficiendi Sacrificii;* cum id sit de jure divino. Hinc si sacerdos, consecrata hostia, moriatur, ab altero licet non jejuno (si jejunus non adsit), etsi jam celebraverit, est perficienda Missa. *Nec aliquid per hoc derogatur unitati Sacramenti; quia omnes unum sumus in Christo propter fidei unitatem,* ait s. Thomas (in 4, d. 8, q. 2, a. 4).

V. *Unio moralis ejusdem Sacrificii.* Evenit quando sacerdos post Missam reperit fragmenta a se consecrata, ea sumere debet etiam in Sacrario, modo vestibus sacris adhuc sit indutus; quia id habetur veluti complementum Sacrificii. Si vero jam vestibus sit exutus, vel si fragmenta sint diversi Sacrificii, vel hostia relicta sit integra, tunc ea tantummodo sumat, si nequeunt reverenter servari.

VI. *Dispensatio R. Pontificis,* qui solus hac potestate potest uti ex Benedicto XIV *(S. Alph.,* l. VI, n. 289) (1).

532. Casus. *Titius diuturno morbo in lecto decumbit, quin tamen aliquod mortis periculum adsit; cum autem non possit sine cibo aut potu stare, petit, ut communicare possit etsi non jejunus. An sit permittendum?* — Alii id permittunt bis vel ter in anno; alii solum in Paschate ad præceptum satisfaciendum. Verum sententia communior et probabilior cum Lugo, Suarez et Gury absolute negat id licitum esse sine Pontificis dispensatione, qui aliquando, sed nonnisi cum gravissima causa, in hoc dispensavit; quia agitur de lege generali Ecclesiæ magni momenti. Ideo præstat, ut tunc infirmus suppleat per communionem spiritualem, quæ adeo meretur apud Deum; maxime quando ipse Deus sacramentaliter suscipi nequit (vide *Scavini,* l. III, n. 254).

CAPUT QUARTUM

De Communione Frequenti, Spirituali et Eucharistiæ Effectibus.

533. **Communio frequens.** Consentiunt Communionis frequentis nomine intelligi non solummodo quotidianam, sed etiam illas, quæ præter dominicos vel festos dies fiunt diebus ferialibus. De Communione autem singulis tantum dominicis peracta, etsi alii illam frequentem dicant; mihi tamen cum pluribus magni nominis auctoribus non videtur habenda uti frequens: quod erudite probat s. Alphonsus (opusc. *Risposta apologetica sulla materia della Communione frequente;* et *Praxis).* Et sane primitus fere singulis diebus omnes fideles communicabant, ut refert Cardin. Bona; et nonnisi postquam in Ecclesia ipsi numero aucti fuerunt, sed sanctitate diminuti, id est a sæculo VI statutum est, *ut fideles omnes singulis dominicis communicarent, nisi criminali peccato et manifesto impedirentur* (2).

Jam vero si tunc omnibus Communio hebdomadalis erat in præcepto, ac sola immunitas a mortali requirebatur, ea in se præcise frequens non potest dici. Hæc igitur ad Communionem

(1) An liceat non jejuno celebrare ad communicandum moriturum, quidem probabiliter affirmant, quia lex divina Viatici potior est. Plures probabilius negant cum s. Alphonso, *l.* VI, *n.* 286, quia hæc lex solum morientem cum potest, obligat. « Dicam quod sentio, addit D'Annibale; lex quæ non jejunium celebrare vetat ad Sacramenti reverentiam pertinet, et quia vix sine scandalo violatur, aut ne vix quidem ex receptis moribus quasi in naturalem recidit. Ideo posteriori sententiæ assentior; verum si lateat sacerdotem non esse jejunum priorem omnino sequendam puto. » *Summula Reatina.*

(2) Primitus quotidie fideles communicabant; postea ex præcepto tantum singulis dominicis; dein ter in anno, in Natale Domini, in Resurrectione et Pentecoste; tandem tantum in Paschate (S. Alph., *Sull'onorario delle Messe).*

semel in hebdomada satis sunt: 1) Immunitas a mortali, ne sacrilegio anima gravetur; peccata autem venialia per se non tollunt effectum hujus Sacramenti, etsi illum diminuant, si actu exercita — 2) Communionis desiderium, ne cibus iste fastidio habeatur — 3) Confessarii consilium, ut omnis hallucinatio auferatur (S. Alph., *Praxis,* n. 149).

534. **Communio frequens suadenda.** Certum est contra Jansenistas Communionem etiam quotidianam, debitis conditionibus intervenientibus, esse optandam exemplo fidelium primitivorum, qui *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis* (Act. II). *Hoc Sacramentum,* ait Angelicus, *est cibus spiritualis, unde sicut corporalis quotidie sumitur, et hoc Sacramentum sumere quotidie laudabile est* (3 p. q. 80, a. 10). Id vehementer exoptat Tridentinum *(sess.* XXII, *c.* 6): quod desiderium explicans Catechismus Romanus docet esse officium Parochi ad id hortari fideles. Unde s. Carolus Episcopis suæ Provinciæ injunxit severe puniendos animarum pastores, qui oppositum disseminarent, nunquam contenti de pœnitentis dispositionibus.

535. Hoc demum Episcopis omnibus inculcavit Innocentius XI decreto S. Concilii C. 1679 declarans confessarii judicio relinquendum esse frequentem ad Eucharistiam accessum, et nihil obstare, quod sint laici, negotiatores, conjugati (vel ipsi pueri), qui frequenter communicant; modo propria munia non negligantur. *Errant certe* (ad rem s. Alphonsus) *quidam Directores, et multum se elongant a spiritu Ecclesiæ, qui sine ullo respectu ad exigentiam et progressum animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem sine ulla ratione ducti, quam quia frequens est;* et illam non permittunt nisi festis diebus ac solemnitatibus. *Non est expectanda solemnitas* (ait d. Chrysostomus), *ut accedant ad hoc Sacramentum, sed semper est solemnitas cum adest cordis munditia.* Eucharistia est gloria Dei, est salus nostra: hinc s. Ignatius martyr clamabat: *Festinate ad Eucharistiam* (v. Ségur, Opus *Sulla Comunione frequente* a Pio IX commendatum. Faure, *Il cielo aperto per la Comunione frequente).*

536. Neque ipse actus conjugalis per se impedit hanc frequentiam; est enim actus licitus. Tamen accedens ad Communionem post copulam, quam eodem die petiit causa voluptatis, peccat venialiter ob aliquam indecentiam; ideo præstat ut se abstineat. Aliter est, si copula habita sit ad prolem gignendam,

ad reddendum conjugale debitum, ad incontinentiam vitandam. Cæterum ab illa indecentia excusat quævis honesta causa. *D. Thomas,* 3 p. q. 80, a. 7.

Quod si confessarius ab uxore interrogetur quid agere debeat, si ipsa die Communionis vir debitum petat, respondeat ei quæ frequenter communicat, ut reddat et communicet; ne exponatur periculo peccandi contra justitiam vel caritatem. Si vero pœnitens non tam frequenter accedit ad Ss. Eucharistiam, v. g. præcipuis tantum solemnitatibus, illi suadeat, ut precibus (non tamen importunis) compartem roget, ut velit se abstinere in honorem Ss. Communionis, cum agatur de casu raro. Si nolit, poterit reddere et communicare, nisi ex redditione patietur insolitam distractionem, quam omnino nequeat repellere *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 277).

537. **Conditiones ad frequentem Communionem.** Debitæ conditiones ex d. Salesio verificantur in illis, qui sublato affectu ad venialia, et superata majori parte pravarum suarum inclinationum (id est si pravis resistant inclinationibus, ita ut a venialibus saltem plene deliberatis cavere studeant), magnum communicandi desiderium habent, et Directoris consilium. Ideo si caderent aliquando in veniale voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito dolerent emendationemque proponerent, si communicari desiderarent ad robur accipiendum, non videtur illis deneganda Communio. Communio, ait d. Thomas, fuit instituta etiam pro imperfectis, ut nempe illius virtute ad perfectionem valeant pervenire.

538. **Regulæ pro frequenti Communione.** En præcipue:

1. *Si quis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis* (ait d. Thomas, *in* 4, *d.* 12, *q.* 13) *deberet quotidie communicare.* Esto quod ad reverentiam etiam pertineat aliquando abstinuere, sed notat idem Angelicus: *Utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti et quod quotidie sumatur et quod aliquando abstineatur; amor tamen et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferenda timori.* Adde: qui accedit cum desiderio crescendi in amore divino, reverentiæ actum positivum exercet, quando ille qui abstinet, facit tantummodo actum negativum.

2. Expedit aliquando illi qui quotidie communicat, Communionem prohibere, puta una vice in hebdomada, ut facere solent aliqui prudentes directores, ad probandam ejus obedientiam, humilitatem, atque ut desiderio ferventius ad illam suscipiendam sese disponat, etc. Non ita tamen expedit eum mortificare, si sit in ariditate ac tædio; ex Sacramento enim vires acquiret.

3. Si confessarius vult animas valde proficere, curet ut ad sacram Synaxim imparatæ non accedant: et post in gratiarum actione immorentur tempore quo possunt. *Paucissimi sunt directores,* ait

s. Alphonsus, *qui sedulo id faciunt: quia paucissimi sunt sacerdotes qui post Missam, cum Jesu Christo in gratiarum actione permanèant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt* (1).

4. Cæterum placet concludere cum Clericato a Benedicto XIV valde laudato: *Nullus est, cui menstrua Communio consuli non possit; pauci quibus Communio hebdomadaria sit prohibenda; paucissimi quibus quotidiana sit concedenda,* si excipias aliquam peculiarem circumstantiam, puta aliquod Novendiale. Attamen puto, quoad potest, fideles esse ad Communionis frequentiam hortandos. Qui retrahere vellent, falso principio nituntur; nempe Communionem esse *mercedem virtutis*, cum potius sit *medium acquirendæ virtutis* (S. Alph., *Praxis;* Scavini, l. IV, Append. 59[1] : *De Communione frequenti, ubi plurima ad praxim habes, et difficultatum solutiones).*

539. **Communio spiritualis.** *Contingit,* ait Angelicus, *spiritualiter manducare Christum in quantum aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc Sacramentum* (3 p. q. 80, a. 2). Hæc Communio valde in deliciis fuit Sanctis, et in Tridentino commendatur. Hæc animabus perutilis est; si enim Deus cujuscunque virtutis desiderium præmio afficit, quanto magis desiderium ipsiusmet Dei? Unde confessarii esse debet illam suis pœnitentibus insinuare *(D. Thomas,* 3 p. q. 80, a. 2).

Communio spiritualis conficitur: 1) *Actu fidei*, quo spiritualiter communicaturus Christum sibi realiter in Eucharistia præsentem exhibeat — 2) *Actu desiderii,* quo exoptat in Sacramento suscipere Christum et cum ipso uniri — 3) *Actu petitionis*, quo Dominum rogat, ut illam gratiarum ubertatem, quam ei elargitur qui ipsum suscipiunt, sibi elargiri dignetur. Tali modo Communio spiritualis fieri potest omni loco et omni tempore; verum tempus opportunius est ipsius Missæ tempus, quo sacerdos communicat; cum ipsum Sacramentum sub oculos tunc exhibeatur.

Qui tamen est in mortali, esto quod non teneatur confiteri, cum id nullibi præcipiatur; at in corde suo conteri debet, si velit utiliter communicare spiritualiter: hinc Tridentinum requirit vivam fidem caritate informatam *(sess.* XIII, *c.* 8) (2).

(1) Ad rem Rituale: « Moneantur communicantes, ut sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant aut colloquantur, ne statim oculis circumspiciant aut expuant; neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species ore decidant, sed qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione dominica, in cujus memoriale hoc mysterium celebratur et sumitur. »

(2) Ad devotionem et frequentiam Ss. Eucharistiæ promovendam præstat item fovere apud fideles etiam quotidianam ejus visitationem. Ecclesiastici in primis et maxime Parochi in hac re solliciti esse debent; probrosum enim est, ut animarum pastor qui vix uno vel altero passu distat ab ecclesia, per integrum diem Christum in templo præsentem solum deserat. Verbo igitur et exemplo populum suum urgeat ad quotidie visitandum quoad potest, Ss. Sacramentum ac Virginem Matrem, Rosarium etiam una cum ipso recitando tot indulgentiis cumulatum (v. s. Alphonsum de Liguori, *Visita al Ss. Sacramento ed a Maria Ss.* Giordano, *Giovedì Eucaristici.* Scavini, *l.* III, *n.* 242).

540. **Eucharistiæ effectus.** Unicum vel præcipuum Eucharistiæ effectum peccatorum remissionem esse docuerunt novatores in Tridentino damnati *(sess.* XIII, *c.* 5). Imo mortalium remissio per se non est effectus proprius; nam Eucharistia instituta est per modum cibi; at mortuis cibus non datur (1). Porro proprii ac præcipui effectus sunt:

I. *Intima cum Christo conjunctio* juxta illud Joan. VI: *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet et ego in eo.* Hæc tamen *conjunctio*, ait s. Cyprianus, *nec miscet personas, nec unit substantias; sed affectus consociat, et confederat voluntates.*

II. *Gratiæ sanctificantis augmentum* ex illis Christi: *Caro mea vere est cibus.* Sicuti cibus corporeus sustentat, auget et reparat vitam animalem, sic Eucharistia vitam spiritualem in gratia sanctificante sitam *(D. Thomas,* 3 p. q. 79).

III. *Gratia sacramentalis;* seu propria hujus Sacramenti, quæ nempe tribuit, ut jugiter progrediamur in amore Dei, et in eo perseveremus.

IV. *Actualis dulcedo spiritualis,* ut habet Concilium Viennense. Quæ consistit in promptitudine voluntatis ad omnia officia peragenda, quam qui obicem non ponit, miram sentit.

V. *Jus ad gloriam* juxta illud Christi: *Qui manducat* etc. *habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hinc ab Ecclesia sancta Communio dicitur *pignus gloriæ.*

VI. *Remissio venialium præteritorum*, tum vires animæ reficiendo; tum caritatis fervorem venialibus oppositum augendo. Hinc Tridentinum ait, Eucharistiam *esse antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis* (sess. XIII, c. 2). Dixi *præteritorum,* nempe habitu tantum remanentium; attamen qui communicat cum veniali concomitante Communionem, v. g. cum voluntaria distractione, etsi non recipiat actualem refectionem spiritualis dulcedinis; recipit augmentum habitualis gratiæ vel caritatis, ut longe communius docent cum Angelico (3 *p. q.* 79, *a.* 8).

(1) Hinc Chrysostomus: *Si pure accesseris, ad salutem accessisti; sin prava conscientia, ad pœnam et supplicium.* Accedunt liturgiæ omnes, quæ præscribunt dari *Sancta Sanctis;* accedunt Concilia, Eliberitanum, Aucyranum, Nicænum I, etc. Quæ citantur contraria documenta, aut de venialium remissione sunt intelligenda; aut si de lethalium accipiantur, non attingunt Eucharistiam nisi prout est Sacrificium propitiatorium; vel si illam attingunt uti Sacramentum, id nonnisi per accidens evenit, ut communiter docent cum Angelico: *Si quis facta diligenti discussione suæ conscientiæ... ad Corpus Christi accedat, aliquo mortali in ipso manente quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat; imo magis ex vi Sacramenti* (Eucharistiæ) *remissionem consequitur* (in 4, d. 9, a. 1).

VII. *Remissio pœnæ temporalis peccato debitæ*, sed tantum indirecte, quatenus excitat fervorem caritatis. Neque enim Eucharistia uti Sacramentum ad satisfaciendum instituta fuit.

VIII. *Præservatio a peccatis;* tum quia roborat contra interiorem concupiscentiam; tum quia munit contra exteriores impugnatores. Hinc s. Ignatius martyr Eucharistiam nominat: *Pharmacum immortalitatis, antidotum ne moriamur, sed semper vivamus in Christo Jesu* (S. Alph., *l.* VI, *nn.* 267, 270). D. Thomas, *l. cit. a.* 6 (1).

541. *Casus.* Titius sacerdos concedit quidem Eucharistiam in ratione Sacrificii etiam eam non sumentibus prodesse, quia Sacrificium etiam pro aliis offertur. At negat illam prodesse aliis in ratione Sacramenti; nam Sacramentum hoc cibus est, cibus autem nonnisi sumenti prodest. Hinc publice reprobat usum Communiones pro defunctis applicandi.

R. Esto quod Eucharistia in ratione Sacramenti ex opere operato solummodo prosit illi qui eam sumit, quia cibus est. At certum est illam prodesse tam vivis quam defunctis ex opere operantis, videlicet ob communionem omnium membrorum inter se, vi cujus opera nostra in caritate facta aliis applicare possumus et prosunt. Hinc S. Indicis Congregatio sub Alexandro VIII damnavit librum Theophili Renaudi, qui morem defunctis Communionem applicandi impugnabat *(D. Thomas,* l. cit. a 7).

PARS SECUNDA

De Eucharistia prout est Sacrificium.

542. **Sacrificium.** Communiter definitur: *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta a legitimo ministro cum aliqua immutatione, ad recognoscendum supremum dominatum Ipsius Dei in omnes creaturas.*

Dicitur: *Oblatio rei sensibilis;* sacrificium enim est actus religionis externus et visibilis, cum ad cultum externum pertineat; et sic distinguitur ab actibus virtutum mere internis.

Dicitur: *A legitimo ministro;* est enim actus publici cultus, qui proinde exigit personas specialiter deputatas juxta illud: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (Hebr. v).

(1) Alios effectus habet Eucharistia quoad corpus ut notat Lugo, nempe diminuit concupiscentiæ fomitem, excitat bonas cogitationes, corpus sanctificat, etc. *Tanta est aliquando hæc gratia (quæ in hoc Sacramento confertur) ut ex plenitudine collatæ devotionis non tantum mens, sed et debile corpus vires sibi præstitas sentiat ampliores.* Kempis.

Dicitur: *Cum aliqua immutatione;* et ita distinguitur sacrificium a simplici oblatione. Si porro res fuerit inanimata, per ejus divisionem vel destructionem mutationem maxime subit; si animata, per mactationem vel sanguinis effusionem. Nempe necesse est, ad verum sacrificium, ut res ponatur quasi victima in alio statu ad subjectionem Deo debitam profitendam, qui est auctor vitæ et mortis. Et ideo additur: *Ad recognoscendum* etc.: quæ verba finem primarium et rationem formalem Sacrificii indicant; nam *Soli Deo honor et gloria* (I Tim. I). V. *d. Thomam*, 2, 2, q. 85.

Divisio. Sacrificium præcipue dividitur in *absolutum* et *commemorativum.* Absolutum illud dicitur, quod tale est per se sine ulla ad alterum relatione, uti mactatio pecudis aut alterius rei consumptio. *Commemorativum* vero seu relativum illud vocatur, quod tale tantum est ob relationem quam habet ad alterum sacrificium, cujus commemorationem, seu repræsentationem continet: quod adhuc verum est sacrificium, cum vere exhibeat ac repræsentet illud, quod præcessit. Ejusmodi est sacrificium Missæ, quod refertur ad sacrificium crucis, cujus commemorationem, imo et repræsentationem præsefert per panis et vini consecrationem seu mysticam immolationem.

543. **Principia.** Sacrificium admittendum esse nemo dubitat. *Ex naturali ratione procedit* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 85, a. 4), *quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitæ subjectionis et honoris; secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii; hoc autem pertinet ad rationem sacrificii.* Hinc sacrificiorum usus cœpit a mundi principio; et sicut nullus est populus sine Religione, ita nullus invenitur sine sacrificio.

Habemus in mundi exordio sacrificia Abelis et Caini. In lege naturæ sacrificia Melchisedech, Abraham, etc. Et plurima in veteri Lege ab ipso Deo præscripta, præcipue agni paschalis immolatio. Sed sacrificia omnia abrogavit Christus Sacrificio suo cruento in cruce oblato, quod incruente renovatur quotidie in Missa. Veterum sacrificiorum abrogationem, novique per totum orbem celebrationem prædixit Malachias: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Hinc Apostolus (Eph. V): *Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 304; Scavini, *l.* III, *n.* 260, ubi *de jugi celebratione*, ac *de miraculosa Christi apparitione in Hostia),*

CAPUT PRIMUM

De Missæ Sacrificio, Essentia ac Ministro.

544. **Missa est verum Sacrificium.** De fide est contra Socinianos, Calvinianos, Lutheranos, Anglicanos. Quod loculentissime patet ex constanti traditione, ex liturgiis omnium Ecclesiarum, ex Conciliis, et unanimi Patrum consensu. Res hæc est adeo evidens, ut eam fateri coacti fuerint plures ex ipsis protestantibus — Ephesinum Concilium (anno 431) Eucharistiam *vocat sanctum, vivificum incruentumque Sacrificium;* Calcedonense (451): *terribile et incruentum Sacrificium.* S. Hieronymus: *legitimum Dei Sacrificium juge atque perpetuum.* S. Augustinus: *Sacrificium pretii nostri.* Hinc merito Tridentinum: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo proprium et verum sacrificium, aut quod offertur, non sit aliud quam Christum dari ad manducandum, anathema sit* (sess. XXII, can. I) (1).

Dices: *In Missa nulla fit immutatio, neque occisio seu victimæ mactatio, quod tamen requiritur ad verum sacrificium.*

R. 1. In Missa non deest vera ac realis victimæ immutatio; cum enim Christus per verba sacerdotis e cœlo descendens, ubi est in gloria Patris, fiat præsens in statu victimæ sub aliena specie occultatus seu *in esse sacramentali,* hoc ipso vere immutatur, non quidem in se utpote omnino immutabilis; sed quoad existendi modum, vere tamen ac realiter *(D. Thomas,* 3 p. q. 83).

R. 2. Sacrificium, quod offertur in Missa, est commemorativum sacrificii crucis; at in sacrificio commemorativo non requiritur victimæ occisio, cum ea jam præcesserit in sacrificio absoluto: unde satis est, ut sit illius vera ac realis repræsentatio. Præterea in Missa mystica occisio habetur, seu mystice moritur Christus; nam vi verborum consecrationis, tanquam gladio spirituali, corpus a sanguine sejunctum ponitur in altari, in quo Christus exhibetur tanquam occisus. Ergo Missa est verum sacrificium, imo unum et idem quoad substantiam cum sacrificio crucis; cum idem sit sacerdos et hostia, nempe Christus; idem valor, nempe infinitus; sola autem offerendi ratio diversa. Hinc versus:

Mortuus ille semel, licet ultra non moriatur,
Idem quotidie super aras sacrificatur.

545. **Essentia Sacrificii Missæ.** Alii communius et valde probabiliter cum Perrone eam consistere volunt in consecratione; cum in ipsa et victimæ mactatio et illius oblatio concurrant. Addunt tamen sumptionem pertinere ad Sacrificii integritatem, et ideo illam præceptam esse de jure divino. Verum mihi probabilior videtur sententia

(1) Lutherus Missam appellat *abominationem;* ait autem se id a dæmone accepisse. Dignum sane hujusce hæresiarcæ argumentum !

Bellarmini, qui eam collocat partim in consecratione et quidem primario, partim in sumptione sed secundarie; nam in prima ponitur victima, in secunda consumitur *(S. Alph.,* l. VI, n. 305).

Ad essentiam autem Sacrificii probabilius requiritur consecratio utriusque speciei; ut enim ait d. Thomas, *repræsentatio dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari;* 3 p. q. 80, a. 2 (S. Alph., *l.* VI, *n.* 306).

546. **Minister Missæ Sacrificii.** Est Christus et Sacerdos.

1. *Christus,* qui est principalis minister, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit* (Tridentinum, *sess.* XXII, *c.* 2). Sane Christus est *sacerdos in æternum, qui sempiternum habet Sacerdotium* (Hebr. VII); oportet igitur, ut jugiter sacrificium offerat. Quod quotidie agit Sacerdotum ministerio *(D. Thomas,* 3 p. q. 83).

2. Post Christum ministri hujus Sacrificii sunt omnes sacerdotes, nempe Episcopi et Presbyteri valide ordinati; secundarii quidem (cum non per se, sed in Christi Domini persona sacrificium offerant), sed veri ministri. Nam Christus tales illos instituit ordinavitque in persona Apostolorum, per verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hinc Tridentinum anathemate damnat, qui dixerit *illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum* (sess. XXII, c. 2).

Soli autem sacerdotes sunt veri et proprii Sacrificii eucharistici ministri, cum illis solummodo Christus dixerit: *Hoc facite* etc. Fideles autem assistentes nonnisi mediate et improprie dicuntur offerentes: quod contingere potest tripliciter: vel *habitualiter,* quatenus fideles sunt membra Ecclesiæ, qui de ejus bonis participant, etsi de iis non cogitent; vel *actualiter,* quatenus sacrificio assistunt; vel *causaliter,* quando curant, ut sacerdos pro ipsis specialiter celebret *(D. Thomas,* 3 p. q. 82).

CAPUT SECUNDUM

De Tempore, Hora, Loco, Obligatione Missas celebrandi et applicandi.

547. **De tempore et hora celebrationis.** In Ecclesia romani ritus licet quolibet die celebrare, excepto sub gravi pro omnibus Missis die Veneris sancti, et pro Missis privatis Sabbato sancto, et feria V in Cœna Domini (1) — Quod si Festa

(1) Potest autem Episcopus ex *S. R. C.* 27 martii 1773 permittere Regularibus tantum ut celebrari possit una Missa lecta propter infirmos; pro aliis in quacunque

Annuntiationis vel s. Josephi (ubi sunt de rigoroso præcepto) contingant Feria v in Cœna Domini, est obligatio abstinendi a servilibus et Missam audiendi; ideoque curet Ordinarius, ut præter solemnem aliæ celebrentur Missæ. At si festum Annuntiationis contingat Feria vi in Parasceve vel Sabbato sancto, illud transfertur sub præcepto ad Feriam ii post Dominicam in Albis, et præfertur cuicunque Festo. S. R. C. 22 martii 1817; 12 sept. 1716. (V. *Liguori,* Op. mor., l. vi, n. 307).

Missa autem ex Rubrica ab aurora (id est a prima aeris illuminatione et lucis initio) usque ad meridiem dici potest. Commune tamen est licere Missam terminare circa auroram, et illam incipere parum ante meridiem. Imo Benedictus XIII et Clemens XII declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ tum ante auroram, tum post meridiem.

Probabilius celebrans peccat mortaliter, si absque gravi causa incipit Missam integra hora ante auroram, vel una hora post meridiem. Causa tamen gravis ab omni culpa excusans esset:

1) *Necessitas*, v. g. ut morituro detur Viaticum, quo in casu commune est licere celebrare statim a media nocte. 2) *Mos rationabilis,* ut opifices et famuli possint audire Sacrum; tunc potest celebrari summo mane. 3) *Privilegium* a S. Sede obtentum celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem. Quod intelligi debet de una hora ante vel post tempus non privilegiatis consuetudine concessum. 4) *Missa solemnis,* in nocte Nativitatis, at prima tantum. Quam qui audit præcepto pro Natali die satisfacit, etsi ante mediam noctem incipiat; nam jam inchoata est illa solemnitas. 5) *Missa privata* immediata post solemnem in festivitate, etsi protrahatur ad duas horas post meridiem, ne scilicet populi magna pars Missa careat. 6) *Causa itineris, funeris* alicujus magnati, *publicæ supplicationis, concionis, sacræ Ordinationis;* in quibus casibus Missa potest anticipari vel postponi per horam *(S. Alph.,* l. vi, n. 341, etc.).

548. **Missæ interruptio.** Ob rationabilem causam licet Missam interrumpere aliquid interponendo. Et 1) Ob concionem post Evangelium uti passim fit; vel etiam ob processionem.

2) In gratiam Principis supervenientis, aut turbæ peregrinorum in die festo, qui aliter Missam non audirent. Idem dicunt de adventu Episcopi, aut Cardinalis, aut concursum populi. Quo in casu si oblatio nondum facta sit, potest incipi de novo, ut totum Sacrum audiant.

3) Si gravis esset necessitas, ut moribundus absolvendus, adjuvandus, baptizandus: tunc Eucharistia in tabernaculo clau-

ecclesia seu oratorio etiam januis clausis Missæ prohibitæ sunt. Idque magis prohibetur in Sabbato sancto, non obstante quacunque consuetudine: 31 julii 1821 *decr. generali:* sine specialissimo privilegio a S. Sede impetrando.

datur, et cum redit sacerdos, incipiat ubi desierat. Si vero ante consecrationem interrupisset, et mora plusquam unius horæ fuisset, ab initio incipere deberet. Excipe, si interruptio provenerit ex concione, vel alia cæremonia juncta cum ipsa Missa; tunc etiam per longam interpositionem unitas moralis semper haberetur *(S. Alph.,* l. VI, n. 353).

549. **Locus celebrandi.** Secluso Pontificis privilegio, commune est non licere, et quidem sub gravi celebrare, nisi in Ecclesia publica, eaque consecrata vel saltem benedicta; idque merito constitutum est in tanti Sacramenti reverentiam (1). Ideo sine speciali facultate non licet in privatis Oratoriis, quæ scilicet erecta sunt in domibus privatorum, etsi benedictis. S. Concilii C. ad quæsitum: An Episcopus possit justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in Oratoriis privatis, respondit 20 dec. 1855: *Negative, nisi tamen magnæ et urgentes adsint causæ, et per modum actus tantum* (2).

Licet tamen in Oratoriis, quæ habent ingressum per viam publicam; vel erecta sunt in domibus religiosorum, Collegiis, Seminariis, Hospitalibus, publicis carceribus, ut pluries declaravit S. Concilii C. teste Fagnano. Item quæ habentur in palatiis Episcoporum, etsi sedes episcopalis vacet ex S. R. C. 6 apr. 1854; hæc enim etsi plura sint, communi usu reputantur ut Oratoria publica. Attamen Salmanticenses Oratoria in interioribus Cœnobii partibus unice pro valetudinariis erecta habent uti oratoria privata *(S. Alph.,* l. VI, nn. 358 et seqq.). V. *Lucidi. Scavini,* l. III, n. 162.

Nequit autem celebrare neque in Ecclesiis publicis, si interdicta sint; imo celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice, aut a jure interdictis, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrunt, donec

(1) Consuetudo obtinet celebrandi in castris ab ecclesia remotis pro militibus festis diebus, debitis cautionibus ac licentia. Potest etiam extra ecclesiam, si populum in solemni festo templum non contineat; si fideles alias carerent Missa: si ædes sacræ inundatæ sunt vel destructæ, vel si in ruinam jamjam corruant (Scavini, *De Oratoriis publicis ac privatis,* l. IV, n. 72).

Ut possit celebrari in navibus super mare requiritur privilegium Pontificium; et exigitur, ut mare sit tranquillum, serenum cœlum, navis a litore remota; et ut diaconus vel alius presbyter adsistat invigilans curæ calicis. *Gousset; Continuator Tournely; Benedictus XIV,* De sacrificio Missæ.

(2) « Frasinetti asserit posse Episcopum dare hanc facultatem durante infirmitate præsertim sacerdotis, qui non poterit Missam audire. Sed cum hic casus esset nimis ordinarius et non esset veræ et urgentis necessitatis, insuper non esset verus actus transiens, sed per aliquod tempus permanens, nos ejus opinioni non subscribimus. » *De Varceno.*

ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint; ex Constitutione *Apostolicæ Sedis* Pii IX (vide t. I, n. 649).

550. Ecclesia publica, quæ suam consecrationem vel benedictionem amisit, habetur uti locus profanus et interdictus; et in ea nisi prius reconcilietur, non licebit sub gravi peccato celebrare, nisi in necessitate, et cum venia Episcopi si adiri possit, alioquin sine ea. Necessitas autem sufficiens censetur, si populus non habeat aliam Ecclesiam ubi Missam audiat. Non tamen remanet reconciliata eo quod ibi Sacrum celebratum fuit (ex S. C. Congregatione) — Ecclesia autem vix profanata, divinum Sacramentum statim auferri debet, si in parœcia vel loco vicino præsto sit alia ecclesia. Si quo tempore presbyter celebrat, ecclesia profanetur, Missam abrumpat, canone nondum incœpto, ex Rubrica Missalis. Attamen putat Gousset, quod etiam canone nondum incœpto Missa potest continuari, si sit festus dies et secus prævideantur gravia incommoda, et jam tranquillitas facta sit (*S. Alph.*, l. VI, n. 361).

551. Si ecclesia sit consecrata, consecrationem amittit seu profanatur per *execrationem*, ita ut de novo sit consecranda ab Episcopo. Si sit benedicta tantum, benedictionem amittit seu profana fit per *pollutionem* seu *violationem*, ita ut de novo ab Episcopo, vel ab eo delegato sit benedicenda.

I. **Ecclesia execratur:** adeo ut nequeat amplius anniversarium Dedicationis celebrari (ex S. R. Congregatione 16 sept. 1815), si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur: secus si una pars minor post aliam, et hoc etiamsi per intervalla dierum tota demum ecclesia nova fiat; quia quæcunque pars accedens manet consecrata cum major pars trahat ad se minorem. Qua in re auctores non respiciunt ad nobiliorem partem quæ supersit, et quæ adhuc ad cultum inserviat; sed ad notabiliorem partem materialiter sumptam; consecratio enim parietibus potissimum inhæret. Cæterum ecclesia non execratur, si totum reficiatur pavimentum, vel si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus; neque si parietes tantum dealbentur aut pingantur (1).

II. **Ecclesia polluitur** (sicut et cœmeterium), quando in ea actiones loco sacro injuriosæ patrantur. Sed quandiu non sunt publico notæ et apertæ, non est obligatio abstinendi a divinis officiis neque ab ipso delinquente. At semel crimen publicatum est, sine nova culpa ecclesia censetur violata. Id autem contingit ex jure:

1) Per homicidium voluntarium et injustum. Item per effusionem sanguinis ex percussione aut vulnere graviter injurioso. Sufficit autem, si vulnus grave fiat intra ecclesiam, et sanguis fundatur extra; nam ecclesia polluitur non tantum per sanguinis effusionem, sed etiam per actionem graviter injuriosam, qua causatur effusio. Item est si quis existens extra Ecclesiam sclopo alterum occidat in ecclesia existentem. Secus autem, si vulnus infligatur extra et intra sanguis effundatur vel eveniat mors; quia tunc abest injuria in ec-

(1) Ex Conc. Mediol. provinciali V: « Missarum munus, quod in ecclesia jam diruta præstandum erat (nisi Episcopus ad aliam potius legitima facultate transferre censuerit) ad ecclesiam primariam quam matricem vocant, transferratur; ubi illius, ad quem profanatæ ecclesiæ census pervenit, impensis, altari Sancti Sanctæve nomine extruatur, cujus titulo quæ profanata est, nuncupabitur.

clesiam. Nec sufficiunt parvulæ guttæ sanguinis, sed ex jure requiritur vera, ideo copiosa effusio: imo adhuc non polluitur, si ex percussione vel vulnere levi (v. g. si in rixa puerorum) sanguis copiosus effluat a naribus; quia in hoc non admittitur communiter peccatum mortale. Aliter probabilius esset, si talis effusio contingeret inter adultos *(S. Alph.,* l. VI, n. 365) (1).

2) Per voluntariam humani seminis effusionem sive in copula carnali sive non: etiam per actum conjugalem, nisi id excusetur ratione necessitatis. Et hoc locum habet etsi conjugalis copula occulta sit ut probabilius docent; etsi non sit abstinendum a divinis, quandiu occulta remanet *(S. Alph.,* l. III, n. 458).

3) Per sepulturam non baptizati seu infidelis; non tamen probabilius si sit cathecumenus vel puer ex catholicis natus, qui non potuerit baptizari; quia isti proprie non habentur tanquam infideles, uti notat Gousset (2). Item per sepulturam excommunicati non tolerati. Imo mandantes vel cogentes tradi sepulturæ ecclesiasticæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos, incurrunt in excommunicationem nemini reservatam ex Const. *Apostolicæ Sedis* (t. I, n. 623).

552. Verum ut ecclesia censeatur polluta, hæc crimina debent patrari in ipsa ecclesia vel cœmeterio benedicto; non in turri, tecto, in sacristia, neque in aliis cameris ecclesiæ adhærentibus (*S. Alph.*, l. VI, n. 362).

553. **Reconciliatio Ecclesiæ.** Si ecclesia fuerit consecrata, ut fiat ad cultum idonea (quod quidem solius Episcopi est) ab Episcopo erit iterum consecranda; vel ab ipso reconcilianda, aut a sacerdote ex privilegio Papæ, si tamen adhibeat aquam ab Episcopo benedictam et ritum Pontificalis. Attamen si non possint omitti Officia divina sine gravi incommodo, Episcopus statim delegare potest sacerdotem ad ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare valeat.

Si ecclesia fuerit tantum benedicta, reconciliatur servato ritu Ritualis cum aqua lustrali a simplici sacerdote. Communiter Episcopi licentia ex simplici decentia requiritur *(S. Alph.,* l. VI, n. 363).

554. *Declarationes.* 1) Polluta ecclesiæ parte, integra ecclesia pollui censetur, etiam cum cœmeterio adjacente. E contra execrata ecclesia, non ideo execratur cœmeterium; nec altaria adhuc integra consecrationem amittunt. *S. Rituum Congregatio* — 2) Ecclesia consecrata, quæ militaribus stationibus et excubiis per biduum servivit, an censenda profanata, et ideo reconcilianda? *Affirmative ad cautelam: S. R. C. 27 febr.* 1847 — 3) Aqua benedicta, quæ superfuit in una consecratione, non potest adhiberi pro alia consecratione. *S. R. C. 9 febr.* 1867 — 4) Oratoria privata non possunt consecrari; imo nec benedicuntur ritu in Rituali præscripto pro publicis Oratoriis; et ideo satis est si aqua benedicta aspergantur generali precum formula. S. R. C. 11 martii 1820 *(De Ecclesiæ consecratione* Scavini, l. I, n. 620).

555. **Obligatio Missas celebrandi.** Qui hoc onere adstrin-

(1) Item habetur polluta ecclesia, si ab Episcopo publice excommunicato consecrata sit, teste s. Antonino. Item si in ea pontificaliter celebrat et jurisdictionem exercet Episcopus intrusus, ut eruitur ex responso Pii VI ad episc. Argentoranensem 29 julii 1791.

(2) Plures tamen contradicunt, ut videre est penes Vecchiotti.

gitur ratione vel stipendii quod accepit; vel officii quod tenet (ex Constit. enim Pii IX parochi aliique omnes animarum curam actu gerentes (1) debent Missam applicare omnibus dominicis cæterisque festis de præcepto etsi reductis); vel ratione beneficii quod possidet, ad celebrationem sub gravi tenetur, observando præscriptum altare, diem atque horam; cum ad id se obligaverit, et agatur de re in se gravi.

556. *Resolve:* I. Qui onus habet celebrandi ter vel quater singulis hebdomadis, non tenetur ad id in die festo, nisi in statuto clare exprimatur; sed celebrando diebus ferialibus per hebdomadam jam suæ obligationi satisfacit.

II. Peccat graviter qui non celebrat in ecclesia, in altari, nec die et hora ipsi designata, si hoc sæpius agat, sine causa aut sine dispensatione, et fundator altare, horam, vel diem destinaverit ob motivum satis grave: cum in re gravi infideliter agat. Volunt tamen non ideo ipsum teneri ad novam Missam celebrandam, quia fundator principaliter censetur intendere Missam, quæ celebrata fuit; nisi sit sub conditione expressa, si aliter agatur, non satisfaciendi; vel nisi Missa dicenda sit in altari privilegiato, et celebraverit in altari non privilegiato. Tunc tenetur ad restitutionem, nisi suppleat postea lucrando indulgentiam, pro quibus debeat *(S. Alph.,* l. VI, n. 329) (2).

III. Qui habet onus Missas celebrandi, tenetur etiam illas applicare; nam sub nomine *celebrationis* Missarum, ordinarie intelligitur etiam illarum applicatio, nisi contrarium certo eruatur ex tabulis fundationis. In die autem Nativitatis Domini, qui ad quotidianam Missæ applicationem tenetur, sufficit si unam tantum applicet; per unam enim Missam adhuc verificatur quo-

(1) Parochi ex quo possessionem sunt adepti, vel in curæ exercitio sunt, sicut vice-parochi et delegati. Attamen ob paræciæ inopiam a S. Concilii C. obtineri solet ad tempus dispensatio (de veritate testante Episcopo) a tali applicatione quoad festa suppressa, et alia de præcepto; sed solemnioribus semper exceptis, nempe Paschate, Pentecoste, Nativitate D. N., Epiphania, Ascensione, die Corporis Domini, Ss. Trinitatis, Nativitatis s. Joannis Baptistæ, Assumptionis B. V., festo Ss. Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum et Patroni principalis loci: quæ uti solemniores festivitates habentur.

(2) Potest Episcopus dispensare, ut celebretur in alio loco (semper tamen in Diœcesi) ex rationabili causa (firma tamen manutentione debita): v. g. ob utilitatem ecclesiæ, applicationem studii, infirmitatem, negotium, nimiam molestiam adeundi ecclesiam designatam, etc.; nisi fundator aliud voluerit ob gravem causam, v. g. ob memoriam vel commodum suæ familiæ, aut populi, vel ob specialem cultum Sancti et similia: tunc in loco designato Missæ celebrandæ sunt; nisi id omnino nequeant ob defectum sacerdotum *(Scavini,* l. III, nn. 166 et 262).

Cæterum advertendum, apud Ferrari referri plura decreta S. C. C. quibus dicitur ro hujusmodi dispensatione semper adeundam esse Sedem apostolicam: et ita apud lures praxis se habet, non tamen in omnibus Diœcesibus.

tidiana applicatio. Quando autem tenetur pro beneficio Missam applicare, non potest applicare pro alio ab hoc accipiendo stipendium: alioquin duplex acciperet pro una eademque Missa. At si dignoscatur ex beneficio solam præsentiam requiri, poterit utique pro alio Missam applicare et stipendium accipere.

IV. Qui onus habet Missas celebrandi ex beneficio, potest etiam per alium celebrare et applicare, nisi præcisis verbis statutum sit, quod debeat per se ipsum. Non autem per se ipsum tenetur, si in fundatione dicatur tantum: *Ut Missæ celebrentur a capellano electo;* vel *hæres teneatur eligere capellanum, qui in qualibet celebret hebdomada* ex S. C. Concilii.

V. Qui tenetur celebrare quotidie per se, non per substitutum, communissime docent ipsum quater vel sexies posse in anno pro se celebrare, pro amico aut conjunctis, modo stipendium non accipiat; quia rationabiliter præsumitur consensus fundatoris. Imo dicunt ipsum posse reverentiæ causa abstinere a celebrando semel in hebdomada; si de contraria fundatoris voluntate non constet; vel nisi intersit ecclesiæ, ut quotidie celebretur (*S. Alph.*, l. VI, n. 330).

VI. Si capellanus vel beneficiatus tenetur quotidie, vel ter aut quater in hebdomada sive per se sive per alios celebrare, ægrotans non tenetur substituere alium aut compensare Missas omissas, si infirmitas sit brevis, et fundator expresse non declaraverit quod nunquam Missa deesse debeat. Si enim id declaraverit, tunc beneficiatus tenetur alteri committere celebrationem, etsi ordinatus sit titulo illius beneficii; quia per hoc non derogatur legi fundationis. *S. C. C.* 24 febr. 1872.

Sed quænam brevis infirmitas? Alii eam extendunt ad mensem cum Concilio Mediolanensi VII: ibi tamen dicitur *judicio Episcopi.* Alii ad duos menses; alii ad 15 dies. Omnes opiniones videntur æque probabiles; sed ultima est communior, et pro ea Pitonius affert declarationem S. C. Congregationis; si tamen beneficiatus per se ipsum celebrare teneatur. Si autem infirmitas diutius perseveret, beneficiatus tenetur per alium celebrare; vel dispensationem expostulare, si in necessitate versetur (*S. Alph.*, l. VI, n. 333; *Scavini,* l. II, n. 269).

557. **Missæ duratio.** Regula generalis est, Missam sine cantu nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes tædio afficiantur, nec breviorem tertia horæ parte. Qui autem in-

fra quadrantem Missam lectam absolvit, difficulter poterit a mortali excusari, licet Missa sit ex brevioribus. Hinc illud:

Uno si fuerit brevior tua Missa quadrante,
Mortalis culpæ crederis esse reus.

558. Rationem affert s. Alphonsus: nempe *quia in tam brevi spatio necessario sacerdos committere debet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum; alterum gravis scandali erga populum.* Vult porro Tridentinum, ut Ordinarii locorum sollicite hac de re invigilent (1). Impossibile enim moraliter est in tanta temporis angustia reverenter agere cuncta præscripta, devitare periculum mutilandi verba, benedictiones, genuflectiones, etc.; et præpropera festinatio in re adeo gravi non ædificat, sed scandalo est. Hinc ajebat d. Thomas: *Qui Missam præcipitant, in infernum præcipitant* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 400; Scavini, *l.* III, *n.* 168).

559. **Facultas binandi.** Sub gravi prohibetur pluries celebrare in die ex odierna praxi et Brevi Benedicti XIV *Declaratis* 16 martii 1746, excepto die Nativitatis, in qua tres Missæ permittuntur (2). Item potest sacerdos ex gravissima causa ab Episcopo probata gratis binare, id est bis in eodem die celebrare; at non amplius, ex citato Brevi (*S. Alph.*, l. VI, n. 351).

Dictum est: I. *Ex gravissima causa.* Esset si Parochus duas habeat Parœcias, nec incolæ unius ad aliam se conferre possint; nec alter sit sacerdos qui Missam in festo celebret. Item si in una Parochia pars populi nimis distet ab ecclesia, ad quam difficulter potest convenire pro Missa in festo, nec sit alius sacerdos. Item si nimis angusta sit ecclesia parochialis pro populo, nec in ipsa ecclesia alter presbyter possit celebrare. Id tamen accipe semper si populus teneatur Missam audire; non enim liceret bis in die celebrare in festis suppressis ex S. C. C. 1837. Item curandum ut in unaquaque Missa ad populum brevis sermo habeatur, hodie maxime in tanta instructionis necessitate.

II. *Ab Episcopo probata causa*, cujus est id concedere: non tamen generaliter, sed in casibus particularibus tantum. Verum etsi ex Benedicto XIV hoc valeant concedere Episcopi, attamen (ut observat Lucidi), ut tutius agant, facultatem a S. Sede expostulare omnes generatim solent.

(1) S. Alphonsus in sua Diœcesi tulit suspensionem ipso facto in eos qui audent Missam persolvere breviorem quarta horæ parte. Item plures Episcopi; inter quos episcopus Novariensis 8 dec. 1877, quod iterum confirmavit anno 1878.

(2) Sacerdos potest in die Nativitatis unam tantummodo Missam celebrare. Et tunc legat Missam, quæ correspondeat circiter horæ juxta rubricas particulares ejusdem diei. *S. R. C.* 19 junii 1875.

Benedictus XIV indulsit sacerdotibus Hispaniæ ac Lusitaniæ, ut etiam die Commemorationis omnium fidelium defunctorum tres Missas valeant celebrare; sed ideo ut nonnisi pro una Missa liceat stipendium exigere. Quod privilegium plurimi Episcopi pro Italia nostra a S. Sede hodie enixe postulant.

III. *Gratis;* nam stricte prohibetur a S. Concilii C. probante Pio IX 25 sept. 1858, duplicatum stipendium accipere sub quocunque colore, vel etiam titulo paupertatis; etsi alterum stipendium in pium usum impenderetur ex eadem Congregatione 21 martii 1863, et 1 aprilis 1876. Attamen nihil obstat, ut quis secundam Missam applicet pro illis erga quos non lege justitiæ, sed vinculo caritatis tantum obstringitur. Item aliquid accipi potest *intuitu tantum* laboris et incommodi se transferendi de uno in alium locum, arbitrio Episcopi ex eadem S. C. C. 23 martii 1861 — Imo Parochus qui duabus distinctis Parœciis est præpositus, duplicem Missam in festis applicare tenetur sive per se si facultatem habeat binandi, vel per alios si ea careat facultate; sive altera die in hebdomada, non obstante redituum tenuitate; S. C. C. 9 maji 1874. Si tamen parœciæ ita unitæ sint, ut unica exurgat, unius Missæ gratuita applicatio sufficit *(Instructio pro casu iterationis v. apud* Scavini, l. III, n. 271).

Art. 1. — De Missarum stipendio, dilatione, condonatione et reductione,

560. **Missarum stipendium.** Licite stipendium accipitur pro Missa, quæ jam non sit obligata; *Sacerdos enim,* ait Angelicus, *non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis, sed quasi stipendium suæ sustentationis* (2, 2, q. 10, a. 2). Et possunt etiam divites legitime stipendium accipere; nam stat semper illud Apostoli: *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* Et propositio Synodi Pistoriensis sub n. 54, quæ id ut turpem abusum traducit, damnata fuit ut *falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.*

Quoad stipendii autem taxationem S. Concilii Congregatio declaravit, *attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem quatenus adsit; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 319) (1). Est autem probabilius grave omittere Missam unam,

(1) Potest eleemosyna taxa minor acceptari, modo id non prohibeatur ab Episcopo, ne id vergat in aliorum præjudicium. Ipsa autem taxa lege vel consuetudine inducta potest in pactum deduci, cum illa tribuatur pro sustentatione, et ideo ex justitia.

Etsi autem eleemosynam, si sponte oblatam supra taxam, acceptare liceat, non tamen licet illam exigere. Qua in re maxime cavendum ab omni avaritia, et avaritiæ suspicione. « Avaritia nostra (ait d. Carolus, *Acta Eccl. M.)* omniaquibus immiscetur, contaminat: hæc Missas, hæc choros, hæc prædicationes, hæc funeralia maculat; cum propter cupiditatem et avaritiam fiunt. Quam multi sacerdotes sunt, alias boni, modesti, integræ vitæ, studiosi, exemplares; sed hæc maledicta tenacitas et avaritia eos Deo et populis reddit exosos, ac eorum vitæ et prædicationibus omnem adimit fidem? Non est quod dicat quispiam: ego avarus non sum, quia aliena non rapio, quia fœnera non exerceo, quia contractus illicitos non facio *(e quanti,* addit Mach, *vi sono che non potranno dire neppur questo?).* Neque in

etsi stipendium pro illa non sit in se materia gravis; quia hic gravitas est mensuranda in ordine ad fructum, quo privatur eleemosynam tradens. Censet tamen Gousset: qui ab uno plurium Missarum stipendia accepit, v. g. 20 vel 30, illum graviter non delinquere si unam tantum omittit: quia in communi æstimatione habito respectu numeri Missarum quas celebravit, unius tantum omissio non censetur gravis.

Qui tamen omittit Missam gratis promissam non peccat mortaliter; nam simplex promissio per se non obligat sub gravi, nisi revera promittens expresse sub gravi se obliget. Secus non indicat nisi benevolum propositum *(S. Alph.*, l. VI, n. 317).

Casus. Quidam famulus sæpius pinguia honoraria Zoilo capellano pro Missis celebrandis præbet; at morti proximus pandit ipsi capellano se omnem quam illi tribuit pecuniam, a domino suo surripuisse. Si Zoilus capellanus hæc pinguia honoraria accepit mala seu dubia fide, noscens aut suspicans famulum impotentem ut de suo tantum tribueret, tunc si prætermissa diligentia debita, accipere prosecutus est, tenetur restituere; tum quia malæ fidei possessori non currit præscriptio, tum quia possessor malæ fidei tenetur restituere rem si exstat, quia clamat ad dominum; et si non exstat, æquivalens, quia ex jure *pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.* Si vero bona fide accepit, non tenetur restituere, nisi accepta infra ultimum triennium, quia mobilia hæc cum titulo et bona fide præscribuntur. Imo tenetur tantum reddere accepta ante præscriptionem, si adhuc exstant impermixta, quoniam clamant ad dominum; si autem amplius non exstant, aut per mixtionem habeantur moraliter consumpta, solum tenetur ad id in quo factus est ditior. *Fedeli.*

561. **Missæ dilatio.** Certum est, quod si quis tibi det eleemosynam manualem, ut celebres pro ipso in hodierna festivitate, peccas si postea Sacrum facias (quamvis admittat Lugo posse illud facere die crastina). Imo teneris ad eleemosynæ restitutionem, si petitam Missam pro urgente necessitate, non celebres intra tempus aptum, v. g. si petitam Missam pro felici partu, pro lite vincenda, etc., sacerdos omittat celebrare tempore congruo; nam circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitæ.

Pro aliis Missis generatim S. Concilii C., probante Urbano VII, decrevit non licere sacerdoti se onerare Missis, quibus infra modicum tempus non potest satisfacere; nisi consentiat dilationi qui stipendia dedit. *Modicum* autem *tempus* ex eadem Congregatione non reputatur spatium duorum vel trium men-

his solis avaritia consistit, sed plurimas habet radices et ad alia se extendit. Alii Missarum obligationibus plurimis se onerant, quas nec postea persolvunt; alii chorum lucrandi tantum gratia frequentant; alii sordidissimi funeralium mercatores videntur. O si Ecclesiæ et altaria loquerentur, quam multas audiremus querelas! »

sium, sed intelligitur infra mensem. Attamen ex communi sententia aliquis bene potest acceptare stipendia Missarum ad unum mensem si agatur de Missis pro defunctis, ad duos si agatur de Missis pro vivis *(S. Alph.,* Homo ap., tr. xv, n. 88). *Scavini,* l. III, n. 165.

Qui tamen beneficia, capellanias aut legata possident, satis est, ut Missarum onera intra annum adimpleant, nisi aliud præscribant tabulæ fundationis, uti communiter receptum est. At non essent tuti in conscientia si post annum onera illa annuatim implenda, differant de mense in mensem (v. g. ultra duos menses); ideo magis quia illæ Missæ ordinarie sunt applicandæ benefactoribus jam defunctis.

562. **Retentio partis stipendii.** Sacerdos non potest, generatim loquendo, alteri tradere Missam celebrandam retinendo pro se stipendii partem; nam id graviter prohibuit S. Concilii Congregatio, probante Urbano VIII et Innocentio XII. Et Alexander VII damnavit contrariam propositionem; et signanter turpe hoc mercimonium prohibuit Benedictus XIV Encycl. *Quanta cura.* Et ideo probabilius ac communiter docent, restituendum esse quod retentum fuit sacerdoti qui celebravit; nam Missa data fuit celebranda tali stipendio. Et adhuc viget (ex Const. *Apostolicæ)* excommunicatio ipso facto Pontifici reservata in *colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent* (t. I, n. 608).

Verum excipe: 1) Si stipendii excessus tali personæ non jam intuitu Missæ, sed potius ac præcipue tribuatur intuitu amicitiæ, paupertatis, gratitudinis vel propinquitatis — 2) Si agatur de Missis quas capellani, beneficiati et parochi dicere tenentur ex obligatione suorum beneficiorum, *S. C. Concilii* 25 julii 1874; tunc satis est quod aliis tribuant eleemosynam manualem, si Missa sit lecta et sine speciali incommodo; secus aliquid supra manualem tribuant, excessu pro se retento — 3) Si sacerdos qui majorem eleemosynam accepit, pleno consensu, ex sese omnino sponte, et ex mera liberalitate (non vero ex ipsius subrogati sacerdotis instantia) excessum remittat. Ad omnem enim avaritiæ suspicionem avertendam, ad offerentium voluntatem adamussim observandam, et decorem hujus sanctissimi mysterii sustinendum Benedictus XIV prohibet *posse alteri sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretio erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti*

et consentienti, se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset (v. Acta S. Sedis, *t.* III, *pag.* 558; et in fine hujusce tomi *Append.* 1ª, *nn.* 1065 *et seqq.*; et aliæ resolutiones apud Scavini, *l.* IV, *Append.* 58ª, *n.* 423).

An liceat mutare Missas ac dies, non mutato stipendio? v. g. sacerdos cui offertur manualiter stipendium quinque libellarum pro hodierna Missa, potest illo retento, rogare alium sacerdotem, ut hodie illam celebret pro ipso, promittens in crastinum celebrare pro eodem, qui tamen pro sua Missa non percipit nisi libellam unam?

R. Sunt qui cum Billuart affirmant: quia in hoc fit tantum permutatio Missarum ac dierum. Sed Concina (ait *s. Alph.*, l. VI, n, 743, cujus doctrina circa Missarum stipendia speciatim a S. C. Concilii commendatur) recte hoc non excusat a quadam specie turpis mercimonii; si tamen mutatio eo tendat, ut lucrum majus pariat, prout supponit Concina.

563. **Missarum condonatio**. Quando sacerdos plures Missas reliquit non adimpletas, neque eas celebrare potest, si agatur de foro externo recurrat ad R. Pontificem, qui vel immediate per se ipsum vel per organum Congregationis Concilii, sed frequentius per organum Congregationis Fabricæ Sancti Petri in Vaticano, condonationem vel Missarum diminutionem juxta necessitatem petentis, benigne concedit (in forma commissoria, post habitam commendationem Episcopi), et deposita ab Oratore nominando aliqua eleemosyna in favorem dictæ Fabricæ. Verum pro obtinenda compositione requiritur quod non fuerit omissa celebratio animo habendi compositionem; alias gratia non suffragatur, si id non exprimatur in supplicatione. Advertat insuper recurrens pro compositione, ne sit recidivus; si enim talis sit, debet exprimere in supplicatione ex stylo Curiæ, condonationem jam habitam: qua expressa obtinebit aliam, tamen difficilius et pro majori taxa.

Si vero agatur de foro interno, ut si quis omiserit celebrare Missas, de quarum omissione publice non constat, si impotens ad eas celebrandas, fit recursus ad S. Pœnitentiariam pro condonatione per confessarium, reticendo verum nomen pœnitentis. De reductione, vide Lucidi, *De Visitatione Ss. Liminum*, t. II.

564. **Missarum imminutio**. Si reditus deficiant ex toto et sine culpa beneficiati, ipse non tenetur Missas Beneficii celebrare. Hinc si capitale pro Missis infructiferum remaneat absque culpa ecclesiæ vel capellani, puta si capitale in censu consisteret (qui fuit restitutus), donec capitale fuerit versum in bona frugifera, ecclesia vel capellanus non tenebitur ad Missas.

Item, pereunte capitali capellaniæ, cessat Missæ celebrandæ obligatio: *S. C.C.* 7 jan. 1687 *(S. Alph.,* l. VI, n. 331) (1).

Si vero deficiant tantum ex parte, distinguendum est. Si fundator ipse congruam eleemosynam taxando designavit pro qualibet Missa, dicendo v. g. *Lego duas libellas pro qualibet Missa,* aut *tot Missæ in anno dicantur juxta reditum annuum ad taxam synodalem:* tunc adhuc certum videtur posse de se Missas imminuere, quia jam a fundatore res præstabilita habetur. Si vero eleemosynam designavit in genere tantum, sed Missarum numerum indicando, v. g. *Centum Missæ dicantur singulo quoque anno,* et minuatur stipendium, ita ut neque attingat solitam eleemosynam, tunc recurrendum est ad S. Sedem pro reductione ex pluribus decretis S. C. (2).

Reductione autem facta ob diminutionem redituum, si isti notabiliter augeantur, an sint de novo augendæ Missæ, alii negant, nisi aliqua sit facta limitatio in dispensationis concessione; quia gratia absolute facta debet esse mansura. Verum affirmant alii; eo in casu dispensatio non censetur absolute concessa, sed sub conditione, *si causa perduret,* cum habeat tractum successivum; id æquitas postulat et talis præsumitur intentio dispensantis *(Scavini,* l. III, n. 263).

ART. 2. — De Missæ Requisitis, ac Cæremoniis de lingua et voce.

565. **Requisita ad Missam.** Hæc generatim requiruntur tum ex Rubrica, tum ex Decretis S. Rituum Congregationis atque communi Doctorum sententia.

I. *Altare lapideum* ab Episcopo consecratum; vel saltem *ara lapidea* consecrata et in altari inserta, quæ tam ampla sit, ut ho-

(1) Actio ad exigendum a Demanio ut impleantur onera beneficii suppressi, competit loci ædituis (vulgo *fabriceri),* si onera respiciunt utilitatem publicam, ut esset Missa in festo celebranda præscripto tempore pro populo. Item alii quorum interest possunt id urgere, maxime municipium quod curat populi commoditatem.

Si testator hæredibus imposuit annuam celebrationem tot Missarum, parochus potest legaliter ad id compellere hæredes; si tamen jus invigilandi quoad implementum testator eidem in testamento vel alio publico actu tribuerit; secus non. *Giornale delle Leggi.*

(2) Olim ex Tridentino (sess. XXV, c. 4 *de Ref.)* Episcopi erat Missas reducere ante Tridentinum impositas, vel in ipso limine fundationis antequam acceptarentur.

Sed hæc facultas sublata est ab Urbano VIII et Innocentio XII; ideo semper ad Apostolicam Sedem recurrendum, nisi in ipsa beneficii fundatione cautum sit expresse, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere. Sunt tamen qui putant contra alios posse Episcopum moderari officia, preces, eleemosynas et anniversaria; quia prohibitio loquitur tantum de Missis *(S. Alph.,* l. VI, n. 381). De Missarum stipendio et reductione plura apud Scavini, *l.* IV, *Append.* 57ª et 58ª.

Hæc autem sunt notanda *pro praxi,* quæ deducuntur ex lege reductionis ac communi Doctorum: 1) Tempore litis circa aliquod Beneficii jus, non licet suspendere Missarum celebrationem ad litis expensas compensandas, nisi primum obtineatur facultas a superiore. Item neque ad augendam dotem vel aliud simile; item neque

stias, particulas consecratas et majorem partem calicis capiat. In altari requiruntur tres mappæ: sufficiunt tamen una separata et altera duplicata. Rubrica præscribit, ut mappæ benedicantur. Celebrare supra mappam non benedictam veniale est. Item præscribitur, probabilius sub veniali, *pallium*; et quoad fieri potest, coloris diei; excipe nisi ex marmore vel plastica sit, ut hodie passim *(S. Alph.*, l. VI, n. 372; plura *Scavini*, l. IV, n. 362).

Altaria plura in una ecclesia maxime conferunt ad cultus majestatem, atque ad devotionem excitandam. Item rite super altare *Sanctorum Reliquiæ* collocantur, eas enim intuendo ad virtutem accendimus; item *flores*, qui lætitiæ et honoris signa sunt. Contrarii autem errores damnantur propositionibus 31, 32, 33, Synodi Pistoriensis (v. *Scavini*, l. II, n. 168; l. IV, n. 362).

II. *Calix ab Episcopo consecratus*. Calix execratur seu amittit suam consecrationem si separetur a suo pede, et cuppa sit pedi affixa (non si pes tornatilis); si notabiliter frangatur in cuppa, vel si in fundo perforetur; item ex S. R. C. 14 jan. 1845, si de novo deauretur; non autem probabilius, si inauratio deperdatur (1).

III. *Patena*. Quæ sub gravi oportet, ut sit intus aurata, et ab Episcopo consecrata. Item *Ciborium* seu *Pyxis* pro reponendis particulis consecratis vel pro deferendo Viatico, quæ oportet ut sit solida decentique materia eaque munda; sed Pyxis (addunt et *lunulam* Ostensorii, quæ immediate tangit Sacramentum) verius satis est, ut benedicatur juxta formam quæ habetur in Rituali. S. R. C. 16 novembris 1649 *(S. Alph.*, l. VI, n. 385).

Calices ex quanam materia conficiendi sunt? S. Rituum C. 1 sept. 1866 interrogata: « An calices ex alluminio sive puro sive aliis metallis commixto *(bronzo d' alluminio)*, attenta eorum pulcritudine et soliditate, necnon paupertate ecclesiarum ruralium præsertim in Gallia, adhiberi possunt in Ss. Missæ sacrificio? Audito prius voto cl. Regnani, respondit: *Nihil esse innovandum* (2). Iterum

hoc modo compensare expensas pro canonica institutione et in Beneficium immissione, inconsulta S. Sede. Item si debitor aliquis morosus sit ad canonem solvendum pro Beneficio, non ideo beneficiatus Missarum implementum proprio marte suspendere debet, neque etiam si non habeat reditus sufficientes pro illarum adimplemento — 2) Non licet proprio marte Missas imminuere, quia fundi taxa majori gravati sunt, sed recurrendum ad superiorem. Excipe nisi Beneficium sit *ad ratam reditus*; vel reditus in totum deficiant — 3) S. Concilii C. prohibet, approbantibus Urbano VIII et Innocentio XII, ne Capitula, Parochi, Confraternitates onera perpetua Missarum suscipiant sine expressa Episcopi licentia, cujus quidem est videre et judicare, num ea onera sustineri valeant.

(1) An calices, et alia remaneant benedicta aut consecrata, si quis in illis sacrificet non *benedictis* nec *consecratis*, quæstio est. Sed non recedendum a sententia negativa; nam non est certum, quod per contactum specierum Sacrarum, res consecrentur — Si calice impie usi sunt hæretici vel alii, non amittitur consecratio. Neque vestis sacra ad usus profanos adhibita, amittit benedictionem *(S. Alph.*, l. IV, n. 376; l. VI, n. 330).

(2) Cl. Regnani physico-chimicæ professor, specialis Consultor assumptus a S. Rituum C. quoad alluminium, materias calicum in tres classes distinguit et alias *præscriptas*, alias *permissas*, alias *vetitas* dicit. *Vetiti* diversis temporibus fuerunt calices lignei, lapidei, cornei, vitrei, cuprei vel ænei, ex auricalco. Ex *permissis* iis omissis qui diversi generis olim ob paupertatem in usu saltem precario fuerunt, unice commemorat stamneos; sane stannum non est porosum porositate continua, non ærugini obnoxium, nec fragile, etc. *Præscriptas* modo vocat calices aureos et argenteos. V. *Acta S. Sedis*, t. II, VI et VIII. Scavini, l. IV, n. 367. Berengo, *Enchiridion Parochorum*, p. 3.ª, c. 1, a. 8.

tamen renovata causa, mutatis proportionibus alluminii, proposita inargentatione *christofle*, exposita grossitudine inaurationis ac fabricæ stemmate etc.; iterum audito Regnani, Pius IX 6 dec. 1866 permisit, ut calices et patenæ sic confectæ adhiberentur — Ultimo S. R C. interrogata ab Academia liturgica in Urbe erecta: « 1) An fabricari possint calices pro sancto sacrificio Missæ, quorum cuppæ sint ex metallo, auricalco vel cupro confectæ? — 2) An hujusmodi cuppæ etsi inauratæ licite consecrari queant ab Episcopo? — 3) An tolerari possit quod ecclesiæ quæ prædictos calices jam habent, eorundem usum valeant retinere? respondit 20 martii 1875 ad 1m *Serventur Rubricæ.* Ad 2m *Provisum in primo.* Ad 3m *Abusum esse interdicendum, congruo tamen assignato tempore, ut de aliis calicibus provideantur.* » Ex hac declaratione Romani rubricistæ tuentur calices omnes qui non habent saltem cuppam argenteam intus auratam non amplius permitti; nam dubium propositum ac responsio est de metallo in genere, nulla facta exceptione. Et revera hodie Episcopi generatim renuunt consecrare calices, quorum cuppa argentea non sit; etsi in Jure canonico et in Rubrica permitterentur etiam calices ex stamno (v. *d. Thomas*, 3 p. q. 83, a. 3 ad 6); etenim disciplina variare potest.

IV. *Vestes sacræ*, benedictæ ab Episcopo vel ab alio habente facultatem, nempe amictus, alba, cingulus, manipulus, stola, planeta, dalmatica et tunicella. Graviter peccat qui celebrat sine alba aut planeta; imo verius etiam sine stola aut manipulo; aut cum ipsis non benedictis, nisi excuset gravis necessitas. Dicunt autem non esse mortale celebrare sine cingulo aut amictu, aut iis non benedictis. Hic obiter notandum quod cordulæ manipuli, cinguli vel amicti nulla benedictione indigent et libere mutari possunt; cum non inserviant nisi ad commoditatem — Vestes execrantur, quando usum deperdunt, ut si ab alba manica abscindatur, vel cingulum ita rumpatur, ut neutra pars cingere possit, vel stola nequeat humeros operire. Porro vestes sacræ convenientissime adhibentur tum ob eorum symbolicam significationem; tum quia, ut ait d. Thomas (*Suppl.* q. 40, a. 7), designant idoneitatem, quæ in ministris requiritur ad tractanda divina. Consulantur cæremoniarum expositores (*S. Alph.*, l. VI, n. 376).

Indumenta sacerdotalia, planeta, stola, etc., integra, munda et pulcra sint, quoad potest. An autem planetæ ex lana permittantur, S. Rituum Congregatio 18 dec. 1877 respondit: *Usus ecclesiarum laneas casulas non admittit.* Item casulæ fieri non possunt ex simplici tela linea vel ex gossypio *(percallo)* ex S. R. C. 23 sept. 1837; aliter esset si illa sint ex gossypio contesta et elaborata ex eadem S. C. 18 maji 1819 — S. Officii C. 17 nov. 1614 prohibet ne unquam in hæbreorum manus deveniant vestes, imagines, libri aliaque sacra ad usum Ecclesiæ deputata, quamvis lacera ac detrita.

Color autem paramentorum etiam pluvialis, probabilius est de præcepto; non tamen gravi, scandalo præcluso. Satius est quocunque die facere Sacrum in quocunque colore, quam illud omittere: et excusat quævis rationabilis causa. Et si ecclesia ob paupertatem nequeat habere paramenta distincta, recurrendum ad Episcopum pro facultate utendi planetis plurium colorum ex S. C. 23 maji 1846. Cingulum erit album, sed etiam potest esse coloris paramentorum, et congruentius adhibetur lineum, quam sericum ex S. R. C. (*S. Alph.*, l. VI, n. 378, et *Scavini*, l. IV, n. 382).

V. *Corporale*, et quidem sub gravi benedictum (quod non amittit benedictionem per lotionem). Corporalia sicut et purificatorium, alba, amictus, mappulæ, palla debent esse ex lino vel cannabe.

VI. *Palla benedicta*, de qua S. R. C. 1852 habet: *Non obstantibus decretis S. Rituum C. potest in sacrificio Missæ uti Palla a parte superiore drappo serico cooperta, dummodo palla linea subnecta calicem cooperiat, et pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa* (S. Alph.) l. VI, n. 386).

VII. *Purificatorium*, non oportet, ut sit benedictum ex S. Rituum C. 7 sept, 1816. Idem dic de Bursa *(S. Alph.*, l. VI, n. 389).

VIII. *Missale* continens saltem integrum canonem. Dicunt tamen communissime non esse mortale quandoque celebrare sine Missali, si haberi nequeat, et celebrans memoriter bene sciat totam Missam et removeatur scandalum *(S. Alph.*, l. VI, n. 390).

IX. *Minister inserviens* sub mortali: nisi adsit Pontificia dispensatio vel urgeat gravissima causa, v. g. dandi Viaticum; aut ad hoc ut populus vel ipse celebrans satisfaciat Missæ præcepto; vel addunt si necesse sit celebrare ad victum procurandum, ad legatum adimplendum. Cæterum probabiliter docent, quod incœpta Missa permittitur celebranti pergere sine ministro, si iste abscesserit, et de brevi non revertatur, ne sacrificium interruptum maneat, maxime si sit jam facta oblatio — Minister autem debet esse masculus, in habitu decenti et (quoad potest) clericus cum cotta. Fœminæ in jure, etsi agatur de monialibus, sub gravi prohibentur. Attamen S. R. C. 27 augusti 1836 declaravit, sacerdotem (omnibus sibi prius dispositis, ne mulieres immediate inserviant altari) posse uti ministerio mulieris pro responsis (extra presbyterium), urgente necessitate. In Missis privatis sufficit, ait d. Thomas, *unum habere ministrum qui gerit personam totius populi catholici*, 3 p. q. 83, a. 5. (Vide s. Alph., l. VI, n. 391) (1).

X. *Crux cum Crucifixo* (saltem sub veniali) est ponenda visibilis tam celebranti quam populo; ex S. R. C. 17 sept. 1822. Si tamen adest statua, aut imago Crucifixi in majori tabula altaris depicta etsi velata, non oportet ut alia Crux ponatur ex Benedicto XIV, Constitutione *Accepimus*. Crux non debet esse de præcepto benedicta ex S. R. C. 12 julii 1704; idem dicendum de aliis imaginibus in altari collocandis. Et crux ponenda est ad Missam, etiam exposito Ss. Sacramento *(S. Alph.*, l. VI, n. 393).

XI. *Duplex candela accensa ex cera, in Missis privatis* (2). Sub gravi prohibetur celebrare sine ullo lumine, etiamsi urgeat necessitas ministrandi Viaticum; et ideo si ante consecrationem deficiat omnino lumen, desistendum est a celebrando. Est autem mortale celebrare cum candelis ex sebo vel oleo; quia talis usus est indecentissimus et prorsus alienus ab Ecclesiæ consuetudine. Excipiunt probabiliter casum extraordinarium necessitatis, et modo absit scandalum. Communius tamen et probabilius docent esse veniale tantum præciso scandalo, celebrare ex aliqua rationabili causa (addunt aliqui etiam solæ devotionis) cum uno lumine cereo *(S. Alph.*, l. VI, n. 394, et *Scavini*, l. IV, n. 351).

(1) Sacerdos non faciat scrupulum si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet se ipsum vel circumstantes vel ordinem Missæ. Si plura sint omissa a ministro, ipse supplere potest. *Salmanticenses* et *Croix*. Curandum tamen, ut pueri instruantur eos etiam aliquo præmio alliciendo, ad hoc ut decenter ac rite Missis inserviant, prout tantum ministerium decet.

(2) Etsi in Missis privatis simplicis sacerdotis duo tantum lumina accendi debeant, id tamen non turrit ratione solemnitatis vel Missæ parochialis vel Conventualis, licet sine cantu; tunc tolerari possunt plusquam duo cerei. *S. R. C.* 12 septembris anno 1857.

XII. *Ex parte ipsius sacerdotis* requiritur, ut veste talari indutus, cum conspicua tonsura, ac decenti collari et calceatus reverenter accedat ad templum Missam celebraturus, ut majestas sacrificii requirit et populis veneratio ingerenda. Nulla gravi culpa inquinatus, devotam præmittat præparationem, legat Calendarium, quærat in Missali signa, lavet manus, calicem paret, super quem præter velum et bursam nihil ponere debet, sacra indumenta orationes proprias recitando sumat, birreto caput tegat, cum calice, facta crucifixi reverentia, devote ad Altare accedat, se aqua benedicta signando, si commode fieri possit *(S. Alph.,* l. VI, n. 402) (1).

Casus. Dionysius sacerdos pergens ad Oratorium Missam celebraturus non invenit pallam; nolens Missam omittere, cum in prompta habeat duo Corporalia, unum adhibet pro palla. *Non videtur improbandus, si commode non poterat pallam habere; quia cum Corporale sit benedictum, potest eo in casu pallam supplere.* Bersani.

Monitum et *conclusio.* Ut in omni ecclesia, altari, sacristia omnique sacra supellectile nitor munditiaque eluceat, id quod etiam Innocentius III in Lateranensi cavit, magna cura et diligentia a sacerdotibus, clericis aliisque ecclesiæ ministris adhibenda est *(Conc. Prov.* V). Maxima utique debetur observantia erga sacram supellectilem utpote divino servitio mancipatam; *ex quo aliquid deputatur ad cultum Dei* (ait d. Thomas, 2, 2, q. 90) *efficitur quoddam divinum, et debetur ei reverentia quæ fertur in Deum.* Et parochus, si in his nulla sit cura, si vilia et sordida adhibeat, potest graviter delinquere. Neque pauperiem accuset, hæc stare potest cum munditia, et nitore ex dictis t. I, n. 271 (2).

566. **Benedictio Paramentorum, et Ss. Vasorum Consecratio.** Consecratio calicis, patenæ, altaris; imo ipsa indumentorum benedictio ad Episcopos privative spectat: ideo neque possunt ipsi abbates sine privilegio speciali. S. R. C. 16 maji 1744 *(S. Alph.,* l. IV, n. 478). Episcopi autem a S. Sede obtinere solent facultatem alios delegandi ad sacras supellectiles benedicendas, pro quibus tamen sacra unctio non adhibetur.

(1) Prohibitio generatim data non admittendi ad celebrandam Missam peregrinum et externum sacerdotem sine literis commendatitiis sui Ordinarii (ex Tridentini præscriptione, sess. XXII, c. 9: *De observandis et evitandis in celebratione Missæ)*, est intelligenda de peregrino ignoto (excepta speciali Episcopi prohibitione); non autem de extraneis bene notis, ut communiter docent cum Schmalzgrüeber, Wiestner, Zipœo, Sanchez, Ferraris, Barbosa, etc. V. Bouix, *De Episcopo*, p. 5ª, c. 26.

(2) Ut omnia (ad rem cl. Berengo) circa sacra indumenta et altaris supellectilem rite recteque procedant, meminerint parochi seu sacristæ ab eis deputati, sui in primis muneris esse, ea non raro explorare, excutere, reficere; neque enim scissuræ, maculæ, lacerationes, vitia ulla quanquam leviora videantur, in eis ullo pacto toleranda sunt *(Enchiridion Parochorum).* V. Scavini, *l.* IV, *n.* 403. Cardinale Morozzo Vescovo di Novara, *Delle sacre cerimonie;* appendice, *della Chiesa e delle sacre sue suppellettili.* Ricardi, *Dei doveri degli ecclesiastici.* Mach, *Il tesoro del sacerdote,* etc.

« Non si capisce come certi preti, che sono di una pulitezza ricercata su tutto il resto, si servano di Corporali e di Palle, che fanno orrore. *Credete voi,* disse monsignor vescovo d'Amiéns ad un Parroco, nella Chiesa del quale trovò Corporali estremamente lordi, *credete voi la presenza reale?* Il Parroco risponde non essere persona, che la creda più sinceramente di lui. *Tanto peggio,* riprese vivamente il Vescovo, *imperocchè se non la credeste voi non sareste che un eretico; ora credendola, voi siete un empio. Lo stato di questo pannolino, sopra il quale voi ponete quel che credete il Corpo di Gesù Cristo, ne è la prova.* Nè vale mettere innanzi la tenuità delle rendite: qui non si tratta di lusso, ma di pulitezza: la nettezza non è cosa di borsa, ma di braccia. » *Scavini,* l. IV, n. 1.

Vicarius capitularis nequit sine pontificio privilegio benedicere paramenta; nam est de potestate Ordinis: neque campanas (ut dicunt) baptizare, et eas benedictiones facere, quæ unctionem requirunt, etsi eas possit delegare alteri Episcopo. Novas tamen cruces, primos lapides ecclesiæ ædificandæ, novas ecclesias ac cœmeteria potest benedicere, quia id quilibet sacerdos ab Episcopo delegatus valet. Item reconciliare cœmeterium; vel ecclesiam pollutam (non tamen si prius fuerit consecrata). Marchetti. *Praxis Vicarii capitularis.*

Benedictus XIV docet Pluviale inter vestes sacras adnumerari et ideo Romæ benedici; item Cingulum videtur benedicendum et de ejus benedictione meminit Pontificale. Cotta tamen, velum et bursa non sunt de necessitate benedicenda, etsi laudabiliter omnia simul cum cæteris indumentis sacris benedicantur. Non tamen benedicitur Baldachinum, nec Missale neque Tabellæ, manutergium, candelabra, vasa, pallium et similia.

Tactus sacrorum Vasorum. Audiendus Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIV: « Certum est (licet mitiores recentium scriptorum opiniones sequi velimus) sacerdotibus tantum ac diaconis potestatem fieri, ut sacra Vasa contingant, in quibus Christi Corpus et Sanguis habeantur. Subdiaconis tribuitur, dum altari ministrant, Calicem et Patenam tangere, ubi Christi Corpus et Sanguis non sit. Acolytis autem extra Altaris ministerium eadem facultas traditur, cum vasa sacra ad Sacrificium necessaria præparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est, ut ordinati omnes et qui sola tonsura præditi sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa dum vacua sunt, extra Altaris ministerium contingant. » Hæc sententia communissima et verior appellatur a s. Alphonso, l. VI, n. 582 — Ait autem peccatum esse tantum veniale in laicis, si sacra Vasa extra necessitatem tangant Eucharistiam non continentia; cum non reputetur hæc materia gravis. Id tamen permittitur laicis regularibus sacristis ex privilegio Callisti III et Sixti IV; item monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum.

Lotio Corporalium, Pallarum, Purificatoriorum. Lotio prima fieri debet a sacerdote, vel diaconis aut subdiaconis, et aqua lotionis mitti in Sacrarium. Nec fieri potest sine Indulto a tonsuratis. Si primam lotionem faceret laicus, vel aqua lotionis non mitteretur in Sacrarium, id non posset excusari a veniali ex cap. *Nemo* LX *de consecr.* — Quæsitum fuit a S. R. C.: Utrum moniales seu piæ fœminæ vitam communem sub regula degentes, possint cum licentia Ordinarii, primo abluere corporalia, pallas et purificatoria? Respondit *negative;* 12 sept. 1857 (*S. Alph.*, l. VI, n. 382; et *Scavini*, l. IV, app. 53ª, 54ª et 55ª). Attamen privilegium ad tempus obtinent moniales.

567. **Missæ Cæremoniæ.** Nihil est in Missæ cæremoniis, quibus utitur Ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium. De fide est a Tridentino definitum; nonnullæ enim præceptæ sunt ab ipso Christo, ut patet ex Eucharistiæ institutione; aliæ immediate ab Apostolis, quas innuit Paulus I Cor. II; aliæ ab ipsa apostolica traditione, uti evincunt antiquæ Liturgiæ, quæ supersunt: et Patres antiquissimi confirmant, ut Justinus, Tertullianus, Cyprianus, etc., qui modo unum, modo alterum ritum memorant. Idque exigit, ut habet idem Tridentinum, tum tanti

Sacrificii majestas; tum hominis infirmitas, qui nonnisi adminiculis exterioribus ad rerum divinarum contemplationem attollitur (V. *s. Angelicus*, 3 *p. q.* 83, *a.* 4) — Patet autem ex pluribus etiam recentioribus Decretis S. Rituum Congregationis Rubricas Missalis intra Missam esse præceptivas. Quapropter non excusatur a veniali, qui advertenter omittit unam benedictionem, inclinationem capitis, genuflexionem; vel advertenter non genuflectit usque ad terram, altaris deosculationem omittit, perturbat benedictiones eas agens nimis celeriter aut nimis prolixe (v. *supra* n. 415; *et* t. I, n 117).

Dixi: *Intra Missam,* rubricæ enim quæ extra Missam notantur idest ante vel post Sacrum, ex sententia quam sequor, aliæ habentur communiter uti præceptivæ, ut orationes in induendo vestes; item lotio manuum ante Missam (et quidem sub mortali, si manus sint valde immundæ). Aliæ vero habentur tantum ut directivæ, ita ut per se sine peccato omitti valeant, ut est lotio manuum post Missam *(S. Alph.*, l. VI, nn. 339 *et seqq.)*.

Ante Missam sacerdos pia recollectione sese disponere debet ad tantum sacrificium; itemque post Missam saltem quartam horæ partem impendere in gratiarum actione. S. Alphonsus enixe orat, ut semihora in hoc pio exercitio impendatur *(Praxis,* n. 156; *Op. mor.*, l. VI, n. 400).

Quamvis vero ex communi sententia quoad orationes illas, quæ adsignantur in Missali ante et post Missam recitandæ non adsit præceptum, sed tantum insinuatio, cum ibi dicantur *pro opportunitate* (hoc est commoditate) *dicendæ;* attamen, ait s. Alphonsus, sacerdotem qui sine ulla præparatione, saltem domi facta, ad sacrificandum accederet, puto ab aliqua culpa non excusandum. Ideo magis quia in Rubrica legitur: *Sacerdos celebraturus aliquantulum orationi vacet* (id est saltem ad quadrantem) — Quod multo magis valet quoad gratiarum actionem, absoluta Missa, si aliqua devotio nos adhuc tenet, et si de tanto peracto mysterio fides in nobis est. Imo si omissio sit habitualis, aperta et continua vix excusari posse videtur a gravi culpa ob gravissimum saltem fidelium scandalum (1).

Præter Rubricas Missalis habentur etiam, ex dictis, decreta ac declarationes S. Rituum Congregationis, quæ facultatem habet a Sisto V dubia circa ritus declarandi: ideoque illius resolutiones habentur uti Pontificia oracula, quin obstet contrarius usus licet immemorialis (nisi ab ipsa Congregatione probatus sit; ex S. R. C., 11 sept. 1847). Cæterum quisque tuta con-

(1). V. s. Alph. *Delle cerimonie della Messa.* It. *Delle sacre cerimonie, trattati proposti dal Card. Morozzo Vescovo di Novara.* Matteuci, *Manuale Sacrarum Cæremoniarum.* Antiero, *Esposizione letterale, storico-dogmatica del sacrificio della Messa:* Napoli, 1878.

scientia ad majora vitanda mala et perturbationes, se conformat contrariæ consuetudini, si vigeat in sua Diœcesi, in rebus quæ non cedunt in deformitatem cultus publici. Hinc S. ipsa C. 9 maji 1857 de quodam usu Rubricis contrario respondit: *Episcopus Rubricarum observantiæ consulat; quoties tamen admiratio in populo non oriatur, et prudenter et absque scandalo fieri possit, ut hujusmodi usus... oppositus sensim tollatur.*

Novissimæ S. Rituum Congregationis decisiones. 1) Si sacerdos bona fide celebravit cum vestimentis nondum benedictis, non ideo benedicta remanent; 31 aug. 1867 — 2) In Benedictione gulæ dicendum erit tantum: *Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus a malo gutturis. Amen;* 20 martii 1869 — 3) Lignum S. Crucis thure adoletur triplici ductu a sacerdote non genuflexo, etiam feria VI in Parasceve; 20 martii 1869 — 4) Stola adhibenda est in conficiendis et administrandis Sacramentis et Sacramentalibus; etiam in Concionibus si adsit consuetudo immemorabilis, 11 martii 1871 — 5) Sacerdos assistens Episcopo in celebratione Missæ privatæ stolam gestare non debet; 4 sept. 1875 — 6) Sacerdos celebrans sine ministro non debet bis dicere *Confiteor* ante Introitum; 4 sept. 1875 — 7) Si Missa cantatur sine ministris et nullus sit sacerdos, vel clericus inserviens qui cotta indutus epistolam cantet, satius erit quod epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante; nunquam vero in ecclesiis monialium cantetur ab una ex eis; 23 apr. 1875 (1) — 8) Serviens in Missa privata (juxta de causa ad altare ubi est expositum Ss. Sacramen-

Ad rem in quadam Epistola pastorali ajebat archiep. Meclin.: *Cum s. Carolo volumus, ut sacerdotes omnes, peracta Missa, nisi forte velox caritas aliave res gravis momenti, quæ moram non fert, eos alio avocet, aliquandiu pro summi beneficii munere Deo gratias agant. Quippe laici qui hac in parte plerunque religiosiores videntur esse, non leviter scandalizantur, quando vident sacerdotes, peracto Sacro, in plateas prodire. Sacerdotes debent esse imitatores ss. Apostolorum qui non ante exierunt a Cœnacolo, quam hymno dicto; solus proditor Judas ante exivit* (S. Alph., *Opus mor.*, *l.* VI, *n.* 411; item *La Messa e l'Officio strapazzati).*

Est autem redarguendus abusus qui crescit in dies, confabulandi, ridendi, etc., dum sacerdos ad Missam se parat, vel vix ab altari recedit. De tali sacerdote quæri nonnunquam potest cum Tertulliano: *sacrificat, an insultat?* « Non si può vedere senza indignazione il disordine, la confusione ed il tumulto che regnano in un gran numero di Sacrestie. I Concilj hanno ordinato in que' luoghi la compostezza e il silenzio. Le Sacrestie fanno parte della casa del Signore; si può forse con sicurezza di coscienza farne un luogo di novelle, di trattenimenti affatto profani, e talvolta di discorsi indecenti? » *(Scavini,* l. IV, n. 1).

(1) Sacrarum autem rerum dignitati non convenit fœminas conducere ad officium cantoris exercendum. Synodus Anthiochena jam a primæva ætate prohibuit ut simul cum viris mulieres canerent; et Innocentius XI id prohibuit monialibus etsi in propria ecclesia. Synodus Mediolanensis XXXII hunc abusum omnino proscribendum decernit; et in locis hactenus toleratus, ut in Anglia, Gallia, Germania, Helvetia, etc., passim data occasione, non amplius urgente necessitate, aufertur. V. Moroni, *Dizionario* etc. V°. Musica. Et Scavini, *l.* IV, *n.* 355.

Quoad cantum Gregorianum venit quammaxime laudandum Antiphonarium nuper editum Ratisbonæ, a peritis a S. Rituum Congregatione deputatis revisum et a Leone XIII Brevi 15 nov. 1878 vehementer commendatum locorum Ordinariis cæterisque quibus musicæ sacræ cura est, *ut sic cunctis in locis et diœcesibus, tum in cæteris quæ ad sacram liturgiam pertinent, tum etiam in cantu una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.* Item de *Graduali.*

tum celebrata) debet genuflectere unico genu in ipsa Missa, dum transit ante altare; utroque vero genu in principio et in fine, id est in accessu et recessu ab altari; 7 julii. 1877.

568. **Lingua in Missa.** Contendunt Jansenistæ Missam lingua vulgari esse celebrandam. Verum id nec licet nec convenit. 1) *Non licet*, cum id proscribat Tridentinum sub anathemate (sess. XXII, c. 9); item Clemens XI Constit. *Unigenitus*, et Pius VI Constit. *Auctorem fidei* — 2) *Non convenit;* tum quia de facili in contemptum venirent sacra; tum quia infinitæ esse deberent versiones liturgicæ: et hoc nec dignitati, nec gravitati Missæ congrueret; et item dicendum de omnibus Sacramentis. Satis autem fovetur fidelium pietas etsi ipsi latinum ignorent; cum jam sciant pergrande opus cui assistunt et Pastores illis explanare teneantur quæ in Missa peraguntur, et infiniti sint libri qui illa exponunt (v. *Scavini*, l. IV, n. 356).

569. Neque omnia in Missa sunt alta voce recitanda: idque ob majorem venerationem quæ per silentium promovetur tum in sacerdote tum in adstantibus, quo fit ut attentius quæ peraguntur meditari possint. Et ita semper fuit in usu. Hinc Tridentinum contra protestantes: *Si quis dixerit Ecclesiæ romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse... anathema sit* (sess. XXII, can. 9). Et propositio Synodi Pistoriensis, quæ optat ut liturgia *alta voce* proferatur, damnata fuit a Pio VI uti *temeraria, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.* Perrone.

570. *Resolutiones.* 1) Sacerdos infirmus potest Missam celebrare etsi non valeat observare omnes Rubricas, modo paucas et leviores antum omittat, maxime si privatim celebret. Dicunt autem plures eum qui non potest celebrare sine baculo, licite posse illo uti. Item si quis non valeat elevare Hostiam, potest etiam publice celebrare, modo vitetur populi admiratio. Cæterum praxis retinenda habet, ut fiat recursus ad S. Sedem, maxime si celebrans nequeat se vertere ad populum *(S. Alph.,* l. VI, nn. 387, 402).

2) Mortale est celebrare totam Missam cooperto capite; est enim graviter indecens et Rubrica id prohibet. Attamen probabiliter dicunt non esse illicitum sine dispensatione celebrare cum pileolo (excepto canone et præciso scandalo) ex rationabili causa, et si celebretur in loco privato, vel adstantibus causa sit manifesta, v. g. ob senectutem sacerdotis vel loci frigus extraordinarium.

3) Illicitum est ex decreto Innocentii XI sine Pontificis dispensatione celebrare cum coma adscititia. Sed hæc prohibitio abiit pluribus in locis in desuetudinem; quod magis tenent, si adhuc patenter conspiciatur tonsura (v. *Scavini,* l. I, n. 567).

4) Cum *Passio* sit pars notabilis Liturgiæ, qui illud non potest legere si præcipitur, neque Missam celebret sine Papæ dispensatione.

5) Si omittantur partes ordinariæ, nempe quæ in Missa semper dicendæ vel agendæ sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in Canone quamlibet orationem; vel *Pater noster;* vel fractionem Hostiæ et illius mixtionem in calice; vel purificationem patenæ et calicis post sumptionem; vel octo, aut decem verba Canonis. Sic pariter erit mortale extra Canonem omittere totum Introitum, vel duas ex Collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium; vel infusionem aquæ in vinum consecrandum — At veniale erit in purificatione calicis sola aqua uti, nisi accedente rationabili causa, ut puto si sacerdos sit abstemius, vel vinum esset rubeum, quo nempe purificatoria evaderent indecenter maculata.

Item erit veniale omittere tantummodo Psalmum *Judica; Kyrie eleison;* unam ex *Collectis;* unam vel alteram *crucem* super oblata; *tunsionem pectoris;* vel *ablutionem digitorum.* Et item probabiliter dicunt De-Lugo et alii de *Evangelio s. Joannis.* Sic quoque veniale tantum est omittere partes extraordinarias, uti sunt *Gloria, Credo, Sequentia, Tractus,* propria *Præfatio,* aut *Communicantes* et *Hanc igitur,* propria. Ita communiter, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem constituunt materiam (*S. Alph.,* l. VI, n. 408; *Scavini,* l. III, n. 265).

6) Si addantur aliæ Collectæ præter præscriptas (importuna devotione), ex eodem tamen Missali sumptæ, erit veniale; cum sit contra decreta (*S. R. C.* 12 aug. 1834) — Si quæ vero extraordinariæ Orationes a superiore injungantur, semper dicendæ sunt post ordinarias de die vel de tempore, nulla ex his omissa, ne illa quidem quæ *ad libitum* dicitur (*S. R. C.* 17 aug. 1709). Dicitur *ad libitum,* non quia possit omitti, sed quia sacerdoti liberum est unam ex pluribus, quæ habentur in Missali, eligere.

CAPUT TERTIUM

De Valore, Fructibus et Applicatione Missæ Sacrificii.

571. **Missæ valor et fructus.** Missæ *valor* est illa efficacia, quam habet Sacrificium ad conferenda bona offerenti et iis, pro quibus offertur, tum ex dignitate principalis offerentis, qui Christus est; tum ex dignitate rei oblatæ, quæ iterum Christus est. Unde patet Missam in se spectatam esse infiniti valoris et pretii, ac per illam Deum infinite honorari (*D. Thomas,* in 4, d. 45, q. 2, a. 4, q. 3; *s. Alph.,* l. VI, n. 312).

Fructus vero sunt bona ipsa, quæ intuitu Sacrificii de facto Deus confert. Unde valor a fructu differt, veluti causa ab effectu. Missæ fructus uti communicatus non potest esse infinitus; quia illius creatura capax non est (1).

Fructus autem tripliciter distinguitur: 1) Ex parte offerentis — 2) Ex parte efficaciæ — 3) Ex parte extensionis.

572. **Missæ fructus ex parte offerentis.** Cum duplex sit offerens, Christus et Sacerdos, hinc duplicis generis est fructus Missæ ex hoc capite. Prior est ab ipso Christo offerente, et dicitur *ex opere operato,* quia provenit intuitu meritorum Christi

(1) Item ratio habenda est offerentis dispositionis, et divinæ misericordiæ consilii: hinc Angelicus: *Quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiæ sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum Altaris sacrificium tota pœna eorum qui sunt in purgatorio expietur; sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis; unde et quandoque plures Missæ in satisfactionem unius peccati injunguntur* (4 sent. d. 45, q. 2, a. 4).

et ejus promissionis, independenter a probitate vel improbitate ministri, et est quod principaliter attenditur in Missa, et in omnibus suffragiis, quæ nomine Ecclesiæ fiunt. Alter est ab ipso sacerdote offerente, quatenus provenit intuitu devotionis ipsius sacerdotis celebrantis et dicitur *ex opere operantis: ex qua parte Missa mali sacerdotis minus valet quam Missa sacerdotis boni,* (Angelicus, 3 p. q. 82, a. 6; et Suppl. q. 71, a. 3).

573. **Missæ fructus ex parte efficaciæ.** Missæ Sacrificium maximam habet efficaciam: nam est latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium *(S. Alph.,* l. VI, n. 311).

1) *Latreuticum;* offertur enim Deo ad testandum supremum in omnes creaturas dominium — 2) *Eucharisticum;* nam offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, præsertim pro Redemptione — 3) *Impetratorium;* etenim habet vim impetrandi a Deo omnia bona spiritualia et etiam temporalia, si ad animæ salutem conferant; est enim actus Deo acceptissimus et applicativus meritorum Christi — 4) *Propitiatorium;* quia et peccata dimittit quatenus peccatoribus impetrat donum pœnitentiæ, et pœnas peccatorum remittit justis, pro quibus offertur; cum hoc Sacrificium habeat vim satisfactivam. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit* (sess. XXV, can. I). Vide *Bellarminus* et *Perrone.*

574. **Missæ fructus ex parte extensionis.** Triplex distinguitur: generalis, specialissimus et specialis.

Generalis est qui in totius Ecclesiæ utilitatem cedit. Hic alicui exclusive et nominatim nequit applicari; cum sit fructus communis omnibus Ecclesiæ membris, vivis atque defunctis.

Specialissimus proprius est solius offerentis: neque offerens aliis videtur ipsum applicare posse; quia cum sit actio ipsius, impedire non potest, quominus sibi illa prosit.

Specialis (etiam *medius* et *ministerialis)* est qui aliis particulariter applicatur. Fit ad modum solis coram multitudine lucentis qui illuminat singulos; sed sine aliorum præjudicio intensitas luminis ope artificiali respectu privatorum augeri potest *(S. Alph.,* l. VI, n. 312).

575. **Principia.** Certum est Missæ sacrificium posse pro aliis offerri, etiam in particulari. Contraria propositio (n. 30) damnata

fuit a Pio VI Bullæ *Auctorem fidei;* et jam pridem in Concilio Constantiensi contra Wicleffum.

Resolve. I. Missæ sacrificium potest offerri pro omnibus fidelibus baptizatis. Pro *justis,* ut perseverent. Pro *peccatoribus,* ut resipiscant. Pro *ænergumenis,* ut a spiritu malo liberentur.

II. Potest offerri pro *hæreticis* et *excommunicatis toleratis,* ut Deus illos ad fidei unitatem reducat, istis concedat donum resipiscentiæ tanto Sacrificio placatus. At non liceret nomine Ecclesiæ Sacrificium offerre pro excommunicatis vitandis, cum a jure prohibitum sit (c. *A nobis de sent. excomm.);* etsi sacerdos illud possit eis offerre privatim et nomine proprio tantum (vide *t.* I, *n.* 526) (1).

III. Potest offerri pro *catechumenis,* ut in fide confirmentur. Probabilius etiam pro *infidelibus,* ut ad fidem veniant: sic judæi sacrificabant pro Spartanis. Et christiani in more habebant a primis temporibus pro imperatoribus paganis orandi.

IV. Potest offerri pro *animabus purgantibus,* quæ nobis caritate conjuncti sunt. Idque definivit Tridentinum (sess. XXII, can. 3 *De Sacr.)* contra Lutheranos et Calvinianos. Patet exemplo Judæ, qui *duodecim millia dracmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium* (II Mach. XII); porro si in veteri Lege proderant defunctis sacrificia, quanto magis id erit asserendum de sacrificio novæ Legis, cujus tantum illa erant figura? Et Ecclesia a primis sæculis hanc praxim perpetuo servavit, teste Tertulliano, Cypriano, Chrysostomo aliisque. Et d. Augustinus sacrificium obtulit pro matre sua. V. d. Thomas, *Suppl. q.* 71, *a.* 9).

V. Etiam in honorem *Sanctorum* offertur, sed hoc sensu: 1) Ut agamus gratias Deo pro beneficiis in ipsos collatis; nam Deus est qui cunctos condidit Sanctos, qui donavit gratiam, qui præstitit gloriam — 2) Ut obtineamus quod Sancti apud Deum pro nobis intercedant; nam amici Dei facti sunt. Idque Tridentinum definivit (sess. XXII, can. 5; vide *s. Alph.,* l. VI, n. 308).

(1) Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro turcarum, aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missæ applicatione recipere? S. Officii C. 12 julii 1865 respondit: *Affirmative, modo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.*

Utrum possit aut debeat celebrari Missa, ac percipi eleemosyna pro greco-schismatico, qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante sive extra ecclesiam manente? S. Officii C. probante Gregorio XVI, respondit: *Juxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico præberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem* (v. Scavini, *l.* II, *n.* 958: *Practicæ resolutiones quoad missionarios præcipue).*

576. **Missæ applicatio.** Ut Missa pro aliquo particulari offeratur requiritur determinatio personæ, in cujus utilitatem sacerdos vult, ut Sacrificium specialiter cedat. Sacerdos enim, et quidem solus gerit Christi personam: ergo sicut ipse solus in persona Christi Sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum ejusdem specialem applicat.

Resolve. I. Sacrificium quod saltem in consecratione secundæ speciei non fuit specialiter applicatum, non amplius potest valide applicari (saltem adæquate et complete). Quia Sacrificium producit effectum quando existit; a consecratione vero incipit: ideo neque potest pro tali Missa eleemosyna acceptari (1).

II. Missæ applicatio non necessario debet esse actualis vel virtualis; sed sufficit habitualis, seu quæ semel habita non fuerit retractata. Hinc qui in principio mensis, hebdomadæ, etc., determinat Missas celebrandas vel legatum suscipit adimplendum, satisfacit, etsi ad intentionem non amplius attendat. Expedit autem, ut applicatio fiat in ipsa præparatione ad Missam; in *Memento* vero brevi illam ratam (ut ita dicam) habendo.

III. Si fructus Sacrificii applicetur incapaci, vel nulla fiat applicatio, talis fructus remanet in thesauro Ecclesiæ; cum nihil pereat de donis Dei. Cæterum in praxi, quando dubitatur, an is, pro quo offerimus sit vel ne capax fructus, consultum est in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis vel alteri sub conditione, *si persona cui applicantur non sit capax.* In Missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus cui velimus, fructum applicare nisi sub conditione, *ne præjudicium fiat cui obligatio adest applicandi.*

IV. Applicatio fructus specialis in Missa debet quidem ad aliquam personam determinari, cum nequeat remanere suspensus. Sed sufficit, si mediate tantum et implicite illa persona nota sit sacerdoti, ut esset si sacerdos suam intentionem conformet intentioni alterius sacerdotis vel sacristæ, ex cujus mandato celebrat.

V. Quamvis sacerdos unum idemque Sacrificium pro pluribus

(1) Non videtur autem satisfacere qui accepto stipendio a decem personis pro decem Missis, applicat primas decem, quas dicit, pro ipsis in confuso: quia deest determinatio personæ in singulis Sacrificiis. Aliter esset si sic celebrando intendat, ut prima Missa sit pro primo qui dedit stipendium; secunda pro secundo et ita successive. Vel si omnes decem Missas applicet pro illis decem personis unitis, nam singulis dat quod debet; cum unicuique singulis diebus correspondeat decima pars sacrificii, adeo ut in fine singuli unam Missam habeant. Nec refert quod fructus dividatur: potest dividi (*S. Alph.*, l. VI, n. 335).

diversis applicare possit; minime tamen unico Sacrificio suæ obligationi satisfaceret, si plura stipendia pro pluribus sacrificiis accepisset. Nam Alexander VII damnavit hanc propositionem: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et unum sacrificium offerre* (S. Alphonsus, *l.* VI, *nn.* 334, *etc.)*.

577. Applicatio autem pro primo qui Sacrificium erit petiturus, est graviter illicita, et eam prohibuit Paulus V uti *periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, et a vetusto Ecclesiæ more aberrantem.* Imo probabilius est etiam invalida, si causa applicationis hic et nunc non existat; nam Missæ effectus non potest suspendi. Quod si causa de facto vere existat, applicatio esset valida: sic qui prævideret Missas pro tali defuncto postulandas fore, ante postulationem valide applicaret; quia subsistit causa et persona determinata est *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 337).

Q. *Quomodo determinanda est applicatio, si stipendia a multis ignotis dentur, ut in piis peregrinationibus evenire solet?*

R. Cum Gury: intentio facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia; quod facile succedit quando idem sacerdos omnibus obligationibus est satisfacturus. Nec obest quod ipse partem stipendiorum aliis sacerdotibus distribuat, quia eodem quo accepit ordine distribuere potest, et sic sufficienter applicatio determinata videtur.

Major est difficultas, si Sanctuarium, sacristia vel alius multa stipendia a diversis collegerit, et pecuniam confusam pluribus sacerdotibus distribuat. Tunc nil aliud faciendum est, neque aliud fieri posse videtur, quam ut applicatio fiat pro ratione ordinis temporis quo stipendia erogata sunt juxta illud: *Qui prior est tempore, potior est jure* (Scavini, *l.* III, *nn.* 266, *etc.)*.

Casus. Martialis scripsit Laurenio sacerdoti, ut decem Missas *pro defuncto* legeret. Sacerdos bona fide legit Missas, sed *pro defuncta* cum Collecta: *Quæsumus, Domine.. miserere famulæ tuæ* etc. R. Laurenius non tenetur Sacra iterare; ipse enim primariæ intentioni petentis satisfacere voluit, et ejus vera mens est, ut suffragium tribuat animæ, pro qua rogatus fuit. Ideo circumstantia sexus quoad applicationem indifferens est. *Elbel.*

APPENDIX I.

De Missis Privatis, Votivis et Defunctorum.

578. **Missæ privatæ.** Sic appellantur a Novatoribus illæ in quibus nemo communicat, vel nemo adest præter servientem: quas quidem inutiles et illicitas dicunt. At Tridentinum declaravit Missas, in quibus solus sacerdos communicat licitas esse, nec ideo abrogandas *(sess.* XXII, c. 8); nam primarius et præcipuus finis Missæ est cultum latriæ Deo exhibendi eumque nobis propitiandi. Quæ omnia præstat Sacerdos sacrificium offerendo absque Communione populi.

Nihil item obstat si Missæ nullus adsit præter ministrantem; minister enim respondet nomine totius Ecclesiæ, et sacerdos publicam personam gerit celebrando, qui proinde tribuit Trinitati laudem et gloriam, Angelis lætitiam, peccatoribus veniam, justis subsidium et gratiam, in purgatorio existentibus refrigerium *(Scavini*, l. III, n. 187).

Et propositio 28 Synodi Pistoriensis quatenus insinuat deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragitur sine ullo adstante qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participat, damnata fuit ut *falsa, erronea, de hæresi suspecta eamque sapiens.* Neque dicant Protestantes hasce Missas adversari Christi præcepto; nam in ultima Cœna Eucharistiam instituens eam Apostolis distribuit, volens ut idem ipsi facerent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc enim verba non referuntur ad distributionem Eucharistiæ, sed ad facultatem conficiendi Eucharistiam et Sacrificium, ad quod utique communio requiritur. Et etiam dato quod citata verba etiam de distributione loquantur, certo ea continent præceptum affirmativum, cui porro parendum est, habita ratione loci, temporis, personæ ac circumstantiarum; præcepta enim affirmativa non obligant semper et pro semper, ut loquuntur scholæ. *Knoll.*

579. **Missæ votivæ.** Sunt illæ, quæ ex devotione dicuntur, quin concordent cum Officio diei. Illas aliquando celebrare diebus vetitis (id est in duplicibus) communiter docent non esse mortale, secluso scandalo ac contemptu; quia in hoc non videtur adesse notabilis perversio ritus; si tamen excipiantur festa solemnia (saltem si tunc diceretur Missa votiva publice, difficulter posset excusari a gravi).

Principia. Nullum est peccatum Missas votivas dicere etiam in diebus vetitis si urgeat publica, gravis et insolita causa, v. g. necessitas pluviæ; vel sit in gratiarum actionem pro recuperatione salutis principis, episcopi; vel ob incoronationem miraculosi simulacri B. V.; vel ob publicam, solemnem et extraordinariam festivitatem, puta translationem centenariam reliquiæ alicujus Sancti. Sed infirmitas privati, professio religiosorum vel monialium aut electio abbatissæ non habetur uti causa gravis nec publica ex S. Rituum C. 24 julii 1863. Item dicendum de festo alicujus Confraternitatis; vel ob Missam quæ vel prima vice vel post annos quinquaginta solet solemniter decantari.

580. **Missæ defunctorum.** Sunt quæ celebrantur in paramentis nigris: quæ si legantur diebus vetitis a Rubrica, non excusatur a mortali qui eas legit; quia id districte prohibetur Decreto S. R. Congregationis 5 aug. 1662 approbato ab Alexandro VII; neque ideo censeri possunt permissæ, quia celebrantur in ecclesia cœmeterii pro defunctis ibi sepultis — Missa autem *de requiem* diebus permissis potest dici et applicari pro vivo, modo qui eleemosynam tribuit expresse oppositum non declaraverit: ex s. Rituum C. 29 nov. 1856.

An vero defunctis magis prosit Missa *de Requiem*, audiendus d. Thomas (Suppl. 3 p. q. 71, a. 9): *Ex parte... sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto de quocunque dicatur: et hoc est præcipuum, quod fit in Missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam; vel ejus qui jubet dici; vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.* Item per se magis prodest Missa in cantu, quam lecta.

Resolutiones. I. In Missis quotidianis *de requiem* quæ decantantur, una tantum Oratio est dicenda (excepta prima die mensis et feria secunda, si celebrentur cum diacono et subdiacono ex S. C. R. 16 apr. 1853); et in casu solum signata n. 2 vel 12, quæ est pro pluribus defunctis. Si sit pro uno defuncto, erit dicenda Oratio conveniens personæ. *S. R. C.* 19 junii 1875.

II. Orationes in quibus litera N. non invenitur, tam in Missa quam in Officio, sine nomine legendæ sunt. *S. R. C.* ut supra; 7 apr. 1832; et 22 martii 1862.

III. Tolerantur lugubria coloris albi supra feretrum adolescentum utriusque sexus innuptorum qui excesserunt ætatem infantiæ ac pubertatis in virginitatis signum; modo in fimbria albi panni supersuatur fascia nigra sufficientis latitudinis, quæ integram panni summitatem circumdet, absque ullo signo crucis. *S. R. C.* 31 aug. 1872. Non tamen id permissum est extra diem sepulturæ; ideo neque die tertio, septimo aut trigesimo, neque in anniversario. *S. R. C.* 21 julii 1855 (1).

IV. Ex indulto apostolico (ut in Novariensi) cani potest bis in hebdomada Missa *de requiem* in duplicibus etiam majoribus, exceptis festis de præcepto dupl. 1 et 2 classis, octavis et feriis privilegiatis. Hoc extenditur ad Missas cum cantu etsi non habeantur diaconus et subdiaconus. In iis unica Oratio dicenda est; et cantandaest sequentia *Dies iræ;* verum aliquæ strophæ illius a cantoribus omitti possunt. Absolutio in earundem fine est ad libitum, nisi accedat mandatum illius qui eleemosynam obtulit; 4 sept. 1875; vel alius sit usus.

V. Hæredes defunctorum vocare possunt numerum sacerdotum etiam regularium, imo et Confraternitatum sibi benevisum. *S. Episc. C.* 1617. At quoties ecclesiasticorum electio fit a parocho, qui sunt de parœcia, eique inserviunt, debent præferri. *S. Episc. C.* 23 apr. 1699.

VI. Cadavera quacunque hora diei per se ad ecclesiam deferri possunt: de nocte vero nonnisi de licentia Ordinarii. *S. C. C.* 15 martii 1704. Sed observandæ sunt præscriptiones civiles.

VII. Funus comitantes non permittantur expectare per viam vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine. *S. R. C.* 28 apr. 1651.

VIII. In funeribus ducendis tolerari potest usus currus, super quo imponitur

(1) In exequiis parvulorum, ait Martinucci, non fit locus expositioni cadaveris; id enim fit pro adultis ut suffragiis eorum animæ juventur. Neque est locus celebrationi Missæ, quia parvuli ea non egent, et error est Missam votivam celebrare Angelorum quæ instituta est ad istorum auxilium flagitandum. Verum, addit cl. Berengo, si quæ sunt locales consuetudines, quæ directe contrariæ non sint sensui Ecclesiæ, tolerari possunt; maxime si difficile sit illas auferre. Hac de causa nonnulli Parochi solent utique Missam celebrare, sed de die, illam vel pro parentibus applicando vel in gratiarum actione pro æterna infantis salute. *Il Monitore ecclesiastico*, *t.* II (Scavini, *l.* IV, *n.* 57).

feretrum equis vehendum ad ecclesiam et cœmeterium. Et parochus et clerus funus ducere possunt sacris vestibus induti, erectaque cruce ad cœmeterium; 5 martii 1870. V. t. I, n. 541.

IX. In parœcia, in qua præter parochum nullus alius est sacerdos, si in diebus s. Marci et Rogationum et in Vigilia Pentecostes occurrat sepultura quæ anticipari vel differi nequit, facienda est sepultura sine Missa defunctorum; 3 julii 1869.

X. In diebus expositionis 40 Horarum abstinendum est a celebrandis Missis defunctorum etiam solemnibus in ecclesia ubi fit expositio; ac Missa solemnis pro defunctis cani poterit die 3, 7, 30, ac anniversario a die obitus vel depositionis defuncti. 19 junii 1875.

XI. Per diem *obitus* vel *depositionis* intelligitur totum spatium ab instanti mortis usque ad sepulturam, licet plures dies intercedant. *S. R. C.* 23 aug. 1766.

APPENDIX II

De Altari Privilegiato.

581. **Altare privilegiatum.** Hoc privilegium in eo consistit quod ex Indulgentiis, seu fructibus in thesauro Ecclesiæ existentibus, statim liberari valeat a Purgatorio anima, pro qua Missa in illo altari applicatur; et hoc vi potestatis clavium, quam habet Pontifex applicandi indulgentias, vivis quidem per modum absolutionis, defunctis per modum suffragii sive solutionis *(S. Alph.,* l. VI, n. 339).

Attamen quia Deus illam applicationem acceptare non tenetur et non acceptat aliquando ob inscrutabilia sapientiæ suæ judicia; ideo suffragia non semper effectum suum totalem sortiuntur, unde merito anniversaria perpetua admittuntur ac sustinentur ab Ecclesia. Et Alexander VIII damnavit propositionem: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam decem annos.* Ideo per indulgentiam Altaris privilegiati si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est Indulgentia plenaria, quæ animam statim liberat ab omnibus purgatorii pœnis — Si spectetur applicationis effectus intelligitur Indulgentia, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondit. *S. C. I.* 28 julii 1840 *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 339) (1).

Solius est romani Pontificis hoc privilegium concedere. Clemens XIII pro singulis Parœciis Orbis catholici concessit Altare privilegiatum quotidianum, ubi asservatur Ss. Sacramentum, ad septennium incipiendo a die designationis altaris ex

(1) Quando indulgentiæ alicui Ecclesiæ vel personæ conceduntur cum clausula: *Præsentibus ad septennium tantum valituris,* tunc septennium est computandum a die datæ Brevis, non a die publicationis. *S. C. I.* 18 maji 1771.

Cæterum indulta, facultates a S. Sede concessæ non incipiunt a data Brevis, nisi

S. C. 22 sept. 1841. Quo expirato recurrendum pro confirmatione. Idem Pontifex indulsit ut quælibet Missa in die Commemorationis omnium defunctorum sit privilegiata. Et Benedictus XIII 20 julii 1724 concessit hoc privilegium quotidianum ac perpetuum patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, semel ab Episcopo designato altari; quæ tamen ecclesiæ si sint parochiales, non ideo gaudent duplici privilegio.

Clausula quæ ponitur in hac concessione: *Revocatis in eis* (ecclesiis) *privilegiatis altaribus intuitu paræciæ*, non derogat privilegio alicui altari concesso ratione speciali.

Resolutiones. I. Status gratiæ non requiritur ad hoc, ut Indulgentia Altaris privilegiati valide applicetur; quia non a personalibus sacerdotis dispositionibus ea dependet, sed a divinæ Victimæ oblatione. Commune autem est etiam defunctis catechumenis qui in fide ac caritate mortui sunt, hanc posse Indulgentiam applicari; nam hæc applicatio ipsis tantum fit per modum suffragii.

II. Sacerdos qui Missam celebrat, v. g. pro defuncto eique applicat Indulgentiam plenariam Altaris privilegiati, potest eodem die vi Communionis in Missa peractæ lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad eam lucrandam præscribatur Communio. *S. C. I.* 10 maji 1844.

III. Ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati Missa debet celebrari de requiem, si Rubricæ id permittant. At Decreto 11 apr. 1864, ea adhuc lucratur, cum sacerdos celebrans in altari privilegiato legit Missam de festo ratione expositionis Ss. Sacramenti, vel alterius solemnitatis.

IV. Privilegium manet, non obstante quod Altare sub eadem invocatione de novo ædificatum fuerit in alio loco; modo tamen in eadem Ecclesia ex *S. C. I.* 13 septembris 1723.

V. Pro obtinendo Altaris privilegio sufficit, ecclesias, capellas et oratoria publica esse benedicta. 17 apr. 1752 *S. C. I.* Sed hoc privilegium obtentum fuisse probandum est; neque enim supponitur, etsi sit ecclesia publica religiosorum ac monialium, quamvis ibi adservetur Sacramentum.

VI. An Ecclesia, capellæ, et oratoria publica nondum benedicta capacia sint Indulgentiis? Item capellæ et oratoria privata? Ad utrumque *affirmative, sed de stylo non concedi. S. C. I.* 20 martii 1747.

VII. An quando requiritur Missa pro Indulgentia lucranda, Missa possit offerri pro uno, et indulgentia Altaris privilegiati applicari pro altero? Si indultum dicat: *Qui Missam pro defuncto in tali altari dixerit, liberat animam* etc. sacrificium et indulgentia sunt pro eo defuncto applicanda. Pariter si fundator aut stipem erogans imponat onus celebrandi in Altari privilegiato; per impositionem talis oneris censetur etiam voluisse applicationem Indulgentiæ — Si autem in indulto omissum fuerit, *pro defuncto;* sed tantum datum ordinario modo pro altaribus privilegiatis, dividi potest indulgentia, scilicet offerri sacrificium pro uno et applicari indulgentia pro altero; est cum sacerdos onus habet celebrandi, sed non in altari privilegiato. Verum de hac indulgentia aliquid percipere, simoniacum esset. *S. C. I.* 31 jan. 1848.

VIII. Sacerdos accepto stipendio pro celebrando in altari privilegiato, si habeat privilegium personale altaris privilegiati, hac ratione potest celebrare etiam in altari per se non privilegiato. *S. C. I.* 16 febr. 1852.

id exprimatur vel sint gratiæ factæ; sed potius vim habent a die illius executionis. Item ad valorem necesse non est exprimere delegationem Apostolicam, nisi id in ipso Brevi præcipiatur. *Cretoni.*

IX. An sacerdos gaudens privilegio personali altaris privilegiati possit in hebdomada, cum recurrit festum duplex, celebrare et lucrari indulgentias; an debeat expectare festa semiduplicia ad easdem lucrandas? *Affirmative, quatenus non occurant festa semiduplicia in hebdomada.* S. Indulg. C. 29 febr. 1864.

X. Indulgentia altaris privilegiati nequit applicari pro pluribus defunctis. *S. C. I.* 26 februarii 1864.

XI. Hæc indulgentia non suspenditur anno Jubilæi, nec cæteræ pro defunctis. *S. C. I.* 24 jan. 1700.

XII. Acquiritur hæc indulgentia Altaris privilegiati, etsi nec sacerdos nec fidelis Missam petens non cogitent de hoc privilegio. *S. C. I.* 12 martii 1855.

XIII. Altare portatile non est privilegiatum, sine indulto personali ac speciali; *S. C. I.* 15 dec. 1841. Altare *portatile* constat ex lapide integro et de loco in locum moveri potest, et ubivis adhiberi: hoc ex S. R. C. competit Cardinalibus, Episcopis etiam titularibus, et Protonotariis apostolicis, sed tantum *participantibus* ex Brevi Pii IX 9 febr. 1857 — Altare vero *fixum* seu *locale* est illud cujus structura non movetur sive sit tota mensa, sive sit parva petra posita in medio *(Scavini*, l. III, n. 272. Mach, *Il tesoro del Sacerdote.* Ferraris, *Additiones Cassinenses.* Il monitore ecclesiastico, *an.* 2, *fasc.* 10) (1).

APPENDIX III

1. Missæ solemnes defunctorum diebus 3, 7, 30 et Anniversarii, licet a testatore relictæ vetantur (2):

A *Vigilia Nativ.* usque ad *Circumcis. Domini* — A *Vig. Epiph.* usque ad ejus *Oct.* — Fer. IV *Ciner.* — A Dom. *Palmarum* usque ad Dom. in *Albis* — A *Vig. Pentec.* usque ad Festum *Ss. Trinitatis* — In Festo *Corporis Christi,* et tota ejus *Octava* — In omnibus diebus festivis de præcepto — In omnibus *Dupl.* 1 vel 2 *cl.* etiam non festivis.

Quæ cadunt hisce diebus exceptis, transferri et etiam anticipari cum eadem solemnitate *possunt,* imo (cæteris paribus) anticipari *debent;* si tamen transferantur ultra aliquas Octavas privilegiatas, nequeunt celebrari in *Dupl. maj.*

(1) 1. An haberi debeat execratum Altare fixum, cujus mensa lapidea sit scissa in duas partes fere æquales, ita tamen ut ejusmodi scissura minime afficiat sepulchrum Reliquiarum, neque ambæ partes sint sejunctæ a gradibus superioribus Altaris ipsius, aut a stipitibus suppositis? 2. An censendum sit Altare portatile suam amisisse consecrationem ex eo quod lapis sepulchri Reliquiarum aliquas habeat scissuras, quæ vero sic intra se adhæreant, ut nullimode dubitari possit de Reliquiarum authenticitate? S. R. C. utrique dubio rescripsit: *Affirmative,* 23 julii 1879.

(2) Decreta et responsa authentica S. Rituum C. eandem habent auctoritatem ac si immediate ab ipso Pontifice promanarent (23 *maji* 1846). Quod si aliquando accedat R. Pontificis approbatio, ideo fit, vel ut declaratio roboretur magis, vel quia de re agitur ad quam statuendam opus est illius auctoritate. Authentica autem sunt quæ in Collectione Gardellini habentur; sed in ea non omnia inscripta sunt; porro minime sunt parvipendenda quæ leguntur apud Merati, ex Benedicto XIV *(De sacr. Missæ*, l. III, c. 18), apud Talu aliisque.

S. R. C. responsa ad particulares missa pro Ecclesia universali deserviunt, nisi peculiaris aliqua ratio aut circumstantia ea penitus particularizet; talis est in sacris ritibus et S. C. praxis. Decreta autem generalia ut plurimum solum eduntur ad continuas resecandas interrogationes ejusdem decisionis, vel ut facilius ubique promulgentur. V. Cavalieri, Carli et Epitome ex decretis authenticis S. R. C. etc. *Monteregali edita.* Item dicta t. I, n. 117.

Anniversaria ad petitionem parentum, amicorum, etc., tolerantur tantum in *Dupl. min.* hac conditione, dummodo sit dies vere anniversaria (S. R. C. 19 junii 1700), et ideo non possunt anticipari aut retardari in Festo *Dupl.* (S. R. C. 21 julii 1855).

An si in aliquo ex diebus in quibus Missa cantata Anniversarii prohibetur, occurrat anniversarium Regis vel principis supremi, reputandam sit causa gravis et cantari possit Missa *de requiem?* S. R. C. in Taurinen. 20 nov. 1677 respondit: *Negative, nempe non posse cantari.*

2. Missæ Solemnes de requiem, quæ in die obitus absente cadavere, vetantur:

Missa solemnis de requiem die obitus, *absente cadavere* vel pridie sepulto sine Missa, necnon die 3, 7, 30 et anniversaria prohibentur in duplicibus primæ et secundæ classis, diebus dominicis et festivis de præcepto, infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et Corporis Christi, in feria 4 Cinerum, in tota majori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis D. N. et Pentecostes, et quamdiu protrahitur expositio Ss. Sacramenti publica de causa. *S. R. C.* 20 novembris 1677; 2 sept. 1741; 19 dec. 1829; 11 apr. 1840.

Ubi cadaver ob civile vetitum aut contagiosum morbum vel gravi alia de causa, in ecclesiam nequit afferri, ibi Missa solemnis de requiem interdicitur dumtaxat in duplicibus primæ classis, modo cadaver sit adhuc insepultum, decenti loco custoditum prope ecclesiam, et signum nigri coloris diverso ab eo, quod in anniversariis adhibetur, ut fideles intelligant suffragia fieri in expiationem animæ defuncti, cujus corpus adhuc insepultum est. *S. R. C.* 9 sept. 1816; 3 aug. 1839; 11 augusti 1840; 21 julii 1855. Si vero terræ traditum sit cadaver, celebrari poterit una Missa cantata de requiem, ut in die obitus, dummodo non sit duplex 1 et 2 classis, aut festum de præcepto; 25 martii 1817.

3. Missa, præsente cadavere, vetatur:

In die *Nativit.*, et in *Epiph. Domini* — *Triduo* ante *Pascha* et prima *Pasch.* et *Pentec.* — In Festis *Ascens. Domini* — *Corporis Christi* — *Nativit. s. Joann. Bapt.* — *Ss.* Ap. *Petri et Pauli* — *Assumpt.* B. M. V. — *Omn. Sanctorum* — *Patroni princ.* Diœcesis aut loci, in die etiam in quam ex Indulto apostolico solemnitas transfertur — Item pro parochiali Ecclesia die dominica ac festis de præcepto; in quibus una tantum dicitur Missa (tunc Missa *de requiem* transfertur ad primum diem non impeditum); 23 maji 1835 — Item in *Dedic.* propriæ Ecclesiæ — Tandem in iis ecclesiis, in quibus fit Festum earumdem Titularis.

4. Missæ privatæ votivæ aut defunctorum vetantur:

A *Vigilia Nativit.* usque ad Oct. *Epiph. Domini* — Fer. IV *Cinerum* — A Dom. *Palmarum* usque ad Dom. in *Albis* — A *Vig. Pentec.* usque ad Festum *Ss. Trinitatis* — Infra Oct. *Corporis Christi* — In omnibus *Dupl.* et Dom. per annum — Et *(quoad Missas Defunct.)* quando publice est expositum Ss. Sacramentum.

5. Missæ votivæ solemnes pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa vetantur:

In omnibus *Dupl.* 1 *cl.* — In Dom. 1 *cl.* — Fer. IV. *Cinerum* — In *Maj. Hebdom.* — In *Vig. Pentec.*, et *Nativ. Dom.* — Cæteris anni diebus cantari possunt; et dicitur Gloria et Credo et unica Oratio *(S. R. C.* 27 martii 1779).

6. Missa unica solemnis de Patronis et Titularibus vetatur:

Dom. I *Adventus* et *Quadrag.* — Dom. *Palmarum* cum tota *Hebdom. Maj.* — Dom. *Pasch.* et *Pentec.* cum duobus seq. diebus — Fer. IV *Cinerum* — Die *Nativit.* et *Epiph.*, *Ascens.* et *Corporis Christi* (Rubric. Missal. Tit. 6). Item *Assumpt.* B. M. V. — *Nativit. s. Joann. Bapt.* — Festum *ss.* Ap. *Petri et Pauli* — *Omn. Sanctorum* — *Titularis* propriæ Ecclesiæ, ac *Patronorum principal.* (S. R. C. 12 martii 1836; 16 aprilis 1853; 21 julii 1855).

7. Missæ in Oratoriis privatis vetantur:

In die *Nativ.*, *Epiph.* et *Ascens. Domini* — Prima *Pasch.* et *Pentec.* — In diebus *Annuntiat.* et *Assumpt.* B. M. V. — In Festis *ss.* Ap. *Petri et Pauli* — *s. Patroni principalis* Diœc. — Et *Omnium Sanctorum.*

583. Orationes in Missa.

In Oratione *A cunctis* nominandus semper est tantum Titularis Ecclesiæ, in qua celebratur, non vero Patronus Regni, Diœcesis, vel loci, si diversus sit a Titulari Ecclesiæ — Hæc nominatio omittitur, si titularis jam nominatus fuerit, vel sit Festum Domini. In Oratorio privato vel publico, cum Titularem proprie dictum *Dupl.* 1 *cl.* cum Oct. habere nequeat, nominatur Patronus Civit., vel loci, non autem Titularis Parœciæ, nisi sit etiam loci Patronus. Si Titularis sit Angelus, s. Joannes Baptista, horum nomina præponuntur Ss. Apostolis (1).

Collecta ab Episcopo imperata ab omnibus etiam regularibus in eorum ecclesiis est dicenda, donec ab ipso revocetur. Omittitur tantum in omnibus Missis die *Palmarum, Vigilia Pentecostes, Vigilia Nativitatis Domini,* etiamsi occurrat in Dominica et in *Dupl.* 1 *cl.* — In *Dupl.* 2 *cl.* omittitur in Missa solemni, vel conventuali, etiam non cantata; in privatis autem Missis est ad libitum celebrantis. Si sit *Ecclesiæ,* vel *pro Papa,* eademque præscribatur a Rubrica diei, utraque dici debet, et non potest per unam tantum satisfieri Rubricæ, et præcepto Superioris — Idem dicendum de *Tertia ad libitum* imperata a Rubrica, quæ est de præcepto; sed ad libitum dicitur de aliquo Sancto, de Passione, etc., nunquam vero imperata ab Episcopo, quæ hoc in casu ponitur quarto loco, et semper post omnes alias de Rubrica (ex Decr. S. R. C.).

Quando in Missa de mandato Episcopi adjungitur collecta extraordinaria pro Papa, occurrente eodem die anniversario consecrationis Episcopi diœcesani, omittitur Collecta pro Papa. S. R. C. 22 jan. 1876.

(1) Differt Patronus a Titulari: 1) Quia Ecclesiæ titulus esse potest Sancta Trinitas, Crux, etc. Non vero patronus, qui eligitur ut apud Deum intercedat; porro Trinitas etc. non habet majorem, a quo intercedat (*S. R. C.* 20 sept. 1681).

2) Quia Titularis eligitur a solo Episcopo, et adsignatur Ecclesiæ sub cujus titulo erigitur. At patronus eligitur a populo et clero (*S. R. C.* 23 martii 1830).

3) Festum simplicis Titularis Ecclesiæ etiam parochialis non est de præcepto, nec importat Missæ applicationem; etsi sit duplex primæ classis cum octava a clero celebrandum; *S. R. C.* 11 martii 1791. Festum vero patroni principalis est de præcepto cum Missæ applicatione, si tamen ejus electio facta sit a clero et a populo simul accedente approbatione S. Rituum Congregationis: *S. R. C.* 23 martii 1630. Hujus porro approbationis defectu festum patroni parœciarum non cadit sub præcepto, si agatur de patronis electis post annum 1630; sed ex devotione tantum ab incolis servatur.

4) Si Titularis Cathedralis, vel parœciæ plerumque est etiam patronus civitatis, diœcesis vel loci; tunc si habeat supradicta requisita, erit de præcepto.

Missa pro Oratione Quadraginta Horarum.

I. Missa expositionis, et repositionis Ss. Sacramenti pro Oratione Quadraginta Horarum regulariter canitur in Altari in quo exponendum est Ss. Sacramentum.

II. Dicitur Missa votiva Ss. Sacramenti cum *Gloria, Credo,* Præf. *Nativ.*— Omitt. commem. quælibet et collectæ, ubi canitur alia Missa conventualis de die; ubi vero non canitur Missa de die, in dicta Missa votiva solemni fit semper commemoratio Officii currentis, et aliæ commemorat., quæ fierent in Festo solemni, nempe de Dominica, de Feria majori, etc. (quas Rubrica in Missa solemni *pro re gravi* non præcipit, quia supponit cani aliam de Officio diei), sed semper dicitur Evangelium *s. Joannis* in fine.

III. Infra Oct. Ss. Corporis Christi Missa erit de eadem Octava cum Sequentia, et unica Orat. absque commem. et collectis.

IV. In Dominicis vero privilegiatis 1 et 2 *classis*, in Festis 1 et 2 *classis*, Fer. IV *Cinerum,* Fer. II, III, IV *Majoris Hebdomadæ*, omnibus diebus Octavæ *Paschæ, Pentescostes* et *Epiphaniæ*, *Vigiliis Nativit. Dom.* et *Pentec.*, et *Octavis* propriæ Ecclesiæ ita privilegiatis, ut excludant *Duplicia* 1 et 2 *cl.* occurrentia, canenda est Missa diei currentis, cum Orat. Ss. Sacramenti, sub unica conclusione Festi vel Dom. privilegiatæ; et postea fiunt aliæ commemorat., si quæ sint ex Rubricis faciendæ, omissis omnibus aliis Orationibus et Collectis — Dicitur vel non *Gloria, Credo* et Evang. *s. Joannis* in fine, juxta Missæ qualitatem, Præfatio vero *Nativitatis*, nisi habeatur propr. (Ita ex Decr. S. R. C., Instruct. Clement. et Comment., Gardellini ad hanc Instruct. § XIII.

V. Non licet, nisi alia desint Altaria, Missas sive solemnes (præter supradictas n. 1), sive planas in Altari ubi Ss. Sacramentum expositum est celebrare, nisi adsit causa gravis, vel consuetudo immemorabilis, difficillime sine populi offensione et pietatis detrimento obliteranda.

VI. Missa quæ intermedia die, in aliquibus locis, canitur pro pace vel alia necessitate arbitrio Episcopi, celebranda etiam est cum *Gloria* et *Credo;* et sub unica conclusione additur Oratio de Ss. Sacramento.

VII. Missæ privatæ tempore expositionis dicuntur de Festo vel Officio occurrenti, cum Orat. Ss. Sacramenti, post omnes Orationes a Rubrica præscriptas, cum paramentis Missæ convenientibus etiam *Violaceis*. Diebus vero *Dupl.* 1 et 2 *cl.* omittitur collecta Ss. Sacramenti. In his Missis non pulsatur campanula ad elevationem. Diebus autem a Rubrica permissis conveniens esset dicere Missam votivam Ss. Sacramenti, sine *Gloria* et sine *Credo*, cum 2 Orat. diei currentis, 3 quæ secundo loco dicenda esset, Præf. *Nativ.*, et *Benedicamus Domino* in fine, color *Alb.*

VIII. In Novariensi Diœcesi laudabiliter fit Oratio XL Horarum juxta instructionem datam in Synodo.

IX. Sacerdos celebraturus, transiens ante Ss. Sacramentum publicæ venerationi expositum, genuflectat prius, deinde detegat caput, adoret, cooperiat caput, surgat et procedat (S. R. C. 24 julii 1638).

X. Qui ratione infirmitatis aliave rationabili causa obtinuit a S. Sede celebrandi Missam votivam de B. Virgine, illam dicere potest etiam in festis solemnibus et in ipsa Dominica Palmarum et publice; at semper cum colore albo; neque addere debet *Gloria* vel *Credo* etiam in festis solemnioribus, præter *Gloriam* in Sabbatis. Et debet illas tantum Crationes legere quæ Missæ votivæ conveniunt, neque addendo Collectam imperatam; in die autem Nativitatis unam Missam tantum dicere debet *S. R. C.* 28 *apr.* 1866.

TABELLA pro Missis votivis privatis recte ordinandis

MISSÆ votivæ (10)	COLOR param.	MISSA	GLORIA	ORATIONES	PRÆFATIO
De Ss. Trinitate (6)	Albus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Propr.
De Spiritu Sancto (6)	Rubeus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Propr.
De Ss. Sacramento	Albus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	De Nativ. Dom.
De Passione Domini	Violaceus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	De Cruce
De S. Cruce	Rubeus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	De Cruce
De Ss. Corde Jesu	Albus	*Miserebitur* ut in Festo	Omitt. (9)	Ut infra (2)	Ut infra (7)
De B. Maria Virgine	Albus	Propr.	Omitt. nisi in Sabb.	Ut infra (1)	Propr.
De Angelis	Albus	Propr.	Semper dicitur	Ut infra (3) (4)	Comm.
De Apostolis	Rubeus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Propr.
De Sanctis Canonizatis	Rubeus pro Mart., pro aliis Albus	Propr. si adsit aliter de Communi	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Propr. si adsit vel ut infra (7)
Pro quacunque Necessitate	Violaceus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Ut infra (7)
Pro infirmis	Violaceus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Ut infra (7)
Pro sponsis præsentibus	Albus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Ut infra (7)
Pro Fidei Propagatione	Violaceus	Propr.	Omitt. (9)	Ut infra (1)	Ut infra (7)
Pro Defunctis	Niger	Una ex 3 prim. vel Quotid.	Omitt.	Ut infra (5)	Propr. semper

Nunquam dicitur *Credo*

IN FINE SEMPER DICITUR EVANGELIUM *In principio erat Verbum.*

(1) Prima Oratio Missæ votivæ, secunda vero de Officio diei currentis (etiam de votivo recitato ex privil.), tertia autem quæ aliunde dicenda foret 2 loco in Missa de Officio, nempe vel de Octava, vel de Feria majore, vel de Vigilia, vel de Simplici occurrente, vel *A cunctis*, vel alia de B. M. pro tempore respectivo.

(2) Prima Oratio Missæ votivæ, secunda Officii diei currentis, tertia autem de Spiritu Sancto.

(3) In votiva Apost. Orationes dicuntur ut supra (1). Sed pro Apostolis Ss. Petro et Paulo, quo tempore dicenda esset Oratio *A cunctis,* ejus loco dicitur Oratio *Concede, quæsumus.*

(4) Si Missa votiva sit tantum de s. Petro, vel de s. Paulo, tunc 2ª Orat. erit de s. Apostolo, de quo non dicitur Missa, ut in eorum Festis, 3ª de Officio diei.

(5) In tribus primis Missis votivis, nempe in Commemorat. Omn. Fidelium Defunct., in die Obitus et in Annivers. unica semper dicitur Oratio; in Quotidianis autem non minus quam tres, vel plures ad libitum usque ad septem; sed numero impares.

(6) Quando dicenda est Missa *pro gratiarum actione,* sumitur Missa votiva de Ss. Trinit., vel de Spiritu Sancto, vel de B. M. V.; et tunc 2ª Orat. de Officio diei; 3ª *Pro gratiarum actione: Deus cujus misericordiæ,* quæ habetur in Missali post Missam votiv. Ss. Trinit. (Rubrica propr. de Oratione dicenda *sub una conclusione,* spectat tantum ad Missam solemnem).

(7) Propria, si adsit, vel de Octava currente, aut de Tempore, alioquin Communis.

(8) Missa votiva propria pro Propagatione Fidei ex Decreto 21 aug. 1841, omnibus Diœcesibus, ubi nunc adest vel in posterum aderit Societas Propagationis Fidei, conceditur; et hujus Missæ Orationes addere licet in Missa Festor. proprior. ejusdem Societatis, nempe in Inventione Ss. Crucis, et in Festo s. Francisci Xaverii *sub una conclusione,* quando fiunt 1 *classis.*

(9) Quando omittitur *Gloria,* dicitur in fine *Benedicamus Domino.*

(10) Missæ votivæ dici possunt iis diebus quibus permitt. Missæ privatæ defunct.

De Missa, quæ in Ecclesia aliena celebratur.

1. Agitur tantummodo de Missa privata; Missa enim major quæ in Ecclesia celebratur, semper debet esse conformis Officio hujusce Ecclesiæ alienæ, quodcunque sit Officium a celebrante recitatum.

2. Agitur insuper de Missa celebrata *in aliena Ecclesia,* quia in Oratorio privato semper Missa concordare debet cum Officio Celebrantis (S. R. C. 12 nov. 1831).

3. Regulæ servandæ non sunt eædem si color idem competat tum Officio Celebrantis tum Officio Ecclesiæ in qua Missa celebratur, et si Officium Celebrantis ac Officium alienæ Ecclesiæ eumdem colorem non requirunt. Inveniuntur illæ regulæ in sequentibus tabellis a Secretario S. R. C. approbatis, quarum prior proponit regulas servandas si color est idem, posterior si color non est idem.

4. Si recitetur Offic. *Dupl.* et in Ecclesia fiat *Semid.* non potest dici Missa *de Requiem;* item si recitetur Offic. *Semid.* et in Ecclesia fiat *Duplex.* Quod si recitetur Offic. *Semid.* et in Ecclesia fiat *Semid.,* tunc Celebrans non tenetur dicere Missam conformem alterutri Officio, quia Missam votivam celebrare potest (ex variis Decretis S. R. C.).

1. TABELLA — *Regulæ a Celebrante Missam extra propriam Ecclesiam servandæ, quando color idem tum Officio Celebrantis, tum Officio Ecclesiæ in qua celebratur, competit.*

OFFICIUM CELEBRANTIS	Simpl. Vigil.	Diei infra oct.	Semid.	Dupl. maj. vel min.	Dupl. 1 vel 2 cl.	Dominic.
Dom.	0	2	0	2	1	0
Dupl. 1 vel 2 cl.	3	3	3	3	1	3
Dupl. maj. vel min.	4	4	4	5	1	5
Semid.	5	5	5	2	1	0
Diei infra oct.	5	5	5	2	1	4
Simpl. Vigil.	5	5	5	2	1	0

0. Casus impossibilis, vel in quo nihil observ.
1. Missa conformis Officio Ecclesiæ in qua celebratur.
2. Item, rectius dicitur.
3. Missa conformis Officio Celebrantis.
4. Item rectius dicitur.
5 Missa alterutri Officio conformis.

OFFICIUM ECCL. IN QUA CELEBRATUR

2. TABELLA — *Regulæ a Celebrante Missam extra propriam Ecclesiam servandæ, quando Officium Celebrantis et Officium Ecclesiæ, in qua celebratur diversum colorem requirunt.*

OFFICIUM CELEBRANTIS	Simpl. Vigil.	Diei infra oct.	Semid.	Dupl. maj. vel min.	Dupl. 1 vel 2 cl.	Dominic.
Dom.	0	1	0	1	1	1
Dupl. 1 vel 2 cl.	3	3	3	1	1	2
Dupl. maj. vel min.	3	3	3	1	1	2
Semid.	4	4	4	1	1	0
Diei infra Oct.	4	4	4	1	1	2
Simpl. Vigil.	4	4	4	1	1	1

0. Casus impossibilis.
1. Missa et color juxta Officium Ecclesiæ, in qua celebratur.
2. Item, sed fit comm. dupl. more simpl., aut Oct. sine 3a orat.
3. Missa et color conformes Officio Celebrantis.
4. Missa et color concordant cum alterutro Officio.

OFFICIUM ECCL. IN QUA CELEBRATUR

APPENDIX IV

Defectus et casus in Missa occurrentes.

584. Hac da re vide Rubrica Missalis, d. Thomas, 3 *p. q.* 83, *a.* 6, et s. Alphonsus de Liguori, *Op. mor.*, l. VI, n. 355. Erit de præcipuis:

I. Si timeatur incursus hostium, alluvio, ruina loci ante consecrationem dimittatur Missa. Post, sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, aliis omissis: tunc non mutilat sacrificium ex proposito (quod in nullo casu licet); sed per accidens.

II. Si sacerdos non recordetur, se dixisse consecrationis verba, non turbetur, sed prosequatur; non enim qui multa dicit, recolit omnia quæ dicit. Quod si certo sciat se omisisse aliquid necessarii, resumat ipsam formam, et cætera prosequatur per ordinem. Si autem valde probabiliter dubitet, iteret formam saltem sub tacita conditione; si vero omissa non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

III. Si hostia vel particula credatur certo et recenter consecrata, et inveniatur munda in altari vel alibi, reponatur in ciborio cum aliis; potest etiam a celebrante sumi ante ablutionem digitorum. Si non sit munda aut non recenter consecrata, nec velit sacerdos eam sumere, reponat seorsim in tabernaculo in vase mundo donec corrumpatur, et corrupta in Piscinam seu sacrarium dejiciatur. Item in dubio an sit consecrata. Si laicus fragmenta inveniat, quam primum sacerdotem moneat.

IV. Si musca vel quid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem (in Sacrarium projiciendum) et aliud ponat cum solita aqua, offerat, etc. Si post, et fiat nausea sumendo, extrahat muscam et lavet cum vino: et finita Missa comburat; et combustio, ac lotio in Sacrarium projiciatur.

V. Si aliquid de Sanguine ceciderit super terram, lingua lambatur si fieri commode possit et locus radatur; abrasio comburatur, et cinis in Sacrarium mittatur (secus locus bene abluatur). Si super linteum altaris, ter illud abluatur ubi stilla ceciderit, calice supposito: et aqua ablutionis in Sacrarium projiciatur. Idem est si stilla in corporale, vel vestem sacerdotalem ceciderit. Quod si contigerit totum Sanguinem effundi, ut nihil remaneat, sacerdos ponat iterum vinum cum aqua et consecret incipiendo ab eo loco: *Simili modo*, etc.

VI. Si sacerdos advertat unam speciem, v. g. vinum deficere, quod amplius haberi nequeat, si id sit ante consecrationem, ulterius ne procedat; si post, Missam absolvat prætermittendo verba et signa ad materiam deficientem pertinentia. At si expectando aliquandiu, species deficiens haberi potest, expectet, ne Sacrificium maneat imperfectum (per illud *aliquandiu* plerique intelligunt quadrantem, aut mediam horam). Si jam ad sacristiam reversus cognoscat aquam pro vino consecrasse, non amplius debet defectum supplere; quia Missa jam absoluta est. Imo dicunt, si sacerdos defectum cognovit post ultimam benedictionem, nihil supplendum; secus magis videretur iteratio Missæ, quam reparatio defectus. Ita *antiquum Missale Romanum* Venetiis impressum 1557.

VII. Si post verba consecrationis sacerdos advertat vinum non

fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret incipiendo a *Simili modo*. Si advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquæ (1), apponat aliam hostiam consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret, et sumat etsi non jejunus; quia sine simultanea utriusque speciei præsentia non perficitur Sacrificium: ita Rubrica (2). Verum plures hoc intelligunt de casu, quo non timeatur scandalum: quæ advertentia tempore Clementis VIII ipsi Rubricæ addita fuit. Unde tunc satis est vinum de novo apponere, et facta oblatione, consecrare: quia Jus naturale vitandi scandalum prævalet Juri divino positivo integrandi Sacrificium. In hoc tamen secundo casu, advertit Alasia, sacerdos non potest retinere eleemosynam, quia Sacrificium non peregit.

VIII. Si hostia casu e manibus in calicem cadit, et commode aliqua pars abstrahi potest non madefacta, cum ipsa prosequatur sacerdos. Secus omissis signis et crucibus, quæ cum hostia vel supra hostiam fieri solent, debet sacerdos una cum Corpore sumere Sanguinem signans se cum calice, et dicens: *Corpus, et Sanguis Domini Nostri J. C. custodiat animam meam in vitam æternam;* et prosequatur.

IX. Si particula in terram decidat, locus panno lineo tergatur, dein abluatur. Si decidat intra clausuram, monialis communicanda particulam lingua sumat, et locus abluatur; et si nulla amplius sit communicanda, particula patena aut palla suscipiatur sacerdoti tradenda. Si decidat in sinum mulieris, mulier eam quærat et ipsa per se sumat ac communicet digitos postea abluendo, non tamen sinum purificando. Si vero decidat in barbam aut vestem communicantis, item erit omittenda purificatio ad vitandam populi perturbationem.

X. Si sacerdos Sacrum faciens morbo vel morte sit correptus ante consecrationem, nil supplendum est, quia sacrificium proprie non fuit incœptum. Si post consecrationem, alius sacerdos etiam non jejunus si jejunus desit, suppleat et Sacrum perficiat, etsi irregularis et excommunicatus, si alius haberi nequeat. Si autem celebrans deliquio vel alio morbo correptus Missam perficere valeat post unam circiter horam, melius erit ut ipse perficiat, etsi non jejunus. D. Thomas, 3 p. q. 83, a. 6.

XI. Si in Missa Præsanctificatorum feria VI in Parasceve sacerdos qui sacram functionem incœpit, subita morte corripiatur et nemo adsit sacerdos jejunus, cessat officium, et sacra Hostia ponatur in tabernaculo ex S. R. C. 8 martii 1825, confirmante Leone XII.

(1) Si sacerdos adhuc aquam habeat in ore, potest illam deglutire; esset enim inconveniens, quod eam rejiciat; tunc jejunium fit moraliter impossibile. *Gury*.

(2) Sotus putat quod si utriusque speciei consecratio iteretur, non sacrificium inchoatum perficitur; sed novum, priori imperfecto relicto.

TRACTATUS DECIMUS

DE PŒNITENTIA ET EXTREMA-UNCTIONE

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

585. **Pœnitentia.** Pœnitentia generatim spectata idem est ac *dolor animi, quem quis experitur ob aliquod malum patratum.*

In sensu vero proprio *Pœnitentiæ* nomen, prout ad justificationem conducit, solet in Scholis sumi dupliciter: vel prout indicat virtutem moralem, et dicitur *virtus pœnitentiæ.* Vel prout indicat Sacramentum novæ Legis, et appellari solet: *Sacramentum reconciliationis, Baptismus laboriosus, secunda post naufragium tabula, Pœnitentia,* vel etiam simpliciter *Confessio* (D. Thomas, 3 p. q. 84, a. 6).

586. **Pœnitentiæ virtus.** Pœnitentia uti virtus definitur: *Virtus moralis infusa, qua peccator movetur ad odium et detestationem de peccato commisso cum spe veniæ ac firmo proposito non peccandi de cætero, et justitiæ divinæ satisfaciendi* (S. Alph., l. VI, n. 434).

Dicitur *Virtus;* ut enim habet d. Thomas, *virtus est habitus electivus secundum rectam rationem: pertinet autem ad rectam rationem, ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est* (3 p. q. 85). Habitus etenim est quædam animi dispositio, qua aliquid agitur, cum opus est — Est autem virtus moralis, quia mores respicit emendandos.

Dicitur *Infusa*, id est *supernaturalis.* Sane virtus nostris tantum viribus acquisita non potest attingere quod supernaturale est, nempe gratiam justificationis. Hinc Scriptura: *Genti-*

bus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. Converte me et convertar (Act. XII et Jer. XXXI). Idque Tridentinum definivit *sess.* III, *can.* 3.

Dicitur *Qua peccator movetur ad odium et detestationem de peccato commisso.* Est contra Lutherum, qui pœnitentiæ virtutem et Sacramentum collocat in solo melioris vitæ proposito. Ejus porro doctrinam reprobant Scripturæ, ubi legitur: *Dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu* (Joelis II). Sane ipsius naturæ vox est, ut voluntas malum a se patratum ex animo detestetur. Merito ergo Concilium Tridentinum *declarat* (Pœnitentiam) *non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere* (sess. XIV, c. 4).

Dicitur *Cum spe veniæ;* nam injuriam infinitæ Dei bonitati qui nullum rejicit, irrogaret qui veniæ spem non haberet.

Dicitur *Cum firmo proposito non peccandi de cætero;* neque dici potest illum vere pœnitere de aliquo, qui animum habet illud iterum perpetrandi (1) — Additur: *Justitiæ divinæ satisfaciendi;* pœnitentia enim utpote quædam species justitiæ est ad alterum, tenditque ad abolendam offensam ipsi illatam, et pro ea satisfaciendum (D. Thomas, *l. cit.).*

Dupliciter autem peccator de sua culpa dolere potest: vel quia offendit Deum summe et per se dilectum; vel quia Deum offendit, v. g. uti sui peccati vindicem. Si primo modo doleat, dolor perfectus est; imperfectus vero erit dolor, si secundo modo ipsum pœniteat.

587. **Pœnitentiæ sacramentum.** Pœnitentia ut Sacramentum definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis et absolutionem sacerdotis.* Quod Pœnitentia sit verum Sacramentum de fide est contra Novatores. Verum Sacramentum etiam a Calvinistis et Lutheranis definitur: *Signum sensibile, divinitus institutum, et habens adnexam divinæ gratiæ promissionem.* Atqui ritus, quem *Pœnitentiæ* nomine nuncupamus et quo Ecclesia peccata dimittit, talis est:

1) Est signum sensibile; occurrit enim peccatorum confessio et absolutio: quæ sunt sensibilia — 2) Divinitus institutum, uti ostendunt illa Christi verba ad ministros suos: *Accipite*

(1) *Si homo non proponeret desistere a peccato* (ait d. Thomas) *non esset peccatum secundum se contrarium voluntati; si vero vellet desistere a peccato, non tamen doleret de peccato præterito, non esset illud idem peccatum quod fecit, contrarium voluntati* (Contra Gentes, *l.* III, *c.* 157).

Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis retenta sunt — 3) Divinæ gratiæ collatio; gratia enim a peccatorum remissione disjungi nequit. Hujus autem veritatis constantem habemus traditionem, cujus testes sunt tum Patres, tum omnes rituales libri Ecclesiæ græcæ et latinæ. Et in Concilio Florentino, in Decreto ad Armenos habetur: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia.* Merito ergo Tridentinum: *Si quis dixerit in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo D. nostro institutum, anathema sit* (sess. XIV, can. 1).

588. **Institutio.** *Dominus* (habet Tridentinum, sess. XIV, cap. 1) *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens:* Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.

Dictum est *tunc præcipue;* quia Christus jam inchoaverat ejus institutionem ante passionem, quando potestatem judiciariam ligandi ac solvendi Apostolis promisit his verbis: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (Matth. XVIII). Scavini, l. III, n. 433.

589. **Differentia inter virtutem et sacramentum Pœnitentiæ.** Differunt præcipue: 1) Pœnitentiæ virtus tota posita est in actibus pœnitentis. Sacramentum vero requirit insuper ministerium sacerdotis absolventis — 2) Pœnitentiæ virtus semper fuit necessaria homini lapso ad justificationem: *fuit autem* (ait Tridentinum, sess. XIV, c. 4) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Sacramentum vero Pœnitentiæ a Christo institutum, non pertinet nisi ad eos, qui post Baptismum in mortale lapsi sunt, quibus ex eodem Tridentino (sess. XIV, c. 2) necessarium est necessitate medii vel in re vel in voto *(D. Thomas,* 3 p. q. 84, a. 5).

Item Pœnitentiæ sacramentum differt a Baptismo; de fide est contra Protestantes, qui volunt hoc Sacramentum nihil aliud esse quam Baptismi recordationem. Sane hæc Sacramenta diversam habent materiam, diversamque formam et diversos effectus. Baptismus enim institutum est ad originale delendum; Pœnitentia vero ad delenda peccata post Baptismum commissa. Hinc Tridentinum: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint... anathema sit* (sess. XIV, can. 2). Vide *Perrone.*

CAPUT PRIMUM

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

590. Sicut in cæteris Sacramentis, ita et in sacramento Pœnitentiæ duplex est materia, *remota* nempe et *proxima.*

591. **Materia remota Pœnitentiæ.** Materia remota (vel potius removenda) sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata omnia post Baptismum commissa. Remota enim Sacramenti materia est id, circa quod versatur Sacramenti actio: atqui hujus Sacramenti actio versatur circa peccata, scilicet destruenda.

Dicitur *post Baptismum commissa;* nam originale et actualia quæ Baptisma præcesserunt, Baptismate delentur; cum nondum baptizatus Ecclesiæ clavibus subjiciatur — Unde pro adultis baptizandis sufficit si peccatores sint, interioris pœnitentiæ virtus, ut ait d. Thomas. Si tamen ex devotione vellent confiteri, essent audiendi; sed ad hoc tantum, *quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ tradatur* (3 p. q. 68, a. 7).

Dicitur *peccata omnia,* ita tamen ut mortalia nondum directe remissa, constituant materiam remotam necessariam (1); cum ideo Pœnitentia instituta sit; et Tridentinum id negantes anathemate damnet *(sess.* XIV, *can.* 7). Venialia autem, sicut mortalia jam rite clavibus Ecclesiæ subjecta ac remissa constituunt materiam liberam ac sufficientem.

Ac 1) venialia sunt materia libera, sed sufficiens: *Libera,* quia ex Tridentino (sess. XIV, cap. 5) *taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt,* v. g. attritione, displicentia. *Sufficiens,* quia Christi verba: *Quæcunque solveritis* non distinguunt inter mortale et veniale; nam etiam per peccatum veniale offenditur Deus; ergo de illo quis potest iterum iterumque confiteri et pœnitere (2).

2) Item mortalia confessa et remissa sunt materia libera ac sufficiens. Sunt *materia libera,* quia quod semel remissum est, nequit amplius in culpam vocari. *Sufficiens,* quia licet re-

(1) *Directe remissa* sunt mortalia, quæ fuerunt declarata in ipsa Confessione. Quæ autem mortalia per oblivionem inculpabilem non fuerunt declarata, remissa quidem sunt, cum unum mortale non possit auferri sine alio: et ideo *indirecte remissa* dicuntur.

(2) Imo venialia *recte, et utiliter* declarantur, ut docet idem Tridentinum; neque ideo *contemptibilis redditur confessio,* ut habet propositio 39 Synodi Pistoriensis proscripta. Id enim saltem servit ad humilitatem, ad directionem, etc.

missa nunc, semper tamen per illa Deus offensus fuit: cum igitur hæc possint iterum esse materia Confessionis et Contritionis, nihil pugnat quominus adhuc esse queant materia absolutionis; qui enim aliquem offendit, potest iterum atque iterum de suo peccato dolere ac veniam petere. Hoc Benedictus XI expresse tradit et reputat *salubre*. Et Joannes XXII oppositum damnat ut *falsum* et *erroneum*. Idque probat etiam fidelium praxis.

592. Adultus si baptizandus sit sub conditione ob dubium Baptismum non debet peccata sua confiteri, si illa jam est confessus et ab illis post Baptismum de cujus validitate dubitatur, absolutus; quia peccata jam fuerunt remissa per sacramentum Pœnitentiæ, si validus fuit prior Baptismus. Si autem non fuit validus, non sunt materia Confessionis peccata illa, quæ ideo per secundum Baptismum remittuntur. Si vero peccata nondum confessus est, ut evenit inter protestantes, illa debet confiteri; nam si prior Baptismus fuit validus, peccata postea commissa per secundum baptismum deleri nequeunt utpote nullum. Hinc ad postulatum Episcoporum Angliæ: *An debeat Confessio sacramentalis a neoconversis in Anglia exigi, et an Confessio debeat esse integra,* S. C. Officii 17 dec. 1868 respondit ad utrumque: *Affirmative; et dandum esse decretum latum* 14 *julii* 1715, in quo habetur: *Esse rebaptizandum sub conditione; et collato baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur* (V. Scavini, l. IV, n. 202).

593. **Sacramentum Pœnitentiæ omnia peccata dimittit.** Ait enim Christus: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Hæc nullam continent peccatorum exceptionem. Contrarium autem asserere repugnat divinæ misericordiæ et derogat virtuti passionis Christi.

Accedit usus Ecclesiæ constantissimus concedendæ veniæ peccatoribus etiam perditissimis: sic Joannes Apostolus juvenem latronem et homicidam, post Pœnitentiam, Ecclesiæ restituit. Paulus incestuoso, qui crimen tale patraverat, quod nec apud gentes audiebatur, veniam est elargitus. Quo exemplo sic d. Ambrosius Novatianos hanc veritatem negantes insectabatur: *Cum igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Christi? Novatianus an Paulus?* Vide Angelicus, 3 p. q. 84, a. 10; et q. 86 (1).

594. **Materia proxima.** Tridentinum hac de re definivit: *Si*

(1) Si porro quædam peccata dicuntur irremissibilia, id est quia remittuntur difficilius ob maximam deformitatem, ut peccata in Spiritum Sanctum, nempe *præsumptio*, *desperatio*, *agnitæ veritatis impugnatio*, *obstinatio in impœnitentia*; item peccata in cœlum clamantia, *homicidium voluntarium*, *sodomia*, *oppressio pauperum* (D. Thomas, 2, 2, *q.* 14; Scavini, *l.* I, *n.* 905).

quis negaverit ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur..., anathema sit (sess. XIV, can. 4).

Attamen dissident Theologi, an in hisce tribus partibus sit constituenda essentia Sacramenti, seu proxima ejus materia. Post d. Thomam docent communiter, eam esse constituendam in hisce actibus simul, contritione, confessione et satisfactione (1). Quod conformius est Tridentino, a quo tres illi actus dicti sunt *quasi materia hujus Sacramenti:* ubi Catechismus ejusdem Concilii animadvertit fuisse appellatos *quasi materiam, non quia veræ materiæ rationem non habeant: sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et Chrisma in Confirmatione.* Hoc ipsum docet Rituale. Nec obstat quod contritio de se non sit sensibilis; nam sensibilis fit per Confessionem, et alia exteriora pœnitentiæ signa (S. Alph., *Opera dogmatica,* sess. VII).

595. Verum inter tres actus prædictos hoc intercedit discrimen, quod contritio et confessio sunt partes essentiales in actu; e contra satisfactio actualis, seu quatenus actu imponenda aut actu implenda, non est nisi pars integralis, ita ut sine ipsa subsistat quidem Sacramentum, ideoque obtineatur peccatorum remissio; sed non est perfectum, sicut absque manu hominis corpus subsistit, at non est integrum et perfectum — Attamen requiritur et supponi debet sincera animi dispositio, seu propositum et intentio satisfactionem implendi. Neque enim illum vere pœnitet, qui potens, voluntatem excluderet satisfaciendi justitiæ Dei *(D. Thomas,* 3 p. q. 90, a. 2).

ART. 1. — De Contritione et Proposito.

596. **Contritio.** Contritio generatim accepta definitur a Tridentino: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cœtero* (sess. XIV, c. 4). Ut autem definitio magis accommodetur divinæ Pœnitentiæ institutioni, addi solet cum d. Thoma: *Cum voto seu proposito confitendi ac satisfaciendi (S. Alph.,* l. VI, n. 433).

(1) Ait enim d. Thomas: *Materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, cujus materia sunt peccata, de quibus dolet et quæ confitetur et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur, quod remota materia Pœnitentiæ sint peccata non acceptanda, sed detestanda et destruenda* (3 p. q. 84, a. 2).

Dicitur: *Animi dolor,* id est tristitia seu displicentia interna et spiritualis, non vero partis sensitivæ; contritio enim est actus voluntatis. Hinc illud Joelis II: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

Dicitur: *Detestatio;* qui vere dolet de peccato, illud necessario detestatur abominando. At detestatio potest esse sine dolore, ut in Beatis, qui peccatum aversantur, nec tamen dolent.

Dicitur: *Cum proposito non peccandi de cætero;* impossibile est, ut quis vere doleat de peccato, quod adhuc committere vult.

Additur cum d. Thoma: *Cum voto confitendi, et satisfaciendi;* nam hæc ex divina institutione hodie ad mortalium remissionem requiruntur (3 *p. q.* 81, *a.* 2) (1). At necesse non est ut quis conteratur expresse intendens confiteri et satisfacere; eo enim, quo vere dolet de admissis et vult converti ad Dominum, jam habet voluntatem servandi omnia quæ ad id obtinendum sunt præcepta. Quod innuit ipsum Tridentinum dicens: *Reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam* (sess. XIV, c. 4).

597. **Conditiones ad contritionem.** Dotes ad validitatem contritionis sunt, ut ea sit:

1) *Supernaturalis;* tum ratione *principii,* a quo procedit: et est gratia divina, sine qua ex Tridentino *neminem pœnitere potest sicut oportet* (sess. VI, c. 3); tum ratione *motivi,* ex quo elicitur, nempe ex motivo quod aliquatenus ad Deum per fidem referatur. Unde si quis doleret tantum de peccato, quia repugnat rationi, quia sibi attulit infamiam aut infirmitates, ejus contritio esset mere naturalis; nec haberet proportionem cum justificatione, quæ est ordinis supernaturalis (2).

2) *Universalis,* se nempe extendens ad omnia mortalia. Nam nemo dixerit vere de peccatis illum dolere, qui unum mortale detestatur, aliud diligit: cum sciat quocunque mortali pec-

(1) Et contra Gentes (*l.* IV, *c.* 72) habet: « Sicut sine Baptismo, in quo operatur passio Christi, non potest esse salus hominibus vel ut realiter suscepto, vel secundum propositum desiderato, quando necessitas, non contemptus, Sacramentum excludit; ita peccantibus post Baptismum salus esse non potest, nisi clavibus Ecclesiæ se subjiciant vel actu confitendo et judicium ministrorum Ecclesiæ subeundo, vel saltem hujus rei propositum habendo, ut impleatur tempore opportuno. »

(2) Hinc damnata est ab Innocentio XI propositio: *Probabile est sufficere contritionem naturalem, modo honestam.* Attamen distingue inter contritionis motivum et occasionem: *motivum* supernaturale esse debet; *occasio* naturalis esse potest; potest enim peccator ex morbo aliove malo temporali occasionem nancisci ad Deum per veram contritionem redeundi.

Motiva autem idonea reduci possunt ad timorem pœnæ, ad spem præmii, ad peccati turpitudinem et Dei bonitatem.

cato amicitiam cum Deo extingui. Non requiruntur tamen singuli actus doloris ad singula peccata; sed satis est ut dolor ad omnia virtualiter extendatur etiam occulta, ex motivo universali, v. g. offensæ Dei, vel pœnæ promeritæ (1).

3) *Appretiative summa,* id est summa quoad voluntatem, quatenus voluntas detestetur peccatum super omnia mala, et parata sit pœnam quamcunque subire, quam peccare mortaliter. Huc facit illud Christi: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* (Matth. x) — Non vero *intensive summa,* id est quoad sensibilitatem, quasi suspiria aut lacrymæ doloris acerbitatem debeant indicare de necessitate; cum id non sit in nostra potestate.

4) *Formalis* et *explicita;* quamvis ad justificationem extra Sacramentum obtinendam sufficere possit contritio virtualis quæ in actu perfectæ caritatis continetur; hæc tamen non sufficit in Sacramento; quia pars Sacramenti debet esse formalis et in se.

598. **Principia.** I. Contritio sive intra sive extra Sacramentum ad mortalium remissionem necessaria est necessitate tum medii tum præcepti: 1) Necessitate *medii,* a quo Deus dispensare nequit; neque enim Deus potest diligere et veniam concedere homini a se averso, qui in peccato vult persistere — 2) Necessitate *præcepti;* quisque enim ex amore quo se ipsum diligere debet, media tenetur arripere quæ ad salutem præscripta sunt. Porro Matth. III habetur: *Pœnitentiam agite;* Lucæ XIII: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* et ita passim.

Quæ quidem pœnitentia seu contritio vel in eo requiritur, qui amore Dei super omnia accensus est, si suorum peccatorum memoriam habeat. Quis enim credat Deum super omnia ab eo diligi, qui expresse non dolet de præteritis culpis, quibus se eum offendisse meminerit? D. Thomas, 3 p. q. 86, a. 2 (*S. Alphonsus,* l. VI, n. 438).

II. Imo contritio requiritur etiam ad venialia delenda; habet d. Thomas: *Sicut peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam neque peccatum veniale, quia, manente causa, manet ipse effectus* (3 p. q. 87, a. 1 et 4). Attamen contritio virtualis sufficit, seu *virtualis quædam displicentia,* prout ait idem Angelicus; *puta cum aliquis hoc modo*

(1) Nam, ut ait d. Thomas: *Omnia peccata conveniunt in aversione a Deo, ratione cujus gratiam impediunt. Unde ad justificationem non requiritur quod in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet; sed sufficit quod cogitet de hoc quod per culpam suam est aversus a Deo* (De verit. q. 29, a. 5).

fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi de illo actu non cogitaret. Verum in sacramento Pœnitentiæ ad validitatem requiritur contritio formalis, etsi quis sola habeat venialia, ne Sacramentum sua materia frustretur; et quidem supernaturalis, summa, interna et efficax. Non tamen universalis; in Confessione enim venialium satis est de uno dolere, cum unum sine alio remitti possit; vel de eorum frequentia, et eorum emendationem proponere, ut ait idem d. Thomas (3 p. q. 87).

III. Certum est quod contritio obligat peccatores *per se* in mortis periculo, aut amentiæ perpetuæ; quia quisque in mortali peccato existens tenetur curare, ne Deo perpetuo remaneat inimicus — Per *accidens* vero obligat: 1) Quando quis est in peccato mortali et debet Sacramenta aliis ministrare, vel Sacramentum vivorum suscipere: sancta enim sancte tractanda sunt — 2) Quando quis tenetur caritatis actum erga Deum elicere: debet tunc peccatum detestari, si illius meminerit, cum Deo opponatur. Cæterum quando aliquod præceptum obligat ad aliquem actum solummodo *per accidens*, ejus omissio tunc non constituit peccatum distinctum a peccato, quod incurritur ob talem omissionem.

IV. Etsi per se loquendo contritio non statim obligat post mortale admissum, ita ut ejus dilatio sit novum peccatum contra præceptum pœnitendi (1); attamen per accidens peccator non excusabitur a mortali, si per notabile tempus contritionem differt: peccaret enim tum contra caritatem erga Deum, quæ obligat pluries saltem in anno; tum contra caritatem erga se, cum se exponat proximo relabendi periculo; quia sine gratia ex d. Thoma, quod homo *diu maneat absque peccato mortali, esse non potest* (1, 2, q. 109, a. 8).

Quale autem sit *notabile tempus*, alii dicunt hebdomadam; alii mensem. Quidquid sit, non est negandum peccatores, præsertim rudes, ab hoc peccato dilatæ pœnitentiæ ob inadvertentiam fere semper excusari (*S. Alph.*, l. VI, n. 437).

599. *Resolve:* 1) Quamvis peccator magis dolere debeat de suo peccato, quam de alio malo quocunque; attamen urgendus non est, sed

(1) Præceptum enim pœnitendi est affirmativum juxta illud *pœnitentiam agite:* quod ideo non obligat singulis momentis. Item ex hoc quod alicui peccata sua memoriæ occurrunt, sicut non tenetur illico ad confitendum, ita nec ad contereudum; sunt enim præcepta affirmativa, quæ obligant tempore necessitatis.

consolandus, si ita se dolere non sentiat, uti si, v. g. magis se sentiat dolere de morte patris, filii, etc., quam de offensa Dei. Ideo reprehendendi sunt confessarii, qui practice descendentes cum pœnitente ad mala particularia, eundem tentant, utrum velit potius suspendi, capite obtruncari, comburi flammis, quam Deum offendere. Nam cum sensibilia magis hominem moveant vividius phantasiam excitando quam spiritualia, *descendere in talibus ad singula*, ait d. Thomas, *est inducere hominem in tentationem, et præbere occasionem peccandi* (Quodl. 1, a. 9).

2) Quamvis ad Sacramenti validitatem contritio elici debeat ante absolutionem, quia forma cadere debet super materiam præsentem; attamen communius docent non oportere ut illa præcedat etiam confessionem, quia etsi elicita post illam, moraliter ei unitur, in eamque influit ac dolorosam reddit; si tamen ipsa confessio fiat animo absolutionem obtinendi, et non sit mera peccatorum narratio. Huic favet Rituale dicens: *audita confessione* (confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere* (pœnitentem) *conabitur*. Et universim confessarii solent excitare pœnitentem ad dolendum de culpis narratis, audita confessione, antequam absolvant.

3) Non dubito asserere, quoties confessio derivat ex peccatorum displicentia, in virtute perseverare dolorem, per aliquot dies, dum illa confessio est illius doloris effectus. Secus autem si quis ex mera devotione, aut ad votum vel pœnitentiam implendam confiteretur; tunc prius dolor non haberet relationem cum præsenti Confessione (S. Alph., *Op. mor.*, l. VI, n. 446; *Ho. apost.*, tract. XVI, n. 20).

4) Ad dolorem non necessario requiruntur actus expliciti fidei et spei; id enim nullo argumento probatur. Attamen pœnitens in sacramento Pœnitentiæ eliciens actum doloris, exercite elicit etiam actus fidei et spei; nam ita dolens et credit et sperat veniam se obtenturum (*S. Alph.*, l. VI, n. 439).

5) Etsi dolere quod non doleas non sit per se proprius dolor, tamen cum tali dolore in praxi conjunctus est verus dolor. Unico autem instanti dolor concipi potest; at curandum (nisi instet morbus) ne ex nimia festinatione inaniter concipiatur, et ne ille eliciatur more psittacorum formulam solitam recitando. Ideo confessarius curet, ut contritionem pœnitens rite concipiat, vel etiam una cum ipso aliquam brevem formulam ex cordis affectu recitet.

600. **Contritionis divisio.** Contritio a Tridentino Concilio dividitur in contritionem *perfectam*, et *imperfectam*. Perfecta contritio est detestatio peccati orta ex motivo caritatis in Deum summe et per se dilectum — Imperfecta est detestatio peccati orta ex alio motivo supernaturali, quæ nempe ex eodem Concilio *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur*, excludens peccati voluntatem et veniæ spem includens (sess. XIV, c. 4). Prima retinet vocabulum *contritionis;* altera vero vocatur *attritio*, vel *attritio formidulosa*.

601. Contritio et attritio specie differunt: 1) Ratione *motivi;* nam contritio oritur ex motivo caritatis in Deum (1); attritio

(1) Contendunt plures ac merito probabiliter, actum perfectæ contritionis elici posse ex motivo cujuscunque attributi divini per peccatum offensi, v. g. justitiæ,

ex motivo spei seu caritatis erga se ipsum, aut virtutis specialis, cui peccatum opponitur — 2) Ratione *effectus*, ut mox videbimus; nam prima justificat extra Sacramentum, et quandoque totam pœnam remittit: non vero secunda (1).

602. **Contritionis efficacia**. Contritio perfecta, orta nempe ex caritate prædominante, si conjuncta sit cum voto Sacramenti, semper justificat ante ejusdem Sacramenti susceptionem; nam contritio perfecta includit necessario caritatem erga Deum perfectam. Sed *caritas operit multitudinem peccatorum* (Petri IV). Etenim Deum perfecte amare est cum ipso Deo conjungi, nam amor in unione consistit; sed conjunctio cum Deo necessario disjunctionem a peccato includit. Deinde damnata est hæc Baji propositio: *Per contritionem etiam cum caritate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramenti conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Adde: si in Lege veteri contritio perfecta justificabat absque Sacramento; ergo etiam in Lege nova, cum ejus efficacia non sit imminuta. Hanc conclusionem fidei proximam vocat cl. Perrone (*S. Alph.*, l. VI, n. 441).

Dixi: *Si conjuncta sit cum voto Sacramenti:* nam idem Tridentinum docet *reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam* (sess. XIV, c. 4). Non quod caritas accipiat justificandi vim a Sacramento; sed quia extra Sacramentum justificatus habere debet in se votum saltem implicitum subjiciendi clavibus peccata mortalia, ad quod homo remanet obligatus etiam postquam justificatus est per contritionem; cum hoc sit medium a Christo specialiter institutum ad peccata delenda.

603. Neque officit, si perfecta contritio sit tenuis et remissa. Etiam in hoc casu contritio justificat ante sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, si sit cum voto ejusdem. Oppositum est omnino improbabile et falsam. Constat ex Scriptura, ubi nulla

sapientiæ, misericordiæ: ille enim qui diligit divinam justitiam, sapientiam, misericordiam, Deum jam diligit; cum hæc attributa non sint nisi ipsum Deum.

Alii tamen communiter et probabilius tenent actum contritionis perfectæ procedere ex solo motivo caritatis divinæ, nempe ex motivo offensæ divinæ bonitatis, quatenus hæc complectitur omnes Dei perfectiones. Nam Tridentinum contritionem hanc *caritate perfectam* expresse dicit: at objectum caritatis est Deus, uti infinita bonitas, seu aggregatio omnium perfectionum (*S. Alph.*, l. VI, n. 436).

(1) Deus plus affectum cordis acceptat, quam exteriorem actum; sed per exteriores actus absolvitur homo a pœna et a culpa; ergo similiter per cordis affectum, qui est contritio, si nempe intensissima sit, ut patet de latrone. Ita Angelicus, *Suppl.* q. 5, a. 2.

facta gradus ac intensitatis distinctione venia promittitur statim ac peccator ad Deum toto corde convertitur: *Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Sed qui habet caritatem, etsi in gradu infimo, veram caritatem habet: ergo Deus in eo est, ideo nullo mortali peccato potest esse coinquinatus. Et quamvis sit in gradu infimo, semper caritas est; neque enim magis et minus in aliqua re diversificant speciem. Hinc d. Thomas: *Quamtumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet;* Suppl. q. 5 *(S. Alph.,* l. VI, n. 442).

604. **Attritionis virtus.** Attritio quamvis bona sit, a Deo, et voluntatem peccandi excludat, tamen extra Sacramentum non justificat; justificatio enim consistit in perfecta conjunctione cum Deo. Sed attritus, licet a creaturis discedat primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, non adhuc est perfecte ad Deum conversus. Unde attritio non confert per se gratiam, sed disponit ad illam consequendam, ut Tridentinum docet: sive est conditio prærequisita ad hoc, ut Sacramentum per gratiæ infusionem justificet *(sess.* XIV, c. 5).

Verum commune est et certum in ipso Pœnitentiæ sacramento ad justificationem non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem, modo non sit concepta ex timore serviliter servili, et modo sit conjuncta cum aliquo initio amoris. Hæc sententia post Tridentinum cum plausu ab omnibus Scholis fuit adoptata, ut asserit Benedictus XIV; et Alexander VII Decreto 5 maji 1657 ait, quod *hodie inter Scholasticos communis videtur.*

Probatur 1. Tridentinum postquam tradidit contritionem *caritate perfectam* justificare ante Sacramentum actu susceptum, loquendo de attritione declarat: *Quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* (sess. XIV, c. 4). Verba hæc nimis decretoria sunt; vocabulum enim *disponit* idem sonat ac *sufficit:* hoc aperte deducitur ex iis verbis: *et quamvis sine sacramento Penitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat,* etc.; quæ hanc exhibent consequentiam: *ergo cum Sacramento bene perducit.* Si enim Concilium aliter esset intelligendum , incongruenter sane fuisset locutum.

Probatur 2. Pœnitentia est Sacramentum mortuorum, et valet per se ad conferendam gratiam primam; ita ut sacerdos

pœnitentem absolvens illum non solum ostendat absolutum, sed revera absolvat. Atqui si attritio, de qua loquimur, non sufficeret ad Pœnitentiam suscipiendam, sed caritas esset necessaria, in nullo casu Pœnitentia esset Sacramentum mortuorum, cum omnes pœnitentes jam deberent accedere justificati. Siquidem omnis dolor proveniens ex caritate prædominante et super omnia, etsi tenuis ac remissa, remittit peccatum etiam extra Sacramentum (*S. Alph.*, l. VI, n. 440).

Probatur 3. Auctoritate d. Thomæ, qui (Quodl. 4, a. 1) postquam dixit, *quod per solam contritionem dimittitur peccatum antequam absolvatur*, addit: *Quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequantur*. Distinguit igitur s. Doctor, uti distinguit Tridentinum inter contritionem perfectam quæ extra Sacramentum justificat, et inter imperfectam quæ justificat in Sacramento (*S. Alph.*, l. VI, n. 440).

Dixi 1. *Modo non sit concepta ex timore serviliter servili*, quo nempe quis dolet et abstinet a peccato ob pœnas, quas timet; sed cum tali animo, ut adhuc peccaret, si non esset pœna: qui ideo subjective malus est ob pravam illam animi dispositionem. Aliter dicendum contra Bajum, Jansenium et Quesnellium de timore *simpliciter servili*, ut cum quis ob pœnarum timorem a peccato abstinet, quin ita dispositus est, ut vellet peccare, si pœnæ illæ non essent. Hic timor bonus est, cum expellat peccatum; et a Deo inspiratur, nam attritio ex tali metu concepta a Tridentino donum Dei dicitur (*sess.* XIV, *c.* 4). V. propositio 25 Synodi Pistoriensis damnata; et d. Thomas, 2, 2, *q.* 19.

Dixi 2. *Modo conjuncta sit cum aliquo amoris initio*. Hoc autem amoris initium inclusum jam habetur in ipsa attritione: 1) Per timorem divinæ vindictæ juxta illud Eccli. XXV: *Timor Dei initium dilectionis ejus* — 2) Per spem veniæ, quatenus ex ipso Tridentino peccatores *in spem eriguntur credentes Deum sibi propitium fore; illumque* (hoc ipso quod speravit) *diligere incipiunt tanquam omnis justitiæ fontem*, id est tanquam justificationis auctorem — 3) Per spem beatitudinis æternæ; docet enim s. Thomas (1. 2, q. 40. a. 6) de spe theologica loquens, eam esse initium amoris erga Deum. Et sane; ait: *ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus eum amare.*

Cæterum nemo negat esse omnino expediens, ut pœnitentes pro viribus conentur elicere actum contritionis perfectæ, atque ut confessarii studeant semper illos ad illam excitare adeo, ut tutius illi divinam gratiam consequantur *(S. Alph.*, l. VI, n. 442) (1).

605. An autem in confessione sufficiat attritio concepta ex solo *metu pœnarum temporalium*, disputant. Etsi pœnæ temporales considerentur prout a Deo infliguntur, tamen ad justificationem sufficere negant Canus et Concina; cum enim solo naturali lumine peccator cognoscere valeat illas a Deo infligi, dolor naturalis esset. Adde: Tridentinum sermonem habens de motivis attritionis copulative loquitur *gehennæ et pœnarum*.

Sed videtur probabilius cum Suaresio et Lugo sufficere attritionem ex solo metu pœnarum hujus vitæ conceptum, si ea supernaturalis sit; id est si id cognoscatur lumine fidei, ideoque Dei auxilio. Sane fide edocti sumus etiam pœnas temporales Deum infligere peccatoribus ad eos puniendos, et a peccatis absterrendos. Tridentinum autem disjunctive esse intelligendum patet, quia secus nimis probaret; probaret enim ad attritionem formidolosam requiri præter metum gehennæ etiam metum malorum temporalium (2) — In omnium autem sensu sufficit ad veniam pro venialibus impetrandam attritio ex metu pœnarum Purgatorii concepta.

606. An vero qui in articulo mortis suscepit sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis explicitum, alii affirmant, quia ex ipsa lege caritatis quilibet tunc tenetur arripere remedia tutiora; sed plures alii negant, cum ille jam justificatus sit per solam attritionem cum Sacramento. Utrumque est probabile: sed primum est consulendum, cum agatur de summo salutis negotio irreparabili; imo dico id tunc omnino tenendum esse; in actuali enim mortis articulo quisque tenetur elicere actum caritatis, cui nemo potest satisfacere, si occurrente memoria peccati, ex eodem caritatis motivo peccatum non detestetur *(S. Alph.*, l. VI, n. 437).

607. **Propositum**. Est *deliberata voluntas non peccandi de cœtero*. Confessarius ultra verum propositum, caveat ne a pœ-

(1) Quæstionem de sufficientia attritionis in Sacramento pluribus argumentis tuetur Scavini, *l.* III, *n.* 428).

(2) Censeo, ait Lugo, posse concipi attritionem ex metu pestis vel alterius mali temporalis, quo Deus solet punire peccata nostra in hac vita. Quod videtur esse juxta mentem Tridentini; nam adducitur ibi in exemplum pœnitentiâ Ninivitarum, quæ concepta fuit ob metum excidii suæ civitatis, quod Deus comminatus fuerat. Cum prima sententia (concludit *s. Alph.*, l. VI, n. 443) non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto tutius eam in praxi servandam esse.

nitente exigat juramentum, vel votum non amplius peccandi; quia cum hæc inducant specialem obligationem, sæpius daretur pœnitenti occasio duplicandi peccatum, si relabatur.

Propositum duplex: aliud *explicitum* seu formale, quo quis de futuro cogitans statuit non amplius peccare. Aliud *implicitum* seu virtuale, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus præ oculis habeatur. Propositum saltem implicitum est de necessitate; cum propositum sit pars essentialis contritionis. An etiam requiratur explicitum, tres sunt Theologorum sententiæ.

Prima absolute requirit ad Sacramenti validitatem, ut propositum explicitum sit; quia licet dolor jam necessario includat propositum, tamen Tridentinum expresse requirit formale; cum dicat, quod pars essentialis Pœnitentiæ sit *dolor cum proposito non peccandi de cœtero*. At sicut dolor debet esse formalis et expressus, ita et propositum.

Secunda vero dicit, satis esse propositum virtuale, si dolor eliciatur ex motivo universali. Nam Tridentinum dicit, quod attritio si excludit voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam. Et eam tenet Benedictus XIII in Concilio Romano.

Tertia tandem sententia docet, quod si pœnitens cogitat de vita futura, tunc debet formaliter proponere emendationem; neque enim videtur satis illum posse pœnitere qui cogitans de vita futura, expresse non proponit emendari. Secus vero si pœnitens nihil cogitet de futuro, v. g. si quis sit in extremo vitæ constitutus. Duæ ultimæ sententiæ sunt probabiliores; sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi sequenda est saltem ante factum; post factum disputatur (1).

608. **Conditiones ad propositum.** Propositum debet esse:

I. *Firmum*, id est requiritur, ut pœnitens habeat voluntatem deliberatam non relabendi ob quodcunque incommodum. Sed caveat confessarius, ne comparationes adhibendo proponat pœnitenti difficultates speciales, ut videat si firmus sit; hæc enim vividius movendo perturbant et constituunt in manifesto periculo pœnitentem non habendi propositum efficax (*v. n.* 599).

(1) Cæterum in praxi non est dubitandum adesse propositum explicitum; cum vix eveniat, quod pœnitens vere contritus propositum explicitum omittat; etsi ad hoc non reflectat, quod necesse non est. Ideo magis, quia doloris formulæ quibus passim utuntur fideles, explicitum propositum continent (*S. Alph.*, l. VI, n. 450; *Opera dogm.*, sess. XIV, n. 88).

II. *Universale,* id est ad omnia mortalia extensum; nam *quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (Jacobi II) — Dictum est *ad omnia,* non solum quoad omnia lethalia quæ admisit, sed quoad omnia prorsus (si de his cogitet): *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit* (ait d. Thomas, 3 p. q. 87), *quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus* — Dictum est *mortalia;* nam de venialibus sufficit, ut pœnitens proponat (si ea solummodo habeat), se abstinere ab aliquo in specie; cum venialia non excludant divinam amicitiam (1). Imo sufficit, si firmiter proponat illa minuere; quia tunc propositum cadit saltem in aliquod ex illis. Etsi in praxi melius sit elicere propositum circa aliqua venialia, quæ ex habitu patrantur, vel de aliquo genere v. g. de mendaciis, dicendo: *Propono non amplius mentiri* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 449).

III. *Efficax,* id est aptum ad efficiendum quod proponitur. Ideo oportet, ut pœnitens non solum proponat peccatum vitare; sed etiam adhibere media ad illud vitandum, præsertim fugere occasiones proximas: alioquin nugatoria esset resipiscendi voluntas. Attamen non semper verum est tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur quod proponitur; relapsus enim potest etiam esse signum dumtaxat voluntatis mutatæ: sic Petrus vere proposuerat mori potius quam Christum negare; tamen in proxima occasione versatus eum negavit. *Quod autem aliquis* (ait d. Thomas) *postea peccat vel actu vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim cucurrit qui postea sedet; ita vere pœnituit qui postea peccat* (p. 3, q. 84, a. 10).

609. Qui asserit, *se amplius nolle peccare;* sed simul certo credit se relapsurum, an habeat verum et efficax propositum, sunt qui affirmant; quia propositum voluntatis non relabendi consistere potest cum judicio intellectus de lapsu futuro ex cognita fragilitate. Verum oppositum sequendum puto; nam in praxi id præbet certam suspicionem propositum non esse satis firmum. Nemo enim sciens, quod Deus suam gratiam non denegat *facienti quantum in se est,* potest certo credere se ad peccata sua esse rediturum. Unde recte ait Croix, quod talis

(1) Attamen qui est in peccato mortali, neque veniale potest ei remitti; nam remissio culpæ nonnisi per virtutem gratiæ fit; qui porro est in peccato mortali caret gratia Dei. *Angelicus,* 3 p. q. 87, a. 4.

pœnitens priusquam absolvatur disponi debet, ut speret non per vires suas, sed per Dei auxilium a peccatis liberatum iri; et edocendus id unum ab eo exigi, ut hic et nunc voluntatem firmam habeat non relabendi.

Aliter est, si non ageretur nisi de timore relabendi; bene enim stare potest voluntas firma non peccandi cum timore relapsus ex voluntatis mutatione (*S. Alph.*, l. VI, n. 451).

ART. 2. — De Confessionis Præcepto.

610. **Confessio Sacramentalis**. Definitur: *Accusatio propriorum peccatorum post Baptismum commissorum facta legitimo sacerdoti ad eorum absolutionem virtute clavium obtinendam*, id est vi potestatis a Christo suis ministris concessa. Ducitur similitudo a clavibus, quia peccatorum remissione clauditur infernus, cælum aperitur (D. Thomas, *Suppl. q.* 17 *et seqq.*).

611. **Principia**. Confessionem sacramentalem omnium mortalium post Baptismum commissorum esse divinæ institutionis, de fide est contra protestantes, qui volunt ipsam esse tantummodo institutionis ecclesiasticæ, nempe præceptam fuisse sæculo XIII in Lateranensi IV sub Innocentio III. Quod omnino falsum est; in eo enim Concilio tempus tantum determinatum fuit. Sane Christus a mortuis excitatus Apostolis eorumque successoribus potestatem remittendi ac retinendi peccata communicavit per ea verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* At hæc potestas nequit exerceri, nisi pœnitentium causa integre cognita sit: sed hæc integra causæ cognitio haberi nequit, nisi pœnitentes singillatim sua ipsi peccata confiteantur. Ergo quo jure tradita est peccata solvendi ac ligandi potestas, nempe divino, eodem jure instituta et præscripta fuit peccatorum Confessio. Et d. Thomas: *Peccator qui est reus, non debet esse suiipsius judex, sed ab alio judicari debet; et ita oportet quod confiteatur* (Suppl. 96) — Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris:* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt, *non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit..., anathema sit* (sess., XIV, c. 3). Hinc Apostolus merito dicere potuit: *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis* (II Cor. V).

Confirmatur ex traditione et præscriptionis argumento. Confessio enim semper fuit in usu ab exordio Ecclesiæ; testes sunt Patres: sæculo I s. Clemens; II s. Irenæus; s. Cyprianus sæculo III; sæculo IV s. Gregorius Nissenus. Unum proferamus d. Augustinum, qui V sæculo ajebat: *Nemo sibi dicat,* occulte ago; apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscat quid apud Deum in corde meo ago. *Ergo sine causa dictum est:* Quæ solveris in terra soluta erunt in cœlo. *Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ; frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi.*

Testes sunt: Concilia, ut Cabillonense anno 613, et Trullanum 692; item Turonense, Remense, Parisiense, Maguntinum, Wormantense, etc., quæ quidem Concilia omnia ante sæculum XII celebrata fuerunt.

Testes sunt: Omnia antiquissima et Latinorum, et Græcorum et Orientalium Ritualia. Item sectæ omnes, quæ longe ante Innocentium III ab Ecclesia catholica divisæ sunt, ut græci, armeni, æthiopes hæresi vel schismate infecti, apud quos hæc doctrina adhuc viget uti a Christo Domino descendens. Sane confessio peccatorum ardua et onerosa per tot sæcula tam perseveranter et universim observata non fuisset, si esset hominis inventum; sed satis fuisset in corde suo peccatorem pœnitere (1).

SOLVUNTUR OBJECTA.

611. Dices: I *Nonnulli Patres Confessionem abrogarunt; ergo illam non habuerunt divino Jure institutam ac necessariam.*

R. Si Patres nonnulli videntur Confessionem in suis Ecclesiis abrogasse, id non de sacramentali Confessione accipiendum; sed de publica, quæ tunc erat in usu, quamque abrogarunt; quia aliquando erat occasio scandali: talis fuit illa, quam Nectarius patriarcha Constantinopolitanus abrogavit versus finem sæculi IV, ut invicte probant eruditi. Ad cujus quidem facti intelligentiam (quod protestantes ad nauseam objiciunt) sciendum est, Episcopos tempore Novatianorum sacerdotem pœnitentiarium præfecisse, ut qui lapsi essent, coram illo delicta confiterentur. Quædam mulier ad Pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post Baptismum commissa a se perpetrata confessa est: presbyter vero præcepit illi, ut jejuniis et orationibus continuis vacaret; sed progressu temporis mulier aliud facinus confessa est Ecclesiæ, videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Magnum inde exortum est scandalum, et populus ecclesiasticos hanc ob causam dicteriis appetere cœpit: tunc quidam presbyter suasit Nectario, ut Presbyterum pœnitentiarium

(1) Mirum quod protestantes contra hanc institutionem insurgant; cum illius vestigium in ipsa veteri Lege habeatur. Siquidem divinæ legis transgressores etiam tunc peccatum suum confiteri tenebantur: pro illis sacerdos orabat, Sacrificium offerebat, et ita venia obtinebatur *(Lev.* v). Imo vel apud ipsos gentiles in usu est Confessio, ut demonstrant Gaume, Martinet et alii. Imo ad hoc remedium suscipiendum ipsa natura nos impellit: homo enim levare se sentit peccati sui manifestatione; remorsus extinguit, et pacem, quam amiserat peccando, Confessione invenit: quod vel ipsi increduli fassi sunt, ut pluribus probat Scavini, *l.* III, *nn.* 433 *et seqq.*). V. Fossati, *Un pregiudizio confutato, ossia dissertazione sulla necessità e sulla utilità della Confessione auricolare,* ecc. Oneglia, 1878.

expungeret, addens, ut *unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem sineret accedere.*

Ex his porro non sequitur Nectarium Confessionem secretam abrogasse: nam 1° abrogavit quod tempore Novatianorum institutum fuerat: at Confessio secreta tempore illo non fuerat instituta; siquidem antea in usu erat, ut patet testimonio Origenis et Cypriani. 2° Abrogavit quod fuerat occasio scandali, nempe publica confessio. 3° Confessio secreta semper fuit in usu post Nectarium, ut constat testimonio s. Chrysostomi ejus successoris, et constanti praxi Græcorum. Quod firmatur ex ipso facto objecto, nempe facto mulieris et pœnitentiarii; siquidem dicta mulier prius secrete confessa est *delicta a se perpetrata.* Nectarius autem permisit *unumquemque pro arbitrio et animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere;* non quod æstimaret Confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse Jure divino; sed quia licentiam unicuique dabat illa uti, vel non uti, prout nempe agnosceret se esse sontem, vel insontem.

Dices 2: *Nullibi legitur Apostolos Confessiones excepisse, vel ipsos confessos fuisse; ergo credi nequit hoc præceptum tunc extitisse.*

R. Multi Theologi probant, usum Confessionis tempore Apostolorum extitisse per hæc Actuum Apostolorum verba: *Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Ibi enim agitur de peccatis *credentium,* ac proinde post Baptismum commissis; talem esse antiquissimorum Patrum interpretationem ostendit Morinus. Alii tamen dicunt verbum *credentium*, intelligi posse de nondum baptizatis, qui peccata aliquo sensu confitebantur, ut ad suscipiendum Baptismum se præpararent. Hac igitur responsione prætermissa, negamus consequentiam: 1) Quia prædicare, docere, baptizare, manus imponere, aliaque officia muneris apostolici implere debebant Apostoli, raro autem Confessiones fidelium excipere; præsertim cum in illis felicissimis temporibus fere nullus gratiam Baptismatis amitteret — 2) Quia multa fecerunt Apostoli quæ non fuerunt scripta: præcepto Domini obtemperantes, *docebant servare quæcunque ipsis mandaverat,* et parum solliciti erant an actus sui scriberentur: liber autem Actuum Apostolorum præcipua tantum gesta Petri et Pauli continet, et de aliis fere nihil refert — 3) Cum Apostoli referant ipsius Christi verbis potestatem ipsis traditam remittendi et retinendi peccata, non est dubitandum, illos hac patestate fuisse usos, necessitate occurrente; ne dicantur inaniter locuti. Ergo falso concluditur ex silentio Apostolos Confessiones non excepisse, vel ipsos Confessione pro se non usos esse; quanquam forte illa non indiguerint; nam, juxta probabilem sententiam, Apostoli erant confirmati in gratia.

Dices 3: *A sancto Clemente ad sanctum Bernardum non legitur in vitis Sanctorum ipsos confessos; id non contigisset, si Confessio esset Jure divino præcepta.*

R. Cum clarissimo Perrone: *I Santi si sono confessati ogniqualvolta hanno creduto doverlo fare: e lo si prova con un argomento fortissimo di analogia. Certo è, come abbiamo veduto, che Gesù Cristo ha instituita la Confessione; è certo che la Chiesa universale l'ha sempre praticata; è certo che i santi Padri ne hanno inculcato l'assoluta necessità; dunque, conchiudo, anche i Santi si sono confessati, richiedendolo il bisogno. Altro è che una cosa si sia* fatta, *altro è che si sia* scritta: *molte cose si fanno, che non si scrivono. Non è dunque meraviglia che non si trovi nelle antiche vite dei Santi questo particolare della Confessione da essi fatta; perchè anticamente le vite si solevano scrivere assai brevemente, e si narravano solo le cose principali: adesso invece si raccontano tutti i particolari più minuti. Se questo silenzio provasse contro la Confessione, proverebbe contro la Comunione, giacchè, come osserva lo stesso Gibbon, il primo di cui si legga essersi comunicato prima di morire, fu s. Ambrogio nel IV secolo.... Altrimenti bisognerebbe anche dire, che pei primi tre secoli non si facesse dai Santi la Comunione prima di morire.*

A tutto questo aggiungasi, che molte circostanze rendevano a quei tempi assai più rara la Confessione: 1) Perchè molti morivano martiri — 2) Perchè molti ricevevano il Battesimo in età avanzata, e non pochi nell'ultima infermità —

3) *Perchè non si ammettevano alla Confessione quelli, che stavano nella penitenza publica* — 4) *Perchè non era allora frequente la Confessione de' peccati veniali. Tutto questo però sia detto per sopra più, giacchè è falso che di niun Santo si legga essersi confessato prima di morire da s. Clemente a s. Bernardo. Tra gli altri si legge di s. Eligio vescovo nelle Gallie ch'egli fece* la Confessione di tutta la sua vita passata; *lo stesso si legge nella vita di s. Aredio; lo stesso nella vita di s. Tillone; lo stesso nella vita di tanti altri Santi di cui parla il Martenio, i quali furono più secoli prima di s. Bernardo* (Catechismo, Lez. XII). Vide *Scavini*, l. III, n. 294; et *Klee*.

612. **Confessionis præceptum**. Confessio sacramentalis peccatorum necessaria est omnibus fidelibus, qui graviter deliquerunt, præcepto divino et ecclesiastico.

1) Præceptum divinum eruitur ex divina institutione, et declaratur a Tridentino: *Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit* (sess. XIV, c. 6).

2) Præceptum Ecclesiæ in Lateranensi IV editum est: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam pœnitentiam studeat pro viribus implere...; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Et Tridentinum eos anathematizat, qui dicunt ad Confessionem non teneri *omnes et singulos utriusque sexus Christifideles juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno* (sess. XV, c. 8; vide *s. Alph.*, l. VI, n. 662).

Nomine *proprii sacerdotis,* intelligitur quidem parochus, sed quin excludatur episcopus et sacerdos a suo Ordinario confessarius approbatus; et talis est universalis consuetudo. Ad rem habet d. Thomas: *Sacerdos proprius non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa; unde qui confessus est Episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio sacerdoti* (Opusc. contra impugn. relig.). Idque declararunt Alexander VIII sæc. XIII contra Guillelmum a Sancto Amore; Joannes XXII sæc. XIV contra Joannem Poliacum; et Clemens VIII sæc. XVI contra nonnullos Belgi parochos (1).

613. **Præceptum divinum Confessionis**. Præceptum divinum Confessionis omnes graviter obligat, qui mortali peccato se ma-

(1) S. Congr. Episc. 1554 declaravit: si Episcopus jubeat, ne quis valide Confessiones audiat sine Parochi licentia, talis decreti non est habenda ratio.

cularunt (venialia enim multis modis delentur); ideo obligat etiam surdos et mutos, infirmos, moribundos, etc., ut meliori modo quo possunt confiteantur; nam sine ista pœnitentia in re vel in voto non fit remissio. Obligat per se et per accidens.

I. Obligat *per se:* in mortis articulo, et in gravi vitæ periculo non amplius confitendi, ne scilicet contingat præceptum hoc nunquam impleri, et ne negligantur media ex præcepto divino ad salutem necessaria, inter quæ sacramentalis Confessio merito recensetur. Sic tenebuntur confiteri ingredientes periculosam navigationem vel conflictum: mulieres non satis robustæ primum parituræ, si rationabiliter in gravi periculo ideo versentur; vel quæ solent habere partus admodum difficiles; damnati pœna capitali, etc.

An extra illos casus præceptum divinum confitendi, qua tale obliget per se aliquando in vita, alii negant cum possit peccator per contritionem Deo reconciliari. Sed communius affirmant, et videtur probabilius; nam illud Christus reliquit determinandum ab Ecclesia: Ecclesia porro in decreto Lateranensi determinavit illud obligare saltem semel in anno. Est tamen commune cum d. Thoma Confessionis præceptum per se non obligare statim post peccatum, cum sit præceptum affirmativum *(in* 4, *d.* 17, *q.* 3).

II. Obligat *per accidens:* 1) Si sumpturus Eucharistiam versatur in mortali, ex divino præcepto — 2) Si id aliquando necessarium putetur ad gravem tentationem superandam; quanquam sunt alii plura media ad hunc finem — 3) Qui debet esse in gratia, v. g. ad Confirmationis vel Matrimonii sacramentum accipiendum, et nequeat elicere perfectam contritionem.

614. **Præceptum ecclesiasticum Confessionis.** Lateranensi decreto præceptum ecclesiasticum Confessionis obligat saltem semel in anno: qui spectata universali consuetudine, hodie computatur ab uno Paschate ad aliud Pascha. Dictum est: *saltem semel in anno;* unde qui prævidet sibi in posterum non fore commoditatem confitendi toto anno, debet prævenire, si peccavit mortaliter; quia obligationem jam contraxit (1).

(1) Qui autem semel rite confessus est, jam justificatus est; et ideo non tenetur eo anno confiteri denuo, si aut reinciderit in lethalia, aut oblitum aliquod recordetur, aut aliquod grave prætermiserit ex juxta causa. Ex adverso non satisfacit præcepto qui ea dumtaxat confitetur quæ non sunt necessaria Confessionis materia, quia ex præcepto non confitetur, idest qui confitetur dumtaxat lethalia jam rite confessa aut venialia. Quocirca ei hoc anno confitendum erit sive mortalia fuerit oblitus, sive ea omiserit ex justa causa, sive in hæc inciderit postea. *D'Annibale.*

Obligat autem hoc præceptum omnes baptizatos peccatores, nisi eos impotentia excuset; ergo etiam impuberes; imo etiam pueros, qui jam ad annos discretionis pervenerint, etsi septennium nondum compleverint *(v. t.* I, *n.* 133). Quod si de discretione dubitetur, nec brevi possit dubium resolvi, docent communissime, pueros esse sub conditione absolvendos, si non ex paschali præcepto, saltem ne forte diu maneant in peccato mortali (1). Graviter igitur errant confessarii, qui pueros nunquam ante primæ Communionis ætatem absolvere volunt; alia est enim discretio quæ requiritur ad Confessionem, alia quæ ad Communionem (2). Talem usum alicubi vigentem aperte reprobavit Pius IX *(S. Alph.,* l. VI, n. 665; *Scavini,* l. III, n. 298) (3).

615. **Resolve**: 1) Confessio pro satisfaciendo præcepto, debet esse valida; quia Confessio præscripta debet esse apta ad reconciliationem cum Deo. Ecclesia enim novum non condidit præceptum, sed tantum divinum determinavit; at divinum præceptum respicit Confessionem validam. Hinc proscripta est ab Alexandro VII contraria propositio.

2) Qui non habet nisi venialia, ad præcepto satisfaciendum juxta quosdam necesse est ac sufficit, ut sacerdoti ostendat se nullo gravis culpæ reatu teneri obstrictum; hoc ei pro Confessione reputatur. Verum communis sententia et verior cum d. Antonino ab onere tum confitendi, tum etiam se repræsentandi solutos docet omnes qui mortaliter non peccaverunt. Nam

(1) Neque judicandum est quod non habeant sufficientem discretionem, eo quod pueri circa confessionale conspiciantur quædam puerilia agere, ludere, ridere. Hæc pertinent ad pueriles inadvertentias, quæ se produnt exterius; gratia autem Dei non aufert omnes effectus pueriles, sed operatur in pueris, ipsis linquendo eorum statum. Unde in illis non requiritur dispositio maturæ ætatis, sed juxta eorum imbecillitatem. *Dens.*

(2) « Sì non trascuri (il parroco) i fanciulli che sono arrivati all'uso della ragione.... Sono *angioletti di Dio....* Ah signori, non basta che l'inferno faccia così cruda guerra ai fanciulli procurando loro ogni mezzo per rubar loro l'innocenza? il parroco darebbe l'ultima mano per precipitarli nell'inferno, non dandosi forse alcun pensiero di visitarli, nè di amministrar loro alcun Sacramento, quando sono infermi dicendo: *Sono angioletti di Dio, non sanno quello che si fanno!* Ancora quando non lo dicesse la Scrittura, non vediamo nelle confessioni generali degli adulti, e non sappiamo per esperienza, che *Sensus et cogitatio humani cordis: in malum prona sunt ab adolescentia sua?* Mach.

(3) Ex d. Carolo optima est consuetudo puerulos, etsi nondum perfecte ad annos discretionis accesserint, ante confessarium adducere, ut incipiant instrui, ac manu quasi ad cognitionem et usum hujus Sacramenti transferri.

Continuator Tournely observat hac in re cum Navarro, Lugo et Sylvio, parochos vel confessarios, qui simul plures audiunt pueros doli capaces, aut de quibus dubium sit an doli capaces sint, graviter delinquere: 1) Quia pueros illos morali exponunt periculo peccata sociorum revelandi — 2) Quia canon *Omnis* præcipit, ut *solus soli* confiteatur. Quod magis et omnino observandum est de puellulis, quæ si doli capaces, nonnisi ad crates audiendæ sunt.

præceptum Lateranensis est tantum determinativum divini præcepti, ut tradit Tridentinum; atqui divinum præceptum non obligat ad Confessionem venialium. Quod si non tenentur ad confitendum, neque ad se confessario præsentandum; nam nullibi id præceptum est *(S. Alph.,* l. VI, nn. 432, 666).

3) Qui præcepto ecclesiastico Confessionis annuæ non satisfecit quacunque de causa, ex communiori sententia quam sequor, tenetur satisfacere quamprimum: nam terminus non apponitur ad obligationem finiendam, ut in jejunio; sed ad eandem non differendam, ut in debiti solutione, uti patet ex verbis: *saltem semel in anno.* An autem toties peccet qui confiteri differt, quoties negligit opportunam occasionem, affirmative si toties renoveat positivam voluntatem; secus vero et quidem probabilius negative *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 669).

§ 1. — De Requisitis ad Confessionem, et præcipue de Integritate.

616. **Conditiones Confessionis.** Sexdecim sunt ex Angelico *Supplem.* q. 9, a. 4).

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parére parata.

1. *Simplex;* id est non artificiose composita; sed veritatem sincere aperiens sine admixtione rerum ad Confessionem minime pertinentium.

2. *Humilis;* tam *interne,* ut malitiam sui peccati pœnitens tribuat sibi, non tentationibus, non gratiæ defectui, quæ nunquam deest; quam *externe,* ut Confessio fiat habitu decenti, et genibus flexis, nisi causa obstet.

3. *Pura,* id est cum fine recto, et primario obtinendi veniam peccatorum; cum ideo Confessio instituta sit.

4. *Fidelis* seu *verax,* id est peccatum exponens sine mendacio et æquivocatione: id de essentia requiritur, quando agitur de materia necessaria. Ideo graviter pecco: *a)* Si mortale quod teneor confiteri, et puto esse tale, negem vel tegam. *b)* Si mihi ipsi mortale aliquod falso imponam advertenter; est enim contra caritatem in me ipsum. *c)* Si negem vel mentiar circa peccata, etsi jam confessa et absoluta, quando confessarius de

iis exquirit uti necessarium ad præsentem Confessionem *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 496) (1).

5. *Frequens;* nam qui non vult insordescere, necesse habet, ut frequenter pulverem excutiat.

6. *Nuda,* libera e verborum ambagibus, et inani circuitu. Agitur enim non de minuenda culpa; sed de venia obtinenda.

6. *Discreta,* idest prudens tam in explicando peccato honestis verbis, quam in eligendo docto et pio confessario.

8. *Libens,* nempe voluntaria; ideo non coacta timore sive domini sive parentum, ut solet evenire in servis et filiis.

9. *Verecunda,* videlicet cum animi vultusque pudore; neque enim illum vere pœnitet qui peccata impudenter enarrat.

10. *Integra,* quoad peccata mortalia: peccata enim tegere est sinu serpentem fovere, qui nos lethaliter interficiat.

11. *Secreta,* id est soli sacerdoti facta, ad ejus aures; ideo *auricularis* dicitur. Id tamen non requiritur de necessitate, quasi non valeat si publica; sed ex usu rationabili Ecclesiæ.

12. *Lacrymabilis,* non quia fletum requirat, sed quia oportet ut sit cum vero animi dolore, ne sit sola historica narratio.

13. *Accelerata,* nempe non adeo dilata post peccatum; cum unum suo quasi pondere ad aliud trahat. Quæ dilatio magis timenda, si sit circa peccata carnalia; nam et passionem acuit et culpæ ruborem minuit et emendationis desiderium extinguit et fidem ipsam sensim sine sensu aufert.

14. *Fortis,* in superando timore, quo pœnitens sæpe concutitur in manifestandis culpis turpioribus. Consideret melius esse uni tantum peccata salutariter aperire; quam coram omnibus in ultima die maximo ac insalutifero rubore aperta eorum manifestatione perfundi. Monet Spiritus Sanctus: *O homo, pro anima tua ne confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam* (Eccl. IV). Monet d. Bonaventura plurimum conferre, si ab initio ea peccata aperiantur, quæ majori nos rubore afficiunt (2).

(1) Qui mentitur quoad tempus, v. g. si furtum quod heri fecisti, dicas fecisse hebdomada superiori, non peccatum, sed peccati circumstantiam dumtaxat negas, quæ non mutat speciem; ideo grave non est. Excipiunt nisi tempus requiratur ad dispositionem pœnitentis cognoscendam.

(2) Rubor maledictus! quot miseræ animæ inde in infernum descendunt! Ideo s. Theresia prædicatores continuo urgebat: *prædicate, prædicate, sacerdotes mei, contra sacrilegas confessiones; nam ideo major christianorum pars damnatur* (S. Alfonso, *Istruzione e pratica pei confessori).* » Maledictus hic rubor ubique regnat, maxime in mulieribus. Oportet ergo ut prædicator frequenter de hoc agat; et puto id esse maximi momenti in Missionibus; in illis enim multi, etsi sermones

15. *Accusans;* non se excusans, ut faciunt qui peccata sua referunt in alios, filii in parentes, uxor in maritum, discipulus in condiscipulum; Confessio est sui accusatio, non aliorum.

16. *Parére parata* (confessario), ut in acceptanda pœnitentia, in proxima occasione fugienda, in adhibendis remediis, in restitutione facienda, etc. (1). Secus pœnitens non esset sincere dispositus, cum renuat stare mandatis patris, judicis, medici ac doctoris (2).

617. **Confessionis integritas.**. Duplex est: alia materialis; alia formalis. Materialis est *accusatio omnium peccatorum mortalium, nullo excepto.* Integritas vero formalis est *accusatio peccatorum, quæ pœnitens potest et tenetur hic et nunc confiteri.*

618. *Principia.* Integritatem materialem et in ejus defectu formalem divino Jure esse necessariam ad Confessionem definivit Tridentinum: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti præmeditatione habeatur: etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta: et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam..., anathema sit* (sess. XIV, can. 7). Ratio; quia sine tali integritate Confessarius rectum judicium de peccatis efformare non potest *(S. Alph.,* l. VI, nn. 465 et 471).

audierint, nihilominus adhuc pergunt ob ruborem peccata reticere (s. Alfonso, *Selva di materie predicabili).* Item habent s. Leonardus, Segneri senior et junior, aliique.

Ad tanto malo occurrendum præstat, ut parochus sæpe sæpius fidelibus aperiat enormitatem hujus sacrilegii et certum æternæ damnationis periculum; item ut identidem expertos missionarios vocet ad sacra Exercitia populo habenda. Præstat ut confessarii omnimodam libertatem pœnitentibus concedant, imo et aliquando eos compellant ad extraneos confessarios adeundum, quos ideo opportune invitent. Item suos mores ad pietatem ita componant, ut pœnitentes fiducialiter propriam conscientiam ipsis aperiant nihil suspicantes de illorum probitate ac fidelitate in secreto servando; omni æstimatione de hoc Sacramento loquantur, caveant ne quidquam dicant quod ad audita in confessione referri valeat, et ad invicem se confiteantur manifeste ad bonum exemplum. Non festinanter, non perfunctorie se gerant in fidelium confessionibus excipiendis; sed viscera misericordiæ induti pœnitentes patienter audiant, prudenter si opus sit interrogent, ac paterne dirigant *(Il Monitore ecclesiastico,* anno 3°, hanc doctrinam erudite exponitur et evolvit pluribus consultis theologis. Item v. *n.* 738).

(1) Si tamen adesset in aliquo casu specialis et justa causa obstandi sententiæ confessarii, fas est pœnitenti, cum debita reverentia eam confessario exponere, qui si nihilominus persisteret in sua sententia, licite poterit pœnitens alium confessarium adire.

(2) Ex his conditionibus aliæ ad validitatem requiruntur, aliæ non; prout vel ad Confessionis essentiam pertinent, vel tantummodo ad perfectionem. Ad essentiam autem maxime pertinet integritas.

Quod vero in defectu integritatis materialis sufficiat ad Confessionem integritas ipsa formalis, expressius declarat ipsum Tridentinum inquiens: *Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fidenter cum Propheta dicimus: « Ab occultis meis munda me, Domine »* (sess. XIV, c. 5).

619. **Quæ aperienda in Confessione.** Ad Confessionis necessariam integritatem hæc sunt de necessitate aperienda:

I. *Numerus peccatorum mortalium,* ait enim Tridentinum hæc confitenda esse *omnia et singula.* Unde qui ter Missam in festo non audivit, non sufficit confitere se Missam non audivisse, sed confiteri debet se illam non audivisse per tres vices (1). Qui non recordatur de numero certo, tenetur dicere numerum verosimilem, seu qui magis accedit ad veritatem dicendo *circiter.* Quod si neque hoc exhibere potest, sufficit si dicat num frequenter aut raro peccaverit, quoties circiter in mense, in hebdomada, in die, etc. *(v. n.* 735).

II. *Species peccatorum mortalium diversa,* alioquin non aperirentur peccata mortalia ut sunt; cum non omnia in uno genere malitiæ conveniant. Unde qui grave furtum et occisionem patravit, non satisfacit dicendo, se duo mortalia commisisse: sed furtum et occisionem distincte fateri debet. Qui autem non potest manifestare speciem infimam seu individualem peccati, tenetur patefacere speciem superiorem seu genericam. Ita si quis sciens se peccasse contra castitatem, non recordetur amplius quod sit hoc individuale peccatum, tenetur in genere confiteri, se contra castitatem graviter peccasse.

III. *Circumstantiæ* tum illæ, quæ speciem mutant theologicam seu demeritoriam, nempe quæ peccatum de veniali in mortale transferunt; cum sint omnia mortalia aperienda: tum illæ, quæ *addunt novam speciem mortalem;* tunc enim sunt diversa peccata. Unde qui in Sacris constitutus voluntarie polluitur, non satisfacit si confitendo ignoto confessario dicat simpliciter, se pollutione reum esse; sed sacram suam qualitatem illi manifestare debet; nam pollutio personæ consecratæ novam addit malitiam mortalem, nempe sacrilegium.

IV. *Effectus mortaliter malus prævisus,* etsi postea non

(1) Qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse; nec tenetur autem dicere, num complex unica fuerit an plures, num fuerint meretrices an non. Tenetur tamen id aperire, si confessarius interroget ad directionem. *Gury.*

sequatur; nam fuit voluntarius et imputabilis utpote prævisus, quando causa voluntarie fuit posita. Unde qui copulam carnalem habuit cum Titia, ex quo præviderit gravia mala inde eventura in ejus familia, et copulam habitam et illa gravia mala prævisa aperire debet; ideo magis si inde exurgat obligatio restitutionis faciendæ.

620. **Conscientiæ examen.** Ad integritatem Confessionis necessario prærequitur diligens examen de peccatis ab ultima valida Confessione patratis; neque enim *sine diligenti præmeditatione,* ut verbis utar Tridentini, omnes animi nostri sinus perscrutari possumus. Hæc tamen præmeditatio æstimanda est pro capacitate pœnitentis, temporis mora, et cæteris circumstantiis. Hinc in ægrotis non requiritur examen tam accuratum uti in sanis, imo quandoque fere nullum erit exigendum.

Generalis regula est, ut pro omnibus illa inquisitio adhibeatur quam viri prudentes in negotiis momentosis ordinarie solent adhibere, ut habet Catechismus Romanus. Non ideo requiritur summa diligentia in examine, etsi quis putet per hanc alia peccata se reperturum; id enim confessionem redderet nimis onerosam et anxietatibus plenam. Quare ordinaria diligentia semel adhibita, non tenetur pœnitens de anteacta vita ulterius cogitare. Ideo non valet illud: *Si plus me examinarem, plus invenirem; ergo teneor me plus examinare.* Etenim non est tantum attendendum ad confessionis integritatem, sed etiam ad humanam conditionem; et Christi voluntas est, ut hoc Sacramentum non sit carnificina, sed alleviatio.

Quilibet autem huic obligationi satisfacere poterit sine nimio labore si, Dei auxilio implorato, revocet in mentem præcepta Decalogi et Ecclesiæ, peccata capitalia, obligationes proprii status, videndo an circa hæc deliquerit cogitatione, omissione, verbo et opere. Et hoc facilius consequetur, si mente revolvat loca ubi fuit, personas cum quibus conversatus, negotia quæ tractavit, animi affectiones quibus solet indulgere. Attamen hæc subtilis inquisitio non est de necessitate; ideo neminem vexare debet. Sicuti neque tenetur scribere peccata qui timet ne a memoria excidant, tum ob periculum cartulas amittendi; tum quia alienum est a communi etiam timoratorum praxi; esset enim medium extraordinarium *(S. Alph.,* l. VI, n. 471).

621. *Resolve:* 1) Non officit Confessionis integritati, si quis ob quandam erubescentiam vel timorem accusat mortalia confessario ignoto, venialia confessario ordinario; nam in prima Confessione tota

ponitur materia necessaria, in secunda materia sufficiens. Hæc tamen agendi ratio nullam præbere debet occasionem manendi in peccato aut in proximo ejus periculo. Item pœnitens tunc prius debet absolvi a mortalibus; nam Confessio mortalium est de necessitate quoties quis confitetur *(S. Alph.*, l. VI, n. 471).

2) Si pœnitens simulet aliam vocem ne agnoscatur, per se non facit contra integritatem Confessionis; nam necesse non est, ut a confessario pœnitens nominatim dignoscatur. Sed præstat animadvertere cum Gousset, quod clericus ad Ordinem sacrum accessurus debet suo directori graves exponere culpas; nam hæc personalis cognitio illi necessaria est, ut de vocatione judicium ferat, et de ejus proxima dispositione (1).

622. **Circumstantiæ notabiliter aggravantes.** De necessitate sunt accusandæ circumstantiæ notabiliter aggravantes malitiam peccatorum mortalium intra eandem speciem: 1) Quando propter illas peccatis adnexa est censura aut reservatio, puta si furtum reservetur, quando pertingat ad talem quantitatem; vel si agatur de clerici percussione, ut cognoscatur an fuerit gravis aut enormis; et an percussus fuerit Episcopus, ut sciat confessarius cui recurrendum pro censuræ relaxatione (2). 2) Quando confessarius interrogat ratione officii vel directionis; puta si interrogat de consuetudine, de occasione peccati vel de furti quantitate, ut sciat quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam et obligationem restitutionis imponendam. Sed si nulla ratio extrinseca accedat, an per se sint de necessitate aperiendæ circumstantiæ notabiliter aggravantes, hinc inde doctores valde probabiliter disputant *(S. Alph.*, *l.* VI, *n.* 468).

Alii cum Suarez, et Sanchez affirmant; quia secus non satis perciperetur status pœnitentis, nec confessarius posset proportionatam pœnitentiam injungere. Alii tamen (mihi probabilius) cum sanctis Thoma, Antonino, Bernardo et Bonaventura negant: 1) Quia Tridentinum non alias memorat circumstantias aperiendas præter eas, quæ *peccati speciem mutant.* Ergo non obscure videtur innuere has satis esse, ut confessarius sufficiens efformet judicium de gravitate criminum et pœna impo-

(1) Confessus peccatum mortale, si bona fide circumstantiam omisit, sufficit in sequenti Confessione exponere solam circumstantiam, non expresso principali peccato, si circumstantia integre possit explicari sine actu principali: ut si occidendo hominem conculcaverit graviter segetes alterius, poterit hanc circumstantiam omissam solam confiteri. Sed e contrario qui furatus est ad se inebriandum, non videtur satisfacere confitendo hodie: *furatus sum;* et cras *volui me inebriari*, quia non explicavit furtum fuisse in genere gulæ. *Lugo.*

(2) Sed hoc non per se, sed per accidens est, ut patet.

nenda; neque enim hic omnimoda æqualitas requiritur — 2) Quia nemo debet obligari ad servandam legem dubiam (ut docet Benedictus XIV, in suis *Notificationibus)*; atqui lex confitendi circumstantias notabiliter aggravantes est saltem dubia; cum hinc inde disputent gravissimi Doctores (1).

Dices: *Prima opinio est sequenda utpote tutior, et contrarium damnatum est sub n.* 1 *ab Innocentio XI; et merito ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.* Verum nostra sententia non continetur sub pontificia damnatione, nam illam sequendo nullimode Sacramentum periculo exponitur nullitatis. Certum est enim ad illius valorem non requiri confessionem materialiter integram, sed sufficere integram formaliter, qualis hic habetur ex judicio tot auctorum. Hic enim advertendum est, Pœnitentiam fuisse institutam ad instar judicii, ideo illa et judicii et Sacramenti vim habet, ut scite notat Summula Reatina: porro si in his quæ pertinent ad valorem Sacramenti tutius est tenendum, non ita est de his quæ ad judicium pertinent; judicium de peccatis variat; et ideo in hoc non tenemur sequi quod tutius est, sed possumus quod est probabilius ac verosimilius tenere *(S. Alph.*, l. III, n. 468).

623. *Resolve:* I. Qui commisit furtum grave, satisfacit, per se loquendo, si grave furtum confiteatur, quin explicet an fuerit quadraginta vel centum libellarum; nam quantitas per se non mutat speciem peccati.

II. Qui incestum commisit, valide confitetur, si dicat se incestum commisisse, quin gradum explicet, nisi agatur de illo gradu, qui revera speciem mutat (vide t. I, n. 468; et *s. Alph.*, l. VI, n. 469).

III. Non est necessario declaranda (seclusa ratione scandali aut officii obligatione, ad bonum nempe aliorum tuendum) circumstantia dignitatis personæ, v. g. si ipse peccans sit superior, magistratus, etc. *Gury.*

IV. Neque probabilius circumstantia peccati confessarii cum pœnitente commissi; nam confessarius simplex stricte tantum tenetur ad rectam sui pœnitentis directionem in tribunali Pœnitentiæ. Excipe si peccatum habeat relationem cum Confessione, v. g. si adfuisset sollicitatio in confessione ob sacrilegium et injuriam specialem in Pœnitentiæ Sacramentum. Item esset aperienda circumstantia Parochi, qui peccavit cum suis parochianis; ex justitia enim tenetur parochianorum suorum animas a peccato avertere, et etiam in foro externo eorum curam spiritualem suscipere. Sunt tamen qui oppositam sententiam tenent.

V. Nec circumstantia peccati domini cum ancilla per se aperienda est de necessitate; quia herus non tenetur ex rigoroso officio spi-

(1) Cæterum hortari (non tamen sub peccato obligari) possunt fideles ad tales circumstantias declarandas ad majorem animi tranquillitatem; si excipiatur materia sexti præcepti, circa quam nil ultra quod absolute necessarium est, neque inquirendum neque permittendum ut pœnitens enarret.

Rudibus ad dignoscendas circumstantias explicatu necessarias hanc tradit regulam Careno, *Delle regole* etc. Es. XVI: « Quando la persona, e. g. con cui avete peccato, il luogo dove peccaste, il modo con cui avete commesso il peccato o simili, vi svegliano un più vivo rimorso, accusate queste circostanze, che apparterrà poi al confessore il fare col suo giudizio il discernimento fra quelle circostanze, che cambiano specie, o l'aggravano solamente. »

ritualem ejus curam suscipere, speciali obligatione seclusa. Neque circumstantia temporis sacri; excipiunt plures nisi quædam specialiter prohibeantur ob reverentiam temporis, v. g. ne quis die Parasceve ludos publicos agat *(S. Alph.*, l. III, nn. 273 et 451).

VI. Nec pœnitens tenetur declarare diversas personas cum quibus peccavit; etenim non ideo peccata speciem mutant; nisi adsit in aliqua persona specialis circumstantia.

624. **Mortalia dubia.** I. Si peccatum est certe commissum, sed dubitatur an in Confessione fuerit declaratum, aperiendum est; quia obligatio Confessionis est certa, cui non fit satis per dubiam satisfactionem.

II. Qui confessus est aliquod mortale uti dubie commissum, tenetur illud iterum confiteri, quando uti certe commissum agnoscit juxta veram et communissimam sententiam. Etsi enim jam fuerit directe remissum, attamen non fuit expositum uti est in se et in conscientia, prout præcipit Tridentinum; neque fuit explicata tota substantia peccati, quia in accusatione dubia non includitur certa *(S. Alph.,* Ho. ap., *tr.* XVI, n. 34) (1).

III. Si dubitetur, an mortale sit revera commissum, necne (vel an peccatum quod commissum est, sit mortale an veniale), neque debita inquisitione adhibita dubium vinci valeat, per se non adest gravis obligatio peccatum illud confitendi. Tum quia non debet onus certum imponi ex lege dubia; tum quia ex Tridentino ea tantum mortalia sunt confitenda, *quorum quis conscientiam habeat, vel quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit* (sess. IV, c. 5). At talis non est qui dubitat (2).

625. In *praxi* tamen putamus ordinarie suadendam pœnitentibus Confessionem omnium mortalium, quocunque sensu dubia sint; idque maxime fidelium pluralitati, tum quia vix

(1) Huc accedit S. Congregationis Indicis auctoritas, quæ prohibuit *Manuale Regularium Pellizarii,* donec aliquæ opiniones deleantur, inter quas est illa, quod non datur obligatio denuo confitendi peccatum, quod quis ut dubium confessus est, et postea uti certum agnoscit.

Dices: *Quando pœnitens non potest determinare numerum certum peccatorum, satis est si confiteatur numerum verosimilem: v. g. pejeravi decies plus minus. Porro si postea dignoscat pejerasse duodecim vicibus, non tenetur id confiteri. A pari qui confitetur peccatum uti dubium, non tenetur illud adhuc confiteri si postea uti certum dignoscat.* Verum non tenet paritas: in illo *decies plus minus,* substantialiter censetur contineri etiam numerus duodecimus; at in peccato dubio nullimode potest intelligi peccatum certum; certitudo enim dubium excludit, et diversæ rationis est.

(2) Probabilissime ac communissime dicunt, quod si pœnitens confessus sit peccatum, cujus ipse vel confessarius vel uterque nesciebat gravitatem, sed postea mortale esse cognovit, non est cur denuo confiteri teneatur. Quia nulla occurrit circumstantia necessaria quæ non fuerit expressa; nec opus est, ut confessarius determinate sciat hoc vel illud peccatum quod audit, esse lethale.

possunt per se conscientiam efformare; tum quia plerunque non valent distinguere venialia a mortalibus. Idque summopere prodest ad conscientiæ tranquillitatem — Hinc non probamus qui aperte in Catechesibus, ac generatim vellet de hoc fideles deobligare, cum multi possint allucinari, illi præcipue qui laxæ conscientiæ sunt, et sunt assueti de facili in peccata mortalia prolabi; quia in dubio quoad istos recte præsumitur consensus; si enim obstitissent, utique recordarentur conatus illius, quem sibi intulissent ad tentationem repellendam.

E converso oppositum sentiendum:

1) De eo, qui serium et repetitum propositum habuerit nunquam peccandi mortaliter, et nesciat illud certe revocasse; si cum advertit malum, illico terreatur et tentationem repellat statimque dubitet an consenserit: si nesciat an in vigilia vel somno aliquid egerit vel cogitaverit; si enim fuisset vigilans, jam id advertisset et sciret. Tunc non præsumitur consensus.

2) De scrupulosis, qui utcumque rite confessi, nova semper declarant; qui post unam vel alteram vicem, non amplius sunt a confessario audiendi.

3) De illis, qui diligentes fuerunt in suis peccatis confitendis: qui si postea dubitent an aliquod peccatum omiserint, si multum tempus elapsum sit quo illud patraverint, non tenentur ad confitendum; cum possint prudenter et rationabiliter credere, et moraliter esse certi, quod de illo jam sint confessi.

4) De illis, qui post Confessionem generalem pro eorum capacitate rite peractam, dubitare incipiunt, num hoc vel illud peccatum declaraverint, vel peccati circumstantiam. Confessarius illis, bis aut ter patienter auditis, prohibeat ne recogitent quidem de præterita vita, nec quidquam addant, nisi certissimi omnino, quod aliquod grave revera nunquam sint confessi (*S. Alph.*, l. VI, n. 473).

626. **Mortalia oblita.** Ad rem Angelicus: *Ille qui confitetur veniam consequitur, nisi sit fictus; sed ille qui confitetur omnia peccata quæ in memoria habet, et aliquorum oblitus est, non ex hoc est fictus; quia ignorantiam facti patitur, quæ a peccato excusat. Ergo veniam consequitur; et sic peccata quæ oblita sunt, relaxantur; cum impium sit dimidiam sperare veniam* (Suppl. q. 10, a. 5) — Sunt tamen ea de necessitate declaranda *in Confessione, cum in memoriam venerint;* nam ex divino præcepto omnia mortalia declaranda sunt. Etsi autem jam sint remissa cum aliis, quæ declarata fuerunt (cum unum mor-

tale remitti non possit sine alio); attamen non fuere uti talia clavibus Ecclesiæ submissa, neque directe vi Sacramenti remissa, sed tantum vi gratiæ per Sacramentum infusæ. Hinc Alexander VII hanc damnavit propositionem: *Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Etsi autem non sit obligatio statim accusandi peccata gravia oblita, cum jam deleta sint; sunt tamen confitenda in prima confessione quæ instituitur, nulla alia confessione interposita. Nam ad integritatem confessionis de necessitate pertinet declarare in actuali accusatione omnia mortalia nondum accusata, quæ memoriæ occurrunt.

627. Qui vero mortale oblitum confitetur statim post absolutionem, communius negant cum Lugo ipsum teneri novum elicere dolorem, ut de novo absolvatur; quia prior contritio si sit ex motivo generali, puta offensione Dei, fuit directa ad absolutionem obtinendam omnium etiam oblitorum. Sed probabilius affirma: nam per absolutionem jam completum est judicium; unde si nova est danda absolutio, nova requiritur materia proxima, sive eidem confessario sive alteri confessio fiat. Et quamvis dolor perseveret moraliter; non ille perseverat in ordine ad aliam absolutionem. Quæ quidem opinio in praxi est saltem ut tutior tenenda ante factum *(S. Alph.,* l. VI, n. 448).

Dixi: *Ut de novo absolvatur;* licet enim confessarius omittere valeat absolutionem, cum talis pœnitens jam justificatus sit, et in alia confessione directe absolvi possit; attamen consultius est (nisi agatur de scrupulosis, qui iterum iterumque redire solent) novam absolutionem impertire; pœnitentiam aliquam imponendo, ne mutilum sit Sacramentum. Idque ad pœnitentis solatium, ad animæ tranquillitatem, et novum fructum a Sacramento iterato percipiendum. *Gury.*

628. **Accusatio in genere peccatorum vitæ anteactæ.** An accusatio peccatorum remissorum anteactæ vitæ in genere tantum, quin ulla distinguatur species, sit materia sufficiens ad validitatem ac licitatem absolutionis obtinendæ, uti si pœnitens nil habens in præsens quod conscientiam remordeat, dicat: *Confiteor me peccasse; me accuso de omnibus peccatis meis præteritæ vitæ;* sunt præcipue ex modernis qui cum Ballerinio et Apicella affirmant. Huic tamen sententiæ alii cum s. Alphonso non facile subscribunt; tum quia quando agitur de Sacramentis, quod est tutius sequendum est; tum quia natura hujus Sacramenti quod per modum judicii exercetur, exigit certam, distinctam ac determinatam peccati (saltem quoad speciem) accusationem, ut judex de illo cognoscat, et sententiam dicat.

Utique nulla est obligatio confitendi venialia in specie vel mor-

talia jam confessa et absoluta; et ideo qui ea tantum habet, potest etiam non confiteri. Sed si confiteri vult, necesse est ut ponat quæ ad Pœnitentiæ sacramentum necessaria sunt, id est et animi dolorem, et peccatum aliquod super quo directe cadere possit absolutio. Esto etiam quod integritas confessionis quoad numerum, speciem et circumstantias non ita pertineat ad Sacramenti essentiam, ut sine illa Sacramentum haberi nequeat. Etenim scio illam valide et licite justis de causis aliquando omitti posse, ut patet de moribundis, etc.; nam integritas formalis confessionis solum exigit ut ea peccata dicantur quæ nunc aperiri possunt, quin grave periculum incurratur; at in præsenti nullum periculum, nulla necessitas est, ut possit pœnitens se tantum in genere accusare; cum ponere valeat materiam specialem ac determinatam (1).

Curet ergo confessarius (monet s. Alphonsus) ut possit peccatorem in genere tantum se accusantem absolvere, aut eum disponere ad dolendum speciatim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit autem, ut confiteatur declarando aliquam materiam in genere, v. g.: *Me accuso de peccatis superbiæ, luxuriæ,* etc.), ut habeat materiam certam ac determinatam, super quam absolutionis forma proferri possit. Alioquin huic pœnitenti differri oportet absolutio; *si* ex s. Alphonso *differri oportet absolutio,* non potest in ejus sententia absolvere pœnitentem qui in genere tantum confitetur. Confessarius quatenus medicus *curet*, ut pœnitens de aliquo peccato se accuset; sed quatenus judex inabsolutum pœnitentem *dimittere* debet, si id non agat.

Quæ quidem agendi ratio, aliquod certum peccatum vitæ anteactæ confitendi, in iis maxime est curanda, qui sola venialia habent, et in eadem sunt recidivi: quia merito potest de illorum dispositione dubitari (S. Alph., *Ho. ap.*, tr. ult., n. 9) (2).

629. Qui vero ita se accusat: *Nihil scio, nisi quod sæpe debui peccare sicuti cæteri homines*, examinandus est ut puer examinari solet, inquirendo (si nihil ab ultima confessione conjici possit) de vita anteacta: an unquam sit mentitus, an aliquando parentes offenderit, an iratus fuerit, an proximo detraxerit, an parum reverenter in ecclesia, an voluntarie distractus in oratione, etc. Quod si nil certi

(1) Concedatur Confessionem genericam per se validam esse, cum essentia Sacramenti una semper sit, neque mutetur pro casuum varietate; negandum tamen eam esse licitam extra casum necessitatis, atque ideo in praxim posse deduci. Tum quia est contra usum generatim ad hæc usque tempora vigentem; tum quia officia judicis, medici et doctoris multo melius exercentur, si pœnitentes in specie, et non in genere duntaxat sua peccata accusent; tum quia periculosum est confessionibus genericis januam aperire: id protestantium morem videtur inducere; tum denique quia sententia opposita non omnem dubitationem excludere valet; nam et nova est et singularis, contra quam et moderni plures et antiquitus fere omnes (ipsis fatentibus adversariis) contrarium tuentur: ideo res est adhuc sub judice; at nefas est materiam dubiam adhibere, quando certa haberi potest in Sacramentorum confectione. Hæc fere omnia vide apud Berardi, qui tamen in nova edit. *De recidivis* contrariæ sententiæ accedit (v. *Vindiciæ Alphonsianæ;* et *Nouvelle Revue théologique;* Tornuai, 1869, *t.* 1).

(2) Cæterum si confessarius plane agnoscat aliunde pœnitentem, ut ex recenti totius vitæ Confessione, etc., et sciat illum intendere accusare de peccatis sibi jam notis, tunc satis erit si pœnitens dicat: *Me accuso de omnibus peccatis jam tibi notis*, vel simpliciter, *de omnibus peccatis vitæ præteritæ.*

haberi possit, de quo ipsum determinate pœniteat, non potest absolvi; vel nonnisi in necessitate sub conditione, *si es capax*. Gury (1).

630. **Causæ ab integritate excusantes.** A materiali integritate duo excusant: impotentia physica et moralis.

Physica, quia impossibilium nulla est obligatio; *moralis*, nempe grave et extrinsecum damnum tam spirituale quam temporale imminens pœnitenti vel confessario vel tertio; quia non censetur moraliter possibile, quod fieri nequit sine gravi incommodo. Dicitur *extrinsecum damnum;* quia certe non excusat difficultas ipsi Confessioni intrinseca, etsi notabilis, v. g. magna repugnantia in se accusando; quia Confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa. Si secus, plerunque ab accusandis mortalibus excusarentur fideles, ac inde rueret ex maxima parte hæc divina institutio *(S. Alph.*, l. VI, n. 479).

Ob impotentiam physicam excusantur:

I. *Moribundi*, quibus non suppetit tempus, vel si sint sensibus destituti; agitur enim de casu extremæ necessitatis.

II. *Muti* et *surdi simul*, quibus (si aliter non valeant) sufficit tam in morte quam in præcepto paschali, ut signis, modo quo possunt, explicent unum vel alterum peccatum. Si tamen muti scribere sciant, ex probabiliori et communiori sententia cum d. Thoma tenentur confiteri sua peccata scribendo, nisi subire debeant incommodum extraordinarium, vel periculum revelationis *(S. Alph.*, l. VI, n. 479) (2).

III. *Surdi*, qui utpote linguæ usum habentes tenentur ex parte sua confiteri peccata quæ memoriæ occurrunt; sed confessarius non tenetur speciatim interrogare ad procurandam integritatem ob nimiam interrogandi difficultatem et revelationis periculum. Qui si pœnitentis surditatem circa initium confessionis advertit, imponat ei, ut alio tempore ac loco opportuno redeat; interim aliis surditatem patefaciat, si opus, ad auferendam omnem suspicionem, quæ concipi posset contra pœnitentem (3). Si vero in progressu confessionis id dignoscat

(1) Excelsus magistratus se vertens ad quendam ecclesiasticum putans se uno ictu posse Pœnitentiæ sacramentum fulminare ac irridere, *Ego* (ait) *nunquam vestra confessione utor, et ratio concludentissima est, quia nunquam pecco.* Sacerdos cum summa animi tranquillitate respondit: *Nonnisi duas personarum classes, illustre Domine, ego nosco quæ nunquam peccant; illos qui usum rationis nondum adepti sunt, et illos qui eum amiserunt.*

(2) Muti qui legere sciunt, librum qui examinis speciem præsefert, oculos percurrendo digito indicare poterunt confessario, ubi et quoties deliquerint.

(3) Item *surdastri* debent adduci in locum remotum ut rite confiteantur, sublato omni revelationis periculo. Sed quoad fœminas omnis cautela adhibenda est, e

ne pœnitenti imponat alta voce, ut redeat, quia magna daretur suspicio, quod in ea satis longa mora gravibus culpis sit innodatus, circa quos cum sit de necessitate interrogandus; sed tunc peccata intelligendo, quo potest meliori modo, pœnitentem absolvat: *absolute,* si prudenter dispositum judicat; *conditionate (si es dispositus),* si dubitat; et pœnitentiam injungat levem, cum alii eam audituri sint *(S. Alph.,* l. VI, n. 644).

IV. *Ignari idiomatis,* qui possunt absolvi, si signis tantum manifestent peccatorum suorum dolorem, cum commode invenire nequeunt confessarium, a quo intelligi possint. Neque tenentur uti interprete, quia Lateranense ait: *solus peccata confiteatur* (1); et S. Concilii C. 28 febr. 1633, declaravit pœnitentem qui non vult uti interprete, *posse et debere absolvi.*

Ob impotentiam moralem excusatur pœnitens:

I. Si scrupulosus sit, qui jugiter præteritarum confessionum timore vexatur, quibus nunquam facit finem.

II. Si prudenter prævideatur quod confessarius sit abusurus tali manifestatione vel contra pœnitentem ipsum, eum v. g. sollicitando ad turpia; vel contra tertium, v. g. ipsum postea infamando. Item si confessarius ad explicandum peccatum quod in excipienda confessione commisit, debeat aliquid dicere, ex quo vel dignosci vel suspicari possit quisnam sit pœnitens.

III. Si grave damnum confessario ipsi prudenter obventurum timeatur, v. g. si totam audiens Confessionem incurreret periculum pestis vel alterius gravis morbi. Tunc confessarius potest absolvere pœnitentem infectum, audito uno peccato; commune est (2).

quoad tempus, et quoad locum; pateat janua; itemque curandum, ut adhibeatur parvum confessionale portatile, ut evitetur immediatus conspectus confessarii ac pœnitentis. Idem dicito si surdus sit ipse confessarius.

(1) Tamen qui volunt per interpretem confiteri, non sunt prohibendi: *sed præcavendi abusus et scandala, et curandum ut interpretes admoneantur de obligatione ad observantiam secreti.* Ita Congr. de Propaganda fide 19 julii 1838.

Cum tamen (ait Gousset) in casu de quo agitur aliquale dubium adsit de validitate absolutionis, pœnitens adhortandus erit, præsertim si in periculo versetur, ut interpretem, prout possibile est, conquirat, per quem propriam confessionem expleat: quod facile persuasum erit, si illi notum fiat, sufficere ut unum veniale peccatum levius aperiat, si tamen et de illo doleat. Ad hoc certe obligaretur in articulo mortis, si dubius sit de contritione perfecta, ut sic cum sola attritione ope Sacramenti justificetur *(S. Alph.,* l. VI, n. 479).

(2) Licet absolvere pœnitentem peste laborantem, etiam non expleta integra Confessione, si confessarius probabiliter vereatur, ne et ipse pestem contrahat vel ex nimio fœtore, vel ex diuturna mora cum ægroto. Monet d. Carolus, in Concilio Mediol. V, ut Confessionem audiens aliquantulum e lecto distet; item etiam ut in locum apertum aut ad fenestram, aut ad ostium sub porticu (si fieri possit) moretur *(Scavini,* l. IV, n. 54; et dicta t. I, n. 968).

IV. Si immineat naufragium aut prælium: tunc omnes possunt simul absolvi, dicendo: *absolvo vos a peccatis vestris.* Et sufficit unum audire peccatum, etsi leve: vel (juxta quosdam) satis est si pœnitentes dicant in genere, se esse peccatores; neque tenentur se infamare publice de aliquo speciali accusando. Item est si confessarius surdus sit, nec alius adsit, nec in loco abdito confessio fieri valeat *(S. Alph.,* l. VI, n. 406).

Cæterum notandum: ut ratione impotentiæ possint reticeri peccata requiritur: 1) Ut non desit alius confessarius, cui sine talis damni periculo pœnitens valeat confiteri — 2) Ut confessio nequeat differri sine satis gravi difficultate. Non autem est sufficiens causa ratio magni concursus pœnitentium; est enim periculum absolvendi indispositos; nec casus urget, et contrarium est damnatum ab Innocentio XI — 3) Ut illa dumtaxat omittantur peccata, quorum Confessio periculum continet: quæ quidem, impedimento cessante, aperienda sunt in alia proxima Confessione, ut omnia clavibus Ecclesiæ subjiciantur.

631. Q. *An absolvi possit qui antea confessario sua peccata in scriptis legenda dederit, et deinde eidem confessario præsenti dicat:* de his me accuso?

R. Id generatim non est permittendum: etsi enim confessio non absolute præcipiatur, ut fiat vocaliter: tamen cum in Ecclesia sit receptus modus sic confitendi, obtinet vim præcepti; *alii enim modi,* ait Angelicus (Suppl. q. 9, a. 3), *sunt inducti in supplementum istius.* Et proinde sine gravi causa foret illicita confessio aliter facta; causa esset, si quis v. g. ob malum gutturis, impedimentum linguæ, vel si puella ultra modum verecunda in explicando voce sua peccata valde gravem difficultatem sentiat *(S. Alph.,* l. VI, n. 429).

Casus. Marcellus cum peccata sua jam sciat confessarius, renuit ea singillatim confiteri; ait enim: *tu omnia jam scis; de his me pœnitet.* R. cum d. Thoma: Quamvis sacerdos aliquando sciat peccatum ut homo, non tamen scit ut Christi vicarius; sicut etiam judex aliquando scit aliquid ut homo, quod nescit ut judex. Et quantum ad hoc per confessionem aperitur *(Suppl.* q. 7).

§ 2. — De Confessionis Iteratione ac Confessione Generali.

632. **Iteratio Confessionis.** Confessio certe iteranda est, quando certo moraliter constat illam fuisse invalidam, et agatur de peccatis mortalibus; omnia enim clavibus Ecclesiæ per se subjicienda sunt, ut esset v. g. si confessus fuerit sacerdoti jurisdictione carenti. Item est si dubitetur de confessionis validitate, et dubium cadit circa existentiam alicujus requisiti confessioni essentialis, v. g., an confessarius posuerit formam, an

pœnitens ignorans necessitatem doloris ac propositi pro confessione dubitet rationabiliter, an illa habuerit, est confessio iteranda; quia incerta satisfactio rei præceptæ, sat non est pro implendo præcepto certo. Tunc enim valet illud: *Non satisfit præcepto certo per dubiam satisfactionem* (1).

Quod si posita fuerint essentialia confessioni; sed tantum dubitetur de modo, an scilicet rite et prout de jure posita fuerint: si dubitetur, an dolor et propositum emissum, fuerit rite emissum, an peccata certe confessa quoad substantiam fuerint omnia satis declarata, tunc valet alia regula juris: *In dubio standum pro valore actus.*

633. *Resolve:* 1) Qui a pueritia peccatum grave inculpabiliter omisit, v. g. mollitiem, non ideo tenetur repetere alias confessiones intermedias rite peractas; sed hoc tantum.

2) Neque qui peccatum grave culpabiliter omisit, tenetur repetere confessiones intermedias bona fide factas, in quibus ex oblivione defectum illum non fuerit confessus; cum validæ fuerint et validæ maneant.

3) Rustici ac pueri qui bona fide semper in confuso confessi sunt sine numeri et specierum peccatorum distinctione, non tenentur repetere integre confessiones præteritas, cum illæ satis fuerint validæ. Sed bene tenentur explicare numerum omissum, nisi numerus verus in priori narratione satis contineatur; secus non omnia mortalia exponerentur, ut præcipit Tridentinum — Item species peccatorum, secus non tota peccati pravitas aperiretur. Cæterum quia voluntas non fertur in incognitum, sed ea dumtaxat imbuitur fœditate, quam peccans suæ actioni inesse putat, ideo pœnitens non videtur teneri ad illam specialem fœditatem aperiendam, quam nunc tantum ob maturam ætatem novit.

4) Si confessarius ex præsenti confessione possit habere claram notitiam peccatorum anteactæ vitæ, utpote semper uniformis, poterit quin repetantur priores confessiones, efformare simul judicium de annis præteritis.

5) Quoad obligationem repetendi confessiones recidivorum, de quarum valore sæpe dubitari potest, hæc regula est sequenda: si observetur quod pœnitens post confessionem occasiones vitavit et per aliquod tempus tentationibus obstitit, bene possunt judicari validæ confessiones; secus non.

6) Generatim non sunt cogendi pœnitentes ad repetendas confessiones, quando de earum nullitate certo non constat *(S. Alph.*, l. VI, nn. 501 *et seqq.)*.

(1) Si confessio invalida iteratur eidem confessario, et iste confessarius memoriam non retinet de statu pœnitentis ne in confuso quidem, confessio iteranda erit ex integro; quia perinde est, ac si alteri fuisset facta. Si vero memoriam retinet, alii probabiliter docent adhuc esse repetendam, si defuit in parte essentiali, v. g. in dolore; quia non fuisset Sacramentalis. Verum communis ac valde probabilis sententia cum s. Antonino docet sufficere, si confessarius resumat notitiam ejus saltem in confuso, et pœnitens se accuset de sacrilegio patrato, de defectu admisso in Confessione, atque in communi de omnibus prius declaratis. Nam licet prima Confessio fuerit sacrilega vel nulla, tamen ratificatio illius sufficiens reputatur, ut Sacramentalis fiat *(S. Alph.*, l. VI, n. 502).

634. **Confessio facta surdo.** Si confessio surdo sit facta mala fide, tota est iteranda; quia pœnitens peccavit actu quo confitebatur. Si vero bona fide, probabilius docent absolutionem valuisse, modo aliqua peccata audita fuerint. Et ideo non sunt repetenda, nisi peccata quæ non fuerunt audita; etenim nimis durum esset pœnitentem qui non est in culpa, subjicere pœnæ iterandi totam Confessionem (1).

Idem fere est de casu, quo vix finita Confessione, pœnitens intelligat confessarium aliqua peccata non bene percepisse vel propter somnum vel propter distractionem. Si tamen pœnitens non cognoscit præcise peccata non satis percepta, tota confessio si brevis sit, est repetenda; cum non importet multum gravamen. Aliter est, si Confessio sit generalis vel satis longa; non enim præsumendum voluisse Christum imponere præceptum integritatis materialis cum tanto onere; cum jam certum sit multa percepta fuisse. Tunc satis est, ut pœnitens confiteatur, *se dubitare, an aliqua ex gravibus suis peccatis confessarius perceperit* (S. Alph., *l.* VI, *nn.* 499, etc.).

635. **Confessio generalis.** Hæc aliis necessaria est, aliis est utilis, aliis vero est noxia.

1) Est *necessaria* illis qui invalide confessi sunt ex defectu vel proprio vel confessarii: quibus ideo est injungenda — 2) Est *utilis* iis, quibus causa esse potest vel majoris doloris ob tot peccata simul considerata, vel conscientiæ tranquillitatis, vel majoris cautionis: quibus propterea consulenda est — 3) Est *noxia* iis, qui scrupulis anguntur, quo enim magis præteritorum recordationem curant; eo magis eorum animus confunditur et conturbatur. Utique humaniter excipiendi, paterne consolandi; sed firmiter hortandi ac præcipiendi, ut confessarii judicio acquiescant — Hæc generatim; verum pro praxi retinendum est:

I. Confessionem generalem plurimum utilitatis conferre iis præsertim, qui vel primam Communionem sunt suscepturi; vel multo abhinc tempore, aut nunquam generaliter sunt confessi, maxime si pluribus distracti. Item iis, qui stabilem vitæ statum ut clericalem, religiosum, aut matrimonialem sunt inituri; vel qui perfectioni studere cupiunt, quibus etiam valde confert

(1) Non est autem repetenda confessio si ante absolutionem oblitus fuerit confessarius peccatorum, si saltem recordetur in confuso status pœnitentis; jam enim judicavit de peccatis cum exponebantur. Secus autem importabile pondus et confessario et pœnitenti imponeretur (*S. Alph.*, l. VI, n. 502).

Confessio annualis ac mensilis, saltem summatim circa defectus notabiliores.

II. Tempore Missionum, Exercitiorum, Jubilæi, quando pœnitens petit a confessario extraordinario generaliter confiteri, melius erit annuere; nisi prudenter pertimescenda sint alia præter jacturam temporis incommoda, scilicet scrupuli, anxietates, conscientiæ perturbatio, etc. S. Alphonsus monet confessarios, ne sint difficiles ad excipiendas confessiones generales ab iis qui sic confiteri cupiunt, licet nulla adsit necessitas (1). Adde: non raro evenire, si expertis credere est, ut quæ prius nonnisi utilis, postea revera necessaria dignoscatur (2). Neque confessarius perdat sustinentiam, si multum temporis impendere debeat; nam reddet rationem Deo, non si multos, sed si rite pœnitentes confessus fuerit (3).

III. Obligationi confessionis satisfacit pœnitens qui peccata mortalia ab ultima confessione patrata nec remissa commiscet cum antiquis jam rite remissis, etsi id ex industria faciat ob quemdam ruborem; nam per se peccatum idem est sive illud antea confessus fuerit, sive non. Nec refert quod confessarius intelligat illa esse peccata antiqua; pœnitens enim hoc non dixit; et confessarius certe intendit absolvere ab omnibus peccatis, quæ pœnitens hic et nunc confitetur. Nec refert quod pœnitens videatur implicite indicare quod sint peccata antiqua; nam ipse vere habet animum loquendi etiam de peccatis novis et de illis vult loqui, licet desideret non intelligi quoad hoc a confessario. Igitur confessarius compatiatur humanæ infirmitati; nec ultra sciscitetur, nisi mutatio temporis mutet peccati

(1) Etsi Confessio generalis utilis esse possit, ne tamen sit confessarius rigorosus in ea exigenda, maxime si pœnitens non inclinet: et sunt redarguendi qui ab omnibus novis pœnitentibus hanc exigunt sub prætextu directionis. Ad rem Segneri: *Non essere troppo curioso ad informarsi delle Confessioni passate* (Il confessore istruito).

(2) Sunamitis interrogata: *Rectene agitur circa te, et circa virum tuum et circa filium tuum? Quæ respondit: Recte* (IV Regum IV); et tamen mortuum filium lugebat in domo sua. Idipsum agunt nonnulli pœnitentes, qui cupientes confessionem generalem facere, et a missionario sub initio interrogati an semper rite confessi sint, *rite* respondent: et tamen lugere debent animam pluribus sacrilegiis maculatam; cum in confessionis decursu fateri conati sint hoc vel illud grave peccatum proprio confessario reticuisse, vel ob ruborem, vel quia in animo habebant illud declarandi in Confessione generali, etc.

(3) Si autem magni populi concursus fuerit, curet confessarius ad opportunum tempus Confessionem generalem differre. Quod si nunquam ei vacabit tempus, ut accidit in Missionibus, curet saltem summatim excipere illam Confessionem generalem (modo non sit necessaria), tantummodo exquirendo species et tempus peccatorum habituatorum, quin immoretur ad exquirendum numerum et circumstantias particulares (*S. Alph.*, Praxis: *Monita ad confessarios*).

speciem, vel debeat interrogare ad cognoscendum pravum habitum, vel peccati occasionem. *Lugo.*

IV. Gousset putat prudens non esse de generali Confessione pœnitentem statim alloqui, cujus præcedentes Confessiones nullæ sunt, si ipse nullo circa earum validitatem dubio tenetur; ac sit metuendum, quod animo decidat, eum a bona fide abjiciendo. Supponit aliunde ipsum hic et nunc bene dispositum esse, nihilque confessarium prætermisisse ex iis, quæ ei prudentia suggerebat, ut vitam transactam ei in mentem reduceret. In hoc casu ipse recipit directe remissionem peccatorum, quæ in præsenti confessione pœnitens confessus est; indirecte vero eorum quæ præcedenter commisit.

636. **Regulæ pro Confessione generali:**

I Ante omnia opus est, ut confessarius cognoscat statum, ætatem, conditionem pœnitentis, ut prudenter judicet de necessitate vel utilitate confessionis generalis, et rite possit illum interrogare.

II. Si pœnitens sit satis instructus, ipse sua peccata exponat, promittente confessario se illum adjuturum. Si pœnitens sit rudis, fere totum onus examinis confessarius assumere debebit. Interrogare poterit secundum ordinem mandatorum Dei, Ecclesiæ, et obligationum specialium pœnitentis; et post singula peccata inquirat ab eo, an aliquid addendum noverit. Ejusque animum erigat, si forte pertimescat difficultatem detegendi peccata; ei dicat satis esse, si sincere interrogationibus suis respondeat.

III. Interroget item: an *confessiones* præcedentes fuerint sacrilegæ? an in tali statu communicaverit? an impleverit pœnitentiam? an præceptum paschale? Item circa *virtutes:* an sciat mysteria fidei? an fidem negaverit? an contra religionem sit locutus? an libros vetitos legerit? an desperaverit, vel præsumpserit? an ex humano respectu præcepta neglexerit? an proximo dederit scandalum, vel prava consilia? an occasiones peccandi quæsierit?

IV. Circa præcepta Dei: (1 *præc.)* De superstitione; habitu orandi — (2 *præc.).* De juramento, voto, blasphemia — (3 *præc.)* An violaverit festa? et cum scandalo? — (4 *præc.).* An deliquerit in parentes, dominos, Dei ministros? De murmuratione, de malo desiderio in proximum — (5 *præc.)* De damnis in corpore aut anima proximo illatis? de odio, vindicta, imprecatione, homicidio, duello, abortu; de matrimonii abusu, sed paucis et caste — (6 et 9 *præc.)* De pravis cogitationibus, desideriis, cum quibus; de verbis inhonestis, jocis; de tactibus, pollutionibus, de turpi actu, et cum quibus — (7 et 10 *præc.)* De damno illato, de furto, fraudibus, mala cooperatione — (8 *præc.)* De mendaciis perniciosis, judiciis temerariis, de detractione, calumnia, etc.

V. Circa præcepta Ecclesiæ. De jejunio, abstinentia a carne; de Confessione et Communione paschali; de Missæ auditione; de solutione legatorum, decimarum. *Circa peccata capitalia;* de ebrietate, avaritia, superbia, acedia, invidia, ira, etc. Circa *officia proprii status*, videndum an sit uxor, maritus, herus, magistratus, ecclesiasticus, advocatus, mercator, opifex, etc. (1).

(1) *Sed consulendus* Scavini, *l.* IV, *Append.* 65' et 66', *qui monita maximi momenti, regulas tutissimas ac specimen exhibet confessionis generalis; agit etiam*

Art. 3. — De Satisfactione, Indulgentiis et Jubilæo.

637. **Satisfactio Sacramentalis.** Definitur: *Voluntaria pœnæ a confessario injunctæ susceptio tum ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, tum ad pœnam temporalem redimendam.* Non enim remissa culpa quoad pœnam æternam, tota semper remittitur pœna temporalis, ut Tridentinum definivit contra Novatores: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit* (sess. XIV, c. 12) (1). Hæc igitur pœna temporalis vel in hac vita sustinenda est, vel in altera in purgatorio luenda. Hinc etsi David peccati sui veniam plenissime fuerit consecutus; plures tamen temporales ærumnas ideo debuit sustinere. *D. Thomas*, 3 *p. q.* 86, *a.* 4 (V. Scavini, l. III, n. 444) (2).

638. Verum quidem est, Christum pro nobis superabunde satisfecisse; sed cum membra capiti conformari debeant, oportet ut et ipsi nos satisfactiones exhibeamus in carne nostra. Hinc ajebat Apostolus: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (Coloss. I). Durus multis videtur hic sermo: *Abnega temetipsum, tolle crucem tuam et sequere Jesum;* sed multo durius erit audire illud extremum verbum: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Kempis — Si porro justitia exigit, ut per pœnitentiam præterita injuria Deo illata reparetur, exigit caritas ut per illam præcaveatur futura; et ideo præstat, ut pœnitentia a confessario imponenda sit simul et vindicativa et medicinalis (3).

de præcipuis interrogationibus adhibendis cum pœnitentibus pro illorum statuum diversitate, etc.

(1) Ad differentiam Baptismi, in quo (ut ait d. Thomas, 3 p. q. 86, a. 4) non tollitur quidem concupiscentiæ fomes, sed remittitur tota pœna non tantum æterna, sed etiam temporalis; quia homo per Baptismum participat totaliter virtutem passionis Christi, cum ei et commoriatur et consepeliatur et regeneretur ad vitam novam omnino. In Pœnitentia vero homo consequitur virtutem passionis Christi tantum secundum modum propriorum actuum, quæ sunt materia Pœnitentiæ (*Scavini*, l. III, n. 444).

(2) Lutheranus Wizel scribit: « Vitembergam cum suo territorio nunc magna voce clamat: *confessionem, confessionem!...* Quoad me attinet, diabolus vos pro me audiat et confiteatur. Quomodo enim pœnitentes esse poterunt, si quotidie edocentur quod Deus nobis non imputat peccata, quod peccata non damnant nisi eos qui fidem non habent, cum Christus pro omnibus satisfecerit abunde, et ideo inutilia evadunt bona opera nostra? Imagines Christi Jesu insculpere fecerunt portantes saccos ingentes peccatis impletos. Pulchre, fratres! illum onerate sine misericordia, onerate viriliter; Dominus est, qui fortes habet humeros, qui sarcinam vestram portabit, sed ut eam deponat in loco tuto, ubi eam vos tandem invenietis sepultam in abyssum æternum una vobiscum » (Hurter, *Vita Innocentii III*, c. 10). *V.* Scavini, *l.* III, *n.* 466.

(3) Satisfactio cum sit pars Sacramenti habet proprium effectum ex opere operato; alioquin non esset majoris efficaciæ quam satisfactio non sacramentalis. *Cum satisfactio a sacerdote absolute injuncta* (ait d. Thomas, *Quodl.* 3, *a.* 28) *sit pars*

639. **Principia.** I. Confessarius tenetur satisfactionem imponere. Hinc contra omnes protestantes expresse definivit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clavium et contra institutionem Christi... anathema sit* (sess. XIV, c. 15). Idque requirit triplex confessarii qualitas, ministri, judicis et medici. Qualitas *ministri* expostulat, ut Sacramenti integritati consulat; ad hanc autem satisfactio pertinet. Qualitas *judicis,* ut delinquentibus pœnas injungat. Qualitas *medici,* ut præscribat pharmaca idonea tam ad sanandos morbos contractos, quam ad eosdem vitandos in posterum. Hinc Benedictus XIV reprobat uti laxiorem opinionem quæ docet, quod impositio satisfactionis potest omitti tempore Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ. Indulgentiæ enim conceduntur ad infirmitatis auxilium, non in negligentiæ fomentum *(S. Alph.,* l. VI, n. 506).

II. Confessarius sub gravi tenetur satisfactionem imponere, si pro mortalibus nondum remissis injungenda sit; at probabiliter non tenetur nisi sub levi, si pro venialibus aut mortalibus jam remissis præscribi debeat (*S. Alph.*, Ho. ap., n. 47).

III. Si tenetur confessarius satisfactionem convenientem injungere, tenetur pœnitens, generatim loquendo, eandem acceptare et exequi. Obligatio imponendi satisfactionem et obligatio eandem acceptandi et exequendi sunt correlata, uti argumentatur Benedictus XIV, Bulla *Inter præteritas.* Ideo peccat graviter qui recusat vel adimplere omittit pœnitentiam, vel ejus partem notabilem. Attamen docet communiter omittere pœnitentiam levem impositam pro venialibus aut mortalibus jam rite confessis, non esse nisi veniale; cum materia levis non sit capax gravis obligationis: et Sacramentum jam completum sit essentialiter. Quo in casu probabiliter docent neque confessarium graviter delinquere, si satisfactionem non imponat.

IV. Non tenetur autem pœnitens pœnitentiam implere, si fuit invalida Confessio; quia nullum adest Sacramentum inte-

Pœnitentiæ, manifestum est quod in ea operatur vis clavium, ita quod amplius valet ad expiandum peccatum quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus. Varias autem satisfactionis utilitates recenset Tridentinum: ac 1) Nos magnopere a peccato revocant et quasi fræno quodam coercent; vigilantioresque in futurum pœnitentes efficiunt (ita videmus, ait d. Thomas, l. 3 *contra Gentes*, c. 158, quod etiam bruta animalia a maximis voluptatibus retrahuntur per dolores verberum). 2) Medentur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. 3) Imminentem a Deo pœnam amovent. 4) Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiunt. Et certam salutis arrham præbent; quia si compatimur et conglorificabimur *(sess.* XVI, *cap.* 8).

grandum. Idem est de pœnitentia imposita sine absolutione, nisi sit medicinalis ad præcavendum peccatum, et præparandum pœnitentem ad ipsam absolutionem; vel si pœnitens ad eandem Confessionem perficiendam pluries accedat, et confessarius pœnitentiam singulis vicibus imponat, ut mitiorem ultimo præcipiat *(S. Alph.,* l. VI, n. 516).

V. Qui sine causa omittit *circumstantias satisfactionis* pro mortalibus impositas, v. g. si recitet Rosarium, sed non flexis genibus, uti fuerat ei injunctum, peccat; cum sit in præcepto hæc circumstantia. An vero peccet mortaliter, id pendet a molestia gravi aut levi, quam affert illa circumstantia per se, vel respective ad pœnitentem, prout significaverit confessarius.

Si injunctum sit orare flexis genibus, censet Croix non esse per se mortale, si omittatur tantum genuflexio; si vero injunctum sit orare brachiis expansis, dicit mortale hanc omittere circumstantiam. Quia non primum, sed secundum graviter molestum est *(S. Alph.,* l. VI, n. 516).

640. **Quæ et quanta satisfactio imponenda**. Notanda:

I. Quoad *qualitatem,* satisfactio oportet, ut sit et vindicativa et medicinalis; dicente Tridentino, satisfactiones esse imponendas *non solum ad novæ vitæ custodiam; sed etiam ad præteritorum vindictam et castigationem* (sess. XIV, c. 8) — *Pœna post dimissionem culpæ,* ait Angelicus, *exigitur ad duo, scilicet ad debitum solvendum et ad remedium præstandum* (Suppl. q. 8, a. 7).

Satisfactio *vindicativa* erit, v. g. subtractio aliqua cibi, abstinentia a vino vel liquore inebriante, privatio honestæ recreationis, visitatio ecclesiæ, altaris. Sed hic maxime conferunt: *jejunium* (etsi forsan præstet raro imponere); *eleemosyna,* pro iis qui bona possident; et *oratio* pro omnibus. Radices enim peccatorum tres sunt *concupiscentia carnis,* et contra ipsam ordinatur jejunium; *concupiscentia oculorum,* et contra imponitur eleemosyna; *superbia vitæ,* et contra confert oratio *(D. Thomas,* Suppl. q. 15, a. 3) — Cæterum satisfactio vindicativa seu pœnalis est quodcunque opus bonum injunctum in Sacramento; nam in statu naturæ lapsæ quæcunque virtuosa actio habet rationem pœnæ; quia amissa justitia originali, ad terrena proni sumus, ex eodem Angelico.

Satisfactiones vero *medicinales* sunt illæ, quæ vitiosos habitus contrariis virtutum actionibus tollunt. Audiatur s. Alphonsus: *Imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus,*

eleemosynæ pro peccatis avaritiæ, oratio pro blasphemiis, etc. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti: quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentiam, orationem mentalem et eleemosynas; nihilominus praxis habet, has reddi damnosas iis, qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum. Imponi poterit generatim omnibus oratio vocalis, auditio Missæ, actus fidei, spei, caritatis, contritionis, lectio pia, tertia pars Rosarii, devotio erga B. Virginem mane saltem ac vespere ei recitando aliquas preces, item preces pro defunctis *(S. Alph.,* l. IV, n. 514).

II. Quod pertinet ad *quantitatem* ac *mensuram* satisfactionis, præ oculis habendæ sunt tum criminum gravitas, tum facultas pœnitentium. Relate ad criminum gravitatem considerari debent eorum species, numerus et circumstantiæ — Relate ad facultatem pœnitentium satisfactio accommodanda est eorum statui, conditioni, sexui, ætati et dispositioni, ut habet Rituale. Monet autem Salesius, non esse gravandum pœnitentem multis rebus, maxime diversis, ne confundatur et terrefiat (v. *Scavini,* l. III, nn. 444 et seqq.) (1).

641. *Resolve:* 1) Non sunt imponendæ pœnitentiæ perpetuæ; nam inducere solent periculum oblivionis, et anxietates creant. Imo ordinarie loquendo non expedit eas imponere ad longum tempus, ut esset ad quinque menses.

2) Non sunt imponenda jejunia pueris, rusticis, pauperibus, opificibus labore defatigatis; nec filiisfamilias qui admirationem parentibus injicerent, aut etiam eos offenderent. Nec sunt injungendæ peregrinationes, aut prolixæ preces, aut eleemosynæ mulieribus sub potestate viri.

3) Non sunt imponenda quæ ludibrio exponere possunt pœnitentes, ut recitatio in medio ecclesiæ tot Pater brachiis extensis, etc. Neque ordinarie pœnitentiæ nimis naturæ repugnantes; v. g. signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter etiam generatim imponitur pueris, ut veniam petant a parentibus, vel ab aliis ob inobedientiam, irreverentiam, aut furtula ipsis facta; quia sæpe odiosam reddunt Confessionem, et plerunque omittuntur.

4) Non est imponendus ingressus in religionem, neque matrimonium; quia hæc requirunt omnimodam libertatem. Præstat autem ut confessarius non imponat Missas celebrandas ad avertendum a se omnem suspicionem avaritiæ. Imo Benedictus XIV vult, ut etiam sponte oblatæ non acceptentur.

(1) Pœnitentiæ canonicæ, quæ olim imponebantur, nunc omni carent auctoritate; cum jam a sæculo IV in Oriente, in Occidente vero a sæculo VII obsoleverint. Tamen valde proficuum esse potest pœnitentibus, ut facilius inducantur ad majorem pœnitentiam acceptandam, et fortius a peccatis absterreantur, eas indicare ut monent Catechismus Romanus, d. Carolus et d. Antoninus *(S. Alph.*, l. VI, n. 530; et *Scavini,* l. IV, n. 459). V. append. 2' in fine, ubi principaliores canones referuntur; et d. Thomas, *Suppl.* q. 18, a. 4.

5) Etsi possit imponi opus jam debitum, ipsum elevando ad meritum etiam sacramentalis satisfactionis, id tamen non expedit, nisi spectata fragilitate pœnitentis. Non autem illud imponi potest, si jam eodem titulo satisfactionis Sacramentalis præceptum sit; non enim potest denuo elevari ad sacramentalem satisfactionem quod jam elevatum est. Cæterum commune est, quod ubi confessarius expresse non sit locutus de opere alias debito aut præcepto, intelligatur impositum opus liberum seu supererogatorium.

6) Ait Rituale: *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat;* secus indirecte violaretur sigillum, uti ait d. Thomas (in 4 d. 14, q. 1, a. 5) — Si vero agitur de peccato publico, confessarius non solum potest, sed aliquando tenetur publicam satisfactionem imponere, si nempe alia via occurri nequeat scandalo dato, vel honori alicui detracto. Attamen non est adstringendus pœnitens (recte observant) si renuit et aliter possit damnum æquivalenter reparare. Tunc ex una parte infirmitati pœnitentis subvenitur; ex alio scandalum sufficienter alio modo tollitur, uti per publicam auditionem Missarum, Ecclesiarum visitationes, frequentiam Sacramentorum, ingressum in aliquam Congregationem aut sodalitium, ubi publice pietatis opera exerceantur, etc. *(S. Alph.*, l. VI, nn. 511 etc.), (1).

642. **Quæ pœnitentia gravis.** Censenda est per se gravis *pro uno vel altero mortali, saltem ex odierno Ecclesiæ more quæ respondeat operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur. Hinc pœnitentia gravis erit Missam unam audire, uno die jejunare, recitare Rosarium (etiam tertiam partem), Officium B. Virginis, Litanias Sanctorum, Psalmos pœnitentiales, Viam Crucis agere, meditare per tertiam horæ partem, et similia. Non autem erit gravis pœnitentia si Psalmus* Miserere *tantum imponatur, vel quinque* Pater *et* Ave *una vice.* Gury.

Notat ad rem cl. Ballerini: Quod hic auctor adstruit pro uno vel altero peccato gravi sufficere Missam audire, Rosarium recitare, etc., non ita intelligendum est, ut pro gravium peccatorum numero arithmetica proportione multiplicari debeant Rosaria, Missæ, etc.

643. **Pœnitentiæ Sacramentalis diminutio.** Aliquando confessarius levissimam satisfactionem imponere debet, uti est percutio pectoris, Crucis osculatio, invocatio Nominis Jesu. Nempe: 1) Si jam pœnitentem satisfecisse advertat; vel eum inveniat vehementissime contritum; *contritio potest esse tanta* ex Angelico, *quod tollat omnem culpam et pœnam, sicut patet in latrone et Magdalena* — 2) Si pœnitens sit morti proximus, aut valde

(1) Absentes in pium sodalitium adscribi nequeunt: ex decreto S. C. Indulgentiarum probato a Leone XIII, 15 apr. 1878; qui tamen sanavit adscriptiones absentium hactenus factas.

debilis. Tunc satis est ex Rituali indicare satisfactionem, quam si convaluerit, opportuno tempore peragat. Imo si sit in mortis articulo vel sensibus destitutus, absolvatur sine ulla pœnitentia.

644. Aliquando autem potest confessarius leviorem, licet non ita improportionatam injungere, id est talem, ut dici quidem possit esse gravem in se, licet non secundum omnem mensuram.

1) Non tantum tempore Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ, nam et hoc modo bene solvitur pœna vindicativa; sed etiam ob verba, quæ in forma absolutionis exprimuntur: *Quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*, etc. Sic enim omnia opera pœnitentis elevantur ad meritum sacramentalis satisfactionis, prout docent longe probabilius et communius cum d. Thoma (Quodl. 3, *a.* 28). Alioquin frustra Ecclesia ea verba proferri præscriberet.

2) Ob prudentem timorem, ne pœnitens illam sit impleturus, uti ferme omnes affirmant; tum quia hoc Sacramentum non est forum iræ et pœnarum, sed veniæ et misericordiæ; tum quia satius est, quod pœnitens cum leviori pœna residuam luat in purgatorio, quam graviori pœna neglecta, damnetur in inferno (1). Id docent d. Salesius ac d. Carolus addentes expedire, ut pœnitentes interrogentur, an talem pœnitentiam valeant exequi — Monendi tamen de insufficientia satisfactionis injunctæ, ut quoad possunt pœnitentiæ operibus vacent. Imo sapienter ageret confessarius ex s. Thoma de Villanova, *si facilem unam injunxerit, acriorem consuluerit* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 507. Scavini, l. III, n. 447).

645. *Resolve.* Pro culpis gravibus non potest juxta alios imponi satisfactio sub obligatione levi tantum, etsi illa in se gravis sit; nam confessarius non agit, nisi ut simplex minister, nomine nempe Dei, qui proinde debet obligationem materiæ proportionare. Sed alii posse communius affirmant: quia in hoc Sacramento sacerdos est judex ac legislator a Christo constitutus cum facultate et solvendi a peccatis et ligandi per pœnitentiam. Hæc secunda sententia per se loquendo valde probabilis mihi videtur: sed non probarem, si confessarius vellet pro peccatis gravibus totam pœnitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis ægritudinis aut intensissimæ contritionis, vel alio casu rarissimo, in quo certo videretur expedire ad salutem pœnitentis. Censeo enim ex præcepto Tridentini (quod præscribit, ut satisfactiones *pro qualitate criminum* imponantur) teneri semper confessarium injungere aliquod grave in se et sub obligatione gravi, licet sit leve respective ad gravitatem peccatorum.

(1) D. Thomas scribit *Opusc.* 64 hac de re: *Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem, ut pœnitens totam dimittat...; nec ita levem ut contemnat peccatum.... Tamen tutius est imponere minorem debito quam majorem; quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam quam per nimiam severitatem; quia talis defectus in purgatorio supplebitur.*

2) Si pro venialibus vel mortalibus jam confessis pœnitentia imposita sit gravis, alii probabiliter affirmant esse grave peccatum illam omittere; cum gravitas obligationis videatur desumenda non ex peccato, pro quo imponitur; sed ex materia quæ præcipitur. Verum negant alii satis probabiliter; sicut enim confessarius non debebat illam imponere sub gravi, ita nec sub gravi illam tenentur acceptare pœnitentes; nisi peccata illa per accidens nimis disponant ad mortale vel nisi a pœnitente nondum peracta sit condigna pœnitentia.

3) Non potest imponi tota pœnitentia sacramentalis, sub casu tantum quo pœnitens reincidat in peccata; nam si pœnitens non reincidat in peccata, mutilum erit Sacramentum: tunc nulla esset satisfactio vindicativa. Aliqua tamen salutariter sic potest imponi pro evitando relapsu *(S. Alph.*, l. VI, nn. 518 *et seqq.)*.

646. **Mutatio satisfactionis.** Satisfactio semel imposita non potest valide mutari a pœnitente auctoritate propria, ne in melius quidem: quia nulla satisfactio potest esse Sacramentalis, nisi imponatur a ministro Sacramenti. Sed ob rationabilem causam potest mutari tam a proprio confessario a quo pœnitentia imposita est, tam ab alio.

I. *A proprio confessario*, cum nihil obstet, ut judex reformet judicium suum in hoc indulgentiæ tribunali. Ut tamen fiat licite, causa requiritur, uti si pœnitens prævideatur non esse satisfacturus ob repugnantiam aut fragilitatem. Neque tunc de novo danda est absolutio, cum jam peccata sint remissa: imo neque opus est Confessionem repetere, si adhuc confessarius recordetur saltem in confuso de statu pœnitentis. Facta autem commutatione, pœnitens iterum potest primam eligere: quia commutatio est in illius favorem.

II. *A quolibet alio* confessario approbato; quia quilibet alius confessarius potest eandem causam cognoscere, si pœnitens illius tribunali se submittat. Debet tamen juxta plures pœnitens Confessionem repetere saltem in confuso, ut ejus status dignoscatur, et conveniens medicina et pœna ei injungatur. Verum alii multi satis probabiliter contrarium docent, quia non agitur de novo conficiendo Sacramento; sed tantum de pœnitentia commutanda, ad quod sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, ut nova æquivalenter imponatur.

Quidquid sit, hoc certum est, quod pœnitentia valide commutari nequit ab alio confessario extra pœnitentiæ tribunal; quia confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali. Ab eodem autem confessario utique potest commutari, Confessione expleta; at verius si fiat statim post absolutionem; quia tunc tantum censetur moraliter perseverare idem judicium *(S. Alph.*, l. VI, n. 529).

647. Inferior autem confessarius commutare nequit pœnitentiam a superiore impositam ob casus reservatos, ut communius docent; nam inferior non potest reformare superioris judicium. Sed alii affirmant; nam reservatio afficit tantum peccata, quæ semel directe remissa a superiore, reservatio sublata est; ideo si pœnitens illa iterum subjiciat inferiori, potest hic de illis formare judicium. His non obstantibus prima sententia mihi arridet; principium enim generale est, quod inferior nihil potest in legem superioris — Attamen probabile est quod secunda sententia possit locum habere, si gravis accideret causa, nec facilis esset accessus ad superiorem; ex præsumpta nempe superioris conniventia *(S. Alph.*, l. VI, n. 529) (1).

648. **Pœnitentiæ oblivio.** Oblitus satisfactionis, an debeat iterum confiteri, alii cum d. Antonino affirmant; quia pœnitens curare debet si commode potest, ut Sacramentum fiat integrum. Alii communiter negant cum Concina; et hoc valere dicunt etsi pœnitens oblitus sit culpabiliter. Nam pœnitens non amplius tenetur ex una parte ad illius implementum, cum impossibile ei factum sit; ex altera non videtur extare obligatio repetendi Confessionem, cum nemo videatur teneri repetere peccata jam directe remissa.

Attamen si pœnitens putaret confessarium reminisci pœnitentiæ impositæ, teneretur eundem adire in pœnitentiæ tribunali, si commode potest; cum ejus implementum adhuc sit moraliter possibile; et aliunde curandum est ne relinquatur mutilum Sacramentum *(S. Alph.*, l. VI, n. 520).

649. Quod si confessarius oblitus sit pœnitentiam imponere, pœnitens tenetur iterum confessarium adire, si commode possit. Cæterum observat Gousset, quod personæ piæ, quando agitur de levi pœnitentia, non solent redire, sed aliquam sibi ipsæ imponunt ex præsumpto confessarii consensu. Nec incongrue, cum agatur de re levi.

650. **Quando Pœnitentia imponenda.** Etsi satisfactio etiam post absolutionem valide possit imponi, cum non sit pars Sacramenti essentialis in re, et statim ei uniatur; tamen et ordo judicii et consuetudo postulant, ut ante absolutionem imponatur; ita vel ipsa pœnitentis dispositio melius dignoscitur.

651. **Quando Pœnitentia adimplenda.** Si tempus fuit a

(1) Pœnitens qui, absoluta confessione et accepta pœnitentia ab uno confessario, apud alium inscium Confessionem iterat, ut mitiorem satisfactionem sortiatur, non liberatur a priori; secus mutilum remaneret prius Sacramentum.

confessario determinatum, patet tempore præfixo satisfactionem adimplendam esse. Secus debet impleri quamprimum commode poterit; satisfactio est solutio debiti, quæ diu differri non debet.

Quænam autem *notabilis dilatio?* Si pœnitentia sit levis, dilatio nunquam erit gravis; cum vel ipsa pœnitentiæ omissio non sit mortalis ex communi sententia. Si vero pœnitentia est gravis, conveniunt omnes dilationem notabilem continere grave peccatum, ut esset eam differre per annum et etiam per sex menses. Sed graviter non delinquit qui per mensem differt, modo illam adhuc valeat adimplere; neque sit medicinalis, ad præcavenda peccata, ita ut dilatio pœnitentiæ peccandi periculum adducat *(S. Alph.,* l. VI, n. 521) (1).

652. **Satisfactionem implere per alium.** In quantum satisfactio ordinatur ad medicinam sequentis peccati, non potest per alium impleri; quia ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex bonis actibus unius, ex se alius bene agere consuevit, ut habet d. Thomas, *Suppl. q.* 13 — Sed quantum ad solutionem debiti unus pro alio potest generatim satisfacere; etiam loquendo de satisfactione sacramentali, si tamen auctoritate confessarii alius substituatur; tunc pars integralis Sacramenti habetur in cura, qua pœnitens alium substituit de licentia. Propositio autem contraria ab Alexandro VII damnata eum ferit pœnitentem, qui de sui auctoritate alium substituit *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. XVI, n. 53).

An autem sacramentalis pœnitentia implere possit *cum socio,* alii absolute affirmant; quia hoc onus imitatur pondus Officii, quod utique potest recitari cum socio etiam ad illud non obligato. Alii affirmant, si imponantur preces quæ ex usu fidelium vel Ecclesiæ alterne recitari soleant, uti Rosarium. Alii tandem absolute negant negando paritates (et huic sententiæ consentanea est praxis); nam Officium et aliæ preces alternatim recitari solitæ non sunt pœna, ut eam peccator totam sustineat *(S. Alph.,* l. VI, n. 526).

Sed communissime docent, quod pœnitentia bene potest impleri tempore, quo aliud impletur præceptum, puta in Missa de præcepto potest recitari Rosarium pro pœnitentia impositum;

(1) Certum autem est satisfactionem non esse de necessitate implendam ante absolutionem vel Communionem. Constat ex praxi Ecclesiæ jam a mille et tercentis annis; et Sixtus IV contrariam propositionem Petri de Osma veluti hæreticam damnavit. Item Alexander VII propositione 16; Clemens XI contra Quesnellium Bulla *Unigenitus;* et Pius VI contra Pistorienses Bulla *Auctorem fidei* eandem doctrinam *(propositione* 35) proscripserunt.

nam duobus præceptis potest simul satisfieri, nisi aliter statutum sit a confessario. Et sane Missa est quidem in præcepto, non tamen peculiares preces; quæ igitur determinari poterunt ab ipso pœnitente.

653. **Satisfactionem implere in peccato.** Communis, et probabilior sententia docet, illum substantialiter satisfacere, qui adhuc habeat affectum ad peccatum mortale. Nam ad implendum præceptum sufficit ponere opus præceptum.

Attamen non obtinebit meritum et effectum satisfactionis injunctæ, nempe remissionem pœnæ debitæ, quæ haberi nequit sine caritate (hoc sensu intelligitur d. Thomas, qui contra objicitur, 3 *p. q.* 14). Imo probabilius qui implet in mortali satisfactionem, peccat venialiter; siquidem ponere obicem effectui partiali Sacramenti, nempe pœnæ remissioni, non potest ab aliqua culpa excusari. Dicunt tamen quod sublato peccato mortali, tunc satisfactio obtinet suum effectum *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 522).

654. **Indulgentia.** Ut vox ipsa sonat, idem est ac gratia, remissio, condonatio. Ex usu tamen Ecclesiæ sumitur pro condonatione pœnæ, quam subire debet pœnitens, etiam remissa culpa; et definitur: *Relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis jam quoad culpam et pœnam æternam remissis Deo debitæ, extra Sacramentum a legitimo ministro facta fidelibus, per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

Dicitur *Pœnæ temporalis*; nam pœna æterna remittitur cum culpa; repugnat enim in æternum puniri qui est Dei amicus.

Dicitur *Jam quoad culpam remissis,* nam quandiu remanet culpa, non potest tribui pœnæ ei debitæ condonatio. Unde cum aliquando dicitur per Indulgentiam peccata remitti, nomen *peccati* pro ipso pœnæ reatu usurpatur.

Dicitur *Deo debitæ;* nam indubium est Indulgentiam remittere pœnam divinæ justitiæ debitam, etsi detur in foro externo.

Dicitur *Extra Sacramentum;* quia hic pœnæ remissio non fit virtute alicujus Sacramenti, sed fit nobis applicando satisfactiones Christi, B. Virginis et Sanctorum ipsis superabundantes, ex quibus conflatur thesaurus Ecclesiæ; et ideo additur: *Per applicationem thesauri Ecclesiæ (S. Alph.,* l. VI, n. 533).

Dicitur *Fidelibus;* nam nondum baptizati Ecclesiæ bonis non gaudent; si excipias catechumenos.

655. **Divisio.** Indulgentia: 1) Ratione *objecti,* cui inhæret, alia est *localis,* quæ conceditur loco immediato, v. g. tali

Ecclesiæ. Alia *realis,* quæ conceditur immediate rei, puta coronis (utraque mediate personis, v. g. talem ecclesiam visitantibus, tale rosarium gestantibus). Alia *personalis,* quæ nempe personis conceditur independenter et a loco et a re, v. g. communicantibus.

2) Ratione *effectuum,* quos producit: alia est *plenaria* (dicitur etiam *plena, plenior, plenissima,* juxta majorem vel minorem facultatem, quæ præter totalem pœnæ remissionem tribuitur absolvendi a censuris, dispensandi in votis, etc.). Plenaria totam pœnam temporalem remittit ut verbum ipsum sonat, et juxta fidelium et Ecclesiæ sensum; si tamen pœnitens de omnibus culpis etiam venialibus doleat. Alia est *partialis,* quæ remittit pœnæ partem, prout erit a superiore declaratum.

3) Ratione *temporis* ad quod extenditur, alia est *perpetua,* alia *temporanea;* prout conceditur in perpetuum vel ad tempus.

656. Per Indulgentias vero decem, vel quindecim dierum, annorum, quadragenarum, etc., intelligitur ex communi sententia remissio tantæ pœnæ Deo debitæ, quanta olim remittebatur per pœnitentiam canonicam ejusdem temporis. Sic v. g. per indulgentiam septem annorum tanta remittitur pœna quanta remittebatur per pœnitentiam septem annorum injungi solitam juxta antiquos canones pœnitentiales — Ubi notandum: 1) Antequam instituerentur pœnitentiæ canonicæ jam indulgentiæ obtinebant, ut patet ex Apostolo Paulo et aliis historiæ documentis; canones enim pœnitentiales confecti sunt tantum sæculo III circiter — 2) Ipsæ pœnitentiæ canonicæ non solum fuerunt institutæ ad satisfaciendum Ecclesiæ ratione scandali; sed etiam, imo potissime ad satisfaciendum Deo; cum hoc de natura pœnitentiæ sit, ut ea pœna coram Deo expietur pro culpis admissis. *Canones pœnitentiales* vide in fine n. 1069.

657. **Principia.** I. Est in Ecclesia Indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi, B. Virginis et Sanctorum. Veritas catholica est: patet ex Pio VI, qui propositionem 41 Synodi Pistoriensis contrarium innuentem damnavit. Pio VI præiverat tum Leo X contra Lutherum, tum Gregorius XIII contra Bajum. Et sane negari non potest, quod sit in Ecclesia satisfactionum superabundantia. Siquidem superabundavit satisfactio Christi utpote infinita; satisfactio B. Virginis, quæ cum sine macula semper extiterit, nullum contraxit debitum pœnæ, tamen tot passa est dolores; aliorumque sine numero Sanctorum, qui ab omni fere culpa immunes tot tantaque sustinuerunt. Et quam-

vis Sancti in cœlis fuerint abundanter remunerati de operibus quatenus meritoriis per visionem Dei, attamen utpote satisfactoria eorum opera exhausta non fuerunt; item valet de Sanctorum meritis adhuc in terris degentium. At nunquid istæ uti simpliciter satisfactoriæ remanent otiosæ? Dicendum potius eas in Ecclesiæ thesaurum ingredi, cujus ipsa administrationem habet: *ea autem, quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus qui multitudini præest,* ut ait d. Thomas *(Suppl.* 3 *p. q.* 25). Idque recte fit per Indulgentias.

II. Ecclesia habet potestatem Indulgentias concedendi; de fide est contra protestantes. Patet ex illis Scripturæ verbis: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* At si per verba *quæcunque alligaveritis,* Ecclesia potestatem accepit peccatoribus laboriosa opera injungendi, dicenda erit per verba *quæcunque solveritis* potestatem accepisse ab illis operibus eosdem solvendi; quod quidem per Indulgentias operatur. Et jam ab antiquis temporibus, nemine reclamante, Ecclesia Indulgentias semper elargita est; ut constat ex Conciliis Nicæno I, Ancirano et Laodicense; atque ex Patribus Chrysostomo, Ambrosio, etc. Imo vel ipse Apostolus incestuoso Corinthio nonne partem pœnitentiæ remisit extra Sacramentum ex auctoritate sibi a Christo collata? De indulgentia hunc locum interpretantur s. Ambrosius, s. Chrysostomus, s. Thomas aliique Patres. Hinc merito in Tridentino Decreto de Indulgentiis, sess. xxv, anathemate damnantur qui *eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant (S. Alphon.,* Opera dogmatica, sess. xxv, n. 50).

III. Indulgentiarum usum esse *christiano populo maxime salutarem,* docet Tridentinum, et eos damnat qui illas *inutiles* esse asserunt. Per eas fit (ex Clemente XI Constit. *Unigenitus), ut cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, caritas vehementius incalescat.* Quod si aliqui Indulgentiis abutuntur, est vitium hominis, non rei. Hinc parochi esse debet hortari fideles ad eas lucrandas, illis aperiendo virtutem, efficaciam ac conditiones requisitas.

IV. Indulgentia hominem liberat a pœnæ reatu non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. Est fidei proximum, et contraria propositio fuit proscripta a Leone X contra Lutherum, et a Pio VI contra Synodum Pistoriensem, quæ docebat In-

dulgentias non esse nisi relaxationes pœnitentiæ canonicæ in foro tantum ecclesiastico validas; et thesaurum Ecclesiæ commentum a scholasticis excogitatum. Hoc etenim est contra sensum omnium catholicorum, et praxim; sane per verba *Quorum remiseritis* etc., plena potestas datur peccata remittendi et quoad culpam et quoad pœnam sive æternam sive temporalem; sicut ergo reatus culpæ et pœnæ æternæ a Deo remittitur, remittentibus Apostolis, ita pariter per Indulgentiam Apostolis concedentibus, reatus pœnæ temporalis a Deo quoque remittitur. Hinc Apostolus qui ligaverat Corinthium in nomine Christi, ei in nomine et auctoritate Christi pœnas relaxavit, ne ab ingressu cœli impediretur, seu *ut spiritus salvus sit;* ergo indulgendo illum etiam coram Deo solvit. Hinc Romani Pontifices, Cœlestinus, Leo Magnus, Urbanus II Indulgentias vocant *peccatorum remedia, vulnerum medicamenta, justitiæ divinæ præstitas satisfactiones.* Si secus esset Ecclesia absolvendo a pœnitentiis injunctis magis damnificaret fideles, eos videlicet remittendo ad graviores pœnas luendas in purgatorio, ut satisfaciant etiam coram Deo, uti notat d. Thomas; et tunc indulgentiæ non essent *maxime salutares*, prout docet Tridentinum. *Perrone, Knoll.*

V. Indulgentiam applicari posse *per modum suffragii* animabus purgatorii, indubium est; idem enim probat tum Ecclesiæ usus, siquidem Indulgentias omni tempore sic concessas legimus; tum ex contrariis propositionibus damnatis a Sixto IV, Leone X et Pii VI — Nota: *per modum suffragii;* nam cum animæ purgantes Ecclesiæ jurisdictioni non subdantur, ipsis Indulgentiæ applicari non possunt sicut vivis per modum absolutionis; sed per modum suffragii seu simplicis solutionis, quatenus rogatur Deus, ut eas acceptare dignetur (1). Ad hoc tamen necesse est: 1) Ut eo fine sit concessa Indulgentia, ut nempe possit defunctis applicari: quæ concessio a solo Pontifice fieri potest, ut docent communiter cum Bellarmino; solus enim

(1) Licet ergo effectus Indulgentiarum sit infallibilis pro vivis, non ita pro defunctis; cum pro hisce Deus eas acceptet tantum ad suum beneplacitum. Et probat usus Ecclesiæ celebrandi anniversaria etiam in Altari privilegiato, cui inhæret privilegium indulgentiæ plenariæ. Sed non est dubitandum Indulgentias ipsis applicatas ut plurimum prodesse; ne dicamus Ecclesiam inutiliter agere, cum frequenter eas illis applicat.

Indulgentia autem applicari potest vel determinatis defunctis vel omnibus indiscriminatim; nam suffragia sunt divisibilia. Attamen si agatur de Altari privilegiato Missa in eo celebrata valet pro uno tantum defuncto. S. C. I. 20 aug. 1840. Præstat ut applicatio fiat conditionate, v. g. *Titio, qui si non indigeat, applico Sempronio,* etc. Modus applicationis vide apud Scavini, *l.* IV, *nn.* 435 *et seqq.* Item P. Soave, *Calendario del Purgatorio;* Padova, 1878.

Christi Vicarius habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ absolute — 2) Ut adsit intentio in lucrante talem applicationem faciendi vel certis animabus determinatis vel in genere omnibus in Purgatorio degentibus; suffragia enim sunt divisibilia — 3) Ut qui eam lucratur sit in statu gratiæ saltem in ultimo opere, ut verius videtur; neque enim quis potest alteri applicare Indulgentiam, nisi prius ipse eam fuerit lucratus; at nemo eam lucrari potest, nisi sit in gratia *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 534). Attamen hac de re interrogata S. C. Indulgentiarum 20 aug. 1822 respondit: *Dilata.*

VI. Cum Indulgentiæ sint bona communia Ecclesiæ, principium generale est, eas concedi non posse nisi ab illis, qui jure divino Ecclesiæ actu præsunt. Hinc nec Abbates religiosorum Ordinum, nec Vicarius generalis aut capitularis, nec Parochi possunt, nisi jure delegato, Indulgentias elargiri. Nec etiam Episcopus qui sedem non habeat, cum jurisdictione careat. Ex quo principio sequitur Indulgentias concedi posse a Pontifice in toto orbe; ab Episcopis, etsi nondum consecratis, modo confirmati et jurisdictionem per possessionem adepti sint in suis subditis. Ideo nequit Episcopus fidelibus diœcesis non suæ Indulgentias concedere, etsi Ordinarius loci consentiat; sicut non potest eidem rei vel eidem actui pietatis, cui antecessor Indulgentias adnexit, novas applicare. Ita *S. C. Indulgentiarum* 12 *jan.* 1878.

Pontifex omnibus concedere potest Indulgentias plenarias, cum habeat plenitudinem pontificalis potestatis. Episcopi autem qui assumuntur in partem sollicitudinis, eas nonnisi limitate suisque subditis concedunt juxta ordinationem Papæ, ut ait d. Thomas, *Suppl. q.* 26, *a.* 3. Nempe ex Lateranensi IV, Indulgentias tantum unius anni in Dedicatione Ecclesiæ; quadraginta dierum in aliis causis. Et quidem in perpetuum, etiam extra propriam Diœcesim, modo cum suis subditis; cum hæc jurisdictio non sit contentiosa. Quod vero pertinet ad Archiepiscopos, Patriarchas ac Primates, eas omnes, quas possunt Episcopi, Indulgentias concedunt, et quidem per totam provinciam extra ipsam visitationem; cum hac de re jus indistincte loquatur (1). Cardinales ex usu centum dierum Indulgentias concedunt Ecclesiæ cui tanquam Episcopi præsunt; imo in Ecclesiis suorum Titulorum eas adhuc concedere possunt, etsi Episcopi non sint.

Ad validam Indulgentiam requiritur causa rationabilis; quia Papa et Episcopi sunt tantum dispensatores thesauri Ecclesiæ. Attamen non est subditorum de hoc judicare; neque etiam supponendum Pon-

(1) « Secundum multos archiepiscopi, primates et patriarchæ possunt concedere indulgentias octoginta dierum. Barbosa, de *off. et potest. Episcoporum*, *p.* 3ª, *all.* 88; Azorius, *p.* 2ª, *l.* III, *c.* 55, *q.* 6; Alzedo, *p.* 2ª, *c.* 3, *n.* 22; Lessius, Henriquez et alii. » Apud *L. Ferraris.*

tificem vel Episcopos inconsulto agere. Item non officit, si illam concedens sit in peccato mortali; nam Indulgentias facere pertinet ad jurisdictionem, quæ non amittitur ob peccatum, ut ait Angelicus, *Suppl. q.* 26 (*s. Alph.*, l. v, n. 532).

Pro temporalibus simpliciter non potest dari Indulgentia, sed potest pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, ut est pro repressione inimicorum Ecclesiæ, pro constructione templi, etc. Et non est simonia, quia tunc non datur spiritualis pro temporali, sed pro spirituali. *S. Thomas*, Suppl. q. 26, a. 3.

Indulgentiam lucrari potest etiam ille qui illam tribuit; secus ipse esset pejoris conditionis, quam alii, si non posset uti thesauro Ecclesiæ, quem aliis dispensat. *D. Thomas*, l. cit. q. 27, a. 4.

658. **Conditiones ad Indulgentias lucrandas.** In omnibus Indulgentiis hæc necessario requiruntur:

I. Ut eas lucraturus *intentionem* habeat illas lucrandi, quoties Indulgentiæ concessæ sunt cum certa conditione, v. g. orandi pro felici Ecclesiæ statu. In cæteris casibus an ista intentio necessario requiratur, affirmant plures cum Billuart; nam secus opus præscriptum dirigi non potest in finem ab Ecclesia intentum. At plures cum Lugo negant; nam si Indulgentia concessa est facienti tale opus, si fiat, totum positum est quod ponendum erat. In praxi prima sententia est suadenda: ideo magis, quia in hac materia non major probabilitas, sed veritas effectum producit. Hinc laudanda piorum praxis, qui mane renovant propositum omnes per diem Indulgentias lucrandi.

II. Ut eas lucraturus sit *baptizatus;* illi enim, qui minime est de Ecclesia, Ecclesiæ thesauri non aperiuntur. In *statu gratiæ,* saltem quando præstat ultimum opus præscriptum; pœna enim non remittitur, nisi simul remittatur, vel jam remissa sit culpa. *Immunis ab excommunicatione;* quia hæc tollit communionem bonorum spiritualium. *Subditus* illius, qui Indulgentiam elargitur: quia agitur de veræ jurisdictionis exercitio. Si tamen Indulgentia concessa sit tali altari, cruci vel ecclesiæ, etiam non subditi talia visitantes, Indulgentias lucrabuntur: est commune *(D. Thomas,* Suppl. q. 27).

III. Ut adimpleat singula opera injuncta tempore, modo et loco præscripto; nam Indulgentiæ ex vulgari adagio: *tantum valent quantum sonant.* Ita si præcipiantur speciales preces, ipsæ fieri debent juxta intentionem concedentis (1). Quæ si sint indeterminatæ, sufficit recitare quinque *Pater* et *Ave,* ut ait Mazzotta; vel sex cum *Gloria Patri* et *Credo,* ut dicit Spo-

(1) Preces præscriptæ ad lucrandas Indulgentias etiam plenarias non sunt de necessitate recitandæ flexis genibus, si id non sit præceptum. *S. C. I.* 8 sept. 1862.

rer; vel septem *Pater* et *Ave,* ut vult Holzman; vel alias similes orationes, sed vocales (nisi agatur de surdis et mutis, quibus satis est quod orent mentaliter ex indulto Pii IX). Preces etiam cum socio alternatim possunt recitari; non tamen debent esse per se alio titulo obligatoriæ.

Non autem officit, si pars minima omittatur, quia adhuc censetur opus quoad substantiam perfici. Pars autem minima respective ad totum sumenda est: sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave,* minima videtur. Secus si quinque *Pater* requirantur, et unum omittatur *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 533).

659. **Confessio et Communio ad Indulgentiam.** Confessio et Communio generatim requiruntur ad lucrandam Indulgentiam plenariam, nisi aliud statuatur.

I. *Confessio* est necessaria, licet quis sola venialia habeat, et quamvis sit in gratia, quando dicitur *contritis et confessis;* sed tunc non requiritur absolutio. Imo Clemens XIII (19 maji 1759) benigne concessit, ut qui semel saltem in hebdomada ad Pœnitentiam, nisi legitime impediantur, accedere consueverunt, et nullius lethalis culpæ conscii sunt, ut omnes Indulgentias consequi possint etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin requireretur; nihil tamen innovando quoad indulgentias Jubilæi tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar, pro quibus confessio præscripta requiritur. Quod privilegium 11 junii 1822 extensum fuit ad illos fideles, qui nequeunt ob inopiam confessariorum frequenter confiteri, quibus ideo confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari potest ad Indulgentiam lucrandam, exceptis quæ supra excipiuntur. *Pinzivalli,* Resolutiones, decreta authentica S. C. Indulg.

II. *Communio,* quæ tamen sacrilega non sit. An autem eodem die lucrari possimus plures plenarias Indulgentias etiam defunctis applicabiles, etsi pro unaquaque sit præscripta Communio, responsum fuit: *Affirmative, servatis conditionibus appositis.*

III. *Confessio* et *Communio* ex speciali concessione (non tamen cætera opera) peragi possunt die, qui immediate præcedit sequentem pro qua concessa est Indulgentia. Cæterum secluso privilegio, Indulgentiæ lucrandæ incipiunt a media nocte ad mediam noctem. S. C. Indulg. 14 dec. 1869.

660. Indulgentia autem plenaria valet uti partialis, si integra obtineri nequeat, v. g. propter affectum ad aliquod veniale; recte enim præsumitur quod Pontifex concedendo Indulgentiam

plenariam, velit concedere juxta capacitatem subjecti, ita ut ei remittatur saltem pœna, quæ remitti potest, si tota nequeat remitti; Indulgentia enim est divisibilis. Secus Indulgentia plenaria plerunque nihil prodesset, cum ordinarie fideles exuti non sint omni affectu ad aliquod veniale, vel sufficientem dolorem de omnibus venialibus non concipiant *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 534) (1).

661. **Jubilæum**. Definitur: *Indulgentia plenaria cum privilegiis adnexis a Pontifice concessa certa opera peragentibus.* Ad imitationem veteris Legis inductum est; in ea enim, definitis temporibus, gratiæ extraordinariæ dabantur.

Jubilæum aliud est *ordinarium,* quod Bonifacius VIII (1300) constituit, quolibet anno centesimo redeunte celebrandum; Clemens VI reduxit ad annum quinquagesimum; Gregorius XI ad trigesimum tertium; Paulus II et Sixtus IV ad annum vigesimumquintum — Primitus Jubilæum nonnisi Romæ celebrabatur; at Bonifacius IX statuit ut anno, quo illud currit, Romæ celebretur; anno vero subsequenti extra Romam in toto orbe. En Jubilæum *Anni sancti* vel *Jubilæum majus.*

Aliud est *extraordinarium* (seu *ad instar),* quod tribuitur ob aliquam causam peculiarem, et dicitur etiam *Jubilæum minus.* Aliud *generale* quod conceditur universo orbi. Aliud *particulare* quod conceditur tantum alicui loco *(S. Alph.,* l. VI, n. 537).

662. In Jubilæo *Anni sancti* suspenduntur (nisi aliud statuatur, prout in Jubilæo anni 1875) toto anno fere omnes aliæ Indulgentiæ pro vivis, non autem quæ sunt concessæ pro defunctis. Notandum item quod ex Benedicto XIV omnes Indulgentiæ, quæ alias non erunt defunctis applicabiles, quæque speciatim non remanent suspensæ, eisdem eo anno applicari possunt. Non remanent autem suspensæ: 1. Indulgentiæ, pro moribundis. 2. Pro oratione *Angelus Domini.* 3. Pro visitatione Ss. Sacramenti solemniter expositi. 4. Pro comitantibus Viaticum. 5. Indulgentiæ quæ ab aliis quam a Papa conceduntur (2).

663. **Opera in Jubilæo præscripta.** Hac de re inspiciendæ sunt literæ concessionis, variant enim; aliquando plura, aliquando pauciora opera præcipiuntur; neque semper eodem modo exequenda, sed juxta mentem Pontificis concedentis. Nullus tamen ordo requiritur in iis operibus ponendis, modo ultimum opus ponatur in statu gratiæ. Opera autem generatim ac necessario præscripta sunt:

(1) Item si in concedendis Indulgentiis excedatur, etsi illæ non valeant quoad excessum, valent tamen quoad numerum competentem; quia est res divisibilis. Cæterum cupit Tridentinum, ut in iis concedendis moderatio adhibeatur, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur *(sess.* XXV *decr. de Induly.).*

(2) Plures de Jubilæo traduntur regulæ a Benedicto XIV Bulla *Inter præteritas,* quæ servandæ sunt quando non adversantur Jubilæis noviter indictis ex declaratione S. C. I. 16 febr. 1852. Quas regulas refert s. Alphonsus, *l.* IV, *n.* 535.; et Scavini, *l.* VI, *Append.* 63 : *De Jubilæo.*

I. *Visitatio Ecclesiarum.* Decreto tamen generali S. C. Indulg. 15 martii 1852 tribuitur Ordinariis facultas unicam Ecclesiam toties visitandi, si in loco una tantum sit. Sed istæ visitationes unicæ Ecclesiæ ab invicem sunt distinguendæ, adeo ut singulis vicibus necesse sit in Ecclesiam ingredi et ab ea egredi; ex S. Pœnitentiaria 25 jan. 1875. Designari autem possunt etiam Capellæ et Oratoria, modo sint publico cultui addicta et in iis soleat celebrari Missa. Visitationes autem si præscripto numero fiant, institui possunt sive uno sive diversis diebus. Item S. Pœnitentiaria 29 febr. 1879.

II. *Confessio,* quæ pro Jubilæo semper requiritur etiam pro illis, qui a mortalibus sunt immunes et Confessionem frequentant: ideo dicitur *rite confessis.* Qui confitens inculpabiliter obliviscitur peccati mortalis, non tenetur iterum confiteri ad lucrandum Jubilæum; quia illius Confessio fuit sacramentalis, et est in gratia. Tantum est illi obligatio suo tempore illud Ecclesiæ clavibus subjiciendi. Si quis post Confessionem labitur in mortale, licet non teneatur iterare visitationes, tenetur tamen iterum confiteri, nec sufficit conteri si velit lucrare Jubilæum — Qui rite confessus est tempore Jubilæi, sed oblitus est confiteri reservata, etiam eo tempore transacto a quocunque confessario potest absolvi; quia vi Jubilæi acquisivit jus ea facultate gaudendi. Idem dicunt communius de votorum commutatione. *S. Alphonsus, Bouvier, Benedictus XIV.*

III. *Communio:* non autem sufficeret sacrilega, ut patet. Imo neque Communio paschalis; cum ex alio præcepto debita sit. Sicut neque sufficeret unica confessio et pro Jubilæo et pro adimplendo præcepto annuæ confessionis. Duo sunt præcepta, ideo duæ confessiones fieri debent; idem est si quis in peccato mortali existens ad Communionem paschalem debeat iterum confiteri, etsi jam in anno sit confessus.

IV. *Jejunium,* quod alias non sit debitum, v. g. ex voto vel præcepto, nisi sint a summo Pontifice nominati dies, in quibus jam jejunium alio titulo debeatur; item fieri debet cibis esurialibus (id est pro condimento oleum adhibendo), non obstante contrario privilegio aut consuetudine, nisi Pontifex aliud declaret. Pueri vero, senes, operarii, infirmi et qui non obligantur jejunio, tenentur tamen jejunare, si velint lucrari Jubilæum; vel petant commutationem, si jejunare nequeant. Idem de aliis operibus. *Bouvier.*

V. *Eleemosyna,* quam probabilius etiam pauperes debent, cum nemo sit tam pauper, qui saltem unum obolum vel frustillum panis dare non possit. Tamen consultius est, ut hoc opus pro pauperibus in aliud mutetur: pro subjectis vero in temporalibus, eleemosyna fit a superioribus (1). Eleemosyna pro Jubilæo non debet esse jam debita, puta si quis ex legato jam teneatur dare pauperi eleemosynam. *Benedictus XIV* — Nomine eleemosynæ in Jubilæo non intelligitur spiritualis, sed corporalis facta, et quidem pauperibus, etiam institutis; ideo non sufficit si detur Ecclesiæ pauperi. Non autem necesse est, ut tribuatur pecunia, sed sufficit si detur alia res appretiabilis, ut vestis, panis, etc. (2).

(1) Pro religiosis, filiisfamilias, uxoribus et servis sufficit, si eleemosyna fiat ab eorum superioribus, ipsis scientibus. Si superiores dare recusent, petatur commutatio (*S. Alph.*, l. VI, n. 538).

Sicut pro jejunio commutatio detur a confessario quoad juvenes collegialiter viventes, si eorum superior jure vel injuria cibos esuriales dare recuset.

(2) Pro quantitate eleemosynæ attendenda sunt verba quibus ea imponitur. Si dicatur: *Prout unicuique devotio suggerit*, videtur sufficere vel modica quantitas.

VI. *Oratio;* necesse est enim ut in Ecclesiæ visitatione per aliquod temporis spatium ad mentem Pontificis preces effundantur. Quæ quidem cum socio alternatim recitari possunt, ut praxis se habet. *Resolutio casuum* sub Lambertini, postea Benedicto XIV.

664. **Facultates in Jubilæo concessæ.** Hac de re inspiciendæ sunt Literæ concessionis; in præsenti pro norma sint Literæ Apostolicæ datæ 15 febr. 1879 a Leone XIII P. M., in quibus sub initio sui Pontificatus exemplo suorum Prædecessorum universale Jubilæum ad tres menses duraturum indixit ad implorandum Dei auxilium.

Enumeratæ facultates:

I. *Facultas in pœnitente sive sæculari sive regulari* eligendi confessarium quemcunque ab Ordinario loci, ubi fit confessio, approbatum. Qua facultate uti possunt etiam moniales, novitiæ aliæque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius approbatus sit pro monialibus, et talibus mulieribus.

II. *Facultas in confessario absolvendi,* una vice et in foro conscientiæ dumtaxat, ab omnibus peccatis quantumcunque gravibus, item ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine inflictis, Ordinariis vel ipsi Apostolicæ Sedi etiam speciali modo reservatis; etsi alios casus in concessione quantumcunque ampla non intelligerentur concessi, injuncta pœnitentia salutari, aliisque de jure injungendis (1). Et si de hæresi agatur, abjuratis prius et retractatis erroribus prout de jure. Non tamen potest absolvi complex in peccato turpi, nec qui suum complicem hac in re absolverit. Neque ille qui a Sancta Sede vel ab aliquo prælato est nominatim censuratus vel publice denunciatus, nisi suo tempore satisfecerit: quod si non potuerit intra determinatum tempus judicio confessarii satisfacere, poterit in foro conscientiæ ad effectum dumtaxat assequendam indulgentiam Jubilæi absolvi, si nil aliud obstat, et injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterit.

III. *Facultas dispensandi cum pœnitentibus in sacris Ordinibus constitutis etiam regularibus,* super occulta irregularitate ad exercitium eorundem Ordinum et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta.

IV. *Facultas commutandi* (non dispensandi) *omnia vota simplicia etsi jurata.* Sed excipe tum vota quæ cederent in præjudicium tertii, tum vota sive castitatis perpetuæ sive ingressus in Religionem; tum vota pœnalia, quæ præservant a peccato (nisi commutatio non minus a peccato refrenet). Vota autem non possunt commutari, nisi in ipsa confessione. Quando autem agitur de Jubilæo, pro commuta-

Item est si dicatur simpliciter: *Qui dederit eleemosynam*, si Papa eam postulet tantum ad exercendam misericordiam in pauperes; sed aliter si eleemosyna postuletur in subsidium alicujus piæ operis, tunc debet esse conveniens ad operam et ad statum dantis (ut esset etiam si diceretur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit);* et ideo si pauper satis dat dando unum denarium; *non autem dives* (ait d. Thomas, Suppl. q. 25, a. 2) *quem non decet ad opus tam pium et fructiferum ita parum dare, sicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere, si ei obulum daret* (S. Alph., l. VI, n. 338).

(1) Dicitur *injuncta pœnitentia salutari*, quæ quidem imponi debet speciatim pro criminibus reservatis; quin ideo omittatur satisfactio sacramentalis, quæ tamen ratione indulgentiæ Jubilæi moderari potest. Dicitur *aliisque de Jure injungendis,* juxta casuum diversitatem: sic si agatur de emptoribus bonorum ecclesiasticorum, ut a censura absolvantur, subscribere debent conditionibus a S. Pœnitentiaria præscriptis de quibus *t.* I, nn. 585, 586, 587, 631.

tione votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit illa generalis, ob quam Pontifex Jubilæum concedit (1).

665. *Resolve:* 1) Visitatio ecclesiarum, eleemosyna et jejunium commutari possunt in alia pia opera quoad impeditos vel impotentes. Item commutari potest communio pueris, ad illam nondum admissis. Opera autem injuncta commutari possunt etiam extra confessionem a confessario proprio vel ab alio confessario approbato *(S. Alph.,* l. VI, n. 554).

2) Jubilæum una tantum vice quoad absolutionem a casibus reservatis et censuris acquiri potest. Sed quoad Indulgentiam pluries acquiri posse communiter affirmant ex Benedicto XIV, si opera injuncta pluries repetantur; et modo contrarium non sit expressum in concessionis Bulla, ut expressum fuit in Jubilæo Anni sancti 1869, 1875 et 1879.

3) Constitutio autem *Apostolicæ Sedis* Pii IX excommunicationi latæ sententiæ simpliciter Papæ reservatæ eos subjicit, *qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisqui gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione s. Pii V* (v. t. I, n. 607).

APPENDIX I.

666. *Responsa S. Congregationis Indulgentiarum quoad Indulgentias.*

I. Indulgentiæ applicari possunt quibuslibet rebus solidis, ferro, ligno, etc. etiam coronæ vitro solido confectæ. Solæ res, quæ facile frangi aut lacerari possunt, ut papyrus, vitrum tenue, etc. excipiuntur.

II. Indulgentiæ amittuntur, si dominium rei mobilis benedictæ jam nobis appropriatæ in alium transferuntur; Indulgentia enim conceditur personæ, pro qua res fuit benedicta. Aliter est, si res tantum commodetur, modo commodans non intendat beneficium Indulgentiæ concedere commodatario; 26 *nov.* 1714.

III. Ad benedicendas pro Indulgentiis cruces, rosaria, etc. satis est signum crucis factum a sacerdote, qui hanc facultatem accepit. Sed pro coronis s. Dominici, et B. Virginis septem dolorum requiritur formula præscripta et aspersio aquæ benedictæ; 11 *apr.* 1864.

IV. Utrum anuli aurei vel argentei, decem nodis circumdati, quibus utuntur quædam piæ personæ ad Rosarium recitandum, benedici possint cum appositis Indulgentiis? Respondit em. card. Castracane Pœnitentiarius major de mandato Sanctitatis Suæ Gregorii XVI: *Negative.*

V. Indulgentia comitatur Crucifixum: qui potest de una in aliam Crucem collocari sine Indulgentiæ præjudicio; 11 *apr.* 1840.

VI. Quæritur: 1) An coronæ Indulgentias amittant, si alicui donentur. 2) An post mortem domini, alter acquirat dominium earum nempe Indulgentiarum. 3) Quid si rumpatur coronarum filum sive voluntarie ut catenis nectantur; sive involuntarie et fortuito. 4) Quid si globuli quatuor vel quinque deperdantur. 5) Si amico commodentur sive ad coronam simpliciter recitandam, sive ad Indulgentias lucrandas? R. Ad 1^{am} *affirmative,* quoties non dentur immediate vel mediate a persona facultatem habente distribuendi. Ad 2um *negative;* quia Indulgentiæ non transeunt personas prioris dominii. Ad 3um *negative;* quia coronæ eædem perseverant quoad formam. Ad 4um *negative,* ex allata ratione. Ad 5um *negative in primo casu; affir-*

(1) Qui habens veram intentionem lucrandi Jubilæi, fuit absolutus a censuris aut dispensatus in voto, non reincidit, si postea, mutata voluntate, Jubilæum non lucretur etiam culpabiliter. *Benedictus XIV.* An autem peccet mortaliter, disputant. Probabilius potest absolvi a reservatis qui peccavit in Jubilæi confidentiam; quia facultas est sine limitatione concessa. *S. Alphonsus.*

mative in secundo; ut enim pereant Indulgentiæ coronis aliisque rebus mobilibus affixæ, requiritur finis dandi vel præstandi pro communicatione Indulgentiarum; 10 *jan.* 1838.

VII. Quando Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles Indulgentiam in variis Diœcesibus lucrari possint, requiriturne ut illa a locorum Ordinariis promulgetur? An sufficit ut certi sint illam a s. Pontifice fuisse concessam? *Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam;* 1 julii 1830.

VIII. Utrum quis frui possit obtentis Indulgentiis seu gratiis absque licentia et recognitione Ordinarii sui? *Affirmative quoad usum et fruitionem; sed private tantum iisdem valeat uti gratiis, modo in nullius gravamen cedant, aut scandali occasionem non præbeant, et modo orator eas facultates sine licentia... typis mandare non præsumat;* 12 dec. 1840.

IX. Utrum qui obtinet facultates diversas ab Apostolica Sede, scilicet Altaris privilegiati personalis, erigendi stationes *Viæ Crucis*, benedicendi cruces, numismata, debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis? *Affirmative quoad Viæ Crucis erectionem; negative relative ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus;* 6 februarii 1844. Cæterum nemo sine Ordinarii licentia potest Indulgentias publicare, non obstante quacunque exemptione; ex Tridentino, sess. XXI, c. 9 de Ref. et S. Indulgentiarum Congregatione, probante Pio IX, 14 apr. 1856.

X. An visitantes ecclesias Ordinis S. Francisci die 2 augusti, lucrentur Indulgentiam plenariam toties (eodem die) quoties in eas ingrediuntur, ut parumper ibi orent? Et an requiratur, ut Communio fiat in eadem ecclesia? *S. C. Ind.* sub die 22 febr. 1847 respondit: Affirmative *ad primam partem;* negative *ad secundam.* Datum Romæ ex Secretaria S. C. Indulg. 8 julii 1850. Hæc Indulgentia potest applicari defunctis: Gregorius XV, Brevi *Alias,* 12 jan. 1678. En Indulgentia, quæ *Portiuncula* appellatur.

XI. Ex concessione Pii IX christifideles qui in eo statu infirmitatis sunt, ut domo egredi non valeant (exceptis illis qui in communitate morantur), si rite confessi, acquirere possunt omnes plenarias Indulgentias, quas acquirere possent in locis ubi vivunt recipiendo Communionem et visitando ecclesiam, etsi nec communicent nec visitent ecclesiam; modo alia præscripta impleant, et quæ a confessario injungenda erunt loco communionis et visitationis; 8 *sept.* 1862.

XII. Cum in Brevibus Indulgentiarum dicitur *præsentibus ad septennium duraturis,* septennium computatur a die datæ, non a die publicationis; 18 *maji* 1771.

XIII. Licet vertere in aliam linguam preces cum Indulgentiis, quin indulgentiæ amittantur, si fidelis est versio; 14 *maji* 1838.

XIV. Ad consequendas Indulgentias pro Visitatione 14 stationum *Viæ Crucis* nihil aliud requiritur, quam Redemptoris passionem meditando ex una ad aliam stationem se conferre; in quantum multitudo visitantium vel capacitas loci permittunt. Hinc *Adoramus, Pater, Ave, Miserere nostri* laudabiliter tantum adduntur; 22 sept. 1829. — In ejus autem erectione benedicendæ tantum sunt cruces, in quibus tantum stat Indulgentia. Pro ejus erectione, habita ab Ordinario Diœcesis facultate, recurritur ad religiosos Francescanos, qui privilegium habent illam benedicendi. Cruces debent esse ex ligno et ita ut ab omnibus conspici possint; *S. C. I.* 23 *nov.* 1878 — Crucium autem benedictio fieri potest sine ante sive post earundem affixionem. Ad validitatem autem requiritur consensus Ordinarii pro singulis casibus et pro unaquaque erectione, neque sufficit consensus generice præstitus; ex S. I. C. 21 junii 1879 (v. *Acta S. Sedis*, t. XII. *Scavini*, l. IV, n. 386; et opus absolutissimum: *Historia, excellentia et ritonomia Viæ Crucis erigendæ, renovandæ visitandæque auctore Rogerio Abbanio;* Fulginiæ, 1867).

XV. Quando enunciatur *plenaria Indulgentia quotidiana atque perpetua pro visitantibus determinatam ecclesiam*, etc. sensus est, quod quilibet fidelis illam lucrari poterit die quo vult, sed tantum semel in anno.

XVI. Sanctitas Sua declaravit: *per Confessionem et Communionem die Paschatis peractam, et Indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam lucrari, et satis præcepto Paschali fieri;* 12 martii 1847.

XVII. Ad lucrandas Indulgentias pro recitatione *Angelus Domini* ad campanæ sonum, necesse non est ut campana sit benedicta; 29 *aug.* 1864.

XVIII. Per profanationem ecclesiæ quæ postea cultui restituta fuerit, non amittuntur gratiæ, privilegia, indulgentiæ eidem adnexæ; 18 *sept.* 1862.

XIX. Clausula *corde saltem contrito* importat veram contritionem et est tanquam pars Operis injuncti, adeo ut ad Indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus est, qui in statu gratiæ reperiuntur; 17 *dec.* 1870.

XX. **Votum pro animabus Purgatorii.** Ut maximum quoad potest animabus Purgatorii procuraretur solatium, sedente Benedicto XIII, pia devotio, quam votum, seu oblationem appellant, instituta fuit, per quam fideles omnia propria opera quatenus sunt satisfactoria, dum vivunt, et ipsa suffragia oblata pro ipsis post mortem, animabus jam in purgatorio degentibus offerunt. Hoc votum sive donatio animabus illis applicat totum fructum satisfactorium; non autem meritorium et impetratorium, qui adhuc nobis prodest. Potest illud emitti solo voluntatis nutu; nec obligat sub peccato. Benedictus XIII et Pius VI illud Indulgentiis cumularunt, quas Pius IX 1852 confirmavit, declarando:

1) « Quod sacerdotes ipsum votum profitentes Indulto Altaris privilegiati, per» sonalis gaudere possint singulis anni diebus — 2) Quod omnes christifideles qui » idem votum amplexi sunt, Indulgentiam plenariam fidelibus tantum defunctis ap» plicabilem lucrari queant, quocunque die ad sacram Communionem accesserint, » et qualibet anni feria secunda sacrum Missæ sacrificium in suffragium eorundem » defunctorum Fidelium audierint; dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam » seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta » mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint — 3) Quod ipsis christifidelibus omnes et » singulas Indulgentias quocunque modo concessas, vel concedendas quas lucrari » possint, animabus pariter defunctorum applicare liceat. » Neque prohibentur sacerdotes tale votum emittentes celebrare et applicare pro iis, pro quibus debent, vel a quibus stipendium accipiunt, uti declaravit Benedictus XIII *(Plurimæ aliæ declarationes apud Scavini*, l. IV, n. 435, Append. 62[2]).

667. Doctrina, quæ vel ut superstitiosam universe notat *quamcunque efficaciam quæ ponatur in determinato numero precum*, quasi superstitiosa sit efficacia quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ pro Indulgentiis, pro pœnitentia, et alio religioso ritu, damnata fuit Bulla *Auctorem fidei* n. 64, ut *falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.*

APPENDIX II.

668. *Responsa S. Pœnitentiariæ, occurrente Jubilæo Anni sancti* 1875. In quo dabatur etiam facultas absolvendi usurpatores bonorum Ecclesiæ, habita Episcopi delegatione, et servatis servandis ex dictis t. I, n. 631 (1).

I. « Inter ecclesias visitandas recenseri possunt oratoria publica; dummodo » ipsa oratoria sint publico cultui dicata et in iis soleat Missa celebrari. » Quid si visitatio certæ ecclesiæ vel oratorii judicio Ordinarii sit moraliter impossibilis?

(1) Hæc eadem facultas obtinebat in Jubilæo occasione Vaticani Concilii promulgato; sed hæc amplius non viget; nam Encycl. *Gravibus* 24 dec. 1874 fuit suspensa *ad beneplacitum ipsius Pontificis et Apostolicæ Sedis.*

« R. Iis fidelibus qui ob aliquod peculiare impedimentum ea visitare non valeant » provisum per Literas Apostolicas » (nempe per commutationem).

II. « Ad lucrandum Jubilæum requiritur Confessio et Communio a Confessione » annuali et a Communione paschali omnino distincta.

III. « Quatenus quatuor in die visitationes præscriptæ in ecclesia eadem per- » agi debeant, quæritur, num ad hujusmodi visitationes inter se distinguendas » necesse sit post unamquamque ecclesia egredi; an vero sufficiat in eadem ec- » clesia manendo de uno in alium locum transire, aut etiam tantummodo assur- » gere uti pro stationibus Viæ Crucis vulgo usu venit? Resp. *Necesse est egredi » ab ecclesia.*

IV. « Indultum pro navigantibus et iter facientibus qui impediuntur, quominus » currente anno Jubilæi opera injuncta pro lucrando Jubilæo exequi possint, exten- » ditur etiam ultra annum.

V. « Lucratur Jubilæum qui conditiones præscriptas adimplet in aliena Diœ- » cesi, ubi non habet domicilium, si tamen observet ordinationes Ordinarii loci, » ubi moratur.

VI. « Lucratur Jubilæum qui Confessionem et Communionem peragit in aliena » Diœcesi ubi non habet domicilium, dum cætera opera injuncta in propria Diœ- » cesi adimplevit, vel adimplere intendit juxta modum ab Ordinario præscriptum.

VII. « Lucratur Jubilæum qui postquam partem visitationum peregit in Diœ- » cesi sui domicilii, in aliam Diœcesim se transfert ibi novum acquisiturus domi- » cilium, si in ea numerum visitationum juxta præscriptum Ordinarii novi domi- » cilii complet?

VIII. « Facultates quas forte confessarius sive a S. Pœnitentiaria obtinuit, » sive a proprio Ordinario subdelegatas habet, per modum habitus pro foro in- » terno, et in actu Confessionis tantum, perdurant etiam tempore Jubilæi.

IX. « Opera incœpta uno in loco impleri et perfici possunt in alio, ubi quis » vitam degere debet ratione officii, servitii vel matrimonii.

X. In Literis Apost. *Gravibus* (pro Jubilæo anni 1875) quoad plenariam Indulgentiam edicitur: « Annuentes etiam, ut hæc Indulgentia animabus quæ Deo in » caritate conjunctæ ex hac vita migraverint per modum suffragii applicari possit » ac valeat. » Quæritur: An fidelis qui applicare cupiat plenariam Indulgentiam pro alicujus anima defuncti, et ipse eodem tempore eandem consequatur Indulgentiam? « Die 25 aprilis 1875 Sanctitas Sua benigne declaravit: *Jubilæi indulgentiam cu- » mulative pro se et defunctis lucrari posse.* »

XI. Fideles in processionibus extra januas ecclesiæ aut oratorii ob illius angustiam remanentes et cum aliis orantes, unum corpus moraliter efformant, et proinde visitationi pro lucrando Jubilæum satisfaciunt (*Acta S. Sedis*, t. VIII).

CAPUT SECUNDUM

De Pœnitentiæ Forma et Effectibus.

669. **Forma Sacramenti Pœnitentiæ.** Forma continetur illis verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Sic enim habet Tridentinum (sess. XIV, c. 3): *Docet sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse:* Ego te absolvo etc., *quibus quidem de*

Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur (1).

670. Methodum autem utendi prædicta forma sic confessario exhibet Rituale Romanum: « Cum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.* Deinde dextera versus pœnitentem elevata dicit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus Noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges* (2). ***Deinde*** (3): *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris* † (efformet signum crucis) *et Filii* † *et Spiritus Sancti* †. *Amen. Passio D. N. J. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. Amen.* »

Monet Rituale: 1) Vox *suspensionis* omittenda est cum eo, qui non sit saltem tonsura insignitus; quia illius incapax est.

2) Urgente mortis periculo, breviter dici potest: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris,* etc. Imo communiter affirmant sufficere quoad validitatem, si dicatur: *Te absolvo a peccatis.* Et confessarius dirigere potest intentionem suam ad absolutionem tum peccatorum tum censurarum etiam reservatarum. At merito dicunt id non excusari a veniali, cum sit contra usum Ecclesiæ.

3) Valida est absolutio, si confessarius prius absolvat a

(1) Peccata, ait Angelicus, sunt quædam vincula secundum illud Prov. v: *Iniquitates suæ capiunt impium; et funibus peccatorum suorum constringitur.* Unde patet quod hæc est convenientissima forma hujus Sacramenti: *Ego te absolvo* (3 p. q. 84, a. 3).

(2) Propositio Synodi Pistoriensis, quæ pronuntiat *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus in quas fideles incedere potuissent*, n. 48, damnatur ut falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa. Sic enim pœnitens fit habilis ad iis gratiis fruendum, quibus impediretur, si forte censura esset ligatus (*Scavini*, l. I, n. 849).

(3) S. Carolus, Sarnellus, Catalani et alii contendunt illud *deinde* esse exprimendum, ut formæ contextum; præmittitur sane illud *deinde* peccatorum absolutioni, quia primo confitens absolvendus est a censuris et dein a peccatis. S. Rituum C. ad quæsitum: « An in forma absolutionis omittendum sit verbum *deinde*, quod in aliquibus Ritualibus tanquam rubrica editum est, respondit audita Congr. S. Officii: *Nihil esse innovandum,* 11 martii 1837, et 27 febr. 1847. » Non omnino convenientibus quid per illud *nihil innovandum* sit intelligendum, res tandem resoluta est; nam 1864 Romæ editum est Rituale a S. Rituum C. approbatum, in quo illud *deinde* refertur ut rubrica, ideo omittendum in formæ prolatione.

peccatis; postea ab excommunicatione pœnitentem, qui sit in bona fide, ignorans se esse excommunicatum, quia excommunicatio non obstat validitati Sacramenti, si pœnitens (ut supponitur) sit rite dispositus. Sed graviter peccaret, quia est contra gravem Ecclesiæ prohibitionem, quæ facit illicitum excommunicato susceptionem Sacramentorum. Dixi *excommunicato;* censuræ enim suspensionis et interdicti per se non privant receptione sacramenti Pœnitentiæ *(S. Alph.,* l. VI, n. 430) (1).

671. Certum est: 1) Verba *te absolvo* esse de essentia; secus nec præsentia pœnitentis nec vis absolutionis indicaretur. Cum autem Pœnitentia sit instituta per modum judicii, probabilius non esset valida forma deprecatoria, v. g. *absolvat te Deus.*

2) Communissime ac probabilius negant cum d. Thoma et Catechismo Romano, ad essentiam pertinere verba *a peccatis tuis;* nam sufficienter verbo *te* materia determinatur et forma per præsentiam pœnitentis, qui confessus est. Ea tamen omittere mortale est tum quia est contra usum, tum quia Tridentinum declarando formam esse *ego te absolvo* etc., videtur ostendere aliquid aliud requiri; et revera Christus instituens Pœnitentiam dixit: *Quorum remiseritis peccata.* Unde vult Billuart absolutionem esse sub conditione repetendam, si ea verba in absolutione fuerint omissa.

3) Verba: *In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, Amen,* verius non sunt de essentia; quia Christus non fecit mentionem de explicita Trinitatis institutione, sicut fecit in Baptismo; et orientales eam omittunt. Imo omissio communissime non habetur nisi venialis. Item nec est essentiale pronomen *ego.*

4) Verba: *Misereatur, Indulgentiam* ad essentiam non pertinent: et dicunt communiter omitti posse sine ullo peccato. Idem est de verbis: *Dominus noster Jesus Christus,* etc.; nam Tridentinum dicit quod excepta forma, aliæ preces *laudabiliter adjunguntur* (sess. XIV, c. 3). Verum habet Rituale: *In Confessionibus frequentioribus omitti potest* Misereatur etc.; *et satis erit dicere:* Dominus Noster *usque ad illud* Passio Domini etc., exclusive. Attamen si caritas aliud non suggerit ob nimiam pœnitentium frequentiam, semper laudabiliter adjungitur: *Passio*

(1) Pia est consuetudo, ut confessarius ante confessionem, dum pœnitenti benedicit, dicat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne ac competenter confitearis omnia peccata tua.*

Data autem absolutione, concludat: *Vade in pace et ora Deum etiam pro me;* vel ut habet Rituale Ambrosianum: *Vade in pace et noli amplius peccare.* Vel juxta alios: *Vade in pace et laudetur Jesus Christus.*

D. N. J. C.; cum per ea verba ex Angelico omnia bona opera pœnitentis eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis, quæ pœnam remittit ex opere operato.

5) Manus elevatio et formatio crucis in absolutione juxta graves auctores omitti possunt sine piaculo; etsi præstet servare Ritualis normam. Attamen alii docent nihil omnino de præscripto omitti posse sine culpa *(S. Alph.,* l. VI, nn. 425, 430; *Scavini,* l. III, n. 452).

672. **Principia**: I. Cum forma Pœnitentiæ consistat in verbis, ea non aliter exprimi potest, quam voce; idcirco semper moraliter præsenti danda est absolutio. Confirmatur ex propositione damnata a Clemente VIII anno 1602: *Licet per literas, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Imo prohibet Pontifex ne illa *tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquomodo deducatur.*

Ex quo recte inferunt, quod absolutio absenti in quocunque casu non solum datur illicite, sed etiam invalide; nam si Pontifex tantum illicitam eam intendisset declarare, aliqua urgente necessitate, potuisset semper impertiri; cum leges ecclesiasticæ non obligent cum gravissimo damno — Idque accipiendum est non modo *collective,* quando scilicet tum confessio tum absolutio facta et data fuerit in absentia; sed etiam *divisim,* quando nempe confessio fit absenti sacerdoti, absolutio autem datur a sacerdote præsente; aut e converso: ex Congregatione S. Officii, probante Paulo V (1).

II. Ad absolvendum sufficit præsentia moralis, quæ reputatur illa, intra quam homines communi voce, licet altiori, loqui possunt et solent. Eam idcirco extendunt usque ad viginti circiter passus, præsertim quando pœnitens nondum egressus est ab aspectu confessarii; non enim opus est, ut pœnitentes audiant, multo minus ut intelligant verba absolutionis. Et consultum est, ut in præsentia aliorum illam confessarius submisse pronuntiet, ne si quis dimittatur inabsolutus, alii id percipiant.

673. **Resolve.** 1) Quando dubium est, an pœnitens sit satis præsens, si potest vocari vocandus est; secus sub conditione: *Si es capax,* absolvendus est.

(1) Neque obstat, quod sententia in foro judiciali contra absentem valeat; judicium forense et sacramentale undequaque comparari nequeunt; cum unum sit primario ad reconciliationem, aliud ad punitionem; in uno tantum audiatur reus, non in alio *(S. Alph.,* l. VI, n. 429*).*

2) Est absolvendus sub conditione qui aliqua ruina sepultus, clamat, petit misericordiam et auditur vel potest audiri. Item qui ex arbore cadit, in mare submergitur, a flumine submersus trahitur, maxime si non procul a confessario distet, sub conditione absolvendus. Item qui a tectu ruit.

3) Si confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit cubiculum infirmi ingredi, illum ex janua absolvere debet.

4) Si pœnitens recederet a confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset absolute, si parum distans aspiceretur; aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam *(S. Alph.,* l. VI, n. 429).

5) Ait Sporer: recte fecit sacerdos quidam oblitus absolutionem dare pœnitenti, qui ei ad communionem accedenti secreto dixit: *Ego te absolvo a peccatis tuis* etc.; et mox *Corpus Domini N. J. C.* etc.

674. **Pœnitentiæ effectus**. Hujus Sacramenti effectus sunt:

I. *Remissio peccatorum* et quoad reatum et imputationem, et quoad pœnam æternam; est enim institutionis scopus. Imo ex Angelico Doctore diminuit pœnam temporalem *ex ipsa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubescentiæ adnexam* (Suppl. q. 10).

II. *Collatio gratiæ* tum *Sanctificantis*, cum peccata remitti nequeant sine illius infusione, qua nempe efficimur amici Dei. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate... anathema sit* (sess. VI, can. 2); tum *Sacramentalis,* propriæ huic Sacramento, quæ nempe nos roborat ad perseverandum.

III. *Reviviscentia virtutum* et *meritorum*. Certum est, virtutes infusas, ob peccatum deperditas, restitui per pœnitentiam; cum hæ sint proprietates gratiæ sanctificantis. Item certum est, merita seu bona opera per peccatum mortificata (quæ nempe facta in gratia, desierunt meritoria esse post peccatum) per pœnitentiam reviviscere. Legitur enim Ezech. XXX: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua* (1). At *opera mortua* (nempe facta in statu peccati), licet in se bona, non habent meritum; cum facta sint in statu pec-

(1) Peccata autem remissa non redeunt per subsequens peccatum; remissio enim priorum peccatorum fuit opus divinæ misericordiæ; at non potest opus Dei irritari per hominis opus. *Angelicus*, 3 p. q. 88.

cati mortalis, id est in statu mortis; cumque nunquam vitam habuerint, nequeunt reviviscere quoad vitam æternam *(D. Thomas,* p. q. 89).

IV. *Conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione*, ut habet Tridentinum *(sess.* XIV, *c.* 3); et quotidiana experientia firmat *(Scavini,* l. III, n. 463 pluribus probat confessionis efficaciam, ipsis adversariorum testimoniis) (1).

ART. 1. — De Absolutione Concedenda, Differenda, Neganda.

675. **Absolutio cui danda.** Concedenda est absolutio, generatim loquendo, pœnitentibus hic et nunc rite dispositis. Id exigit ipsa ratio judicii reconciliativi, cujus vi judex, audita causa, debet absolvere reum, quem invenit absolutione dignum. Adde: negando tunc confessarius sine juxta causa absolutionem, exponeret pœnitentem periculo remanendi et iterum relabendi in peccato mortali, et magno privaret bono.

Dixi *generatim loquendo:* nam confessarius uti medicus ac pater differre potest ad breve tempus, v. g. ad tres, quinque vel octo dies absolutionem etiam disposito, si prudenter judicet dilationem notabiliter profuturam: et modo pœnitens sat facile acceptet, secus enim difficulter ipsi prodesset. Verum si pœnitens relapsus sit ob fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccato pollutionis, delectationis morosæ, odii, blasphemiæ, raro puto absolutionem differendam esse si sit vere dispositus; quia tali pœnitenti magis erit profutura gratia Sacramenti *(S. Alph.,* l. VI, n. 462).

676. Q. *Quænam in confessario requiritur certitudo circa pœnitentium dispositionem ad absolutionem impertiendam?*

R. Cum materia in hoc Sacramento sit moralis, posita nempe in actibus pœnitentis, sufficit idcirco in confessario certitudo moralis seu judicium prudens, innixum videlicet motivo gravi,

(1) De *certitudine fidei* certus esse non potest pœnitens de obtenta remissione; nam certitudo fidei, cui non potest subesse falsum, non habetur nisi per divinam revelationem. Neque *certitudinaliter* (ait Angelicus, 1, 2, q. 112, a. 5); certitudo enim non potest haberi de aliquo nisi possit dijudicari per proprium principium; principium autem gratiæ et objectum est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus. Verum quis potest certus esse certitudine *morali* seu *conjecturali,* quantum videlicet satis est ad conjicie ndum se habere gratiam, interrogando testimonium conscientiæ suæ. Ipse Apostolus ad testimonium conscientiæ appellat, cum ait: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat* (I Cor. II) *(Scavini,* l. III, n. 464).

licet adsit de indispositione quædam suspicio; alioquin vix ullus posset absolvi; nam quæcunque signa in hac re non præbent certitudinem omnino infallibilem. Hinc d. Thomas: *Non oportet quod omnis mensura sit omnino infallibilis, sed secundum quod est possibile in genere suo.... Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia, et res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus* (1, 2, q. 6). Quod congruit cum Catechismo Romano: *Si audita Confessione* (confessarius) *judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit:* nota illud *omnino (S. Alph.*, l. VI, n. 461).

En ideo signum ordinarium sufficientis dispositionis in pœnitente, *confessio debito modo facta;* nam pœnitens ex una parte non est censendus malus, ita ut sponte accedendo velit indispositus ad Sacramentum accedere; ex alia bene præsumitur dispositus dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis (1) — Dubium est, an confessio sit debito modo facta? Confessarius proponat et consulat magis ac magis detestationem peccati. Non adhuc apparent sufficientia signa? ipsum pœnitentem interroget, an ex animo detestetur peccata, et sincere proponat cavere in futurum. Cui affirmanti credere tenetur, et illum absolvere, nisi obstet aliqua præsumptio in contrarium, ut si agatur de occasionariis ac recidivis etc. *Lugo (S. Alph.*, l. VI, n. 459) (2).

677. **Absolutio cui differenda.** Generale principium est, quod absolutio differri debeat iis, quorum dispositio est dubia, nec urget ratio absolvendi. Et hoc etiam si de venialibus agatur, præsertim si proximius ad mortale disponant, nullaque emendatio, nullusque conatus appareat in pœnitente ad se corrigendum; ut si res sit de quibusdam affectiunculis sensibilibus, de quotidianis intemperantiis, etc. At si aliqua ex causa danda

(1) Signa indispositionis pœnitentis: 1) Si impatientiam et indignationem ostendat ad confessarii necessarias interrogationes. 2) Si peccata indifferenter enarret vel gravissima. 3) Si ea in alios refundat sæpius se excusando. 4) Si studuerit celare peccatum, quod sola confessarii industria fuit detectum. 5) Si recuset convenientem satisfactionem, et vel media adhibere ad peccata vitanda. 6) Si ignaros confessarios et nimis indulgentes soleat quærere. *Denoft, Catalani, Trucchi.*

(2) Si pœnitens (ait cl. Berardi) sit dubie dispositus, et nihilominus confessarius ad dilationem absolutionis recurrere non posset, tunc magnam impressionem faciunt sequentia verba: *Ergone hoc mane debeo te absolvere? trepidat mihi manus, fili mi, in danda tibi absolutione ista. Non sunt tua peccata quæ hunc timorem in me injiciunt; mille tibi darem apertissimo corde si compunctum te viderem: sed ecce id de quo timeo; ecce id quod me trepidare fecit, tua parva dispositio*, etc.

erit absolutio, ad ipsam disponatur pœnitens excitando in eo contritionem de peccatis vitæ anteactæ.

Sed præcipue differenda est absolutio: 1) Qui parum student ediscere necessaria etiam necessitate præcepti, vel ea a filiis aut domesticis ignorari patiuntur — 2) Qui in addiscendis quæ sunt suæ professionis, satis non exhibent diligentiam — 3) Qui parum curant conditiones ad Confessionem requisitas, v. g. non satis se ipsos examinando.

678. **Absolutio cui deneganda.** Absolutio est neganda indispositis. Habentur autem præcipue indispositi ex Rituali:

1) Qui nulla dant signa doloris. Qui acceptam injuriam condonare recusant et odia deponere. Qui rem alienam, honorem aut famam læsam, quum valent et debent restituere, renuunt. Qui irretiti sunt censura vel casu reservato. Qui filios suos, atque servos gravibus vitiis deditos corrigere negligunt.

2) Qui in easdem graves culpas post confessionem relapsi sunt, quin ullum præbeant extraordinarium veræ dispositionis signum. Qui versantur in occasione proxima peccandi, quam possunt et nolunt dimittere; aut qui aliis occasionem illam præbent. Item qui ignorant res scitu necessarias necessitate medii ad salutem, ut patet ex propositione sub n. 64 ab Innocentio XI damnata; nisi prius edocti fuerunt a confessario, quod plerunque fieri oportebit.

679. Nullimode autem potest denegari absolutio pœnitenti, qui non vult sequi opinionem sui confessarii, si agatur de opinione inter graves theologos disputata. Nam confessarius non est judex opinionum, sed tantummodo dispositionis pœnitentis, an scilicet habeant verum dolorem et firmam voluntatem non amplius peccandi (1).

Si in opinionibus, de quibus gravissimi theologi inter se contendunt, neque Episcopus debet sibi arrogare partes judicis suam imponendo sententiam ex Benedicto XIV *(De Syn.*, l. VII, c. 11, n. 2); tanto minus id confessario fas est, aut potest ægre ferre si pœnitens in re disputabili ab illo diversimode sentiat, tanto minus ipsum judicio Dei remittere; hoc enim non esset illum tranquillum facere, sed in incertitudinem et anxietatem ponere, et ejus conscientiam turbare. Ecclesia in causis disputabilibus pœnitentem non remittit ad Dei tribunal, quasi de illis respondere debeat coram Deo; sed ipsum in tuta conscientia ponit, et vult a nemine esse inquietandum permittens cum d. Paulo, ut tunc *unusquisque in suo sensu abundet* (Rom. XIV) (2).

(1) Si pœnitens occurrat tibi sine absolutione ab alio confessario dimissus, ipsum paterne audi; sed nisi justissimas causas invenias, prius judicium non reformabis. Quod si deprehendas confessarium cum pœnitente durius egisse, excusato quoad potest primo confessario, illum paterne absolve. *Schneider*.

(2) Duo confessarii habent duas opiniones contrarias, quarum utrique sua apparet probabilior; si unus velit alteri confiteri, deberet hic (juxta contrarios) suam

680. *Casus.* Titius confessarius renuit absolvere pœnitentem ut indispositum, tum quia non vult amplius observare jejunium quod vovit semel in hebdomada toto vitæ suæ tempore, quia attingit sexagesimum ætatis annum; tum quia recusat de superfluis succurrere communiter indigentibus, quia de hoc grave non adest præceptum, in ejus sententia.

R. Confessarius, etsi non habeat uti solide probabilem opinionem pœnitentis, si tamen hæc a gravibus auctoribus uti talis habeatur, non potest denegare absolutionem; nam cuique liberum est eam sequi sententiam quæ catholicis libera relinquitur ab Ecclesia. Quod maxime locum habet quoad opiniones quas docet s. Alphonsus; cum illas tuto sequi possimus ex solemni S. Sedis declaratione (v. *t.* I, *n.* 79). Aliter esset si opinio pœnitentis habeatur communiter (non tantum in sensu privato confessarii) omnino falsa; quanquam etiam in hoc casu, si prævideret confessarius suam monitionem non esse pœnitenti profuturam; sed potius redderet formale peccatum illud, quod in pœnitente est tantum materiale, debet dissimulare, exceptis aliquibus casibus ex dicendis *n.* 732. Hoc posito:

Ad 1.m Qui vovendo jejunium expresse diceret: *usque ad mortem,* in sententia s. Alphonsi *(Ho. ap.*, tr. XII, n. 25) tenetur jejunare etiam post annum sexagesimum; nam obligatio non limitatur. Verum excipe nisi advenerit specialis ratio debilitatis; vel sine supradicta expressione et nihil ad ætatem sexagenariam advertens voverit; quia tunc supervenit notabilis mutatio non prævisa quæ excusat — Attamen quia graves auctores contrarium sentiunt, ideo est absolvendus pœnitens qui hisce fretus, absolute nollet amplius jejunare, etsi toto vitæ suæ tempore jejunium voverit.

Ad 2.m In sententia, quam s. Alphonsus veram dicit *(Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna,* c. 4), est obligatio gravis dandi eleemosynam ex superfluis statui etiam in communibus pauperum necessitatibus juxta illud generale Christi Domini præceptum: *Quod superest date in eleemosynam* (Lucæ VIII). *Dare eleemosynam de superfluo* (ait d. Thomas, in 4, d. 15, a. 11) *cadit in præcepto; similiter dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate.* Et 2, 2, q. 66, a. 7: *Res, quas aliqui superabundanter*

deponere opinionem captivando intellectum, ut confessario suo judici constituto pareat. Contra vero si alter postea huic confiteatur, deberet hic secundus suam resumere opinionem, quæ sibi apparet probabilior; tunc enim deberet judicare secundum suum proprium judicium et deberet illum obligare, ut deponat opinionem quam sibi prius sequendam imposuit. « En comœdia (concludit s. Alphonsus, *Opus mor.*, l. VI, n. 604) risu digna, quæ jugiter inter confessarios eveniret, cum quilibet suas habeat sententias. »

Adde: contraria doctrina semel admissa, probabilistæ semper essent dimittendi inabsoluti, quoties penes probabilioristas confiterentur, licet essent docti ac sancti. Neque posset absolvi s. Antoninus, neque s. Bonaventura, neque s. Alphonsus, cujus tamen opiniones iteratis decretis esse sine ulla censura declaratum habemus, adeo ut quisque eas tuto sequi possit ac profiteri. « Vacata una parrocchia (ita Tannoja, *Vita di s. Alfonso*, l. III, c. 31) tra gli altri eravi al concorso il sacerdote Diodato; seguendo egli gli autori opposti al sistema morale di Monsignore, gli esaminatori lo esclusero. Ma Monsignore letto il concorso, maravigliossi della condanna: *Gli autori che segue*, disse agli esaminatori, *son pur classici ed approvati.* Ripigliando questi, che le risposte non erano conformi alla sua Teologia: *Io non sono uomo*, ripigliò il Liguori, *che faccia legge; ed in materia di opinione, quando la Chiesa non le ha condannate, ognuno è padrone di sostenere la propria.* Prese le parti di Diodato, il quale n'ebbe il *magis dignus* colla provvista della parrocchia » *(Scavini*, l. III, n. 456).

habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. Hæc autem sententia communior est, imo ex Charmes communissima, ut multis probant *Vindiciæ Alphonsianæ* edit. altera. Utique nonnulli auctores obligationem adstruunt, quin innuant an sit gravis; sed indubitanter de gravi obligatione accipiendi sunt. Nam apud omnes in confesso est, quando asseritur aliqua obligatio et non dicitur expresse an sit gravis vel levis, eam intelligendam esse pro subjecta materia: cum porro præceptum eleemosynæ obliget sub gravi, obligatio gravis ex genere suo intelligenda est: sicut si quis diceret quod adest obligatio Missam in festis audiendi, intelligitur certe gravis obligatio; cum Missa cadat sub præcepto gravi (1) — Vides quam solidior sit hæc sententia; nihilominus non improbarem qui contrarium teneret; neque ideo inabsolutum dimittere potero; quia id quoque sua potitur auctoritate.

§ I. De Occasionariis, Consuetudinariis seu Habituatis et Recidivis.

681. **Occasio peccati.** Est objectum externum, seu quasi rete quod ad peccatum allicit et illaqueat. Obligatio autem evitandi peccati occasionem oritur ex ipsa obligatione vitandi periculum peccandi.

682. *Divisio occasionis.* I. Occasio est remota et proxima. *Remota* est illa in qua homines constituti, etsi ordinaria tantum virtute præditi, ut plurimum non peccant, seu in qua nullum prudens et verisimile est peccandi periculum. Hanc non tenemur effugere; alioquin deberemus omnes de mundo exire, cum mundus laqueis undique sit plenus, ut legitur in Scripturis. Occasio *proxima* e contrario est illa, in qua homines ut plurimum deficiunt, seu frequenter peccant.

II. Occasio proxima definiri potest illa *quæ affert homini probabile, prudensque periculum peccandi.* Et alia est proxima per se, alia per accidens. Proxima *per se* seu absolute est illa, in qua homines ut plurimum peccant (2). *Per accidens,* sive

(1) Cæterum commune est inter doctores non totum superfluum esse tribuendum; nam præter ea quæ necessaria sunt ad decentiam status conservandam, futuris etiam necessitatibus providendum est; ideo multi probabiliter sufficere dicunt si dentur duo pro quolibet centum, et adhuc minus, si reditus sint pinguiores. Hac de re placet concludere cum s. Thoma de Villanova: « Fac sicut filio suo consuluit Tobias (IV): *Quomodo potueris ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Non improbo (addit, et concludit Sanctus), si certam portionem pecuniæ, ad arbitrium boni viri, juxta tuos reditus, quotannis pauperibus erogandum signaveris. » Hoc tamen non potest intelligi de beneficiatis; isti ex canonico jure tenentur totum superfluum pauperibus aut piis locis distribuere *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. IV, n. 18).

(2) Aliquando occasio, quæ respectu aliorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti, poterit esse remota *(S. Alph.,* l. VI, n. 452).

Imo respectu ejusdem occasio aliquando ex proxima fieri potest remota, si nempe

relative, est illa quæ licet per se respectu aliorum non sit proxima; tamen respectu alicujus proxima est, vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper nec frequentius, frequenter tamen cecidit (1); vel quia prudenter timeri potest, ne labatur propter cognitam suam fragilitatem.

III. Occasio proxima alia est *præsens*, alia *absens*. Occasio *præsens* et *in esse* est, quam homo semper secum habet, quin eam actu quærat: ut si quis domi suæ teneret concubinam. *Absens* et *non in esse* est, quam homo non semper secum habet, sed eam debet inquirere; ut si quis cauponam ingrediatur, ubi solet inebriari. Item est de illo, qui in ludo frequenter labitur in blasphemias, in rixas. Item de illo, qui aliquoties tantum accedit ad mulierem, sed fere semper accedendo peccat. Imo, ex s. Alphonso, erit pariter de illo, qui semper cum tali muliere peccat quoties accedit ad illius domum, etsi semel tantum in anno accedat.

IV. Occasio alia est voluntaria, alia necessaria. *Voluntaria* seu libera est illa, quæ facile vitari potest. *Necessaria*, quæ non potest relinqui vel physice vel moraliter — *Physice*, nempe si quis esset in carcere vel triremi, a quo discedere non posset; vel si esset in articulo mortis, in quo non haberet tempus aut modum expellendi amicam. *Moraliter necessaria* est illa quæ absolute loquendo pendet ab hominis voluntate, sed deseri nequit sine scandalo vel sine notabili detrimento temporali in vita, fama aut fortunis. Uti evenit de filiis, qui in domo paterna in proxima peccandi occasione versantur. Idem fere est de collegialiter viventibus, qui consocium habent eos vehementer ad turpia impellentem.

Cæterum confessarius, monet s. Alphonsus, non ita facile fidem præstabit pœnitenti asserenti scandalum vel grave damnum, si occasionem auferat, si expellat mulierem, si non amplius ad talem domum accedat, etc. In his omnibus, ac præsertim ubi

ex sufficienti experimento constet gravitatem periculi peccandi evanuisse, ut esset v. g. si quis solebat fere quotidie inebriari in caupona, sed nunc jam a duobus mensibus et amplius propter propositum factum nunquam inebriatus fuerit, nec amplius se sentiat tentatum ad renovandas ebrietates, etsi adhuc quotidie cauponam frequentet. Idem est si causa superveniat, quæ omnino destruat gravitatem periculi, ut si quis solitus fuerit peccare cum muliere, quæ nunc ita deformis facta est, ut horrorem incutiat et omnes a se avertat; et ita porro. *Berardi.*

(1) Quænam autem frequentia factorum requiratur, ut dici possit occasio proxima, non est tam facile definire; nam id non mathematice, sed moraliter accipiendum est, et ex variis circumstantiis mensurandum. Dicam tamen: ut occasio proxima constituatur, sufficit plus minusve numerus peccatorum, qui a theologis requiritur, ut habitum inducant; v. infra n. 688.

turpium lapsuum periculum imminet, advertat sedulus confessarius, quod nunquam crudelius se geret cum pœnitente, quam benignius agendo *(S. Alph.,* l. VI, n. 452).

683. **Principia**: I. Occasioni proximæ seu periculo proximo peccandi se exponere per se non licet. Hinc Angelicus: *Quicunque committit se discrimini in his quæ sunt ad salutem, peccat* (Quodl. 8, a. 13). Hinc scriptum est: *Qui amat periculum in illo peribit;* qui porro illud non fugit, cum debeat et possit fugere, profecto vult et amat periculum illud (1). Aliter est si ex formali et proximo periculum peccandi fiat materiale ac remotum ratione necessitatis ac simul mediorum quæ adhibentur ad peccatum vitandum. Ad rem s. Basilius: *Qui urgente aliqua causa et necessitate, se periculo objicit vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus subire; et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat;* si tamen et ipse provideat. Uti evenire potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellæ utique esset in occasione proxima peccandi (si jam alias deliquit), sed ratione necessitatis et officii, ac modo debitas adhibeat cautiones precum, protestationis de non consentiendo, bene valet a culpa excusari: tunc divina juvante gratia, periculum fiet materiale, et occasio remota.

II. Si periculum tale sit, ut qui in illo se exponit tam sit probabile quod peccabit, quam quod non peccabit, non licet se illi exponere extra necessitatis casum, ut vera sententia docet; nam licet incertum sit an peccatum sit vel ne committendum, certum tamen est adesse probabile periculum, seu prudens timor peccandi; qui porro tali periculo se committit, peccat. Hinc d. Thomas: *Infirmi in fide, de quorum salute probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione,* id est ob periculum ne pervertantur (2, 2, q. 10, a. 9). Et in confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit pœnitens, etsi peccatum non admiserit; nam qui consentit in periculum peccandi, consentit etiam, quantum est in se, in ipsum peccatum, de quo est periculum.

III. Certum est absolutionem esse denegandam ei, qui monitus non vult occasionem proximam voluntariam dimittere; Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Potest aliquando*

(1) Etsi periculum proximum et occasio proxima promiscue usurpentur, differunt tamen: nam primum potest oriri etiam ab intrinseco, v. g. a pravis cogitationibus; secunda nonnisi ab objecto externo, sive sit res sive persona.

absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult dimittere; quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit. Neque enim concipi potest, quomodo quis velit efficaciter finem, negligendo voluntarie media ad ipsum assequendum. Ad rem d. Bernardus: *Judicium veræ compunctionis est subtractio occasionis* — Quod obtinet quamvis *causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrat;* vel si quis eam *quæreret directe pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.* Neque enim sub quacunque specie boni licet animæ periculo se exponere, uti constat ex aliis propositionibus ab eodem Innocentio damnatis — Neque obstat quod peccatum non intendatur, vel in ea occasione non fuerit commissum; nam in rebus moralibus extra veram necessitatem proximo vel probabili periculo graviter peccandi se exponere, ac illud subire æquiparantur. Hinc non est absolvenda nutrix, quæ retinet in lecto infantem cum gravi periculo illum suffocandi, quamvis suffocationem non intendat, neque usque adhuc evenerit. Pariter non possunt absolvi qui licet in occasione non peccent, aliis ideo scandalum præbent; quia unusquisque ex gravi lege caritatis tenetur a proximo offendiculum avertere.

IV. Qui sincere promittit derelinquere occasionem voluntariam, potest semel, bis et etiam ter absolvi antequam illam dimittat, si agatur de occasione absenti et non in esse ex s. Carolo; nam occasio, quæ absens est, non tantum difficultatis habet, ut ab ea abstineamus (1) — Quod si deinde occasionem non aufert et eodem modo peccat, nequit amplius absolvi, nisi prius illam removeat, vel nisi signa doloris extraordinarii ostendat, ex quibus confessarius prudenter existimare possit, quod revera pœnitens occasionem relinquat.

Si vero agitur de occasione præsenti et in esse, pœnitens nisi prius occasionem reliquerit, ne prima quidem vice, ordinarie loquendo, etsi illam amovere promittat, est absolvendus, si illam possit statim dimittere. Nam ablatio occasionis hujusmodi est res ardua; cum enim statim pœnitens eam invisere debeat, difficulter (experientia teste) ei resistet ob suam propensionem. Quod maxime currit, si sermo sit de vitio turpi; ita enim solet excæcare hoc vitium, ut omnia bona proposita in fumum evanescant.

(1) Quando habitus est inveteratus, bonum consilium erit differre absolutionem, etiam prima vice, ut appareat an pœnitens occasionem auferat, vel an paullatim emendetur. Cæterum ad prudentiam confessarii pertinebit expendere quid in casu magis expediat.

684. Dixi *ordinarie loquendo;* nam excipe:

1) Si agitur de pœnitente, qui instructionis defectu nunquam adverterit ad occasionem periculosam, neque ad obligationem eam deserendi; tunc si dispositus, pro una vel altera vice absolvi potest; alii tamen id non admittunt, si agatur de concubina ejicienda — 2) Si pœnitens statim sine scandalo, infamia ac gravi difficultate occasionem deserere nequeat, et aliunde bene dispositus inveniatur — 3) Si pœnitens affert signa extraordinaria doloris, quæ indicent ipsum donatum uberiori gratia, qua in removenda occasione constantior erit. Si tamen potest commode differri absolutio, adhuc differrem usque dum sit ablata occasio; nam funiculus occasionis difficile rumpitur — 4) Si agitur de moribundo, cui nequit differri absolutio. Vel si pœnitens nequeat amplius ad confessarium redire aut nonnisi post longum tempus: tunc absolvendus, si censeatur dispositus per sincerum propositum, statim removendi occasionem. Hoc tamen non admittendum, si pœnitens ab alio confessario jam fuerit admonitus de occasione tollenda et non abstulerit; quia tunc habetur tanquam recidivus, et minime est absolvendus, nisi forte afferat extraordinaria signa doloris *(S. Alph.,* l. VI, nn. 452 et seqq.).

685. **Qui est in occasione proxima necessaria.** Docent communiter et probabilissime cum d. Basilio, quod potest absolvi qui est in occasione proxima, quin eam dimittat, si aliter deberet pati notabile detrimentum in vita, in fortunis, aut in propria professione; modo tamen paratus interim sit uti mediis ad peccatum vitandum præscriptis, quæ sunt: *Major oratio, frequentior usus Sacramentorum, quotidiana ante Crucifixum renovatio promissionis de non amplius peccando, novissimorum meditatio, mente sibi fovere præsentiam Dei, fugere quoad potest ab aspectu et societate complicis,* etc. Sane occasio peccandi involuntaria neque est peccatum, neque affert necessitatem peccandi: ideo potest conciliari cum vera detestatione peccatorum et firmo proposito non peccandi de cætero.

686. Sic excusantur Parochi qui in excipiendis confessionibus in proximo peccandi periculo sunt, imo et aliquando lapsi sint. Item qui proprium officium, vel domum, v. g. filii collegialiter viventes, milites, caupones, mercatores, non possunt deserere sine gravi detrimento, etsi in tali peccandi periculo sint. Revera Scriptura non dixit: *Qui est in periculo;* sed *qui amat periculum, in illo peribit.*

Hæc verissima sunt; sed in praxi omnes conveniunt expedire ut differatur absolutio, præsertim si occasio sit de materia turpi, et dilatio commode locum habere possit. Experientia teste, tales pœnitentes semel absoluti, ut plurimum negligunt media præscripta, et facillime relabuntur. Imo omnino urgendi ut occasionem deserant; nam damnum vel scandalum quod ideo timent, non raro industrie auferre possunt; ad rem Pallavicini: *Si times ne ex mulieris dimissione suspectus concipiantur aut confirmentur, effice ut illa ipsa motu proprio discedat.* Et Corduba addit: *Excita aliquam rixam, quæ prætextum suppeditet.*

687. Qui vero positus in occasione necessaria semper eodem modo peccat, est quidem omni studio adjuvandus, hortandus, confortandus, ut alia atque alia remedia adhibeat, orationem, memoriam divinæ præsentiæ et æternæ damnationis, mortificationem, frequentem confessionem, etc. Quod si omnibus remediis adhibitis, semper eodem omnino modo relapsus est, et nullam præseferat spem emendationis (quæ hypothesis non est chimerica etsi raro contingat, si expertis credere est), in veriori sententia iste nequit absolvi. Tunc enim periculum fit formale, et a peccato sejungi nequit: et ideo est vitandum cum quocunque damno temporali etiam vitæ; cum urgeat illud Christi: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te* (Matthæi v). Hoc sensu dico cum Dens:

1) Mulier debet eligere potius præ fame perire, quam frequentare domum ubi largas recipit eleemosynas, sed quæ semper degenerant in stipendium meretricium — 2) Filia debet deserere confessarium licet utilem, si ex ejus alloquio soleat jugiter consentire in delectationem impuram *(S. Alph.,* l. VI, nn. 454 et seqq. *Scavini,* l. III, n. 458 ubi plura).

688. **Habituatus**. Consuetudinarius seu habituatus in peccato nuncupatur *qui satis frequenter (ex interna fragilitate) lapsus est in ejusdem generis peccata, de quibus tamen nondum fuit confessus.*

Quandonam præcise censeatur contracta hæc prava consuetudo, una regula determinari non potest. Generatim loquendo peccatum sæpius repetitum brevi tempore facilius habitum inducit, quam si longioris temporis intervallo totidem vicibus repeteretur. Ordinarie sufficiunt quinque lapsus in mense, si sermo sit de peccato externo, modo inter unum et alterum intercedat aliquod intervallum; secus videretur potius unius peccati continuatio. Hinc qui quinquies in mense diversis et interpositis

diebus marte suo tabernam ingreditur et toties inebriatur, vel voluntarie se polluit, dicitur habitum contraxisse. Sed in quibusdam peccatis luxuriæ multo minor numerus potest habitum constituere; v. g. qui semel in mense fornicatur per annum, *habituatus* appellari potest *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. ult. n. 8).

689. **Principia.** Habituatus potest absolvi, quamvis non exhibeat signa extraordinaria, et nulla emendatio præcesserit, si eam sincere proponat et velit serio adhibere remedia a confessario præscripta, ut consuetudinem vincat; nam præsumitur dispositus, cum spontanea Confessio sit signum contritionis, nisi obstet positiva præsumptio in contrarium; dolor enim manifestatur per Confessionem *(S. Alph.,* l. VI, n. 459).

Excipiunt tamen: 1) Si habitus sit valde radicatus; tunc poterit confessarius differre (ad breve tempus) absolutionem, si aliud non obstet, ut pœnitens majorem horrorem concipiat — 2) Et maxime si habituatus in peccato gravi sit clericus, qui brevi vult ad sacros Ordines promoveri, ratione positivæ bonitatis, quæ illi deest. Ipsa experientia docet, hac in re difficilem se exhibere, idem esse ac causam tueri Ecclesiæ, fidelium, ipsius habituati: in hoc negatio nulla cautela satis (v. t. I, n. 284; *S. Alph.,* l. VI, n. 658).

690. **Recidivus.** Est ille, *qui habitum alicujus peccati contraxit, et post confessionem in idem peccatum ex intrinseca fragilitate relabitur.*

Porro alii docent recidivum, qui non præbeat nisi ordinaria signa, bene posse absolvi usque ad tertiam vel quartam vicem. Nam ex una vel altera tantum Confessione non potest haberi gravis præsumptio de pœnitentis indispositione: etenim præsumptio in contrarium non desumitur ab uno vel altero actu, sed a communiter contingentibus. Et ideo non ab una vel alia confessione de invaliditate suspecta; sed ex consuetudine confessionum, quæ nullum effectum producunt quoad peccata vitanda, exurgere debet præsumptio de pœnitentis indispositione.

Alii vero communiter cum s. Alphonso docent, non esse absolvendum qui etiam prima vice admonitus eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu et nullo impleto ex remediis a confessario præscriptis; sed tantum confiteatur asserendo se pœnitere et proponere emendationem. Nam habituatus qui post unam confessionem recidit sine ulla omnino emendatione, jam est verus recidivus, et habitus malus contractus et relapsus ma-

gnum fundamentum præbet suæ indispositionis Firmatur ex damnatione propositionis ab Innocentio XI: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponat emendationem* (1) — Attamen hæc s. Alphonsi sententia, quæ prima fronte rigida apparet, in praxi ab Ipso valde temperatur, ut scite observat cl. Berardi in egregio Opere *De recidivis et occasionariis, et de praxi Confessariorum.*

I. S. Alphonsus multa signa extraordinaria adsignat non ita difficilia, ut ferme impossibile sit, quod pœnitens aliquod non præsefert, si non sit omnino obduratus: quo interveniente ultro concedit toties posse pœnitentem absolvi. Ut est aliquod notabile emendationis studium, specialis doloris manifestatio per lacrymas, minor numerus peccatorum, expletio mediorum præscriptorum a confessario, fuga occasionum, confessio spontanea, id est si pœnitens non accedat ab alio impulsus, vel quia usum habet se confitendi in illis diebus; sed accedat omnino sponte et vere a lumine divino inspiratus, ad solum finem adipiscendi gratiam Dei. Item si pœnitens accedat ad Confessionem ductus motivo extraordinario, v. g. concionis auditæ, timore mortis aut pestis; si difficultates superare debuit, v. g. agere longum iter; si prius restituerit; si ipsum statim pœnituit post peccatum, etc. (2). Paucis: s. Alphonsus in *Praxi Conf.* habet: *Semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari pœnitentem mutasse voluntatem, bene absolvi potest.*

II. Vult, ut confessarius non dimittat pœnitentem ea signa specialia non præseferentem. Sed sub rigorosa obligatione est disponendus exhortatione ferventi et cordialibus verbis; et puto bene multos posse disponi, si confessarius sit animarum zelo succensus. Huc faciunt præclarissima verba Leonis Pp. XII Constit. *Caritate Christi* anno 1825; ait enim quod plures pœnitentes *persæpe ex imparatis parati fieri possint, si modo sa-*

(1) Utique protestatur se dolere et emendationem proponere; verum cum ejus protestatio jam fuerit contraria factis, quis credet illi? est oris confessio, non cordis: vox Jacob. manus autem (seu opera) sunt Esau. Quis enim cordatus fidem habere potest, et sua committere ei, qui alias jam deficit in suis promissis? Talis protestatio nugatoria est, ad minus umbratilis, infirma.

(2) Hisce verbis *signa extraordinaria* terrentur multi; sed inepte, non enim sic appellantur, quasi esse debeant quid rarum, magnum et difficile; sed ut distinguantur a signis ordinariis, quæ consistunt in simplici confessione et recitatione formulæ contritionis; vel in simplici responsione pœnitentis qui interrogatus an doleat et proponat, simpliciter respondit affirmative. *Berardi.*

cerdos viscera indutus misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete (notentur singula verba) *cum ipsis agere.*

III. Docet quod recidivus, qui nihilominus remanet dubie dispositus, adhuc potest absolvi; sub conditione tamen, si jure timendum sit, ne semel dimissus inabsolutus a Sacramentis alienetur, et in profundum veniat. Vel si amplius non habuerit opportunitatem confitendi. Maxime vero si agatur de moribundo, qui adjuvandus est omni quo potest modo *(S. Alph.,* l. VI, n. 460; *vide infra* n. 693).

« *Cæterum* (concludit Sanctus Noster, l. VI, n. 464) *unusquisque in hoc puncto impertiendæ vel differendæ absolutionis dirigere se debet juxta lumen a Deo sibi donatum.... Ut meæ conscientiæ dictamen exponam, sic concludo: Aliquando poterit alicui recidivo prodesse dilatio absolutionis; semper quidem proderit deterrere hujusmodi relapsos ex intrinseca fragilitate negationem absolutionis minando. Ordinarie vero loquendo magis proderit eis absolutionem impertiri, cum dispositi accedunt per signum extraordinarium doloris juxta illud d. Thomæ:* Dicendum quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum *(Suppl.* q. 25, a. 1).

Et huic doctrinæ alludit Rituale, *quod habet:* In peccatis facile recidentibus utilissimum fuerit consulere ut sæpe confiteantur, et si expediat communicent. *Et hoc remedio s. Philippus Nerius maxime et utiliter usus fuit quoad peccatum pollutionis. Utinam omnes confessarii absolverent recidivos cum solum signa extraordinaria illi afferunt! Sed quod dolendum est, maxima pars confessariorum undique, nullo prorsus signo extraordinario exhibito, indiscriminatim sine ulla admonitione, nulloque præstito remedio, hujusmodi relapsis semper absolutionem impertiuntur, et hoc est unde ruina tot animarum emanat* » (v. Scavini, l. III, n. 346; sed maxime l. IV, Append. 49ª: *De praxi tenenda cum recidivis).*

691. Hic ad praxim notanda: 1) Quoad malum habitum facilius possunt absolvi recidivi in blasphemiis, quam in aliis peccatis odii, furti, aut libidinis, quibus habitus fortius inhæret, causa majoris concupiscentiæ sive inclinationis, quæ in illis invenitur.

2) Facilius dari potest absolutio si peccata non jam ex malitia, sed ex concupiscentia antecedenti proveniant, id est si non tam est voluntas quæ passionem acuit, quam passio quæ voluntatem trahit. Ut enim ait d. Thomas: *Passio quæ inclinat voluntatem ad peccandum, cito transit: et sic homo cito redit ad bonum propositum pœnitens de peccato* (1, 2, q. 78, a. 4). S. Alph., *Ho. ap.,* tr. ult. n. 13.

3) Occasionarius, etsi præbeat signa doloris extraordinarii, non ita facile absolvendus, quia cum occasio utpote externa agat in animum pœnitentis per præsentiam objecti, vehementius movet sensus jam pronos ad peccandum, et omnia bona proposita exscindit. Igitur occasio prius generatim removenda est, ne velimus relapsum.

E contrario recidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium, ordinarie non est differenda absolutio; quia nonnisi ex intrinseca voluntatis infirmitate assentitur peccatis, nempe delectationis ve-

nereæ, pullutionis, odii, etc. Ideoque ejus infirmitas primario in voluntate consistit: at infirmitas voluntatis tollitur maxime per robur quod accipitur per gratiam Sacramenti. Et ideo raro expedit illi absolutionem differre, ut docent communissime *(S. Alph.*, l. VI, n. 464).

692. Casus I. *Clelia pauperrima eodem in lecto dormit cum filio jam adulto, eo quod alium lectum habere non possit. An licet?* Si cubandi modus præbet matri vel filio proximam peccandi occasionem, et exinde frequentes lapsus, omni modo separatio fieri debet; peccatum enim etiam cum propriæ vitæ dispendio fugere tenemur. Si vero non sequatur, vel nonnisi valde raro offensa Dei, et opportuna et efficacia adhibeantur remedia ad tentationes superandas, tunc urgente necessitate potest tolerari; nam ad fugiendam remotam peccati occasionem, qualis in hypothesi esset nostra, nulla lege obstringimur grave subire incommodum, uti esset supra nudam tabulam cubare. Cæterum in praxi non facile admitterem; nam rarum est, quod aliqua culcitra stramentitia saltem ab aliquo benefico non inveniatur. *Giribaldus, Croix.*

II. *Titius adolescens versatur in periculo gravi propter fratrem turpiter eum tangentem, dum simul in lecto dormiunt. Quid?* Si admonendo parentes, speret lecti mutationem, eos monere tenetur: sed si item caute procedant parentes, ita ut non sit timendum quod iniquus frater concipiat magnum et diuturnum odium. Si a parentibus propter paupertatem vel propter negligentiam non liceat sperare aliquid boni, tunc si huic scandalo valeat providere parochus, ipse admonendus est; sed omni cautela adhibita. Si neque id juvet, non ideo tenetur adolescens innocens deserere lectum, et humi cubare, modo tamen consensum non præbeat tentationi. *Potestas, Sieri, Berardi.*

III. *Tonantius frequentans tabernas solet bis aut ter in mense inebriari; an frequentatio tabernæ sit ipsi interdicenda?* Si absque juxta causa, sed mere ad bibendum, ad terendum tempus, etc. id agat, frequentatio est veluti occasio proxima proveniens ex re inutili; et si fidem fregit, non adsolvatur. Si vero frequentat ex legitima causa, v. g. ut victum sibi et familiæ acquirat; quia illa negotia in taberna tractari solent, præscribantur remedia, ut occasio desinat, aut fiat remota. Vel non bibat, vel parum, vel vinum aqua mixtum prætextu sanitatis bibat; vel æquale ejus quod bibit, tribuat pauperibus; et hæc proposita renovet sæpius, oret frequentius, Missam audiat, confiteatur, etc. *Dens.*

IV. *Radulphus sacerdos recusat dimittere ancillam, quacum plus æquo familiariter se gessit pluries, tum quia jam serpens rei rumor sic confirmaretur; tum quia cum nuperrime exercitiis spiritualibus vacaverit, id fieri jubente confessario, dictitarent. Quid?* Non valet prima ratio, si rumor publicus sit valde gravis; quia subsistit scandalum quod tolli nequit, donec ancillam retinuerit; illam autem dimittendo nedum famæ detrimentum patiatur, eam potius recuperat. Secunda valere potest ad tempus, seclusa suspicione gravi ex parte populi; sed statuere debet famulam omnino dimittere quam primum poterit. *Gury* (v. alii casus apud Scavini, *l.* III, *nn.* 461 *et seqq.*, ubi etiam de *choreis ducentibus, theatris interessentibus, sponsis se invicem invisentibus, conversationes periculosas frequentantibus).*

§ 2. — De Absolutione conditionata, de Confessione et Absolutione Moribundi.

693. **Absolutio sub conditione.** Conditio apposita in Pœnitentiæ administratione, v. g. *si es contritus, si es dispositus, si es capax,* valida est, supposita veritate conditionis; quia tunc omnia concurrunt ad validitatem, intentio, materia et forma, quæ conditione verificata, evadit absoluta. Verum id per se sub gravi prohibetur; nam est contra reverentiam Sacramento debitam, contra praxim Ecclesiæ ac Ritualia omnia, et viam aperit perniciosæ laxitati, quæ non curat dispositionem pœnitentis, neque illum disponere.

Dixi *per se;* nam cum Sacramenta sint propter homines, commune est posse et debere absolvi sub conditione pœnitentem non solum in extrema necessitate; sed etiam quando secus verum et notabile animæ detrimentum ipsi immineret, et dubium, facta diligenti inquisitione, vinci nequit (S. Alph., *l.* VI, *n.* 432; Berardi, *De recidivis;* et Gury).

Resolve: I. Fas est absolvere sub conditione in dubio, an materia sufficiens sit, et pœnitentes nequeant certam materiam ex anteacta vita præbere; ne forte in peccatis maneant (1).

II. Probabiliter absolvi possunt sub conditione sponsi proxime matrimonium celebraturi, sed dubie dispositi, si dubium confessarii zelo vinci non possit; si secus Sacramentum sunt certo profanaturi, et inabsoluti dimissi non amplius redituri.

III. Item fas est dare absolutionem sub conditione in dubio, an pœnitens fuerit absolutus. Item an sit doli capax; an habeat usum rationis; an sit vivus, an sit sensibus destitutus, christianus necne, si urgeat casus et dubium nequeat certiorari.

IV. Item potest sub conditione absolvi puer vel semifatuus quando dubitatur de eorum dispositione, etiam extra mortis articulum et præceptum paschale, si brevi nequeunt disponi, ne forte diu remaneant sine gratia *(v. n.* 739*).*

(1) *Quid in dubio an confessarius habeat jurisdictionem?* Si jurisdictio sit positive dubia de jure, id est si omnino probabile sit ob auctoritatem doctorum illam adesse in eo casu, tunc gravi interveniente causa, v. g. si diu pœnitens carere debeat absolutione in mortali existens, absolutio datur absolute, cum suppleat Ecclesia jurisdictionem.

Aliter esset, si dubium respiciat factum purum ac privatum illius confessarii, v. g. si dubium sit, an huic confessario jurisdictio expiraverit; tunc accedente gravi causa potest quidem absolvere, sed sub conditione. Et in hoc casu censeo teneri confessarium id patefacere pœnitenti si mortale sit confessus, ut si postmodum forte verificetur revera jurisdictione caruisse, pœnitens iterum confiteatur peccata illa *(S. Alph.,* l. VI, n. 431; *Ho. ap.,* tr. XVI, n. 6).

V. Item est de recidivo dubie disposito (posteaquam confessarius omne studium impenderit ad eum rite disponendum) si illum non absolvendo, timeatur grave damnum spirituale, v. g. relapsus in majora delicta ob pusillanimitatem; transitus ad hæreticos; a Sacramentis, ab Ecclesia, a bonis operibus alienatio. Si indulgentia (ait Gousset) cum tali pœnitenti adhibeatur, sperare licet quod in propositis adhuc debilis sit perseveraturus, ita ut paullatim ad meliora consilia, et ad perfectam conversionem animum inflectat (1).

VI. Item si agatur de milite ad bellum mox ituro, de viatore qui jamjam sit procellosum mare transfretaturus, de muliere cito paritura, cujus partus periculosi esse solent, etc. Neque obstat quod postea sic absoluti communicent; illorum communio non erit sacrilega; nam supponimus in bona fide versari. Imo si communicans sit in statu mortalis culpæ, et ad communionem accedat cum attritione bona fide, in gratiam restituetur.

Casus 1. Albinus confessarius absolvit conditionaliter, justa de causa Jacobum, qui petit an sit absolutus et communicare possit. *Confessarius respondere potest se illum absolvisse, cum reapse absolverit in quantum ferebant illius dispositiones. Ordinarie non expedit illum admonere de conditione, tum quia pœnitens nil intelligeret, tum quia maxime turbaretur; excipe nisi agatur de dubia jurisdictione confessarii. Quoad Communionem respondeat illam remittere suo arbitrio; sic enim omnibus incommodis obviasset, nec positive concurreret ejus sacrilegio, si forsan in peccato communicaret.* Gousset.

Casus 2. Florentius contendit formam conditionalem nunquam esse adhibendam extra casum extremæ necessitatis; nam religio, qua tractanda sunt Sacramenta, semper offenditur, si quid præter Christi institutum usurpetur; Christus autem nihil habet de conditione. Hinc d. Carolus non vult absolvendos pueros ac puellas, si sufficientem materiam cum sufficienti rationis usu non afferunt, nec debita contritionis indicia exhibent.

R. In nostra hypotesi pœnitens supponitur quidem dubie dispositus, sed non ita ut frustratio Sacramenti quasi certa sit; omnino itaque causa gravis sufficere debet ad dandam absolutionem conditionatam, v. g. pro notabili bono pœnitentis, quod alio modo obtineri nequeat aut ne secus magno aliquo damno spirituali afficiatur, si statim non absolvatur. Porro stante causa ista omnis irreverentia evanescit, eo quod Christus solum pro bono animarum Sacramenta instituit; nempe conditio absolutioni apposita ex una parte consulit reverentiæ Sacramenti, ex alia saluti pœnitentis si forte indigeat. Et tunc totum obtinetur quod Christus voluit; si secus esset neque in articulo mortis dari posset conditionata absolutio, nam nihil de illa Christus statuit. Est communissima sententia. D. Carolus autem generatim loquitur, et nihil habet de forma conditionali etiam agendo de moribundis; neque enim ad casus speciales venit. *Berardi.*

694. **Confessio et absolutio moribundi.** Confessarius in excipiendis moribundorum confessionibus non debet tam exacte

(1) Imo sunt vel ex ipsis rigidioribus, qui docent posse absolvi pœnitentem dubie dispositum, si sit magnæ auctoritatis in loco; qui si absolvatur plures ad bonum trahent; secus alios ad malum inducent. Quod tamen accipiendum est cum grano salis. *Gousset.*

procedere circa numerum et circumstantias; præsertim si jam accessit sacerdos cum Viatico, vel medicus instaret ut cito illud ministretur. Tunc melius est ad dispositionem pœnitentis quam ad confessionis integritatem attendere; et sufficit tunc imponere infirmo, ut cum convaluerit, confessionem repetat; et satisfactio sit levissima, vel ei injugatur ut impleat quando sanus. Vulnerati vero et puerperæ, quæ ordinarie nequeunt deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, tutius et in particulari de aliqua culpa levi cum proposito integre confitendi cum convaluerint *(S. Alph.,* Ho. ap., *tr. ult.* n. 46) (1).

Quid (quæres) *Si moribundus loquela jam sit destitutus?* Tunc si moribundus det aliqua signa pœnitentiæ sacerdoti præsenti, non est dubium, quin sit absolvendus absque ulla conditione. Imo expedit, ut toties absolvatur, quoties præstat hujusmodi signa: adest enim in hoc casu materia sufficiens, uti sunt omnia peccata illius sub ratione generica peccati. Adest etiam cognitio causæ meliori quo potest modo, licet non plena.

Si vero jam sit sensibus destitutus, sed doloris signa dederit adstantibus, v. g. postulando sacerdotem, sententia communis et tenenda cum d. Thoma docet moribundum absolvendum esse licet fuerit habituatus in peccatis, et confessus adhuc non sit. Per testationem illam satis sensibilis fit confessio, saltem bona voluntas, quæ censetur perseverare. An autem talis absolutio debeat dari absolute, alii communius affirmant cum Lugo; sed alii cum s. Antonino tenent dandam sub conditione, *si es capax,* ut etiam Sacramenti reverentiæ consulatur.

Quod si moribundus repentino, et gravissimo morbo correptus et sensibus destitutus, nulla dedit doloris signa, nec unus adsit testis de bona illius dispositione, probabilior ac hodie communius recepta sententia docet debere (sub conditione) absolvi moribundum etsi christiane non vixerit. Semper enim prudens adest dubium, quod infirmus ante sensuum destitutionem,

(1) Curet parochus, ut infirmum ad bene moriendum disponat, quin ei auferat omnem vitæ spem, quæ in manu Domini est. Id unum curet et studeat, ut infirmus in divina voluntate acquiescat, et ei se totum committat; Deo offerat quod patitur, protestando se id unum velle quod Deus vult. Se conformare divino beneplacito, et pacem inducit, et animi tranquillitatem tuetur, et multum meretur apud Dominum; atque ad sancte moriendum disponit.

Uno verbo id unum a medicis corporis et animæ prudenter insinuandum, eorum gravem infirmitatem expostulare, ut quæ religionis sunt quiete adimpleant, ac cum mentis compotes sunt Deum sibi propitium faciant. Nec refert si primum conturbentur infirmi; conturbatio brevis erit, at salutaris, et forsan omnino necessaria ad animæ salutem *(Scavini,* l. IV, n. 48).

vel postea in aliquo lucido intervallo advertens mortis periculum, petat absolutionem signis vere sensibilibus, uti sunt suspiria, motus corporis, oculorum elevatio, etc.; licet non percipiantur: quod sibi contigisse narrat Marcantius. Finge ex centum moribundis unum hac ratione salvari; nonne id satis est pro hac sententia?

Imo etsi agatur de eo, qui sensibus destitutus sit in actu peccati, ut duelli, grassationis, adulterii, satis probabiliter ex sententia s. Augustini, eum ajunt adhuc absolvendum sub conditione, modo constet fuisse catholicum (1). Nam de quolibet potest præsumi, quod in illo extremo positus petat, meliori quo potest modo, Confessionem *(S. Alph.,* l. VI, n. 480; *de moribundis adjuvandis plura ad praxim Scavini,* l. IV, Append. 7ª, et l. I, n. 456).

695. *Quoties* (quæres) *moribundo absolutio renovanda est?*

R. Dum infirmus sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsan præteritæ Confessiones invalidæ fuissent; aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non Purgatorii pœna ei minuatur. Et si forte infirmus in lethale incidat peccatum, ne illum exterreat; sed moneat, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet. Et si rursus tentatur, benigne ipsum confortet; curet ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat.

Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eundem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum administretur sub conditione, urgens et gravis causa requiritur: unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc sacerdos ex ipsa conscientia (quam noverit infirmi) se dirigat; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dare potest. Sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat;

(1) In dubio an fuerit catholicus, adhuc sub conditione absolvendus; non vero si certo fuerit ac formaliter hæreticus, nisi absolutionem absolute petierit; nam talis homo nunquam præsumi potest dare signa doloris in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorret *(S. Alph.*, l. VI, n. 483; *Ho. ap.*, tr. XVI, n. 37).

frequentius tamen, si jam moriturus est (1) — Ad dignoscendum quando mors instat, dat indicia *Summula* Raymundi:

His ægrum signis morientem nosce quaternis:
Fronte rubet primo, pedibus frigescit ab imo,
Albescit nasus, dexter lacrymatur ocellus.

Casus. Brutus perfecte ebrius domum reversus per scalam decidendo caput gravissime allisit, ita ut ad portas mortis appropinquare videretur. Vocatus parochus nullum Sacramentum vult illi administrare. R. *Parochus potuisset imo probabilius debuisset illum absolvere sub conditione; nam licet videatur sensibus externis destitutus, fieri potest, ut aliquantulum usu rationis potiatur atque conteratur et velit absolvi. Item dicito de Extrema-Unctione, cum hæc non requirat actum humanum, sed tantum intentionem habitualem ex parte subjecti. At non videtur posse ei Ss. Eucharistia administrari; exponeretur enim irreverentiæ periculo, et insuper fidelium scandalo esset; aliunde illa non est tantæ necessitatis.* Elbel, Gury.

CAPUT TERTIUM

De Pœnitentiæ Ministro ejusque Approbatione et Jurisdictione.

696. **Pœnitentiæ Minister.** Sacerdos non exercet nudum ministerium in Pœnitentiæ tribunali declarando tantummodo peccata esse remissa, ut autumant protestantes; sed de fide est quod sacerdos vere peccata dimittit potestate propria, licet divinitus accepta, ipsius nempe Christi personam gerens. Hinc Apostolus ajebat II Corinth. V: *Dedit nobis ministerium reconciliationis.* Et Christus non dixit: *Quorum declaraveritis remissa esse peccata,* sed *quorum remiseritis,* id est vera et judiciaria potestate. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum... anathema sit* (sess. XIV, c. 9) (2).

(1) Non abs re erit ægrotum dum mente pollet monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det dum absolutionem quærit, v. g. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet (S. Alph., *Praxis Confess.*, n. 276).

(2) Audiatur Angelicus: « Ad judiciariam potestatem duo requiruntur, scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, et potestas absolvendi vel condemnandi. Et hæc duo dicuntur duæ claves Ecclesiæ, scilicet scientia discernendi et potentia ligandi et solvendi, quas Dominus Petro commisit juxta illud Matthæi XVI: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Non autem sic intelligitur Petro commisisse ut ipse solus haberet, sed ut per eum derivarentur ad alios; alias non esset sufficienter fidelium saluti provisum. »

697. **Principia.** I. Solos sacerdotes esse Pœnitentiæ ministros de fide est contra Waldenses, Wiclephitas ac Protestantes. *Jus hoc,* ait d. Ambrosius, *solum permissum est sacerdotibus* (de Pœnitentia, l. I, c. 2). Christi enim verba, quibus hæc innititur facultas, ad d. Petrum primo, dein ad solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores pertinere universa antiquitas semper agnovit, ut constat ex ss. Patribus, ex omnium Ecclesiarum Ritualibus et constanti praxi — Neque officit pravitas sacerdotum quominus ipsi valide absolvant pœnitentes; nam Sacramentorum virtus est ex meritis solius Christi (vide n. 391). Idque Tridentinum definivit: *Si quis dixerit sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis christifidelibus esse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram,* etc. *anathema sit* (sess. XIV, c. 10).

II. Ut valide absolvat sacerdos præter potestatem Ordinis debet habere potestatem jurisdictionis a superiore tributam (nisi agatur de extrema necessitate, quo in casu Ecclesia jurisdictionem supplet). Est certum et fidei proximum; et contraria propositio (n. 37) Synodi Pistoriensis fuit damnata ut *falsa, temeraria, erronea, et concilio Tridentino contraria.* Hoc sane Sacramentum, ut habet Tridentinum *(sess.* XIV, *c.* 7), institutum est ad modum judicii; judex autem nonnisi in subditos potestatem exercet. Ad rem d. Thomas (2, 2, q. 30, a. 3): *Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis est quæ per aliquam consecrationem confertur; omnes autem consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manente re quæ consecratur; et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quandiu vivit, sive in schisma sive in hæresim labatur.... Potestas autem jurisdictionis est quæ ex hominis injunctione confertur, et talis potestas non immobiliter adhæret.*

Et Suppl. 3 p. q. 8, a. 4: *Sicut ille qui non est sacerdos non potest hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem...; cum enim sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare;* imperium autem dicit jurisdictionem. Ideo episcopalis approbatio ad excipiendas confessiones non est merum idoneitatis testimonium ut contendunt jansenistæ; sed est veræ potestatis ac jurisdictionis ad valide confessiones audiendas collatio.

III. Ubi viget disciplina Tridentini, nullus sacerdos potest sacramenti Pœnitentiæ ministerium valide exercere, nisi aut possideat Beneficium parochiale (vel Coadjutoriam titularem in cura animarum) aut ab Episcopo, vel ab habente jurisdictionem episcopalem, sit ad Confessionem de facto approbatus — Approbatio petita et negata licet sine causa, non sufficit; sed requiritur, ut reapse concedatur. Quæ approbatio seu jurisdictio requiritur etiam pro Regularibus ad audiendas Confessiones sæcularium, nisi sint de eorum familia (1).

IV. Approbatio danda est ab Episcopo loci, in quo Confessiones excipiuntur; non ab Episcopo pœnitentis. Ita fert præsens Ecclesiæ disciplina, universalis praxis, et firmatur Bulla Innocentii XII *Cum sicut,* et Benedicti XIV *Apostolica indulta.* Hanc autem approbationem Episcopus etiam per alios potest tribuere; cum non importet actum Ordinis.

V. Episcopus potest jurisdictionem confessariis semel tributam ad libitum valide revocare vel restringere quoad tempus, locum et personam, quin teneatur rationem reddere; cum id omnino pendeat ab ejus voluntate. Et etiam licite cum causa, ut si major desideretur scientia in approbato; si timeatur ne semel habita perpetua approbatione, ipse studium negligat; item ad experiendum quomodo se gerat in excipiendis confessionibus *(S. Alph.*, l. VI, n. 548).

VI. Potest Episcopus examinare parochos et rectores animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia. Ad dictum autem examen faciendum, necesse non est ut judiciales probationes imperitiæ præcedant; ex S. Concilii C. Multo magis poterit cæteros confessarios iterum examinare (v. Benedictus XIV, *Notificatione* IX; Scavini, l. III, n. 472).

698. **Quotuplex jurisdictio confessarii.** Duplex est audiendæ Confessionis facultas: ordinaria atque delegata.

Ordinaria est quæ alicui competit ratione officii, quod ei fuit demandatum, cuique adnexa est animarum cura, ut sunt Papa, Episcopi, sede vacante Vicarii capitulares; Archiepiscopi cum visitant subditos suffraganeorum; Prælati Religionum, ac Parochi, et Coadjutores titulares in cura animarum.

Delegata est quæ alicui legitime confertur ab habente ordinariam. Excipe Parochos, tanto magis coadjutores in cura

(1) Approbatio a jurisdictione proprie distinguitur; nam illa est tantum judicium idoneitatis; hæc vero est delegata facultas audiendi confessiones. Hodie tamen promiscue usurpantur, cum uno eodemque actu plerunque ab Episcopis conferantur; vel semel obtenta approbatione, tribuatur jurisdictio.

animarum qui quidem omnes non possunt aliis conferre facultatem Confessiones audiendi neque in ipsa Parœcia, etsi gaudeant potestate ordinaria; tum quia eorum potestas limitatur ad nudam administrationem; tum quia post Tridentinum hæc facultas nonnisi ab Episcopo, vel ab ejus vices gerente tribui valide potest (1).

699. Qui non habet nisi delegatam jurisdictionem, ea uti non potest extra propriam Diœcesim. Sed qui gaudet ordinaria, proprios subditos absolvit etiam extra Diœcesim suam; et sunt Episcopi, parochi, idem dicunt de Pœnitentiario; cum ipse habeat a jure et a Tridentino jurisdictionem, et sit veluti Parochus totius Diœcesis. Quod tamen non currit de Vicariis foraneis, licet Parochi sint; quia exceptis propriis ovibus, in alias Vicariæ oves non habent, nisi jurisdictionem delegatam; ideo has non possunt extra Diœcesim audire.

700. Vicarius generalis Episcopi in veriori et recepta sententia habet jurisdictionem ordinariam etiam in foro sacramentali, ita ut possit audire Confessiones, et aliis eas audiendi potestatem concedere. Ratio, quia Vicarius generalis, supposita nominatione Episcopi, jurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus quam in spiritualibus, non ab Episcopo, sed a canonico Jure, quod dicit illum facere unum tribunal cum ipso Episcopo; nisi ab ipso jure sit facta limitatio. Unde liberum est Episcopo Vicarium non eligere; non tamen ejus jurisdictionem, quam tenet a Jure communi coarctare, semel ac ipsum elegerit. Dixi: *nisi ab ipso jure sit facta limitatio,* ut evenire solet quoad casus sibi ab Episcopo reservatos, a quibus sine speciali commissione Vicarius nequit absolvere nec per se nec per alium: commune est *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 558).

701. **De Jurisdictione delegata.** Delegata jurisdictio acquiritur tum ab homine, tum a jure. *Ab homine,* quando Ordinarius illam alteri committit, vel alteri licentiam concedit confessarium sibimet eligendi (2). *A jure,* quando jus vel legitima consuetudo certis personis permittit, ut absolvant; aut ut ab electo confessario ubique absolvantur.

(1) Parochus per se loquendo pro suo tantummodo oppido esset approbatus, ut definitum refert Giraldi a S. C. C. Attamen hodie fere ubique vel consuetudine legitima, vel ex concessione et Parochi et Coadjutores titulares in cura animarum, et Vice-parochi, quoadusque hoc munere funguntur, pro tota Diœcesi valent confessiones excipere. At cessante illorum munere, facultas expirat; et indigent Literis Patentibus uti simplices confessarii.

(2) *An* (quæres) *valide absolvat, qui mittit nuntium Episcopo pro confirmatione facultatis, et eo tempore quo certo præsumit esse obtentam facultatem, absolvit licet nondum redierit nuntius?* Affirma: quia hic illius personam repræsentat. Agit tamen illicite, cum Sacramentum nullitatis periculo exponat: posset enim Episcopus confirmationem negare; vel ex accidenti non potuisset ipse Episcopus inveniri. Aliter esset, si certo sciat Patentes renovatas esse; valide tunc et licite confessiones audit, etsi illas nondum acceperit. V. Alasia, et Bertagna, *De casuum reservatione.*

Hoc autem privilegium habent: 1) Ex *consuetudine* Reges et Principes; sed pro se tantum, et modo supremo gaudeant dominio. Item domestici Pontificis; et Cardinales, qui præterea Romæ degentes possunt etiam propriæ familiæ approbatum confessarium eligere — 2) Ex *jure* Episcopi, etsi sint tantum Titulares seu in partibus, et quamvis nondum consecrati, modo confirmati. Item Prælati exempti, Prælati regulares et Abbates, etc. Qui tamen privilegio gaudet eligendi sacerdotem cui velit confiteri, non potest eligere nisi approbatum ad confessiones, vel parochum illius Diœcesis, in quo vult confiteri. Excipe nisi agatur de Episcopo cum jurisdictione, qui potest eligere sacerdotem non approbatum modo suum subditum; nam illum requirendo censetur ipsum approbare *(S. Alph.*, l. VI, nn. 544, 565).

Amittitur autem delegata jurisdictio: 1) Per *revocationem* superioris, qui illam tribuit; per quas causas enim res nascitur, per easdem solvitur — 2) *Morte* delegantis (vel ejus cessatione ab officio), si tamen delegatio sit limitata seu particularis, v. g. de audienda tantum alicujus personæ confessione, neque hæc confessio adhuc sic incœpta. Si enim delegatio sit generalis, communis sententia et praxis est, eam non extingui per delegantis mortem; nam ex adagiis: *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.- Gratia facta non expirat per mortem concedentis.* Ideo post mortem Episcopi vel ejus renuntiationem aut translationem simplices confessarii nova approbatione non indigent, sed illorum facultas durat usque ad tempus ipsis determinatum (1).

702. **Principia.** Quoad Pœnitentiæ sacramentum quis alteri fit subditus pluribus modis:

I. Ratione *domicilii* vel *quasi-domicilii*, ut patet. Sic qui in aliena Diœcesi in perpetuum vel majori anni parte habitare intendunt, cum fiant subditi, valide absolvuntur a confessariis illius Diœcesis.

II. Ratione *privilegii status.* Hoc ex Constitutione *Superna* Clementis X, contingit novitiis et ipsis famulis regularium, etsi

(1) Item est si facultas concessa sit *ad beneplacitum Sedis*, quæ non moritur; vel *donec revocavero;* tunc enim requiritur actus revocationis. Ita communiter. Aliter dicendum si facultas concedatur cum clausula *usque ad beneplacitum nostrum,* vel *donec voluero*, vel *ad arbitrium nostrum*, vel *dum nobis placuerit;* per mortem concedentis vel ejus cessationem ab officio jurisdictio extinguitur; cum voluntas *seu beneplacitum* personæ illam comitetur; ideo extincta persona, et facultas extinguitur (s. Alph., *Ho. ap.*, tr. XVI, n. 82).

Attamen S. Congr. Episc. et Regul. 19 junii 1806 putat per formulam *ad beneplacitum nostrum,* morte concedentis jurisdictionem non extingui.

sæcularibus; si tamen sint veluti de familia, id est diu noctuque in domo maneant ibique nutriantur. Qui possunt a confessariis regularibus absolvi, etiam sine Episcopi approbatione.

III. Ratione *consuetudinis legitimæ*. Hac ratione qui pergunt in alienam Diœcesim etiam sine animo contrahendi domicilii aut quasi-domicilii, a quolibet confessario ibidem approbato absolvi possunt a peccatis; nisi discessio a propria Diœcesi sit in fraudem reservationis. Neque proprius Episcopus illos potest prohibere; hodie enim isti non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum; sed ex voluntate ipsius Ecclesiæ, quæ talem universalem consuetudinem approbat *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 580).

IV. Ratione *erroris communis cum titulo colorato;* tunc jurisdictionem supplet Ecclesia ob bonum commune. Dictum est: 1) *Erroris communis,* id est omnium vel fere omnium in loco, ubi excipitur Confessio, si nempe credant talem sacerdotem habere jurisdictionem — 2) *Cum titulo colorato,* quod evenit, quando titulus est quidem nullus, sed vere in præsentiarum existens coram hominibus, id est collatus a legitimo superiore, et ideo præseferens speciem veri tituli; sed ob aliquem latentem defectum invalidus, uti si quis obtinuerit et teneat titulum Parochi; sed invalide ob latentem simoniam (1).

V. Ratione *articuli mortis,* ne quis pereat hac occasione. Imo id valet (in sententia veriori et communissima) etiam quando agitur de solo mortis periculo; jura enim non distinguunt *(D. Thomas,* Suppl. q. 8, a. 6)* (2).

703. Si in mortis periculo adest confessarius approbatus, non potest valide absolvere simplex sacerdos, ut communissime tradunt; nam habet Rituale: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscunque censuris et peccatis absolvere.* Et sane tunc cessat

(1) An autem Ecclesia suppleat jurisdictionem cum solo errore communi, sine titulo colorato seu tantum cum titulo putativo (id est si non sit obtentus, sed falso credant illum adesse), alii non improbabiliter affirmant eadem ratione boni communis. Alii vero communius negant; nam sacerdotes impii tunc sumerent occasionem se confessarios simulandi et fideles seducendi. Quod probant ex S. C. Congr. *(S. Alph.*, l. VI, n. 572; *Scarini*, l. III, n. 479).

(2) « *Articulus mortis* (ait Stapf) ille dicitur, quo mors certo vel saltem probabilius proxime secutura prævidetur. *Periculum mortis* adesse censetur dum prudens timor, seu solidum dubium mortis proxime secuturæ occurrit, eo quod in ejusmodi casibus frequenter accidat, v. g. in gravi morbo, tempore pestis, difficili partu, in prælio, in longa navigatione, in operatione chirurgica ardua. Idem dic de illo qui est in probabili periculo incidendi in amentiam; et de captivis apud infideles cum exigua spe libertatis, si credantur nullos alios sacerdotes habituros etc. »

tota ratio, ob quam ipsi facultas data est. Ab hac sententia per se loquendo judico non recedendum, maxime ob auctoritatem Ritualis R. Hinc recte dicit Billuart (utcunque contraria sententia in se spectata probabilis sit) ex verbis Ritualis hanc *esse certam, et ideo in praxi tenendam.* Confirmatur ex Catechismo Romano; imo sunt qui tenent id fuisse declaratum a Gregorio XIII (1). Excipe tamen:

I. Si approbatus nollet, vel non posset facultate sua uti, vel non esset approbatus in illa Diœcesi. Vel si approbatus, sit complex in peccato turpi cum pœnitente ex Benedicto XIV.

2. Si moribundus ita horreat manifestare sua crimina confessario approbato, ut sit in periculo confitendi sacrilege, uti si sit suus inimicus, consanguineus: quod valde consonum esse benignitati matris Ecclesiæ docent cum d. Thoma. Item si infirmus nequeat confiteri approbato sine magno incommodo.

3. Si approbatus superveniat, Confessione incœpta apud non approbatum; quia judicium semel inchoatum compleri debet. Item commune est, quod possit hodie simplex confessarius iterum excipere Confessionem infirmi, qui heri ob morbi gravitatem non potuit integre confiteri, etsi hodie jam expiraverit ejus facultas audiendi Confessiones: causa enim semel incœpta, generatim durat delegati potestas, donec terminetur *(S. Alphonsus,* l. VI, nn. 562, etc.).

704. Certum est autem, quod sacerdos intrusus, hæreticus, schismaticus, excommunicatus, suspensus si vitandus, invalide absolvit extra necessitatis casum; nam ipso jure jurisdictione privatur. At si agatur de moribundo absolvendo (alio sacerdote deficiente) indubitatum est ipsum (si sit verus sacerdos), etsi abscissum ab Ecclesiæ communione absolvere posse valide et licite; semper enim urget ratio, ne hac occasione quis pereat. Hoc declaravit Pius VI; et ex Rituali tunc absolvere potest *quilibet sacerdos (S. Alph.,* l. VI, n. 560).

705. **Jurisdictio probabilis tantum.** Quando communis doctorum opinio est, confessarium habere jurisdictionem quoad aliquem casum, nonnulli absolute negant ipsum posse absolvere; quia in Sacramentis non licet uti opinione probabili. Alii absolute affirmant, si opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate; nam tunc ex universali consuetudine absolutio dari solet; porro consue-

(1) Tridentinum utique ne aliquis pereat statuit, *ut nulla sit reservatio in mortis articulo; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt* (sess. XIV, c. 7). Sed prout patet ex contextu et ex S. Concilii Congregatione penes Fagnanum, Concilium loquitur de sacerdote qui etiam confessor est, sed non habet facultatem quoad peccata reservata; cui quidem in articulo mortis datur, ut ab illis quoque absolvat moribundum, etiam præsente confessario approbato pro ipsis reservatis; cum tunc omnis reservatio cesset ex antiqua consuetudine ac canonico jure.

Si autem pœnitens sit innodatus censura reservata vide t. I, n. 513.

tudo tribuit jurisdictionem. Verum ego distinguendum puto cum Suarez Elbel, Sporer, etc. (qui certo non sunt auctores suboscuri): id licitum est si adest gravis causa necessitatis, aut magnæ utilitatis, vel causa rationabilis; secus non. Ratio, quia etsi Ecclesia ob bonum animarum bene censeri possit supplere jurisdictionem; tamen id non præsumitur, nulla gravi causa accedente. Cum autem hic non omnes conveniant theologi, merito dubitatur an adsit talis consuetudo, quam innuunt, ita ut ea sola sufficiat sine gravi causa. Quæ censetur adesse:

1) Si urgeat præceptum annuæ Confessionis, nec alius adsit confessarius, qui certa gaudeat jurisdictione — 2) Si pœnitentes indigeant auxilio talis confessarii — 3) Si pœnitens deberet complicem patefacere alium adeundo, vel secus remanere debeat in mortali — 4) Si confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem tantum, timeat ne pœnitens apud alium sacrilege confiteatur. Hæc porro causæ satis claræ sunt; neque anxietatibus locum præbent *(S. Alph.*, l. VI, n. 573).

706. **Jurisdictio præsumpta.** Si præsumptio consensus illius qui jurisdictionem tribuere potest, fundatur in signis, quæ indicant consensum præsentem, v. g. si sacerdos, quem constat non habere jurisdictionem, confessiones excipiat, præsente et sciente nec contradicente Episcopo (qui facile valeat obsistere) sufficit; esset tacite concessa, seu consensus haberetur expresso æquivalens.

Si vero indicant tantum consensum de futuro, non sufficit, v. g. si certo scias superiorem consensurum, si resciret te confessiones audire; quia consensus futurus non præbet jurisdictionem pro tempore præsenti. Neque illud potest postea ratum haberi; quia valor Sacramentorum nequit suspendi. Item neque sufficit solus internus consensus, cum jurisdictio sic communicari non possit hominibus; sed est manifestanda cui tribuitur *(S. Alph.*, l. III, n. 700; l, VI, n. 236).

Imo vel ipsa tacita approbatio sufficere potest, si certe ex circumstantiis colligatur; uti si missionarius extraneus ab Episcopo advocetur ad Missiones agendas in parœcia suæ diœcesis; eo ipso approbatus censetur ad confessiones etiam excipiendas. *Gury*, Casus conscientiæ, *n.* 537.

707. **Navigantium absolutio.** A Sancto Officio responsum fuit 17 martii 1869: *Posse sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum unde naves solvunt approbari, ita ut itinere perdurante fidelium secum navigantium confessiones valide et licite accipere valeant, usquedum perveniant ad locum, ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit. Cavendum tamen ab ipsis Ordinariis, ne ejusmodi facultatem tribuant sacerdotibus qui idonei non fuerint recogniti ad tramites Tridentini sess.* XXIII *de Ref., cap.* 15. Quæ resolutio fuit approbata a Pio IX.

708. **Absolutio militum.** Capellani militum, secluso Pontificis privilegio, indigent approbatione Episcopi loci, ut milites absolvant. Excipiunt si milites sint in itinere et in castris, ex tacito consensu Episcoporum, ut habet consuetudo universalis. *Bouvier* et *Bouix*.

Art. 1. — De Reservatione.

709. **Casuum reservatio.** Reservatio *est restrictio potestatis absolvendi a certis peccatis, facta tamen potestate absolvendi ab aliis.* Finis reservationis est, ut atrociora crimina gravius

puniantur, et facilitas ea committendi arceatur; cum pro illorum absolutione fieri debeat recursus ad superiorem. Curent autem omnes confessarii casus reservatos in sua diœcesi fixos in mente habere, ne culpabiliter propriæ jurisdictionis limites excedant *(S. Alph.*, l. VI, n. 578).

710. **Principia.** I. Est in Ecclesia potestas casus reservandi prout definivit Tridentinum (sess. XIV, can. 11): *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit* (sess. XIV, c. 11). Adde damnationem Synodi Pistoriensis (proposit. 44), quæ reservationem habebat ut *improvidum ligamen* — Ad rem d. Thomas: *Potestas Ordinis, quantun est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda; sed quia ad usum hujusmodi potestatis requiritur jurisdictio, quæ a majoribus in inferiores descendit; ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus judicium inferiori non committit* (Suppl. q. 20). Hæc autem reservatio antiquitate commendatur; exempla suppeditant Martenius et Thomasinus (1).

II. Habent hanc potestatem qui ordinaria in utroque foro gaudent jurisdictione; qui sicut illam conferre possunt, ita et limitare. Hinc Papa reservare potest casus pro tota Ecclesia; Episcopus pro sua Diœcesi, aliique qui illam jurisdictionem habent erga proprios subditos *(Quoad Regulares*, t. I, n. 300).

III. Ordinarie non censentur reservata, nisi peccata *mortalia* ratione objecti vel malitiæ. *Consummata*, ideo non sufficit simplex attentatio. *Externa*, id est ut præter interioris voluntatis malitiam, adsit actio etiam exterior secundum se gravis. *Certa;* id est certo perpetrata, cum res sit odiosa (2).

(1) Præstat prout monet Benedictus XIV *(De Synodo*, l. V, c. 5), ut pauca (v. g. decem vel ad summum duodecim), et quidem graviora crimina reserventur, ne confessariorum et maxime parochorum potestas nimium coarctetur — Quod item currit de censuris, ne contingat eas *magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem*, si sobrie non ferantur, ut monet Tridentinum, sess. XXV, c. 3 *de R.* Cæterum semel latæ censuræ vel reservati casus, pauci sint vel multi, conscientiam ligant et frustra de eorum liceitate disputatur, cum nostrum sit superiorum mandatis obtemperare *(Scavini*, l. I, n. 943).

(2) In aliquibus diœcesibus ad incurrendam reservationem ætas etiam requiritur 15 annorum completorum. Quid si quis confiteatur illa ætate completa, peccatum quod commisit ante illam? Alii cum Alasia censent illud a quolibet confessario absolvi posse; quia ætas superveniens non afficit actionem jam præteritam; lex non respicit retro. Sed alii cum Possevino negant, nisi ab Episcopo clare sit tributa facultas; nam in absolutione reservatorum est attendendum tempus quo datur absolutio, cum reservatio directe afficiat confessarium Ita etiam *Resolutio casuum sub Lambertini, postea Benedicto XIV.*

IV. Cum reservatio confessarii jurisdictionem limitet, ipsum immediate afficit; et ideo nonnisi indirecte et per consequens attingit pœnitentes (*S. Alph.*, l. VI, n. 600).

711. **Resolve**: 1) Qui certus est illud genus peccati, quod commisit, esse reservatum; sed dubitat, an in eo committendo mortaliter peccaverit, puta defectu advertentiæ, reservationem non incurrit: quia hæc est res strictæ interpretationis.

2) Si pœnitens certus est se mortaliter peccasse, sed dubium sit, an illud peccatum cadat sub reservationem, communiter et probabilissime dicunt reservationem non adesse, nisi reservatio etiam hos casus expresse reservet. Ratio, quia reservatio est stricte accipienda: quod item dicendum si confessarius dubitet an possit absolvere; possidet enim ejus jurisdictio.

3) Si pœnitens commisit peccatum reservatum, invincibiliter reservationem ignorans, an ipsam incurrat, negandum est si agatur de casibus Papalibus, quia isti omnes (si excipias falsam accusationem de sollicitatione, aut acceptationem donorum a regularibus ex dicendis) principaliter et generatim reservantur propter censuram, a qua excusat ignorantia; ideo censura non incursa ob ignorantiam, peccatum non amplius est reservatum.

Si vero agatur de casibus Episcopalibus qui reservantur principaliter ratione sui, non vero censuræ (etsi forsan hæc illis adnectatur), alii non pauci negant incurri reservationem; quia hæc habet rationem pœnæ, a qua excusat ignorantia. Verum sententia cui subscribo et communissima affirmat (nisi Episcopus aliter statuat); nam reservatio casuum ex se respicit potius confessarios quos privat jurisdictione, quam pœnitentes. Et ideo non est pœna immediate pœnitentes respiciens; sed jurisdictionis restrictio directe respiciens confessarios (*S. Alph.*, l. VI, n. 581) (1).

712. **Casus R. Pontifici reservati.** Casus Papæ reservati absque censura sunt duo: 1) Est in illum, qui calumniose accusat per se vel per alios de sollicitatione sacerdotem inno-

(1) Negari tamen non potest contrariam opinionem satis esse probabilem tum ratione tum auctoritate. Hinc concludit Resolutio Patavina in Const. *Apostolicæ Sedis:* « Vel stat veritas cum primis theologis et tunc confessarius cum plena jurisdictione absolveret; vel veritas est cum patronis secundæ sententiæ, et tunc Ecclesia certe suppleret jurisdictionem in confessario absolvente cum jurisdictione vere probabili. » Adderem cum s. Alphonso: *sed nonnisi quando adest causa gravis necessitatis aut magnæ utilitatis* (l. VI, n. 573).

Est autem monendus pœnitens pro futuro de peccato reservato, ut magis ab illo removeatur. Neque relinquendus in sua ignorantia; nam jam est reus formaliter peccando; ideo sciat et gravitatem sui peccati et absolutionis difficultatem.

centem, ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV: qui proinde ab alio absolvi nequit nisi in mortis articulo — 2) In eum qui recipit dona a Regularibus utriusque sexus in materia gravi; etenim si potest confestim restituere, nequit absolvi nisi prius restituerit, et quidem *totum* prorsus, si donum valeat plus quam decem scutas (seu, ut ajunt, libellas quinquaginta quatuor circiter); secus *partem* arbitrio Majoris Pœnitentiarii (1). At si non potest, absolvendus est, dummodo promittat se quamprimum restituturum. Sed huc non veniunt quæ dantur ad devotionem, vel ob præstita servitia cum licentia (remunerare enim pertinet ad virtutem). Item neque si tribuantur res medicinales, imagines, rosaria, devotionis libelli, dummodo parvi valoris *(S. Alph.*, l. VI, n. 580) (2).

713. Casus autem cum censura latæ sententiæ Pontifici reservati duplicis sunt generis. Alii *speciali modo* reservantur Pontifici, a quibus nemo sine specialissima ac specifica quoad ipsos casus delegatione, quocunque privilegio sit donatus, potest absolvere. Alii Papæ reservantur *simpliciter*, a quibus valent aliquando absolvere Episcopi vi Juris communis (ex dictis de censuris t. I, nn. 563 et seqq.).

714. **Casus Episcopis reservati.** Casus Episcopis reservati sive ratione sui sive ratione censuræ jure proprio seu Diœcesano habentur in peculiaribus Statutis cujuscunque Diœcesis.

Casus vero Episcopis Jure communi ratione censuræ reservati plures sunt. Nempe ipsi valent absolvere: 1) Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes. Nec non omnes præsumentes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium attentare — 2) Procurantes abortum, effectu secuto — 3) Literis Apostolicis falsis scienter utentes; vel huic crimini cooperantes — 4) Leviter etsi publice clericos percutientes — 5) Episcopi item facultatem habent ex cap. *Liceat* Tridentini Concilii absolvendi a casibus papalibus occultis, exceptis tamen speciali modo reservatis. Item possunt absolvere ab omnibus censuris sive occultis sive notoriis eos, qui Romam petere nequeunt, ut sunt

(1) Clemens VIII, Const. *Religio;* Innocentius XII, Const. *Ad radicitus;* et Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus.*

(2) Cardinali Urbis Romæ Vicario duo reservantur casus: 1) Peccatum illorum qui non communicant intra quindenam paschalem. 2) Est de illis qui vendunt aut emunt schedulam *(biglietto)* receptæ Communionis paschalis. Hi excommunicationem ipso facto incurrunt, quæ cum sit particularis seu Romam tantum respiciens per Constit. *Apostolicæ Sedis* non fuit abrogata. *Cretoni.*

senes, impuberes, infirmi, carcere detenti, etc. (vide t. I, nn. 513, 561).

715. **Absolutio a reservatis**. Generatim a reservatis valide non potest absolvere nisi ipse reservans, ejusque superior in jurisdictione spirituali, ac ille cui reservans vel ejus superior facultatem hanc delegaverit. Imo ex Const. *Apostolicæ Sedis* qui sine facultate extra necessitatis casum, quovis prætextu absolvere præsumpserit ab excommunicationibus speciali modo Pontifici reservatis, excommunicationem incurrit Pontifici reservatam (t. I, n. 559) — Dixi *generatim;* nam confessarius simplex (qui scilicet non habet hanc absolvendi facultatem) aliquando valide absolvere potest.

Et 1° confessarius simplex, vel præsente superiore, potest omnes directe absolvere in articulo aut periculo mortis. In eo enim, dicente Tridentino, *nulla est reservatio, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Unde si infirmus ab inferiori sacerdote absolutus iterum convalescat, non amplius tenetur recurrere ad superiorem, ut iterum absolvatur, si res sit de reservatis sine censura (*v. t.* I, *n.* 513).

2° Confessarius simplex ex communi sententia potest etiam absolvere pœnitentem qui nequit adire superiorem, vel alium qui hac facultate gaudet, si causa urgeat, v. g., ut vitet scandalum vel infamiam, ut satisfaciat præcepto paschali; ne diutius perseveret in mortali; vel si alias agere deberet longum iter: et hoc quamvis peccatum sit reservatum cum excommunicatione. Secus reservatio non esset *in ædificationem*, ut ait Tridentinum, sed *in destructionem.* Idque confirmat Benedictus XIV, ut refert Panzuti.

Quia tamen idem Concilium declaravit confessarios simplices *extra articulum mortis nihil posse in reservatis;* ideo dicendum in hoc secundo casu absolutionem nonnisi *indirecte* tribui: quare in communiori et probabiliori sententia tenetur pœnitens alia mortalia non reservata confiteri ut directe ab iis absolvatur, et indirecte a reservatis, ut confessio fiat saltem formaliter integra, quando materialiter fieri nequit. Cessante vero impedimento, tenetur pœnitens se præsentare superiori, ut directe absolvatur; secus reincidit in illa (*S. Alph.*, l. VI, n, 585) (1).

716. Est tamen probabile, quod talis pœnitens qui confitetur

(1) Quod si pœnitens non habeat nisi reservata, vide supra n. 520.

non habenti facultatem in reservata, non teneatur hæc confiteri, nisi illorum manifestatio sit necessaria, ut confessarius possit recte judicare de dispositione pœnitentis et opportuna remedia suggerere; et tunc illa manifestare tenetur, confessario interrogante: *Etiamsi sacerdos*, ait d. Thomas, *non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ agnoscat* (Suppl. q. 9, a. 2).

717. *Resolve:* 1) Sunt qui affirmant quemlibet confessarium posse absolvere peregrinum seu subditum alterius Diœcesis habentem peccatum reservatum in Diœcesi confessarii, si illud non sit reservatum in patria pœnitentis. Ratio est (ut dicunt), quia confessarius ille absolvit hunc pœnitentem jurisdictione indirecte communicata ab ejus Episcopo (nam jurisdictio dari debet a superiore ejus, qui absolvendus est). Porro cum Episcopus pœnitentis peccatum sibi non reservaverit, non est cur confessarius nequeat ab illo absolvere — Attamen longe probabilior, tenenda et vera sententia negat. Hodie peregrini non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum; sed ex voluntate Ecclesiæ, quæ generalem consuetudinem vigentem approbando (quod nempe ipsi ubique a quocunque confessario approbato absolvantur), tribuit facultatem, ut ipsi habeantur quoad absolutionem a peccatis uti incolæ loci, ubi confitentur. Cum autem reservatio respiciat confessarios, non pœnitentes, confessarius loci nequit eos absolvere a peccato, in quo sibi limitata est jurisdictio *(S. Alph.,* l. VI, n. 588) (1).

2) Quilibet confessarius potest absolvere peregrinum irretitum peccato quod reservatum est solummodo in patria peregrini, non in loco Confessionis, ex veriori et communissima sententia; reservatio enim ex dictis directe afficit confessarium. Ideo quando non est ligata confessarii jurisdictio, illa uti valet quoad omnes qui coram se sistunt. Sed excipe: 1) Ex Bulla *Superna* Clementis X, si pœnitens a sua in alienam migraret

(1) Quæ sententia firmatur ex sequenti S. Sedis responso: « Titius sacerdos ad tribunal Pœnitentiæ accedens, peccata exponit partim simpliciter reservata partim etiam cum censura episcopali in Diœcesi confessarii. Dolet hic et humaniter admonet fratrem, ut se sistat habenti facultatem. Sed ille instat pro absolutione et dicit: *Quod confessor cum non sit judex opinionum, potest et debet absolvere pœnitentem, qui vult sequi opinionem non solum probabilem, sed etiam communissimam inter theologos antiquos et viventes.* Confessor firmus in sua sententia non acquiescit, et inabsolutum dimittit pœnitentem.

Quæritur 1. *Utrum confessor bene se gessit?* 2. *Potest semper in casu ita se gerere?* S. Pœnitentiaria 21 nov. 1873, consideratis expositis, respondit: *Ad utrumque affirmative.* » (Vide *Vindiciæ Alph.* Ed. 2ª, t. II, pag. 151).

Diœcesim *in fraudem reservationis,* nempe (uti probabilius ac communius explicant) si pœnitens eo unico fine principali proficiscatur, ut alibi facilius absolvatur, et proprii pastoris judicium aufugiat: tunc elusoria redditur lex — 2) Si sit innodatus censura reservata; nam facultas simplicis confessarii absolvendi a censuris est tantum pro non reservatis *(S. Alph.,* l. VI, n. 589).

3) Peregrinus peccans in aliena Diœcesi, ubi casus est reservatus cum censura, ligatur reservatione tantum, si ibi velit confiteri; cum reservatio afficiat confessarium. Quoad censuram vero adnexam non videtur, per se loquendo, eam incurrere; quia censura non potest ferri, nisi in subditos: et peregrini constituantur subditi ratione Confessionis, non tamen ratione censuræ incurrendæ (*S. Alph.*, l. VI, n. 534).

4) Si pœnitens confiteatur confessario approbato pro reservatis, sed inculpate obliviscitur confiteri reservatum, potest postea absolvi directe a quocunque confessario, illud ei declarando: 1) Si præsumi possit, voluisse superiorem auferre omnem reservationem, v. g. si expresserit se velle pœnitentem liberare a quocunque vinculo. 2) Si pœnitens confessus sit in Jubilæo; quia tunc pœnitens habet, ut possit absolvi a reservatis a quocunque confessario. Hisce exceptis, probabilius negandum (etsi contrarium videatur etiam probabile); nam ad auferendam reservationem requiritur ut peccatum subjiciatur judicio ac sententiæ superioris; ad hoc porro requiritur, ut superior illud noscat *(S. Alph.,* l. VI, n. 597).

5) Si pœnitens confessus quidem sit confessario pro reservatis approbato peccatum reservatum, sed illa confessio fuerit inculpabiliter nulla (in probabiliori sententia) reservatio tollitur; nam ex una parte superior intendit absolute pœnitentem liberare tam a peccato, quam a reservatione; ex alia pœnitens subjecit superiori peccatum, et ab eo pœnitentiam recepit.

Si vero confessio sit culpabiliter nulla seu sacrilega, negant alii valde probabiliter cum Concina, reservationem tolli; neque enim præsumendus superior velle, ut pœnitens ex sua iniquitate commodum reportet, id est a reservatione liberetur. Alii vero cum Suarez communius et non improbabiliter affirmant; quia alius est finis confessionis, qui est remittere peccatum; alius finis directus reservationis, qui est subjicere superiori vel delegato ad pœnitentiam et redarguitionem; subjicitur autem. Ideo si ob sacrilegium non remittitur peccatum, tollitur reservatio.

Excipiunt tamen casum, quo pœnitens non habeat animum

vitandi reservatum, vel pœnitentiam ideo injunctam implendi; tunc directe fraudaretur primaria reservationis ratio. Item excipe si agatur de Jubilæo; qui enim sacrilege confitetur, non habet sinceram illud consequendi voluntatem prout præcipitur *(S. Alph.,* l. VI, n. 597).

718. *Casus.* In pervigilio cujusdam solemnitatis duo pœnitentes confitentur Ambrosio simplici confessario. Illorum primus confessus est peccatum reservatum Episcopo; absolutus tamen discessit eo quod confessarius dum eum disponebat ad absolutionem, non amplius de reservatione cogitavit. Pœnitentem alterum vero absolvit scienter, etsi noverit habere peccatum reservatum, ne eum fraudaret Indulgentia plenaria, quam ille lucrari optabat.

R. Quoad primum pœnitentem, si præter peccatum reservatum attulit aliud peccatum saltem a præcedenti vita non reservatum, valida est absolutio; nam quamvis confessarius careret jurisdictione in peccatum reservatum, non ideo carebat quoad alia non reservata. Hinc si pœnitens erat in bona fide, valide fuit absolutus directe quidem a non reservatis, et indirecte a reservato; et hoc peccatum satis erit si in alia confessione clavibus Ecclesiæ submittat, si de hoc in cognitionem veniat, illud declarando habenti jurisdictionem in reservatis. Quod si nullum aliud peccatum attulit præter reservatum, invalide absolvitur; nam ex una parte confessarius jurisdictione caret, ex alia non est cur Ecclesia suppleat, cum agatur de errore prorsus privato, et incommodo articulari. Bona autem fides liberat a peccato, at non supplet jurisdictionem.

Quoad secundum pœnitentem, absolutio data et illicita et invalida videtur ob defectum causæ gravis ad eam impertiendam; pia enim voluntas lucrandi Indulgentias non est illa gravis necessitas dandi absolutionem, ut exigunt theologi. Attamen si pœnitens et confessarius sint in bona fide, de confessarii imperitia equidem dolerem; sed starem pro absolutionis validitate, si pœnitens declaraverit materiam aliquam non reservatam. *Resolutiones Patavinæ.*

719. **Recursus pro absolvendo a reservatis.** Litera ad Episcopum pro obtinenda facultate, mittitur hoc modo, vel alio simili, sed latino idiomate:

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius (vel *Titia) incidit in casum reservatum in* Tabella Diœcesana *sub n... Facti ipsum* (vel *ipsam) pœnitet, et humiliter petit absolvi.*

Faveat Rescriptum dirigere ad me subscriptum confessarium,

Humilissimum Servum,

N. N.

Sub literis *N. N.* ponitur verum confessarii nomen et cognomen, addendo nomen loci quo Rescriptum mittendum; sed reticita persona pœnitentis cujus nomen fingitur. Item sufficit nominare numerum *Tabellæ,* sub quo casus cadit, quin ille exprimatur (1).

(1) Qui obtinuit licentiam absolvendi ab aliquo casu reservato, potest plura peccata in eadem casus specie postmodum commissa absolvere, si nondum facultate usus sit. Cum species, non autem numerus in facultate sit determinatus *(S. Alph.,* l. VI, n. 601).

Art. 2. — De absolutione Complicis, de manifestante et requirente Nomen Complicis.

720. **Absolutio complicis.** Etsi generatim dedeceat, ut quis judicis personam assumat quoad crimen, cujus ipse cum reo particeps fuit, atque ideo expediat generatim loquendo, ne confessarius complicem suum in gravi aliquo peccato ad sibi confitendum denuo excipiat; attamen absolvere complicem si sit extra luxuriæ materiam, non est invalidum: imo neque illicitum, si tamen adsint speciales circumstantiæ; siquidem nulla est lex prohibens.

Dixi: *Extra luxuriæ materiam;* nam confessarii scienter absolventes complicem suum sive virum sive mulierem in peccato turpi, etiam in mortis articulo (si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessionem sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem) et gravissime delinquunt, et illico excommunicationem incurrunt specialissime Pontifici reservatam, ut videre est *t.* I, *n.* 580.

721. Utrum vero valida sit hæc absolutio, distinguendum est: si absolutio data sit extra casum necessitatis, invalida prorsus est. Si vero data sit in mortis articulo, sed extra periculum infamiæ aut scandali, vel quin illud confessarius curaverit avertere, ex Constitutionibus *Sacramentum Pœnitentiæ,* et *Apostolici muneris* Benedicti XIV, erit valida absolutio; sed illicita: ideo adhuc incurritur censura ex Const. *Apostolicæ Sedis.*

722. An autem confessarius possit valide absolvere complicem suum, quin censuram incurrat, si complex jam ab alio confessario valide sit absolutus de peccato turpi, negandum est, si pœnitens solum turpe illud peccatum confiteatur; nam tunc non ponitur materia apta ad Sacramentum, cum de illo peccato directe cognoscere nequeat confessarius, quia complex fuit. Si vero alia quoque peccata confiteatur, pœnitens una cum peccato complicitatis jam remisso, sunt adhuc qui absolutionem nullam dicunt; nam lex quæ omnem absolvendi potestatem abstulit, generalis est, nil distinguens, nil limitans. Verum censeo eo in casu absolutionem validam esse; nam accusatio peccati complicitatis est ut quid mere confessioni impertinens; cum opus non sit, ut illud utpote jam remissum iterum clavibus subjiciatur, ac directe remittatur.

Si vero pœnitens nondum sit de complicitatis peccato valide absolutus, incurritur censura et irrita est absolutio etiam quoad alia peccata; cum aut omnia aut nullum remittat oportet. Id inferimus ex Bulla Benedictina, quæ habet, *adeo ut absolutio nulla atque irrita omnino sit* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 553) (1).

723. **Complicis manifestatio.** Non debet aperiri peccatum, quando id nequit sine manifestatione complicis, si illud sit veniale vel mortale jam remissum; cum tunc nulla sit gravis causa famam proximi prodigendi. Si vero agatur de mortali nondum confesso nec remisso, non pauci cum Innocentio III tenent, quod pœnitens, deficiente confessario cui complex sit ignotus, debeat (donec alius confessarius inveniatur) omittere illam peccati circumstantiam, ex qua complex dignosceretur (2). Præceptum enim de integritate Confessionis est positivum; ideo non est anteponendum gravi præcepto naturali de servanda proximi fama.

Attamen communis evasit sententia contraria, quam sequor cum sanctis Bonaventura, Antonino, Suarez, Lugo, etc., nempe pœnitentem teneri ad confitendum peccatum cum necessariis circumstantiis, etsi cum infamia complicis, si commode non potest quærere alium confessarium, cui sit complex ignotus. Nam manifestatio alieni criminis non est illicita, quando fit ex rationabili causa, ut enim ait Angelicus Doctor: *Homo debet in Confessione famam alterius custodire, quantum potest; sed suam conscientiam magis purgare.* Adde complex, consentiendo in peccato, jam amisit jus ad suam famam in ordine ad confessionem illius peccati. Adde: nonne licet puellæ ad consilium capiendum vel extra Confessionem manifestare dominum suum, qui eam ad inhonesta allicit? (3).

724. Cæterum passim excusant pœnitentem ab alio quærendo confessario:

(1) Qui inadvertenter complicem absolvit, in probabiliori sententia valide absolvit; nam hæc lex est pœnalis, quæ ideo culpam supponit; vide *Acta S. Sedis,* t. IX, Append. 9'; et dicta t. I, n. 582.

(2) Dixi: *Peccati circumstantiam;* non tamen peccatum, si aperiri possit sine tali complicis manifestatione: v. g., si peccasti cum tua sorore confessario nota, debes confiteri copulam habitam cum muliere, tacendo circumstantiam sororis, etsi hæc addat malitiam mortalem incestus.

(3) Quod dictum est de infamia complicis, Alasia, Billuart, Lugo, aliique contra Suarez tradunt etiam de infamia non complicis, v. g. si pœnitens occideret innuptam sororem, ex occulto crimine gravidam, quo in casu ad totum peccatum aperiendum deberet etiam explicare circumstantiam graviditatis criminosæ, utpote duplicis homicidii reus, etsi confessarius fuerit ignarus de criminoso statu sororis. Unde d. Bernardus generatim habet: *De nullo sinistre loquaris, nisi in Confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

1) Si urgeat periculum mortis, aut præceptum annualis Confessionis sive Communionis. Vel si pœnitens sit in peccato mortale, et debeat expectare per diem.

2) Si credatur complex suæ famæ cessisse, v. g. si frater peccasset cum sorore, quam sciat a matris comitatu separari non posse, ut alium inveniat confessarium.

3) Si assueto quotidie celebrare aut communicare, grave sit id omittere; si alias privandus esset Indulgentia; si difficulter alteri confessario conscientiam aperiat propter firmiorem directionem, quam expectat a confessario, cui notus est complex. Ideo sæpe excusantur matres ac uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario, qui eos cognoscit *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 487).

725. **Nomen complicis inquirere.** Benedictus XIV tribus Constitutionibus ad vitandam proximi infamiam, Sacramenti injuriam, sigilli violationem, scandalum, sub gravi prohibuit confessariis nomen complicis peccati exquirere a pœnitente etiam ad finem ipsum corrigendi. Qui *ausus fuerit,* addit Pontifex, *docere licitam esse praxim exquirendi nomen complicis, denunciata nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione; vel scribere aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem,* incidit ipso facto in excommunicationem Papæ simpliciter reservatam.

Ut ergo quis eam incurrat, oportet: 1) Ut doceat hanc praxim esse licitam — 2) Ut doceat utrumque simul licitum esse, et exquirere nomen complicis et reticenti absolutionem denegare, ut patet ex toto prohibitionis contextu — 3) Ut temerarie hæc doceat; dicitur enim *qui ausus fuerit* (1). Quæ omnia confirmantur a Pio IX Constit. *Apostolicæ Sedis,* in qua lata est excommunicatio Pontifici simpliciter reservata: « *in docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in Constit.* Suprema (7 julii 1745), Ubi Primum (2 julii 1746), Ad eradicandam (28 sept. 1746) » — Sunt tamen qui putant ex Constit. *Apostolicæ Sedis* non amplius requiri *temeritatem,* sed satis esse scientiam censuræ; cum dicatur simpliciter *docentes vel defendentes:* unde si adhuc eadem est pœna, minus tamen

(1) Constit. *Suprema* Benedictus XIV gravissimis verbis hanc praxim damnat; Constit. *Ubi primum* præcedentem confirmat et pœnas indicit; Const. *Ad eradicandam* confutat quorundam opiniones qui arbitrabantur præcedentes Constitutiones non obligare extra Lusitaniam, in qua reprobata praxis primum irrepserat.

requiritur ad eam incurrendam. Quod tamen alii negant, nam sine ulla distinctione et absolute dicitur: *Prout* (praxis) *damnata est a Benedicto XIV* (1).

Benedictus XIV præter pœnam suspensionis, ferendæ tamen sententiæ, ab officio audiendarum Confessionum, imponit onus denuntiandi intra 30 dies omnibus qui non quidem ex Confessione propria, sed aliunde novit aliquem confessarium illam reprobatam praxim sequi, ex mala ad illam adhæsione; non vero si egerit ex quadam simplicitate. Quæ obligatio a Benedicto XIV imponebatur sub excommunicatione latæ sententiæ; sed hodie a Pio IX hæc censura sublata est, remanente sola denuntiandi obligatione.

Confessarius qui hanc pravam praxim tantum sequitur, gravissime deliquit, et rem detestabilem facit ex Benedicto XIV, sed non incurrit in censuram, nisi etiam illam licitam tradat ac defendat; nam contra istos tantum excommunicatio lata est — Verum aliter est nomen complicis formaliter exquirere, aliter inquirere circumstantias necessarias ad integritatem Confessionis: etsi ideo complex dignoscatur. Tunc enim ex una parte nonnisi per accidens complex dignoscitur; ex alia vero ex communi sententia potest complex manifestari, si aliter nequeat totum mortale peccatum explicari. Imo aliquando ipse pœnitens tenetur complicem manifestare, v. g. ad damnum innocentis vel publicum avertendum. Attamen ob prohibitionem adeo rigorosam a Pontifice expressam, dico satis esse, si confessarius pœnitenti imponat obligationem manifestandi in foro externo socium superiori, qui damnum valeat impedire. Sed ordinarie non expedit, ut ipse suscipiat in se munus manifestandi vel corrigendi complicem, etsi rogetur a pœnitente *(S. Alph.,* l. VI, n. 492).

Art. 3. — De Dotibus Confessarii.

Habeantur boni confessarii (ajebat s. Pius V), *et cito habebitur omnium christianorum omnimoda reformatio.* Præclara monita pro confessariis habentur apud Scavini, *l.* IV, *n.* 3; quæ præstat, ut ea perattente pervolvantur.

726. **Confessarii dotes**. Eo respiciunt, ut confessarius recte exerceat quadruplex munus quo præditus est, patris, medici, doctoris et judicis. *Pater* est, sit ergo caritate plenus, ut animos erigat pœnitentium. *Medicus* est, malis ergo congruo remedio occurrat. *Doctor* est, custodiat ergo scientiam, ac prudentia et exemplo præfulgeat, ne cæcis ducatum præstet. *Judex* est; causæ igitur momenta cognoscat et fortis sit, ut jus legitimum dicat. Ad hæc munera digne complenda maxime conducit, si locum, habitum, tempus et modum servet in administratione.

(1) *Complicis* nomine hic intelligitur complex in quolibet peccatorum genere, cum lex non distinguat. *Inquirere* autem in confessione nomen complicis est non tantum expresse illud quærere; sed etiam temere ea sciscitare circa locorum ac personarum adjuncta, quæ individuam complicis personam designant.

I. *Locus* magis conveniens ordinarie est Ecclesia. Debitus autem ordo ac dependentia postulant, ut sacerdos approbatus priusquam audiat Confessiones in Ecclesia alteri subjecta, veniam petat ab illius rectore, nisi præsumatur certo ejus consensus, vel agatur de Confessione infirmi cito audienda, quo in casu postea certior reddatur parochus. Mulier autem domi audienda non est, neque extra sedem confessionalem nisi ex gravi causa; id sub pœna latæ suspensionis alicubi prohibetur (1).

II. *Vestis* est cotta et stola (violacea); quibus utatur confessarius, ut habet Rituale, *prout tempus vel locorum feret consuetudo.* Et S. Rituum C. 31 aug. 1867 habet: *Conveniens est ut in Ecclesia adhibeatur stola juxta decreta;* idque Episcopus præcipere potest (Synodus Novariensis absolute decernit, ut cotta et stola in festis publica in sede confessionali adhibeantur).

III. Quoad *tempus*, S. Congregatio Episcoporum statuit: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram.* Necessitate autem urgente, accendantur in Ecclesia lumina.

IV. Quoad *modum* ex d. Carolo et universali consuetudine confessiones audiendæ sunt non stando, sed sedendo; idque postulat dignitas ipsa judicis, nisi aliud obstet.

§ 1. — De Officio Patris, Medici, Doctoris ac Judicis.

727. **Officium Patris.** Confessarius, ut partes impleat boni patris, sit patientia ac caritate plenus erga pœnitentes exemplo Christi Domini, cujus personam gerit, qui non venit vocare justos, sed peccatores.

1. Igitur magnam ostendat caritatem omnes benigne excipiendo sive pauperes sive divites, siquidem apud Dominum nulla est personarum acceptio. Addat animum timidulis: *Eja frater, bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat; nihil refert si in omnes conscientiæ sinus non introspexeris; sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucus-*

(1) Mulier poterit utique etiam domi confiteri, si morbo vel alia satis momentosa causa ab illa egredi impediatur: sed tunc magna erit adhibenda diligentia a confessario; januam (si id fieri potest) apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri potest ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis nunquam defigat, et maxime si sit persona spiritualis ob periculum majoris adhæsionis (S. Alph., *Praxis*, et *Ho. ap.*, tr. ult.; *Scavini*, l. IV, n. 501).

que expectavit. Lætare; Deus omnia peccata tua certe remittet, quantumvis ingentia, si bonam habes voluntatem resipiscendi etc.

2. Majorem caritatem præseferat in pœnitentem audiendo. Caveat ne se ostendat admiratione percelli de peccatis, quæ narrantur; aut ne se exhibeat impatientem, quia pœnitentes sunt fastidiosi, scrupulosi, rudes, in narratione prolixi et recidivi, si eos lucrari velit.

3. Maximam adhibeat caritatem ac patientiam in bene disponendo pœnitentem: ad quod quidem tenetur ex rigorosa obligatione, ex quo illius curam suscepit. Ideo omni studio curet, ut pœnitens percipiat gravitatem peccatorum ac miseriam sui status, ipsum etiam adjuvando (si opus sit) ad verum dolorem efformandum; item curando quoad potest, ut de attrito fiat contritus (1).

Quod quidem facile obtinere potest, ut exemplo probat s. Alphonsus. Et prius per attritionis actum eos præparet, v. g.: « Fili mi, » ubi nunc esse deberes et in æternum? in inferno! Ah in illo igne » semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut » te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus ab omnibus dereli- » ctus, a Deo rejectus per totam æternitatem! Igitur te pœnitet Deum » offendisse, propter infernum quem meruisti? » (Advertendum est non fieri actum attritionis, si quis diceret: *se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum.* Sed opus habet, ut dicat: *Se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum)* — Post curet, ut eliciatur actus contritionis hoc modo: « Fili mi, quid egi- » sti? peccasti in Deum summum et infinitum bonum. Nullam illius » rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab Eo; projecisti Eum » post tergum tuum: contempsisti amicitiam ejus. Eja ergo, quia of- » fendisti Deum bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœni- » tet? Detestare et odio habe super omnia mala omnes injurias » quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam promptus » es millies mori, quam hæc in posterum committere? » *(Praxis Confess.;* et *Opus. mor.,* l. VI, n. 608. *Scavini,* l. III, n. 431).

Hisce omnibus rite peractis, si pœnitens dispositus sit, opportunis correctionibus adhibitis, remediis suppeditatis, ac data congruenti satisfactione, eum absolvat. Quod si omnino sit differenda absolutio, illum humanissimis verbis dimittat, ei adsignans, quoad potest vicinum diem, quo regredi debeat; at raro erit dimittendus pœnitens, nisi agatur de aliqua occasione auferenda, si confessarius visceribus indutus paternæ caritatis illum disponere satagat. Hac de re præcipue arguendi sunt (ut videre est penes Scavini, l. IV, n. 4):

1) « Que' confessori che tutto precipitano divorati dalla smania di far presto: *Il mio confessore,* dicea un penitente, *fa come l'aspa, sempre va; sempre va; dite su, dite su; non altro, non altro!*

(1) Si expertis credere est, non pauci vel ex ipsis qui frequenter confitentur, non satis id curant, contenti, si aliquam doloris formulam materialiter et cursim recitent. Qui proinde excitandi sunt ad veram et formalem peccatorum suorum detestationem ac dolorem; sed hac in re plures deficiunt confessarii non sine maximo pœnitentis damno.

2) » Coloro che sempre, subito e tutti assolvono i loro penitenti perchè interrogati rispondono che non peccheranno più; bella! hanno da rispondere: *che peccheranno ancora?*

3) » Coloro che hanno una doppia misura, trattano con rigore i rusticani e i poveri; ma coi signori e titolati la fanno a buon mercato, pescando nella Teologia *per fas e per nefas* qualche opinione che li favorisca: *Fanno come i compositori, i quali estraggono dalla stessa casella caratteri per un'apologia, e caratteri pel suo contrario.*

4) » Coloro che danno subito in iscandescenza, se i penitenti non hanno fatto ciò che loro avevano imposto, i quali da tale asprezza offesi non si curan più nè di confessore nè di confessione: *Fanno come chi ristora i tetti; tante volte sono più le tegole che rompe che quelle che va rimettendo.*

5) » Coloro che appena udito un grave peccato, con durezza si danno a'rimproveri; alcuni penitenti dicono un peccato o due con peritanza tanto per tastare che impressione fa sul confessore cui guardan di sotto; pronti a ritirarsi, coprire e tacere le più brutte magagne, se fa cattivo viso. *Come la lumaca, la quale ritira le sue corna e si chiude nel suo guscio al primo ostacolo che incontra.*

6) » Coloro i quali se un forestiero li prega della carità di confessarlo, o lo stancano facendolo lungamente aspettare, o lo accolgono di mal umore, o lo rimandono bruscamente, o se la svignano, dando forse l'ultimo tracollo ad un'anima, la quale, vergognando di palesarsi al suo confessore ordinario, cercò inutilmente d'uno sconosciuto confessore. »

« Si il ministero delle Confessioni domanda pazienza e longanimità, e però diceva s. Francesco di Sales: *Si è martire non solo confessando Dio avanti gli uomini, ma anche confessando gli uomini davanti a Dio.* Ma porta pure de' grandi vantaggi allo stesso confessore; egli scorge davvicino le operazioni della grazia; la sua fede si rianima; spesso egli rimane edificato e commosso; talvolta umiliato, incoraggiato ed istruito. E poi Dio non lascia senza ricompensa chi lavora per Lui. Oh dunque abbiam fede; abbiam cura dell'infermo uman genere alle nostre sollecitudini commesso; e quando verrà quello che ha da venire, ci darà la giusta mercede: *Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi* (Lucæ x).

Casus. Simeon confessarius non solet corrigere nec sacerdotes nec laicos qui sunt sufficienter instructi, ideo quia admonitio ab illis ut offensio haberetur. R. *Silentium hoc est potius effectus humani respectus, quam vera ratio; sunt enim sacerdotes qui docent et non faciunt, sunt laici etiam in dignitate constituti, qui propria officia agnoscunt, sed non adimplent. Qui porro admonitione prudentis confessarii indigent, ut excutiantur. Hinc Rituale vult, ut confessarius pro peccatorum gravitate ac pœnitentis conditione opportunas correctiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibeat.* Episc. Bersani.

728. **Officium medici.** Ad rem Concilium Lateranense IV: *Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciatis; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus pru-*

denter intelligat quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere. Oportet ergo:

1) Ut confessarius *causas morbi agnoscat.* Nonnulli præter species et numerum peccatorum nihil aliud inquirunt, et si pœnitentem dispositum credant, statim eum absolvunt; sin minus, quin ullum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: *Discede, quia te absolvere non possum.* Aliter procedunt boni confessarii; hi enim prius investigant morbi originem et gravitatem, interrogando de peccati consuetudine, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu, etc. Sic enim poterunt melius pœnitentes curare, salutaria remedia injungere et ad absolutionem rite disponere.

2) *Ut morbum sanet.* Cognita morbi origine et gravitate, confessarius procedat ad debitas correctiones. Et quamvis debeat ut pater pœnitenti compati; tamen ut medicus tenetur, quantum opus est, eos monere et corrigere, præsertim si multis mortalibus gravati ad Sacramentum raro accedunt (1). Nec confessarius tunc debet attendere ad alios pœnitentes qui circumstant; ut enim ait s. Franciscus Xaverius, melius est paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas et sine fructu *(S. Alphonsus*, Praxis Conf.).

3) *Ut relapsus præcaveat;* pœnitentibus adsignando remedia morbo convenientia, inspecto eorum statu ac indole; nam non omnibus omnia conveniunt. Ne importabilia onera imponat, ne totum abjiciatur; et ideo in delectu opinionum confessarius debet benigniores sententias sequi, quando illæ potius inducunt pœnitentem ad evitandum peccatum. Secus vero si illæ potius conducant ad legis transgressionem, uti sunt opiniones, quæ licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi sunt valdæ periculosæ ob humanæ naturæ in malum proclivitatem; sicut in materia sexti præcepti sunt opiniones aliquæ de tactibus, osculis, choreis, etc. Hac in re confessarius

(1) Ne confessarius sit præceps in jugiter absolvendo qui cum eisdem peccatis semper redeunt; si vult eos emendari, oportet non tantum illos corripere, sed etiam aliquando absolutione privare. Cum isti semper absolvantur quoties confitentur, fere nullum conatum adhibent ad peccata vitanda, neque de illis horrescunt. Medicus ægroto medicinam non ministrat, si nil conferat ad ejus salutem; sit ergo suprema norma pro absolutione impertienda *utilitas pœnitentis.*

Sed cavendum item, ne pœnitentes graviora peccata sacrilega occultent, ne inabsoluti dimittantur; et ideo ante omnia curet parochus sæpius, omni arrepta occasione, verborum fulminibus, ut ita dicam, hujus sacrilegii enormitatem insectari, maximum æternæ damnationis periculum aperiendo, in quod se conjiciunt qui tanto scelere se commaculant.

quanto magis rigorosus erit cum pœnitente tanto magis ejus saluti proderit *(S. Alph.,* l. VI, n. 605).

Remedia adsignanda. Alia generalia sunt alia specialia.

Generalia sunt: 1) Pia oratio ad Deum; invocatio frequens B. Virginis, Angeli custodis, Sancti protectoris — 2) Sacramentorum frequentia, et maxime confessio statim post mortale admissum — 3) Consideratio mortis et jugis recordatio Dei præsentis, maxime cum urget tentatio dicendo: *Deus me videt* — 4) Pia lectio, et vespertinum conscientiæ examen cum animi dolore ac proposito.

Particularia remedia adsignabuntur pro vitiorum diversitate, v. g. qui turbatur memoria injuriarum, recordabitur quot pro sua salute sustinuit Jesus. Illi qui in peccata turpia lapsus est, injungatur, ut otium vitet, malos socios et etiam occasiones remotas quæ ad proximas facile adducunt; et maxime juvabit Communionis frequentia, quia Eucharistia est *vinum germinans virgines.* Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuet ut devote quotidie saltem dicat Orationem dominicam et Salutationem angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit (hoc porro omnibus blasphemis cujuscunque conditionis potest imponi). Et quolibet mane dum e cubito surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat B. Virgini quolibet mane: *Domine mea, impetra mihi patientiam* (S. Alph., *Praxis Conf.;* et supra n. 641).

729. **Officium doctoris.** *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (Mal. II). Confessarius igitur ut doctoris officio rite fungatur, opus est ut sciat legem; qui enim eam ignorat, non potest alios illam docere. Ideo graviter peccant tum confessarii, qui sine sufficienti scientia huic ministerio se ingerunt, quin studio se aptos reddere curent; tum superiores qui tales confessarios sine necessitate mittunt aut tolerant. Dixi *sine necessitate;* in carentia enim confessarii sufficientis, melius est, docet Lugo, ut habeatur aliquis ad Sacramenta ministranda, quam nullus.

Scientia Theologiæ. Illius studium ad pœnitentes rite dirigendos requiritur omnino, et quidem nunquam intermissum; nam si ex una parte illud valde necessarium est Reipublicæ christianæ, cum ab eo pendeat bonum regimen animarum; ex altera illud est valde extensum, nec ita facile; tum quia respicit notitiam saltem generalem aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum quia tot diversas materias complectitur,

quæ nisi identidem renoventur, e mente excidunt; tum quia magna ex parte constat legibus positivis, quæ variare solent; tum demum quia innumeræ contingunt casuum circumstantiæ, ex quibus resolutionum pendet continua variatio *(S. Alph.,* Ho. ap., t. XVI, n. 100; Opus mor., l. VI, n. 628).

730. **Principia**. Confessarius tali scientia sit instructus oportet, ut prudens possit ferre judicium circa ea quæ sunt de hoc foro. Debet ergo scire: 1) Quæ spectant ad valorem, substantiam et effectum sacramenti Pœnitentiæ; quæ necessaria sunt ad rectam illius administrationem; quæ dispositiones, et remedia opportuna — 2) Communes statuum obligationes; varias peccatorum species et circumstantias explicatu necessarias; principia discernendi inter mortalia et venialia, et quænam sint mortalia et venialia in singulis præceptis juxta principia generatim admissa. Item præcipuas restitutionis causas — 3) Casus reservatos; item censuras, quæ hodie cum ad paucas reductæ sint per Constitutionem *Apostolicæ Sedis,* illarum ignorantia nescio quomodo valeat excusari. Item irregularitates et matrimonii impedimenta. Cæterum pro praxi, specialiter animadvertere juvat:

I. Sufficit, si confessarius prædictas res ita mediocriter sciat ut valeat resolvere quæ frequentius contingunt (quæ pauca non sunt), et de aliis sciat dubitare; nam per dubitationem suspendit judicium et veritatem inquirit.

II. In dubiis ne propriæ opinioni innitatur, sed antequam causam dirimat libros consulat, ut monet Benedictus XIV (Bulla *Constitutio Apostolicæ* 26 junii 1749) et eos maxime, *quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendat sententiam, quorum ratio suadet ac firmat auctoritas.* Item præstat in difficillimis consulere doctos et majoris experientiæ viros, debita pœnitentis venia: sed maxime Episcopum si tempus suppetat, ut securius procedatur.

III. Non semper eadem scientia in omnibus requiritur; sed major vel minor pro diversitate locorum et pœnitentium. Sic major requiritur pro Confessionibus in urbe, quam in pagis; pro audiendis ecclesiasticis ac magistratibus, quam laicis et agricolis *(S. Alph.,* l. VI, n. 627; et *Scavini,* l. III, n. 494 (1).

IV. Non est dubitandum, quod confessarius etiam *asceti-*

(1) Apud Scavini, l. IV, *Append.* 82' habentur præcipuæ interrogationes ad probandum, an satis instructus sit studiosus ad confessiones excipiendas. Et *Append. ultima* plurimi casus ad studiosorum exercitium resolvuntur.

cam callere debeat: si enim est *medicus,* non solum debet cognoscere remedia pro sanandis morbis, sed etiam artes, quibus salus recuperata conservetur; si *pater,* non solum debet a filiis omne præjudicium removere, sed etiam omne bonum iisdem procurare, ipsos solando, dirigendo, ad meliora excitando exhortationibus ac consiliis opportunis. Huc porro spectat ascetica, cum illa tota sit in regulas suppeditando perducendi animas ad perfectionem per vias ordinarias. Consulantur Scaramelli, Salvatori, P. Gaetano et Scavini, *l.* III, *n.* 494; et *l.* IV, *n.* 476, etc. ubi passim modum signat et exempla ponit (1).

731. Qui mala fide, id est scienter ad confessarium omnino ignarum accedit, graviter peccat et sacrilegio maculatur; cum cooperetur confessario in mala administratione Sacramenti.

Si vero bona fide id egit, nesciens confessarium talem esse, confessio probabilissime valida est. Nam supposita materia legitima ac jurisdictione, ex parte ministri satis est quoad validitatem, ut peccata sub generali notione offensæ Dei cognoscat; sicut etiam nil officit, si pœnitens credat levia quæ gravia sunt. Attamen, si agatur de difficili aliquo casu, ut securius incedat pœnitens, præstat ut illum docto confessario iterum manifestet *(S. Alph.,* l. VI, n. 625).

732. **Monitio pœnitentis.** Si pœnitens obligationes suas ignorat ex ignorantia vincibili et mortaliter culpabili, confessarius tenetur eum edocere, alias nec Sacramento, nec pœnitenti consuleret; cum hic sit plane indispositus. Idem est si pœnitens laboret ignorantia invincibili et ideo inculpabili, sed fructus speretur; tenetur enim confessarius illum de suis obligationibus instruere, cum etiam sit doctor; nec ex instructione inconveniens timeatur.

Verum si ex monitione fructus certo non speretur, vera sententia cum d. Bernardo docet, confessarium generatim teneri monitionem omittere et pœnitentem relinquere in sua bona fide. Ratio clamat, de duobus malis minus esse permittendum, ut evitetur majus. Imo in nostro casu non permitteretur malum formale, sed materiale tantum, quod proprie malum non est, neque Deum offendit.

Resolve: 1) Si confessarius sciat pœnitentem invalide con-

(1) Imo curanda est etiam aliqualis cognitio *mysticæ* Theologiæ, quæ scilicet agit de contemplatione, et pœnitentes dirigit circa dona spiritualia, extraordinaria ac quasi mysteriosa; nam satis notum est, aliquas animas illis donis a Deo esse donatas. Vide Casteltevere; s. Alphonsus in *Praxi Conf.;* Scavini, *l.* II, *n.* 186.

traxisse matrimonium vel esse contracturum ob impedimentum omnino occultum, quod facile non potest detegi, si prævideat quod monitio non sit profutura, illum relinquere debet in sua bona fide, si in ea sit.

2) Omittenda est monitio de restitutione facienda, si confessarius prævideat quod pœnitens, qui est in bona fide, non parebit, si moneatur; nam monitio noceret pœnitenti sine ulla creditoris utilitate.

3) Si dubium est, an monitio sit profutura necne, confessarius debet pensare gradum timoris et spei, et eligere quod judicat præponderare. Dubio autem perseverante, monitio videtur omittenda; nam mala formalia potius vitanda sunt, quam mala solum materialia *(S. Alph.,* l. VI, n. 610).

Casus. Marcellus sacerdos puellæ jamjam morituræ confessionem excipiens, cum novisset eam uterum gerere, illam monet ut rem aperiat medico vel mulieri prudenti ut saluti fœtus prospiciatur. Puella ob periculum infamiæ renuit; sed et confessarius renuit illam absolvere, quæ ideo inabsoluta moritur — *Confessarius ante omnia caute agere debebat explorando, an puella esset admonitioni obtemperatura, et in casu negativo an sit in bona fide. Nam tunc satis erat suadere, non obligare sub pœna negandæ absolutionis, ne ipsa exponeretur periculo damnationis, sine salvatione infantis. Item est si non adsit spes probabilis proli Baptismum administrandi.* Episc. Eula.

733. Dictum est *generatim;* nam aliquando monitio fieri debet, etsi non speretur fructus.

I. Quando ea omissa, damnum redundaret in bonum commune. Nec obstat quod hic inutiliter fieri videatur: nam talis pœnitens, cum videat se a nemine absolvi, emendabitur aliquando. Hinc monendi Principes, Gubernatores, Episcopi, Parochi, Confessarii, parentes. Ignorantia istorum difficulter erit invincibilis (cum versetur circa obvias proprii muneris obligationes): et si erit, semper damnum publicum afferret et scandalum, dum alii facile putant sibi licere, quod vident factitari a superioribus. Hac ratione docet Benedictus XIV Bulla *Apostolica* esse monendos, qui Sacramenta frequentant, ne alii ab iis pravum sumant exemplum. Item qui bona fide putat se esse sacerdotem cum non sit, ob Sacramenta quæ invalide conferret. Item spargentes falsum dogma in populum, monetarum falsificatores, etc.

II. Quando pœnitens interrogat; nam interrogando jam incipit laborare ignorantia vincibili. Et ideo dissimulatio per se esset erroris approbatio; et pœnitens ex sententia confessarii

amodo faciet, quod prius agebat ex suo judicio. Cæterum cum pœnitens interrogat, ordinarie confessarius non plus respondere debet, quam ab ipso interrogetur. Imo aliquando præstat fingere se non audivisse, vel oblitum fuisse respondere, ad præcavenda majora mala.

III. Quando pœnitens, tacente confessario, relinquitur in admodum periculosa et proxima occasione peccatorum. Hinc monendus juvenis qui incipit frequentare socios incredulos, sectarios, etc., cum periculo gravi amittendæ fidei. Item qui impia diaria et libros divulgant vel legunt (1).

IV. Quando pœnitens ignorat necessaria necessitate medii: nam iis licet invincibiliter ignoratis, non est absolutionis capax, uti tradit Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime*. Item si ignoret quæ necessaria sunt ad validam sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, ne ei frustra administretur *(S. Alph.*, l. VI, n. 617).

734. **Officium judicis**. Ut æquum judicium proferat confessarius debet certus fieri conscientiæ pœnitentis, et ejus peccata cognoscere. Ideo etsi non debeat esse nimis anxius in inquirendo; si tamen advertat pœnitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur ipse eum interrogare prius de peccatis, in quæ verisimiliter incidere poterat juxta suam conditionem; et postea de eorum specie, numero et necessariis circumstantiis. Nam ex d. Thoma (4 Sent. d. 19) *quæ frequenter pœnitens taceret, interrogatus revelat.* Hinc monet Rituale: *Si pœnitens numerum et species et circumstantias peccatorum non expresserit, eum sacerdos prudenter imterroget.*

Resolve: 1) Si pœnitens videatur sufficienter instructus et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio modo homo rudis), confessarius de alio non tenetur interrogare, sed si aliunde rite dispositum absolvat.

(1) Vix enim concipi potest, ad rem observat cl. Berardi, quod tunc monitio et absolutionis denegatio conjicere valeat pœnitentem in statum pejorem illo, in quem ruiturus est, si in hujusmodi occasione perseveraverit. Imo vix concipi potest quod in hisce occasionibus supponatur in pœnitente bona fides, cum ipse sensus communis satis dictet inhordinationem. Adde scandalum in populo, si videat confessarium passim absolvere hujusmodi pœnitentes. Ad summum admitterem, quod confessarius in aliquo casu rarissimo differre possit per aliquod tempus admonitionem, ut interim disponat pœnitentem ad eam utiliter excipiendam juxta ea quæ docuit P. Segneri.

Hinc (concludit peritissimus ille) nullo modo approbo Frassinetti dicentem absolute, quod monitio *in quocunque casu* prætermitti debet, si pœnitens supponi possit in bona fide, et monitio illi futura sit damnosa.

2) Rustici, qui putantur non satis examinati, ne dimittantur ut melius se examinent; vix enim paratiores unquam redibunt. Imo difficultate conscientiæ examinandæ territi, non amplius accedent. Ita agere P. Segneri dicit *errorem intolerabilem* (1).

3) Interrogationes si faciendæ videantur, aliæ ante Confessionem fiant, ut sunt quæ respiciunt tempus ultimæ Confessionis (nisi agatur de iis qui sæpius confiteri solent), satisfactionis implementum, etc.: sed istæ *paucæ* sint, ne pœnitens vexetur. Aliæ in ipsa Confessione, examinando, si necesse sit, peccata statim ac ea pœnitens exponit, ne differendo confessarius iis obliviscatur; sed istæ *moderatæ* sint, ne confusio ingeneretur. Aliæ fiant, peracta Confessione, uti si dubitetur an aliquid essentiale fuerit omissum, vel an pœnitens sit rite dispositus; sed *discretæ* sint, ne pœnitens offendatur.

4) Quoad peccata luxuriæ nonnisi parce, caste et caute interroget confessarius, ne se ipsum conjiciat in periculum malæ complacentiæ et pœnitentibus scandalum præbeat et ruinam. Ad rem Rituale: *Caveat ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat; præsertim juniores utriusque sexus vel alios, de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, ideoque peccare discant.* Quot ob incautam confessarii interrogationem aut explicationem, innocentiam et animam prodiderunt! Unde in dubio, an in aliquo casu circa hanc materiam interrogare possis vel debeas, melius est tacere ac permittere, ut aliquid integritati materiali desit (2).

5) Si opus sit pœnitentem interrogare quoad peccata luxuriæ, confessarius interrogabit primum de cogitationibus, dein de desideriis, postea de verbis. In omnibus semper prudentissime: in quibus si pœnitentem deliquisse cognoscat, ultro inquirat de tactibus, ac de opere consummato. Aliquando tamen

(1) Qui vero instructi sunt, benigne dimitti possunt ut accuratius se examinent, nisi circumstantiæ aliud suadeant; idque maxime si agatur de prolixa et longiori confessione, nam est difficile, ut quis repente rogatus de omnibus recordetur (*S. Alph.*, l. I, n. 471).

(2) Ideo magis quia pœnitentes aliquando talibus utuntur expressionibus, quæ prima fronte videntur indicare peccata gravia contra castitatem, dum reapse aliud omnino indicant. Accidit sane interdum quod puer confiteatur: *habui malas cogitationes;* sed quid? scrutaris, et accipies, quod cogitabat furari nuces, poma, etc. *Chi mai avrebbe immaginato* (scribit Trucchi, *Met. prat.*) *nel sentire un giovinetto che si accusava* di un peccato di carne commesso colla sua sorellina di nascosto per non essere scoperto dai proprj genitori, *chi avrebbe immaginato, che questo peccato non fosse stato altro, che l'aver mangiato della carne in giorno di venerdì?* Hinc magna cautela adhibenda est in hisce interrogationibus, ne malitia edoceatur. De præcipuis interrogationibus v. Scavini, l. IV, *Appen.* 65².

cum rudibus ab externis actibus incipiendum, ut deveniatur facilius ad internos. Item juvat interrogare, an a sociis ad turpia fuerint sollicitati, an turpes tactus admiserint, etc. (S. Alph., *Praxis*, et l. VI, nn. 466 et 478).

6) Quoad numerum peccatorum inquirendum, ne confessarius vexet pœnitentem, si recordari nequeat de numero certo (1). Tunc satis est, si accuset numerum probabilem, addendo *plus minus*. Quod si deinde errasse deprehendat, non tenetur iterum confiteri, nisi numerus fuerit notabiliter major (2).

Si vero agatur de consuetudinariis, confessarius non debet nimis anxius esse in peccatorum numero inquirendo; quia sæpe est impossibile. Adde: isti pœnitentes, plerique ad interrogationum importunitatem declinandam, solent divinando respondere, *centies*, *millies*. Quare cum non potest haberi numerus certus peccatorum eorum qui pravo habitu tenentur, curet confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est, etc. Deinde inquirat de numero, interrogando pœnitentem quoties circiter peccaverit, in die, in hebdomada aut mense? proponens ei plures numeros, v. g., ter aut quater, octies vel decies, videat cui numero potius ille adhæreat. Et si pœnitens numero majori adhæreat, optimum erit, si interrogetur de alio numero majori. Sed in hoc confessarius, ne formet de numero judicium certum: notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat apprehendendo peccata quot sunt coram Deo (*S. Alph.*, l. VI, n. 466).

735. *Casus*. Crispinus juvenis sic confessionem instituit: 1. Deditus fui intemperantiæ, ludo et blasphemiis cum variis sociis. 2. Sæpius cogitationes impuras in mente volvi circa diversas personas. 3. Semel cum puella tota nocte conversatus sum. 4. Pluries inimicitias in mente nutrivi, de inimicis detraxi et ipsis malum optavi.

Crispinus hoc modo nec numerum nec species, nec gravitatem peccatorum declarat. Erit igitur interrogandus: 1) *Quomodo violasti temperantiam, an in cibo vel potu, usque ad crapulam et quoties? Cuinam ludo vocasti? an prohibito, injusto, an nimis prodige et cum quibus et an pluries? Quoties blasphemasti, quomodo!* (hoc ultimum interrogetur ad cognoscendam, an revera fuerit blasphemia).

(1) Qui vero notabiliter exaggeravit numerum suorum peccatorum, non tenetur errorem corrigere, si bona fide id egerit; nam integre satisfecit obligationi Confessionis, et verus numerus in majori fuit comprehensus ac remissus.

(2) Lugo, Roncaglia et Tamburini dicunt, quod verba illa *plus minus* sic sunt sumenda: *ter plus minus* intelligitur bis vel quater; *decem plus minus*, octo vel duodecim; *triginta plus minus*, 29 vel 33; *centum plus minus*, 95 vel 105; *mille plus minus*, 950 vel 1050.

2. *Quoties deliberate assensum præbuisti pravis cogitationibus? quodnam fuit tuæ concupiscentiæ objectum? an persona libera, conjugata, cognata, etc.? An peccata consummasti?* 3) *An conversando cum puella pluries et quoties peccasti vel peccatum consummasti?* 4) *Quoties, quamdiu et an cum multis inimicitias fovisti? an, quæ vel quoties gravia ipsis mala optasti?* Gury.

736. **Qui tacet in Confessione peccatum.** In hoc casu id statuendum. Si confessarius extra confessionem certo sciat pœnitentem aliquod grave peccatum commisisse, quod tamen ipse sileat in confessione, uti si ipse furtum committentem aspexerit vel blasphemantem audierit, aut si id scierit ex certissima aliorum relatione qui sint omni fide digni, de illo peccato interrogabit etiam specialiter, neque absolutionem impertietur, si neget; modo non adsit prudens dubium, an alteri jam fuerit confessus, vel an justam habeat tacendi causam, vel an forsan in bona fide versetur. Neque dicas quod pœnitens in hoc Sacramento est ipse accusator et testis, cui proinde, ut communiter docent cum d. Thoma *(Quodl.* 1, *a.* 12), credendum est tum contra se tum pro se. Id enim valet in re dubia, non in re moraliter certa.

Si tamen id cognoverit ex Sacramentali alterius confessione, confessarius non poterit specialiter pœnitentem de peccato illo interrogare sine expressa licentia alterius personæ, ob periculum revelationis. Sed poterit eas interrogationes facere, quæ communiter fieri soleant personis talis conditionis; sic speciatim interrogari possunt de cogitationibus, verbis, et tactibus inhonestis cum futuro conjuge; nam non raro in id prolabuntur (si non sint bene morati): tamen caveat, ne sit nimius in hisce interrogationibus ob dictum periculum.

Quod si videat obstinate peccatum negari, alii cum Lugo dicunt absolute dandam esse absolutionem; quia confessarius non potest uti alterius Confessionis notitia. Quod tamen non semper verum est; nam Confessionis uti notitia possumus quando fit sine ulla neque indirecta revelatione nec pœnitentis gravamine. Alii dicunt cum Elbel dandam esse sub conditione, ut servetur Sacramenti reverentia: verum neque sub conditione absolutio dari potest, quando est certa indispositio. Ideo alii melius meo judicio cum Viva sentiunt aliquam orationem usurpandam ad absolutionem occultandam. Sic nec revelatur peccatum alterius; nec pœnitenti fit injuria, qui utique sacrilegio non liberatur; sed neque Sacramentum temere usurpatur, cum non ponatur quod est de ejus essentia (*S. Alph.*, l. VI, n. 631).

§ 2. — De specialibus Requisitis in Confessario ac Directore.

737. **Specialia Confessariorum requisita.** Ut director animarum rite munus suum compleat se exhibendo ut patrem, medicum, doctorem et judicem, hæc speciatim debet. Sit nempe:

I. *Orationi deditus* ac *pius*, tum ut auxilium postulet a Deo, ne tot peccatorum ulcera tractando se deturpet; tum ut utiliter laboret: *nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laborat qui ædificat eam;* tum ut exemplo doceat quod verbis insinuat, et ne quod una manu ædificet, alia destruat.

Hinc reprehendendi qui sine ullo pietatis sensu ac recollectione ad hoc tribunal accedunt. Hinc Rituale Ambrosianum vult, ut confessarius prius genuflexus oret, et preces opportunas devote fundat (1).

II. *Fortis,* adeo ut conculcato quolibet humano respectu, dicat cuicunque pœnitenti, si opus est, etiam Regi, cum Præcursore: *Non licet tibi,* memor quod agit causam Dei et animarum. Unde docent unanimiter, si nolit a fortitudine excidere confessarius, ne plausus sibi nobilium et matronarum exquirat; ne existimationem aut pœnitentium frequentiam appetat; ne munera a pœnitentibus oblata recipiat; quia *munera excœcant oculos sapientum* (Deut. XVI).

III. *Cautus* ac *prudens,* maxime si res sit cum mulieribus. Non terat tempus ad inania et vana; videat ne dicteriis causam tribuat. et quod pejus est, ne devotio quæ spiritu cœpit, desinat in carnem. Caveat ne utatur cum illis locutione nimis familiari, ut esset adhibere pronomen *tu* (quod merito nonnulli Episcopi prohibuerunt). *Regulariter* (monet s. Alphonsus in Praxi) *in confessionario sit potius rigidus* (gravis) *quam suavis cum mulieribus junioribus, nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat a recipiendis munusculis, et præcipue ad earum domus nunquam accedat, uno excepto gravis infirmitatis casu, et tunc nonnisi vocatus accedat* (2).

(1) *Oratio dicenda ante confessionem a confessario :* — Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni cœlorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit; nulli claudam cui aperiendum sit. In me sit lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam. In responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, me ipsum non perdam. Amen. — *Pius IX concedit Indulgentiam centum dierum confessariis omnibus, qui hanc orationem corde contriti, ac devote recitaverint; sed tantum semel in die.*

(2) Utique parochus etiam non accersitus præstat, ut oves suas infirmas visitet ad eas solandas, ut boni pastoris officium postulat, prout monet Rituale (vide t. I, n. 279, ubi plura ad rem). Verum quoad alios infirmorum confessarios, ad illos sive viros sive mulieres (scite notant s. Alphonsus et b. Valfrè) non accedant nisi vocati, ita ut eis liberum sit quem voluerint confessarium quærere, et sic animam in tuto ponere, si forsan ob ruborem ordinario directori peccatum reticuerint, ut valde timendum est.

IV. *Doctus* et *expertus;* in discernendo spiritus, in inspiciendo diversas personarum indoles ac conditiones, in industrie interrogando, in opportuna monita et remedia unicuique suppeditando; pro diversa enim pœnitentium ætate et statu, diversa sunt adhibenda (1).

738. *Monitum gravissimum.* In directione spirituali omnino permittendum est, ut etiam aliorum consilium pœnitens quærat. Et s. Joannes a Cruce appellat tyrannum confessarium, qui licentiam alios confessarios consulendi denegat pœnitentibus; cum hæc et aliquando utilis et aliquando necessaria sit. Caveat ergo confessarius, ne suis pœnitentibus spiritualibus, præsertim fœminis, id prohibeat, vel ægre ferat; imo et cum advertit illos ad alios accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse, imo potius se id scire dissimulet. Imo aliquando præstat, ut confessarius ipse pœnitentes excitet ad consilium aliorum expostulandum, tum ut in suscepta devotionis methodo fiant firmiores; tum ut forsan sacrilegas Confessiones emendent. Neque expectandum, ut ipse pœnitens licentiam quærat; qui hoc indiget remedio, a suo confessario ordinario illud expostulare verecundatur.

Quod monitum curare debent omnes superiores communitatum et parochi, maxime si in locis remotis atque campestribus morantur. Non pauci enim suorum parochianorum erubescunt ipsis quædam graviora peccata aperire; cumque aliunde non eis sit facilis occasio alium confessarium inveniendi, ideo proprio parocho confitentur, sed sacrilege ea peccata reticentes. Ad rem d. Thomas: *Peccaret sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis* (4 Sent. d. 17, q. 3, a. 3). Ideo animarum pastores oportet, ut interdum aliquos confessarios ignotos accersant populum monentes, et curent ut omnes ad eos libere accedant: nec ipsi Confessiones tunc audiant, caute etiam matribus insinuando, ut hac de re omnem filiis suis, et maxime filiabus libertatem linquant (2).

(1) V. Scavini, l. III, n. 490; et maxime l. IV, Appendix 67,[a] 68,[a] 69[1] ubi monita et exempla habes quoad dirigendos scrupulosos, tribulatos, infestatos a dæmone, carcere detentos, ad mortem damnatos; et eos qui vitæ statum eligere volunt, etc.

(2) Hic veniunt increpandi illi animarum pastores, qui ægre ferunt et continuo lamentantur, si eorum parochiani extra parœciam confessarium quærunt; cum

Extraordinarii autem confessarii pœnitentes, de quibus potest esse suspicio (uti sunt rudes, mulieres, pueri et collegialiter viventes) prudenter et industrie interrogent, utrum anteactæ vitæ scrupulum habeant, eos animando ad omnia aperienda. Hac via liberantur plures a sacrilegiis, experientia teste (*S. Alph.*, Praxis Conf.; *Scavini*, l. III, n. 511).

739. **Directio puerorum ac puellarum.** En præcipua:

I. Curet confessarius, ut in principio a se ipsis confiteantur peccata quorum memores sunt; postea ipse interroget, sed caute, gradatim et habita ratione ætatis, discretionis ac necessitatis: v. g. an sciant res fidei. An commiserint furtum; an damnum attulerint prædiis alienis, bestiis aut alio modo? an impleverint Confessionem paschalem? An carnes comederint diebus vetitis? An legant, vel habeant malos libros? An blasphemaverint, an juraverint cum mendacio? An omiserint in festis audire Missam, vel in ea audienda sermones habuerint, vel omnino distracti audierint personas intuendo, altari terga vertendo, Ecclesiæ quasi theatro interessendo, etc.? An in festis laboraverint? An parentibus fuerint inobedientes vel arrogantes? An tacuerint aliquod peccatum? An turpe peccatum patraverint? Sed in hac materia confessarius sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longe et verbis generalibus. Et prius an dixerint mala verba? an jocati fuerint cum aliis pueris aut puellis? et si jocos illos clam exercuerint? Deinde interroget, an commiserint res turpes? Multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, v. g.: *et nunc dic mihi, quoties hæc fecisti? quinquies, decies?* Interroget, cum quo dormiant, et si in lecto manibus jocati fuerint? — Puellas (quæ cautius sunt interrogandæ et semper ad crates confessionarii) interroget, si aliquem juvenem amore fuerint prosecutæ, et an adfuerint pravæ cogitationes, verba aut tactus? A responsis procedat ad ulteriora, sed prudentissime; semper enim illud d. Thomæ mente retineat: *Ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat; si non commisit, non ediscat.*

II. Aliquando pueri peccata reticent ex *malitia*, ne redarguantur; oportet igitur excitare eorum fidem, eos graviter alloqui de Deo, de anima quam perdunt, ut salutariter concutiantur. Aliquando ex *erubescentia*, maxime quoad peccata carnis: in quibus ex dictis sit maxima cautela; si enim vobis non quærentibus, plerique sacrilege reticebunt; quærentibus intemperanter, ediscent quod omnino ignorare debuissent.

III. Adjuvandi ad eliciendum *actum doloris* modo ipsi proprio;

potius dissimulare debeant, et etiam gaudere, cum id possit esse medium plura impediendi sacrilegia.

Quod si revera adsit abusus, uti si agatur de puellis, quæ se alio continue et tempore importuno conferunt, parochus curet providere maxime per puellarum parentes. At caveat ne illas publice improbando exasperet, quæ ideo magis in ea agendi ratione obfirmarentur; sed prudenter ac privatim, opportuna arrepta occasione, cum paterno animo moneat, quin de gravi peccato eas arguet — Imo videat, ne oves suæ non jam ob ruborem alio pergant, sed quia in proprio parocho nulla invenitur sollicitudo, nulla caritas, nullus zelus, nullaque vera et pia directio in hac Sacramenti administratione. Certo non hæc facile conspicere est ubi parochus omnes boni confessarii partes adimplet, de quibus multa habet s. Alphonsus in celebri sua *Praxi confessarii*.

nam plerumque deficiunt tum ex *indolis improbitate*, et *levitate mentis;* et ideo excitandi per considerationem mali quod patrarunt, pœnæ quam meruerunt, boni quod sancta Confessione consequentur, amoris quo illos diligit Deus. Tum ex *defectu ætatis* vel *habitualis indevotionis;* et ipsis subveniendum verba suggerendo: v. g. *Amasne Deum, qui est Dominus tuus tam magnus et tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus,* etc.? *Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera, quod propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet te pœnitere: quid dicis? Pœnitet te nunc eum offendisse,* etc.? *Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti?.... Deus meus, nunquam amplius volo te offendere,* etc.

IV. *Pœnitentiam* postea injungat. Quæ levis sit quantum fieri potest; et curandum, ut quantocitius impleatur, alioquin aut eam obliviscentur aut omittent. Curet etiam confessarius eis insinuare devotionem erga Deiparam; utque recitent quotidie Rosarium et ter *Ave* mane et sero, hanc precem adjungendo: *Mater mea, libera me a peccato mortali.*

V. Si est rite dispositus puer, post salutaria sed pauciora monita absolvatur. Si vero est dubie dispositus (ut si in actu Confessionis non maneret compositus, manibus jocaretur, etc.), absolvatur sub conditione, cum est in periculo mortis, aut in obligatione implendi præceptum paschale. Imo probabiliter plures dicunt, quod puer dubie dispositus semper absolvi potest (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, ne careat diu gratia Sacramenti; et forte etiam gratia sanctificante, si forte aliquam gravem culpam habeat ipsi occultam: idque puto omnino dicendum etiam extra tempus paschale et præcepti, si puer habeat aliquod peccatum grave vel dubie grave. In tantum autem alii usu rationis præditi non debent absolvi cum de eorum dispositione dubitatur; quia adest via et spes, fore ut dilata absolutione brevi illi certo dispositi redeant et absolvantur. Quod non evenit de pueris ac semifatuis (S. Alphonsus, *Praxis Confessarii;* Scavini, l. IV, *Append.* 68[a]).

740. **Directio mulierum.** Habes præcipua: 1) Confessarius, ait s. Alphonsus, non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset: oh qualis miseria est cernere tot confessarios, qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, et cum postea vident ad se accedere homines aut fœminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis et molestiis, qui ægre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo: *Habeo aliud, ite ad alios!* Unde fit ut isti, non invenientes cui peccata confiteantur, vivant per menses, et annos sine Sacramentis et sine Deo. Hoc non est audire Confessiones, ut Deo placeamus; sed potius ut nostro genio serviamus; et ideo mercedem jam accepimus. Prius ordinarie audiendi sunt viri.

2) Summe cautus sit, et cum junioribus gravis omnino (1). In Confessione ne ostendat eas agnoscere; aliquæ enim quæ religiosæ haberi volunt, advertentes se a confessario cognosci, non integre

(1) S. Ignatius in Regulis pro sacerdotibus habet: *In audiendis confessionibus fœminarum severos potius quam familiares confessarii se exhibeant; in universum tamen paterna quædam et spiritualis gravitas in ipsis eluceat. Eos qui crebrius confitentur, maxime fœminas breviter expediant* vide n. 737 — Et d. Bernardus in Cantica monet: *Noli faciem tuam hilarem eis ostendere; nec austeritatem*

confitentur. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum illæ e confessionali recedunt, vel cum ad illud accedunt.

3) Ne sit facilis permittere puellis, ut castitatem voveant ad longum tempus; vel sumant habitum religiosum. Sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in virtutibus fixius defigantur, ne contingat, ut habitum dimittentes nuptias ineant cum scandalo loci et malo exemplo aliarum.

4) Ne concedat fœminis juvenibus, ut vagent Ecclesias visitando. Item neque permittendum est, ut in Ecclesia morentur plusquam est necessarium, cum perturbatione parentum. Eas moneat, ut eis obediant, labores domesticos amplectendo; hoc placet Deo.

741. **Sponsorum directio.** Maxime est curandum, ut matrimonium quantocius celebretur; sic enim impediuntur plurima peccata. Et ante celebrationem sponsi confiteantur, ut ad gratiam Sacramenti utiliter disponantur et si quæ sunt impedimenta, opportune removeantur, sive ecclesiastica sive civilia (v. *De Matrimonio).* Sed quoad monita danda in ordine ad usum conjugii, multa prudentia opus habet confessarius. Si puella (ad rem Gobat) nuptura habeat matrem superstitem bonis verbis jubeatur genitricem interrogare potiusquam confessarium (aut alias fœminas consanguineas). Si careat matre, aut præ verecundia non audeat illam interrogare, dicatur ei, ut suo marito tanquam suo capiti obediat. Qui si petat aliquid, de quo dubitet, an sit licitum, maritum deprecetur verecunde: si maritus asserat, se jam nosse quid permittant leges connubiales, tunc obediat, certa se non offensurum Deum, dum in dubio credit et paret marito tanquam superiori. Proxima deinde occasione quærat a confessario, utrum id in quo obedivit, licitum sit necne.

Igitur sponsæ (monet Stapf) *quando post nuptias redeunt, expressius, si aliquod dubium ipsis suboriatur circa licitatem nonnullorum actuum in omni castitate edocebuntur. Non desunt qui a confessario non edocti graviter peccent ex errore conscientiæ, facientes quod existimant peccatum, cum non sit; alii vero ex conscientia imprudenti credunt licita quæ gravia sunt peccata et ea committunt. Plures eorum talia non fecissent, si fuissent a confessario edocti; et ideo dicebat s. Salesius, multos inter conjuges damnari, quod non curaverint edoceri sui status obligationes, vel moniti confessariis non obedierint* (Vide in fine n. 1073).

742. **Conjugum directio.** En quæ veniunt præcipua notanda: 1) Interrogentur si opus sit: An concorditer vitam agant inter se et cum aliis qui domi habitant. An scandalum præbuerint filiis facto vel verbis. An vir tempus et pecunias terat in cauponibus. An uxor expensas superfluas faciat. An conjuges curam filiorum et domesticorum habeant, etc.

2) Confessarius speciatim, si res tulerit, interrogare poterit uxorem: *Habesne circa matrimonium aliquid contra conscientiam tuam?* Si dicat se nihil habere, et satis instructa ac timorata appareat, necesse non erit ulterius progredi. Si vero sit rudis, aut sin-

tamen suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Miscenda est uno verbo caritas prudentiæ, ut dum animum mulieribus addimus ad aperienda graviora peccata, caveamus ex parte nostra ab omni peccandi occasione ac periculo. Hinc Poeta noster:

« Ma quel padre verace, che s'accorse
Del timido voler che non s'apriva,
Parlando, di parlar ardir mi porse. »

ceritas ejus suspecta videatur, insistere debet confessarius; inquirens, an debitum comparti suæ denegaverit: si has voces non intelligeret, dicere posset confessarius: *denegastine actum, quod fit ad prolem habendam?* Si respondeat se denegasse, sciendum est ob quam rationem: et tunc judicabitur ex dictis, an peccatum sit mortale, veniale, vel nullum. Generatim exquiret, an aliqua fecerit inhonesta contra sanctitatem matrimonii: si pœnitens fateatur se aliquid fecisse, expedit ut ipse dicat quid fecerit, ne forte doceatur quod ignorat. S. Pœnitentiaria 9 junii 1842 interrogata quomodo se habere debeat confessarius hac de re, illum remittit præcipue ad s. Doctorem Alphonsum, qui habet:

1) Interrogentur uxores, an viros debito matrimonii fraudaverint: plerunque de hoc interrogandæ; quia sæpe ob hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum videant sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrenati decidunt.

2) Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utatur confessarius, v. g.: *Es obediens tuo viro etiam in rebus ad matrimonium spectantibus? aut habes forsan aliquem scrupulum qui te mordet circa matrimonium?*

3) Sed hæc interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus quæ vitam spiritualem profitentur *(S. Alph.,* Homo apost., tract. ult., n. 22; *Scavini,* l. IV, n. 503).

743. **Devotarum directio.** Hæc præcipua notanda. Confessarius ducat pœnitentes ad perfectionem per gradus, ut prius discant actiones ordinarias rite peragere, quam alta concupiscere, prius levia patienter ferre quam gravia appetere; prius pati æquo animo, quam de adversis velint gaudere. Et maxime insinuet, veram perfectionem non tam sitam esse in multis operibus supererogationis, quam in rite peragendo opera ordinaria, et propriæ conditionis.

Ac primo *Orationi mentali* devotas assuescat; ab initio non plusquam mediæ horæ spatium adsignet; crescente vero spiritu, plus minusque augebit, semper habita ratione conditionis personæ.

Secundo loco venit *mortificatio;* absolute asserere, ait s. Alphonsus, mortificationes externas nil aut parum prodesse, maximus error est. Director tamen curet, ut sit modus in illis concedendis, maxime in primo devotionis actu: generatim non concedat, nisi requiritus: et concedat minus quam postulatur. Cæterum (ut bene ait Gousset cum s. Alphonso): Præstat ut potius negativas mortificationes consulamus, uti abstinere a curiosis aspiciendis, parce loqui, etiam ingratis dapibus contentus esse, hyemis tempore ab igne abstinere, etc.

Tertio addatur *Sacramentorum frequentia:* quædam animæ delicatioris conscientiæ consuevere quotidie confiteri; sed generatim sufficit personis spiritualibus, præsertim scrupulosis, semel, ad summum bis confiteri in hebdomada. Et quando aliqua ex istis teneretur culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi, dicunt innixi d. Ambrosio et Salesio, quod non ideo omittere debet Communionem; nam ex Tridentino ad remissionem venialium sunt alia media, ut actus contritionis et amoris *(S. Alph.,* Praxis Conf.; *Scavini,* l. IV, n. 504).

Curandum autem est, ut personæ devotæ semel aut bis in hebdomada absolvantur, ut sic robur acquirant ad alacriter in perfectione progrediendum. Sunt tamen pii confessarii, qui illis benedictionem dumtaxat impertiuntur cunctis aliis vicibus, quibus confitentur per hebdomadam, semel data absolutione in hebdomada ipsa; eas nihilominus ad Communionem admittentes, si videant naturales potius defectus, quam venialia peccata declarare. Alii vero non minus pii

eas semper absolvunt quoties confitentur, modo peccata certa vitæ anteactæ (saltem in genere, aliquam materiam determinando) confiteantur et vere doleant (1). Quidquid sit, sciendum Sacram Episcoporum Congregationem anno 1839 respondisse: *Sacramentalem absolutionem rite dispositis non esse, præsertim per modum regulæ differendam, ne Sacramenti gratia priventur; licet fortasse nec gravia nec nova habeant; sed dumtaxat peccata jam per sacerdotis absolutionem deleta iterum confiteantur* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 432).

Sunt autem fortiter increpandi confessarii, qui devotos ac devotas ægre audiunt, parvifaciunt vel forsan etiam vexant; cum tamen Christi minister sit constitutus non tantum ut evellat et dissipet, sed etiam ut ædificet et plantet. Et non raro cœlitus acceptum est, Deum respexisse ad preces istorum, quos habemus in derisum, ad flagella sua avertenda; imo eorum intercessione ac meritis stetisse rempublicam. Ad rem d. Ambrosius: *Propter paucorum justitiam impunitatem toti populo promittit Deus.*

Literæ ad directionem. In hac re caute omnino procedendum: *Dovrebbero queste scriversi colla punta del coltello, e non mai senza consiglio del Direttor nostro:* ad rem s. doctor Alphonsus. Et s. doctor Salesius, qui plures devotas literis in via perfectionis optime dirigebat, ajebat: *Le donne bisogna ajutarle e soccorrerle come le anime del Purgatorio: da lontano; se no, abbruciano.* Sed etiam a longe illas adjuvando per literas, necesse est: 1) Ut literæ non mittantur, nisi ad responsionem, et tantum in necessitate; et cavendum ne pœnitentes a proprio parocho ideo avertantur — 2) Ut illæ graves omnino sint, ac paucis verbis; et supponendo illas esse ab Episcopo, imo et a publico legendas: et revera vix ac ne vix quidem hac de re secretum servatur. De amica in amicam ad omnes pervenit notitia harum literarum: hic evenit quod de aqua pluviali, quæ de una in aliam tegulam cadens decidit in canalem, de canali in terram, de terra venit in plateam — 3) Ut quomodocunque sanctissimæ tales literæ missæ et acceptæ non conserventur diu, sed destruantur citius quoad res tulerit; ne casu mortis inopinato vel alio accidenti, in profanorum veniant manus: quod esse nequit sine magnis libertinorum dicteriis. Et ideo etiam præstat, ut quas ad responsionem mittit confessarius, suo nomine ne subscribat. V. Dubois, *Pratica dello zelo ecclesiastico,* cap. XV: *Corrispondenza epistolare* (Scavini, *l.* III, *n.* 509).

Conferenze (extra Confessionem). Colloquia seu spirituales collationes (vulgo *Conferenze),* quæ haberi solent extra Confessionem cum mulieribus, maxime juvenibus admodum periculosæ sunt; atque ideo experti generatim loquendo illas reprobant; cum familiaritatem foveant, at familiaritas grande periculum. Et hoc præsertim currit,

(1) « Illos pœnitentes, ait s. Alphonsus in *Praxi Conf.* n. 188, qui afferunt tantum peccata venialia sed habituata, confessarius non absolvat nisi perspectum habeat illos vere pœnitere et verum propositum habere, saltem de aliquo illorum; aut nisi exhibeant pro materia certa aliquod gravius peccatum anteactæ vitæ. Quot confessiones invalidæ, quæ in se sunt vera sacrilegia, quotidie committuntur ob confessariorum socordiam! »

Cæterum, scite notat cl. Berardi, accusatio peccatorum vitæ præteritæ consulit quidem reverentiæ Sacramenti, minime vero emendationi pœnitentis. Si ergo confessarius vult esse vere diligens, et si aliquem fructum obtinere cupit, procurare debet, ut pœnitentes de propriis venialibus et consuetis culpis verum dolorem concipiant, et propriæ emendationi serio attendant.

si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæsionis. Dicebat ven. p. Sertorius Caputus: diabolus ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio utitur prætextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam. V. Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici,* c. XV, a. 7. Abrate, *Lo spirito del Parroco,* t. IV, tit. 36. Scavini, *l.* III, *n.* 506.

Colloquia spiritualia (in Confessione). Vel in ipsa Confessione sermo cum mulieribus sit brevis ac prudens (ex dictis supra): *Lubricum negotium cum fœminis* (ait Bassæus) *longiora miscere colloquia cum ingenti periculo, vix minimum lucri.... Dum venereas culpas, et fœminarum Confessiones audit confessarius, commendet se Deo, B. Virgini, tutelari Angelo castisque angelicis cogitationibus imbecillem animum muniat.* V. Stapf, § 624. Istruzione pe' novelli confessori, *p.* 1ª, *nn.* 112, 326. Scavini, *l.* III, *n.* 508.

COROLLARIUM. — De Confessore et Directore Monialium.

744. Hæc præcipue notanda: I. Monialium directio earumque conscientiæ manifestatio ex hodierna praxi Congregationis Episcoporum et Regularium uni confessario reservatur. *Ob abusus qui irrepserant, in præsens S. Congregatio minime solet approbare aperitionem conscientiæ Superiorissæ; sed tantum permittitur, ut sorores si velint, pandere possint defectus in regulæ observantia et progressu quoad virtutes; de aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario;* ita 10 martii 1860.

II. Item judicium de Communione facienda vel non, et de Communione frequenti prudentiæ confessarii omnino commissum esse debet. Et ideo monasterii præses illud sibi ne arripiat, aut usurpet. Quando Communio administratur monialibus ad fœnestrellam clausuræ, et muri crassitudo impedit, quin sacerdos prope os communicantium pyxidem admovere possit, licet in hoc casu servare consuetudinem apponendi supra linteum ante communicantes extensam laminam argenteam deauratam seu bacile ejusdem materiæ ad fragmenta recipienda. *S. R. C.* aug. 1854 — An de medio tolli debeat usus inter quasdam moniales inductus, ut moniales communicaturæ et puellæ earum curæ commissæ propriis manibus accipiant patenam deauratam, ne fragmenta decidant? S. R. C. 17 sept. 1853 respondit: *Permitti posse, dummodo non sit eadem patena quæ Missæ inservit, sed tantum communicandis tradatur* — In Communione monialium habentium fœnestrellam in parte Evangelii, sacerdos debet descendere, et reverti per gradus anteriores, non laterales Altaris. *S. R. C.* 15 sept. 1736 — Licita est praxis votorum renovationem ante Communionem immediate instituere; 12 sept. 1857 — Post Communionem sacerdos dat benedictionem monialibus, sed conversus ad populum, more solito; sicuti conversus ad populum dicere debet: *Ecce Agnus Dei,* et *Domine non sum dignus,* etc.

III. Omnes confessarii ut valide confiteri valeant moniales, indigent speciali electione et approbatione Episcopi loci, ubi est monasterium, etiam pro Confessione venialium. Si vero agatur de monialibus exemptis (regulari nempe Prælato subjectis), confessarii præsentantur a proprio superiore, sed adhuc debent ab Episcopo loci de necessitate approbari. Et approbatus pro monialibus unius monasterii non censetur approbatus pro alio; *S. Concilii Congregatio.*

IV. Generatim unus dumtaxat pro singulis monasteriis confessarius est deputandus, in quo sit ætatis maturitas, morum integritas et prudentiæ lumen. Caveat confessarius ne se tanquam superiorem monasterii gerat. Confessario autem fieri non debet administratio victus, seu cibi in specie præparati; sed ei adsignetur annua pensio. *S. Concilii C.* 1646.

V. Confessarius ordinarius post elapsum triennium ab officio suspenditur (neque triennio cessante debet assumi uti extraordinarius); nisi confirmationem obtinuerit a Congregatione Episcoporum et Regularium. Neque ulla in contrarium adduci potest consuetudo; ita 6 maji 1859 S. C. Confirmatio autem difficulter conceditur ultra tertium triennium. Cæterum si adsit aliqua monialis quæ fiduciam non habeat erga confessarium confirmatum, Episcopus non omittat ei confessarium extraordinarium concedere *(S. Alph.,* l. VI, n. 577) (1).

VI. Bis vel ter saltem in anno assignentur confessarii extraordinarii; et moniales omnes teneantur ad illos accedere vel pro Confessione facienda, vel ad accipiendam benedictionem aut salutaria monita, ut Tridentinum ait. Insuper monialibus facultatem fecit ad S. Pœnitentiariam recurrendi, si extraordinarios Episcopus non assignet. Monet quoque, ut Episcopus se facilem exhibeat, si monialis extraordinarium petat.

VII. Quo tempore extraordinarius officio suo fungitur, *confessor ordinarius* (ait Benedictus XIV Constit. *Pastoralis curæ) nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus præsumat per id temporis alicujus monialis sive superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, neque demum alterius cujuscunque personæ intra septa monasterii aut piæ domus commorantis sacramentalem Confessionem audire.* Si tamen audiret, ageret illicite, sed valide. Confessor autem extraordinarius semel officio suo impleto, si sit sæcularis atque causa adsit, non prohibetur ad monasterium iterum accedere; sed nequit (sine nova facultatis prorogatione) amplius Confessiones valide excipere. Si vero sit regularis sine licentia debita, prohibetur vel solum ad monasterium accedere; secus peccaret graviter et canonicas pœnas incurreret. *S. C. R.* anno 1749 mense Jan. penes Bizzarri (v. *t.* I, *n.* 312).

VIII. Quæ hactenus de monialibus cum clausura constituta sunt, maxime quoad confessarium ordinarium et extraordinarium, valent etiam de illis quæ clausuram non servant, nec vota solemnia habent. Item de omnibus mulierum puellarumque communitatibus (ex S. C. Episc. et Regul. 27 sept. 1861). Quod locum habet etiam de fœminis in conservatoriis et monasteriis degentibus, quæ identidem (uti Sorores caritatis hospitalibus inservientes) de uno loco in alium transferuntur: ex S. C. 12 febr. 1839. V. *Methodus quæ a S. C. E. et R. servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium.*

IX. S. Congregationi Episc. et Regul. expositum fuit: *Alle volte le monache o per motivo di salute, o per altra causa ottengono il permesso di uscire a breve tempo dal loro monastero,* retento habitu. *Si domanda se possono in tale circostanza confessarsi*

(1) Ad hæc datur nonnunquam et singulis monialibus peculiaris confessarius sive habitualiter, si ordinario confiteri *obfirmate recusent;* sive aliquoties, ut puta in gravi infirmitate, vel *pro majori animi sui quiete, aut ulteriori in vita Dei progressu.* Sed in hoc posteriori casu ex Benedicto XIV *petitio nec temere exaudiri nec sine causa rejici debet; sed concedenda, nisi aut postulantis aut confessarii requisiti qualitas aliud suadeat.* D'Annibale.

dai confessori approvati dall'Ordinario pro utroque sexu, *sebben non siano approvati* pro monialibus? *Respondit:* Affirmative, durante mora extra monasterium; 27 aug. 1852 (v. apud Scavini, *Instructio ad moniales,* l. IV, n. 519).

ART. 4. — De Sigillo Sacramentali.

745. **Sigillum sacramentale.** Est strictissima et indispensabilis obligatio servandi secretum circa ea, quæ ex Confessione sacramentali cognita sunt.

Oritur: 1) Ex jure naturali, quod vetat sub gravi infamare proximum et violare secretum sibi commissum — 2) Ex jure divino-positivo; nam ex Concilio Senonensi *eodem jure prohibetur revelatio confessionis, quo jure præcipitur ipsa confessio;* sed confessio est de jure divino — 3) Ex jure ecclesiastico; nam in Lateranensi sub Innocentio III habetur: *Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotis officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.* D. Thomas, *Suppl.* q. 11 (S. Alph., *l.* IV, *n.* 251; *l.* VI, *n.* 615).

746. **Principia.** I. Obligatio sigilli Sacramentalis est strictissima in omni casu, et obligat sub gravi, etsi ex non usu majus damnum sequatur; etsi manifestatio ad gubernationem exteriorem deserviret, quin pœnitens advertat; etsi agatur de unius venialis revelatione: vel aliter integra Confessio fieri nequeat (puta si nequeat fieri, quin vox attollatur); vel agatur de vitanda morte nostra vel aliorum; vel de totius Regni salute. Imo quamvis pœnitens jam sit defunctus. Una semper ac suprema ratio urget, periculum homines a Confessione retrahendi, qui semper etiam post mortem volunt bene haberi. Nec refert quod violetur sigillum in re parva; materia vel levissima hic includit totam præcepti rationem. Patet ex pluribus Pontificum decisionibus (1).

II. Obligatio sigilli sacramentalis oritur ex omni et sola

(1) *Frustra nonnulli politici* (ait doctus Stapf, § 337) *causantur silentium tam severum saluti publicæ adversari; imo potius salus publica hoc ipso rigore egregie promovetur. Si enim crimina quæ in reipublicæ perniciem tendunt, a confessario licite manifestarentur, nemo talium sibi conscius eadem confiteretur. Nunc vero ubi de absoluta sigilli integritate constat, erunt qui conscientiæ remorsibus acti de illis se accusent; tumque confessarius occasionem nanciscitur eos ad saniora consilia reducendi, ut et ipsimet a cœptis desistant, et suos simul socios omni modo retrahere conentur,* etc.

Confessione sacramentali, quæ nempe dirigitur ad propria peccata submittenda sacerdoti uti ministro Dei in foro Sacramentali. Ex *omni*, quia tunc adest tota ratio præcepti; idque etsi quis sacrilege confiteatur. Et *sola*, quia sola Confessio sacramentalis includit rationem hujus præcepti: idque valet, etsi non sequatur absolutio sive ex parte pœnitentis, quia est indispositus, nam *confessio non desinit esse sacramentalis* (ut ait d. Thomas, Suppl. *q.* 11), *quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat;* sive ex parte confessarii, quia caret debita jurisdictione (quem tamen pœnitens credit approbatum). Item obtinet quamvis pœnitens, antequam confiteatur, suas culpas committat sacerdoti propter Confessionem in posterum ei faciendam; nam talis manisfestatio est quasi inchoata Confessio. Item si quis confiteatur laico, quem putat confessarium; nam ex parte pœnitentis Confessio est sacramentalis.

III. Qui certo Confessionem ficte ageret, eamque dirigeret vel ad furandum vel ad sacerdotem illudendum, aut seducendum, vel ad se conquerendum aut eleemosynam tantum extorquendam, cum ne inchoative quidem sacramentaliter confiteretur, hoc jus non acquirit; etsi adhuc ex prudentia tacendum esset. Dixi *certo;* in dubio enim semper præsumendum in favorem Confessionis; et semper in hac re quod est tutius sequendum est, ob periculum reddendi Confessionem odiosam *(S. Alph.,* l. VI, n. 633).

IV. Sigillum sacramentale dupliciter violari potest, directe et indirecte. *Directe,* expresse propalando aliquid ad secretum confessionis pertinens. *Indirecte,* aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere valeat aut suspicari peccatum pœnitentis ex confessione cognitum esse; vel aliud, ex quo ipsi pœnitenti aut aliis (puta complicibus) pudor, dedecus aut gravamen quodcunque evenire possit.

Hac in re nulla cautela satis; ideo imprudenter agit qui peccata in specie nominans dicit: *Hæc ego audivi olim in Confessionibus;* etsi enim sigillum non violetur, laici tamen scandalizantur. Imo etiam periculum esse potest, ne ex circumstantiis peccati, personæ, loci, pœnitens ab auditoribus dignoscatur ut aliquando evenit non sine ingenti animarum detrimento ac scandalo *(S. Alph.,* l. VI, n. 638; *Scavini,* l. III, nn. 498, etc.).

747. **Violatio directa Sigilli sacramentalis.** Directe violatur, si expresse revelentur ea, quæ sub ipso cadunt; et sunt:

1) *Peccata omnia* pœnitentis etiam venialia, tam futura

quam præterita, tam occulta quam manifesta, modo in ipsa Confessione sacramentali deposita sint. Hinc cap. *Omnis de pœn. et remiss.* habetur: *Caveat autem* (confessarius) *omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquem prodat peccatorem* (D. Alph., *l.* VI, *n.* 641).

2) *Peccata commissa in ipsa Confessione,* v. g. impatientiæ in confessarium. Hæc reddunt aliquo modo Confessionem odiosam: quatenus judicium probabile præbent quod in illa erumpat pœnitens, quia confessarius severius cum illo egit (non tamen caderet sub sigillo furtum in damnum confessarii in Confessione commissum). Item sub sigillo cadunt *peccata complicis,* etsi imprudenter manifestata.

3) *Peccatorum circumstantiæ,* quas pœnitentium interest taceri, etiamsi dictæ sint post absolutionem; v. g. si spurius Ordines sacros susceperit. Item *peccatorum objecta:* v. g. si quis se confiteatur matrem suam odisse, quia adulterium commisit; adulterium cadit sub sigillo. Item *scrupulositas* pœnitentis; quia aliquo modo est materia Confessionis; et aliunde ex ejus manifestatione gravamen pœnitentis haberetur. Item *pœnitentia imposita*; nisi sit minima, quæ imponitur pro veniali levissimo. Sunt tamen qui id nullimode permittunt; quia pœnitens potuit confiteri ad petendum consilium.

4) *Omnia* uno verbo, quæ, attenta sæculi nequitia, pœnitentem irrisionibus exponunt, atque fideles a Sacramento avertere possunt. Hinc cadunt sub sigillo etiam defectus naturales, quorum manifestationem ægre fert pœnitens, ut esset dicere, quod sit hebes mente, natura iracundus, rudis. Non vero si agatur de defectibus qui rubori aut exprobrationi ei non sunt, ut est esse cæcum, surdum, mendicantem et hujusmodi; cum jam communiter ut tales innotescant *(S. Alph.,* l. VI, n. 642).

748. **Violatio indirecta sigilli sacramentalis.** Secretum Confessionis (ait *Gury)* indirecte violat:

1) Qui unum præ aliis quos audivit laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile de mortali suspicantur (1). Item si pœnitentem post confessionem torvo oculo respiciat, nec ei alloquatur ut prius solebat.

2) Qui de peccato pœnitentis vel aliqua circumstantia per solam Confessionem cognita, loquitur cum aliis, qui hoc ex pu-

(1) Etiam virtutes ac dona extraordinaria cadunt sub sigillo, si sequatur gravamen aliorum aut pœnitentis, ut si manifestentur ad declarandam ingratitudinem propriam *(S. Alph.,* l. IV, n. 641).

blica fama norunt, etiamsi audientes non advertant illud ex Confessione acceptum esse. Item, qui auditis paucorum confessionibus, dicit se tale audivisse peccatum, licet celet personam; singuli enim pœnitentes aliquid suspicionis contra se patiuntur.

3) Qui dicit se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse. Quia longa Confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem pœnitentis (nisi sciretur esse Confessionem generalem, aut a longo tempore resumptam, ita ut pœnitens hoc non ægre ferret). Item qui de Titio jam publice cognito uti furc, dicit eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse.

4) Qui alta voce aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem (nisi constet manifeste pœnitentem alia de causa argui, v. g. ob importunitatem). Quia est gravamen pro tali pœnitente; et alii possunt suspicari illum gravia peccata confessum esse. A fortiori si nimis vocem extollendo repeteret peccata pœnitentis, aut de eorum circumstantiis illum interrogaret.

749. Hic etiam grave monitum sit pro confessariis, ne videlicet permittant, ut adstantes nimis ad confessionale accedant. Sunt malitiosi, qui confessarii munus exercere vellent; cum tamen confessarii non sint. Quot inde scandala! *(S. Alph.,* l. VI, n. 655).

750. **Resolutiones:** 1) Regulariter non frangitur Sacramentale sigillum, si dicas, *Titium tibi esse confessum;* quisque enim confiteri solet. Hoc tamen nonnunquam periculosum esse potest. Quidquid sit, confessarius ad secretum naturale teneretur, si quis clam ad confitendum accessisset vel vellet servari secretum. Ut si pater iniquus nollet suam filiam confiteri, quæ ideo tenetur clam ad Confessionem accedere. Imo si pœnitens verbo vel facto, v. g. clam accedendo, significaverit se nolle sciri, quod sit confessus, confessarium violaret sigillum, si id diceret. Quia pœnitens confitendo confessario extraordinario de facili veniret in suspicionem gravioris criminis.

2) Si confessarius noverit aliquem ex Confessione solitum esse multa peccata vel tenuem dispositionem afferre, non poterit se celare vel excusari ab eo audiendo, quando non habeat causam externam et notam independentem a Confessione: secus uteretur notitia Confessionis anteactæ, illamque pœnitenti redderet odiosam. Erga hunc pœnitentem se gerere debet uti erga alium, cujus Confessionem nunquam excepisset.

3) Si confessarius requiratur de schedula Confessionis a studiosis, aulicis, etc., an illam possit exhibere non absolutis, diversi diversa sentiunt, ut ait s. Alphonsus (*l.* VI, *n.* 639). Sed sententia communior et probabilior distinguit: si schedula loquitur de sola Confessione, illa non debet negari; quia si negaretur, ex una parte revelaretur pœnitentis indispositio; ex alia si concederetur, non jam testificaretur absolutio

data, sed tantum Confessio facta, quæ jam revera facta est. Secus autem, si confessarius deberet scribere schedulam, quod pœnitens sit absolutus; quia tunc non obstat sigillum, sed mendacium quod juxta omnes intrinsece malum est; et ideo in nullo casu dicendum. Unde talem schedulam non faciat; sed pro omnibus scribat: *audivi N.* vel *N. confessus est mihi.* Attamen si schedulæ essent jam impressæ, et ibi assereretur jam absolutio data (quod a Prælatis permitti nunquam deberet), tunc mihi videtur probabile cum aliis, quos consului, licite posse eo in casu schedulam præberi etiam non absolutis, saltem cum palam eam petunt (etsi pœnitens se præsentet confessario, quin ei confiteatur). Quia tunc confessarius nec dicit nec scribit aliquod mendacium, sed tantum ponit illam actionem materialem præbendi schedulam, quam cæteroquin negare non potest, quin ipsam pœnitentis indispositionem manifestet (1).

4) Per se loquendo non violat sigillum qui dicit *se talem absolvisse;* quia id pœnitenti onerosum non est; attamen posset ex quibusdam adjunctis onerosum evadere aliis, de quibus id dici nequeat. Proinde parentes, magistri, hæri interrogantes de data filiis, discipulis, subditis absolutione, remittantur ad ipsos pœnitentes. *Gury.*

5) Communius docent cum d. Thoma, quod illud quod homo alias scit sive ante Confessionem sive post, non tenetur celare quantum ad hoc quod scit ut homo; potest enim dicere: *scio illud quia vidi.* Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, nec de hoc loqui, nisi immineat necessitas (*Suppl. q.* 11, *a.* 5).

6) Si confessarius actu quo Missam celebrat, interrogetur a serviente, an particulam ponere debeat pro Communione pœnitentis vix antea confessi, quem confessarius scit dimisisse inabsolutum, tunc ad declinandum quodcunque revelationis periculum respondere debet: *Interroga ipsum, an velit communicare.* Hoc generatim observandum est maxime, quando agitur de paucis confessis. Hinc capellanus qui infirmum in periculo invenit indispositum ad absolutionem ob occultum peccatum, si aliud non sit subterfugium, potest Parocho respondere: *Nunc infirmum posse communicari, si ipse petit; de hoc enim illum non interrogavi,* vel *nunc poterit disponi ad Communionem, si ipse velit.* Et si parochus sit qui Confessionem excepit, si infirmus postea petit etsi occulte communicari, communicandus est; secus confessarius uteretur notitia pœnitentis indispositionis cognitæ ex Confessione. Juxta alios eo in casu infirmus poterit extra Confessionem interrogari, si velit Viaticum suscipere, et si affirmative respondeat, fiat; cum enim sit occultus peccator et publice ipse petat, jus habet, ut Communio ei publice ministretur (*S. Alphonsus*, l. VI, n. 658).

7) Violat sigillum confessarius qui asserit in aliquo loco gravia crimina committi, si oppidum sit parvum, etsi crimina sint publica, nec personam manifestet. Cum revelatio redundet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen pœnitentis, qui illius communitatis est membrum; quique, cum pauci sunt incolæ, de facili notatur. Si vero oppidum sit amplum et crimina audita in Confessione sint publica, sigillum non violat: nam peccata jam omnibus aliunde sunt nota. Sic jure permittitur concionatoribus contra eadem publice insurgere, modo non dicant se ea scire ex Confessionibus, nec de-

(1) Si pœnitens simulatam confessionem facit, v. g. ad schedulam arripiendam, non frangitur sigillum si illa denegetur; cum non interveniat vera confessio. *Lugo.*

scendant ad circumstantias particulares (1). Ita licet confessario alicujus communitatis concionando loqui in communi de defectibus, quæ in similibus communitatibus committi solent, aut possunt. Idem dicito de parocho parvi oppidi. At non possunt Missionarii peccata graviora in Confessione audita in genere parocho revelare, ut magis invigilet ex S. Congr. Concilii 18 nov. 1681 *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 654).

8) In veriori sententia frangit sigillum qui diceret in tali monasterio audivisse peccatum grave, etsi non nominetur persona; quia tunc singuli illius conventus detrimentum patientur. Aliter esset, si diceret se audivisse peccatum grave alicujus religiosi in genere, quin Ordo nominetur; cum inter varios Ordines non desint aliqui minus boni. Verum ob scandalum laicorum id sedulo cavendum est.

Casus 1. Sisinius in collegio confessarius notitia in Confessione habita utitur, ut occurrentibus extra Confessionem pœnitentibus magis blandiatur, et sic ipsis animum faciat. Nec non superiores admonet de majori vigilantia: *vigilate, maxime in tali loco ac tempore.* Quid?

R. Violavit indirecte sigillum declarando specialiter tali loco et tempore esse vigilandum, cum hoc esse nequeat sine pœnitentium gravamine. Non ita autem potest stricte damnari si tantum de generali vigilantia sit locutus, quamvis abstinere deberet et silere omnino perinde ac si nihil prorsus audivisset in Confessione. Satagere autem potest, ut se magis amænum erga pœnitentes ostendat, ut iis animum faciat eorumque fiduciam in se conciliet; nullam enim est in hoc revelatio confessionis neque gravamen pœnitentis.

Casus 2. Camillus parochus ancillæ suæ periculose ægrotantis confessionem excipiens comperit eam esse ex delicto gravidam. Ancilla convalescit; parochus posito prætextu malæ valetudinis, sed vere quia gravida, eam a domo sua dimittit. *Peccavit parochus, quia egit ex notitia confessionis cum gravamine pœnitentis. Poterat quidem in Confessione imperare famulæ, ut discedat ad scandalum arcendum; sed si nolit, nil remanet nisi, ut divinæ providentiæ Camillus se accommodet.* Gury.

751. **Qui obligantur sigillo sacramentali.** Ad illud tenentur omnes, ad quos pervenit quomodocunque sive mediate sive immediate, sive licite sive illicite notitia Confessionis sacramentalis. Tales autem sunt:

I. Non tantum confessarius, qui peccata pœnitentis audit;

(1) « Dubium restat, quandonam oppidum dicatur parvum, et quandonam magnum. Ego sic dicerem, sicut aliorum etiam cœpi consilium: ut dici possit *hic regnat blasphemia,* requireretur ut oppidum constaret saltem tribus millibus personis circiter; sed minus, si tantum diceretur *hic committuntur multa peccata gravia,* quin nominentur in specie.

» Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam (quod tamen esset etiam publicum), meo judicio requiritur, ut oppidum sit valde populo frequens, v. g. sex aut septem millibus animarum. Si concionator vero haberet notitiam peccatorum extra Confessionem, potest majori libertate loqui; sed pariter cautione utendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis, qui ei confessi sunt. » Ita s. Alph., *Ho. ap.,* tr. XIV, n. 158; *et Opus mor.,* l. VI, n. 654.

Ex d. Thoma in 4, d. 21, a. 1: *Potest dicere prælato, quod diligentius invigilet super gregem suum, ita tamen quod non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confitentem prodat.* Verum hic nulla cautela satis, cum difficile sit periculum evitare vel revelationis vel gravaminis pœnitentis *(S. Alph.,* l. VI, n. 657).

sed etiam superior, a quo petitur licentia a reservato absolvendi; nam id ordinatur ab absolutionem. Item probabilius interpres, si illo uti velit pœnitens; nam hic actu concurrit ad Sacramentum. Item qui casu aliquid audit, nisi pœnitens ad majorem sui confusionem velit publice confiteri. Item quibus aliquid sacrilege revelatum est, qui de hoc neque possunt inter se verba facere. Item laicus, qui pro sacerdote a pœnitente habitus sit.

II. Doctor vel alius, qui cum venia pœnitentís a confessario consulitur quoad suam Confessionem, saltem in sententia probabiliori cum d. Thoma; quia etsi non sit sacerdos, attamen *participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem* (Suppl., 3 p. q. 11, a. 3). Si vero ante confessionem ab ipso pœnitente petitur consilium, an qui consulitur teneatur ad sigillum, puto affirmandum si apud ipsum velit pœnitens confiteri; quia talis manifestatio est quædam inchoata confessio. Negandum probabilius, si consilium exquiratur circa confessionem alteri faciendam; consiliarius nonnisi remote concurrit ad confessionem, et proinde non tenetur nisi ad secretum naturale arctissimum, seu secretum consilii, ut vocant.

III. Qui rogatus, puta e rude, ejus Confessionem scripsit; nam proxime concurrit ad confessionem. Item valet de confessario qui puerum ad confessionem sibi faciendam parat, si forte aliquod peccatum eidem manifestetur. Non tamen (ut probabilius ac communissime docent) ad sigillum tenetur qui chartam legit, ubi pœnitens scripsit peccata (quamvis eam manifestando gravissime peccet proximum infamando); nam scriptura non est de se medium ordinatum ad Confessionem. Sed aliter est si scriptura actu legatur, quo quis per eam confitetur; quia revera legens habet notitiam Confessionis ex confessione ipsa. Item est si scriptura esset jam consignata sacerdoti, ut eam legat pro confessione *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 647).

752. Pœnitens autem verius non tenetur sigillo sacramentali, sed tantum secreto naturali relate ad res in Confessione sibi dictas a confessario, si earum revelatio possit illi damnum quodcunque afferre. Sigillum enim sacramentale inductum est tantum in favorem pœnitentis.

753. Cæterum quamvis pœnitens non teneatur nisi secreto naturali, videtur tamen teneri strictius quam alii. Cum enim confessarius necessario obligetur ad dirigendum et adjuvandum pœnitentem hortationibus atque consiliis; ideo pœnitens rigo-

rose tenetur cavere, ne ille exponatur dicteriis et irrisionibus (*S. Alphonsus,* l. VI, n. 647).

754. **Confessionis notitia.** Confessario nefas est de peccatis sibi in Confessione notis extra Confessionem loqui etiam cum ipso pœnitente ad quemcunque bonum finem, nisi de certa, libera, spontanea, expressa ac formali, nec revocata ejus licentia; quia id semper redderet Confessionem odiosam et pœnitenti ruborem afferret (1). Quare sacerdos post confessionem ita se gerat cum pœnitente, ac si ille nunquam sibi fuisset confessus.

Dixi *extra Confessionem;* pœnitentis enim licentia non est necessaria, ut confessarius in actu Confessionis loqui possit cum ipso de culpis, quas in aliis confessionibus ab eodem audivit. Nam ad munus Judicis ac Medici, quo fungitur, pertinet recolere peccata Confessionum præcedentium ad pœnitentem ipsum melius corrigendum. Discreta tamen sit hæc confessarii locutio circa præterita pœnitentis, et quidem nonnisi cum gravi causa; nam grave est pœnitentibus renovare memoriam peccatorum, quæ alias sunt confessa et absoluta.

755. Potest etiam confessarius aliquando uti notitia Confessionis in sui favorem, uti docent communiter, v. g. ad se cautiorem reddendum in re familiari, ad socordiam suam excutiendam, ad diligentius invigilandum super gregem suum, ad mores proprios reformandos, ad consulendos libros, ad rigorem temperandum, aut orandum pro pœnitente. Aliud est enim frangere sigillum quod nunquam licet; aliud uti notitia Confessionis sine ulla fractione sigilli. Sed hæc tria simul requiruntur (quæ quidem vix haberi possunt): 1) Ut nulla vel levissima detur suspicio peccati auditi in Confessione. 2) Nullum omnino gravamen pœnitenti sit obventurum. 3) Nullum odium nullumque irreverentiæ periculum Sacramento certissime immineat (*S. Alphonsus,* l. VI n. 659) (2).

(1) Cum sigillum Confessionis sit institutum in favorem pœnitentis, potest illi renuntiare, si aliud non obstet, et *facere ut illud quod sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo;* d. Thomas, *Suppl.*, q. 11, a. 2.

(2) Si ex confessione Lucii tu didiceris tibi peregre ituro parari insidias, an possis iter differre aut divertere, si exinde hi qui eas pararunt suspicari merito possint te ex confessione Lucii id accepisse, alii negant cum Liguori, affirmant alii cum Laymano; illi stricto jure verius. Illud dicam quod sentio; confessarius e pœnitente licentiam petat, qua sibi liceat ea notitia uti; si negat, is nequissimus omnium, adeoque confessario pro certo esse poterit hunc non confiteri sibi, verum illudere voluisse. *D'Annibale.*

Si tamen quæ ex confessione audivit jam nota habeat confessarius, non prohibetur de eis loqui, modo alii intelligant ipsum hæc aliunde scire. Ideo non prohibetur parochus publicum concubinarium quem inabsolutum dimisit, a Communione removere, monens ut prius scandalum auferat. *S. Alph.*, l. VI, n. 657.

756. Item si confessarius opus habeat alterius consilii quoad peccatum auditum, illud petere potest ex canone *Omnis utriusque de pœnitentia;* at caute omnino, ita ut nulla suspicio ingeratur de pœnitente. Imo casus tanquam hypoteticus ac futurus exponatur, si nempe forte contingeret; idque privatim, et nonnisi quando aliter, neque per libros facile difficultas solvi possit. *S. Leonardus.*

757. **Rogatus de auditis in Confessione.** Confessarius rogatus respondere debet: 1) Indirecte objurgando interrogantem: *Quamnam interrogationem facis? Miror te sic me alloqui!* 2) Poterit etiam respondere directe, et dicere absolute etiam cum juramento, se nescire. Ratio ex Angelico (in 4, d. 2, q. 8): *Homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; et ideo absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus* (S. Alphonsus, *l.* VI, *n.* 616).

758. Quod si confessarius interrogetur an dederit absolutionem, respondere potest: *Functus sum officio meo.* Vel erit melius respondere exprobrando: *Suntne interrogationes faciendæ?* Quod valet etsi agatur de publico peccatore. Uno verbo nostrum semper sit illud effatum: *Quod ex confessione scio, minus scio quam illud quod nescio.*

ART. 5. — De Defectibus corrigendis in Confessione commissis.

759. **Error confessarii circa valorem Sacramenti.**

I. Si confessarius inculpabiliter erravit putans pœnitentem absolvisse, cum non absolverit, videntur convenire, simplicem confessarium non teneri cum gravi suo incommodo honoris, famæ aut bonorum pœnitentem admonere de defectu. Non enim tenetur *ex quasi-contractu* cum pœnitente inito; quia ex contractu gratuito (qualem inire censetur confessarius, qui non est in cura animarum) nemo ad damnum resarciendum tenetur, quod saltem sine sua culpa alteri parti acciderit. Sed tantum tenetur *ex caritate;* sed caritas non obligat cum gravi incommodo. Excipe nisi pœnitens esset in periculo mortis, vel in periculo non amplius se confitendi; tunc caritas urget, ut saluti æternæ proximi omnimode provideatur — Sed aliter videtur dicendum de illo qui curam animarum habet; nam iste strictius tenetur ratione sui ufficii ac stipendii (si adhuc facultas adest) ad reparandum grave damnum spirituale parochianis suis, etiam sine culpa illatum.

II. Si vero erravit culpabiliter, sunt qui simplicem confessarium liberant ab onere defectum emendandi, si id nequeat sine gravi incommodo. Sententia tamen quam sequor, affirmat eundem sicuti parochum teneri defectum corrigere sub gravi, si defecerit graviter. Nam quamvis confessarius in hypothesi onus audiendæ Confessionis susceperit ex caritate; postquam audivit, tenetur ex quasi-contractu oneroso cum pœnitente tacite inito rite eidem ministrare Sacramentum. Si ergo invalide administravit sua culpa; tenetur ex justitia de errore pœnitentem admonere. Excipiunt probabiliter si pœnitens vel jam alteri confessus sit (cum tunc certo moraliter præsumatur justificatus); vel Eucharistiam susceperit; nam ex d. Thoma Eucharistia cum attritione et bona fide suscepta primam gratiam confert per accidens *(S. Alph.,* l. VI, n. 619).

760. Confessarius autem non potest loqui cum pœnitente extra Confessionem de defectu admisso, sine ejus licentia; nam licet monitio fiat ad reparandum defectum præteritæ confessionis, tamen cum non sit conjuncta cum illa, utpote judicio jam completo, evadit prorsus illicita; esset enim quædam peccati exprobratio. Hinc etiam deducitur, quod si ex monitione gravis prævideretur offensio in pœnitente, probabilius confessarius monitionem debet omittere, ne sigillum quomodocunque lædat.

Hoc tamen volunt intelligendum, si confessarius judicium revera perfecerit absolutionem impertiendo. Nam si oblitus fuerit absolvere, valde probabiliter dicunt posse confessarium, non petita licentia, significare pœnitenti ipsum non absolvisse: tunc non habetur peccati exprobratio; si tamen supponi etiam possit, quod monendo reapse gravis non sequatur offensio pœnitentis *(S. Alph.,* l. VI, nn. 619, 622).

761. **Error confessarii quoad Confessionis integritatem.** Si confessarius in hoc culpabiliter erravit, quod negative se habuit, id est neglexit interrogare de speciebus, numero ac necessariis circumstantiis peccatorum, non tenetur errorem reparare, nisi intra ipsam Confessionem, si pœnitens redierit. Nam obligatio faciendi Confessionem integram afficit directe pœnitentem, non vero confessarium, qui licet in Confessione teneatur de hisce interrogare ut efformet judicium rectum, finito judicio, cessat obligatio.

Si vero culpabiliter et positive pœnitentem deceperit, dicendo non esse necessariam talem explicationem, tenetur errorem reparare (etiam extra Confessionem, prævia pœnitentis licentia). Nam ex jure naturali quisque debet tollere causam mali,

quam positive et voluntarie posuit. Excipe si id nequeat sine gravi suo damno (vel sine offensione pœnitentis); nam sicut damnum grave excusat pœnitentem a Confessionis integritate, ita excusare debet confessarium.

Dictum est: *Culpabiliter;* si enim confessarius id fecerit fide bona, vel cum levi negligentia, non tenetur monere extra Confessionem; quia id sine incommodo nequit. Et aliunde hic error regulariter nulli nocet. Idem est si confessarius oblitus sit pœnitentiam imponere; etenim nihil defuit valori Sacramenti *(S. Alph.,* l. VI, n. 626).

762. **Error confessarii circa restitutionem.** Si confessarius de restitutionis obligatione pœnitentem non monuerit, videndum erit, an inculpabiliter id egerit an vero culpabiliter.

Si 1, non tenetur cum gravi incommodo pœnitentem monere, quia non est in culpa. Tenebitur tamen cum incommodo aliquali, petita licentia; quia caritas obligat quemcunque ad reparandum grave damnum proximi sui, si facile potest. Si 2, patet etiam simplicem confessarium ad monitionem teneri pro culpæ gravitate. Quod si monitionem omittat, sententia communissima docet illum non ideo ad restitutionem teneri. Nam confessarius non tenetur, nisi curare bonum spirituale suorum pœnitentium; et quidem si confessarius sit simplex, ex sola caritate; si vero sit in cura animarum, etiam ex justitia *(S. Alph.,* l. VI, n. 621).

763. Si confessarius in hoc erraverit, quod a gravi restitutione pœnitentem positive deobligaverit, vel obligaverit, cum ad id non teneretur, si ita se gessit cum culpa gravi, omnes dicunt confessarium qualemcunque teneri ad monitionem pœnitenti faciendam etiam cum gravi incommodo, vel intra Confessionem, si brevi pœnitens sit rediturus; vel extra Confessionem (petita venia), si non redeat. Alias si id non agat; vel amplius agere nequeat, quia pœnitens mortuus est; vel agat tardius, postquam pœnitens factus sit impotens, restituere tenebitur ipse confessarius, in hypothesi, qua pœnitens si fuisset prius admonitus, restituisset. In hoc enim casu confessarius suo consilio fuisset causa efficax et directa damni proximo illati.

Si vero confessarius ita se gessit ex levi negligentia, tenebitur monere pœnitentem cum incommodo levi; quia pro modo culpæ debet esse obligatio. Si admonere nequeat, vel pœnitentem inveniat inhabilem ad restituendum, non ipse tenebitur; cum non deliquerit graviter: tanto minus, si non sit in culpa *(S. Alph.,* l. VI, n. 621).

Art. 6. — De Sollicitatione.

764. **Sollicitatio**. Sollicitationis vocabulo in sacramento Pœnitentiæ intelligitur: *Invitatio, incitatio, provocatio ad res venereas facta a confessario, sub datis tamen clausulis* (S. Alph., *l.* vi, *n.* 687).

Principia. I. Sollicitatio est impium et nefandum scelus, quo confessarius et gravem Sacramento injuriam irrogat eo abutens ad rem adeo turpem, et lethale pœnitenti infert damnum, ei pro medicina venenum porrigens. Imo qui est in cura animarum in hoc delinquens contra justitiam specialiter peccaret; cum ex justitia vi officii graviter teneatur oves suas verbo et exemplo pascere.

II. Gregorius XV Constit. *Universi* anno 1611, et Benedictus XIV Constit. *Sacramentum* anno 1741 mandant omnibus Inquisitoribus et locorum Ordinariis, ut procedant contra sollicitantes ad turpia in Pœnitentiæ sacramento (non ideo in aliis Sacramentis) — Et præcipiunt monendos esse fideles de gravi obligatione denuntiandi omnes et singulos sacerdotes cujuscunque dignitatis, qui aliquem pœnitentem quæcunque persona illa sit sive mulier sive vir, ad turpia sollicitare vel provocare tentaverint (non ergo si sollicitant ad alia crimina, v. g. furti, etc.); aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habuerint, sive literis sive nutibus sive tactu, uti sunt oscula, amplexus impudici, aliaque signa libidinosa, quibus uti solent allicientes ad amorem inhonestum, etsi ultra non progrediantur *(S. Alph.,* l. vi, n. 687) (1).

III. Non refert, quod multum temporis a sollicitatione effluxum sit (attamen circumstantia manifestetur); vel quod crimen sit occultum; vel quod jam ab alio sit facta denuntiatio; nam obligatio afficit unamquamque personam. Nec refert quod sacerdos in Confessione sollicitans non sit ad Confessionem approbatus, vel quod fuerit a pœnitente sollicitatus si semel consenserit sollicitationi. Nec refert si pœnitentem non absolverit; vel quod sollicitationis complementum ad aliud tempus differat, ex S. Officii C. 20 febr. 1867 *(S. Alph.,* l. vi, n. 696).

765. **Pœnæ statutæ**. I. Contra sollicitantes ex Const. Gregorii XV adest privatio beneficiorum, dignitatum, officiorum,

(1) Bullæ Gregorii XV et Benedicti XIV de sollicitatione, in approbatione confessariorum ab ipsis coram superiore attente sunt legendæ, prout præcipit idem Benedictus. Has autem Bullas synodales Constitutiones passim referunt.

et perpetua ad illa inhabilitas. Regulares insuper privantur voce activa et passiva. Omnes istæ pœnæ ferendæ sententiæ.

II. Sollicitantes ex Decreto Benedicti XIV 5 aug. 1745 incurrunt perpetuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem; sed est ferendæ sententiæ ex Instruct. S. Officii 20 febr. 1867.

III. Pœnitens sollicitatus, qui infra mensem culpabiliter non denuntiat suum sollicitatorem in re turpi, et graviter delinquit et incurrit excommunicationem nemini reservatam (v. t. I, n. 627). Dixi *pœnitens sollicitatus,* qui enim sollicitatus non fuerit, sed scit alterius sollicitationem et illum non denuntiat, non incurrit censuram, sed graviter peccat, et est absolutione indignus.

IV. Qui confessarios impie calumniando denuntiat, vel ab aliis id fieri mandat, ex citata Bulla Benedicti XIV, incurrit in casum Pontifici reservatum; sine censura tamen.

V. Execrandum hoc crimen, sicuti et obscœni actus inter confessarium et filiam spiritualem generatim cadunt sub episcopali reservatione. Aliæ autem pœnæ relinquuntur infligendæ arbitrio superioris *(S. Alph.,* l. VI, n. 687).

766. **Sollicitator denuntiandus.** Ex Bullis pontificiis, atque S. Officii decretis denuntiandus est:

1) Qui alium tentat sive ad hoc, ut inducat aliam ad secum peccandum; sive ut aliam inducat, ut hæc cum alio peccet contra castitatem.

2) Probabilius denuntiandus est sollicitans, etsi fuerit emendatus; nam hic non magis intenditur sollicitantis emendatio quam ejus punitio ad damnum Ecclesiæ reparandum, et fidelium scandalum. Hinc denuntiatio est facienda, nulla etiam præmissa correctione fraterna. Et quamvis sollicitator jam judicatus atque punitus fuit, ut est longe probabilius; tum quia non constat de sollicitantis emendatione, tum quia obligatio denuntiandi unumquemque afficit.

3) Denuntiandus qui puellam sollicitavit, quæ adhuc in simplicitate constituta non habuerit notitiam inhonestatis. Quæ statim ac pravæ sollicitationis compos effecta fuerit, ad denuntiationem tenetur.

4) Denuntiatio fieri debet etsi sollicitans sponte se denuntiaverit; vel sit vir bonæ famæ; agitur enim in hac re de bono publico (1).

(1) Interpres qui sollicitat in Confessione pœnitentem; item mandans confessario, ut in Confessione sollicitet, non sunt denuntiandi uti sollicitatores. Etsi isti ex decreto S. Inquisitionis si Confessionem audiant, sint denuntiandi de hæresi suspecti.

5) Si sollicitator jam defunctus sit, negatur probabilius adesse tale onus. Nam cessat omnino legis finis; nisi agatur de reparando damno aliis irrogato *(S. Alph.,* l. VI, nn. 686, 693).

767. **Qui tenetur denuntiare.** Præter ipsos sollicitatos (etiamsi impuberes, modo rationis sint compotes) tenentur denuntiare omnes, qui sollicitationem certo sciunt a fide dignis, etsi nequeant illam juridice probare. Etsi agatur de denuntiandis consanguineis. Etsi crimen sciatur sub secreto naturali; cum agatur de reparando damno communi (nisi sollicitatio sit manifestata ad petendum consilium). Attamen excommunicatio quæ incurritur non denuntiando, lata est tantum contra sollicitatum. Nemo autem tenetur se ipsum denuntiare; id natura refugit. Si tamen sollicitator sponte compareat, gaudebit beneficio sponte comparentium, id est salutaribus tantum monitis ac pœnitentiis punietur, nisi forte jam fuerit ab aliis denuntiatus: tunc pœna solum imminuitur *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 698).

Confessarius, etsi prœvideat sollicitatum non esse denuntiaturum debet adhuc illum monere; et sine absolutione illum dimittere si nolit, (vel recurrendum ad S. Sedem); quia res est de bono publico; vix enim per se dici potest quot mala eveniant ex confessariis corruptoribus: et ideo generatim non excusat timor incurrendi denuntiati indignationem *(S. Alph.,* l. III, n. 694).

768. **Quomodo facienda denuntiatio.** Forma juridica et ordinaria pro denuntiationibus peragendis est, ut persona sollicitata adeat Ordinarios locorum, vel Inquisitores; nam denuntiationis onus est personale. Sed pro casibus peculiaribus, ut si sollicitatus induci nequit ad denuntiationem personaliter peragendam, id agere debet per epistolam vel internuntium, proprium nomen et cognomen subscribendo (1); per literas anonymas esset insufficiens. Et facta est facultas Ordinariis et Inquisitoribus delegandi ad denuntiationes excipiendas quemcunque confessarium, qui bene instruatur de modo, et juramentum emittat *de silentio servando, et fideliter sibi munus commissum exercendo.* Sed generatim confessarius ne facile assumat obligationem denuntiandi loco pœnitentis; ne detractionibus ac periculis se exponat *(S. Alph.,* l. VI, n. 699).

Si confessarius sollicitator sit diversæ Diœcesis, et ibi de-

(1) « Non potendo farla a voce (la denunzia) il penitente è obbligato a farla in iscritto o per terza persona, come dichiarò formalmente la S. Congregazione del S. Ufficio in un'Istruz. del 20 febr. 1867; e perciò oggimai ha cessato di avere qualsiasi probabilità l'opinione contraria sostenuta dal Frassinetti contro s. Alfonso e la comune dei teologi. » *Ciolli.*

sunt Inquisitores, denuntiatio fit Episcopo loci, in quo confitetur pœnitens. Illius est excipere juratam denuntiationem eamque Episcopo sollicitantis mittere si necessarium judicat.

769. **Clausulæ ad sollicitationem.** Quoad sollicitationem ad turpia ex Pontificiis Constitutionibus, quatuor notantur modi, ut ea dicatur intervenisse. Nempe si fiat: 1) In actu sacramentalis Confessionis. 2) Immediate ante Confessionem, vel immediate post. 3) Occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta. 4) Prætextu Confessionis, etsi confessione non secuta. 5) Extra occasionem Confessionis in confessionali, vel in loco ad audiendas Confessiones electo, simulando tamen ibidem Confessionem audire.

I. Sollicitatio ad turpia habet locum *in actu sacramentalis Confessionis*, quando confessarius incœpta Confessione, apponit media, etsi prima fronte indifferentia, quibus postea sollicitat, ut si in Confessione imponat mulieri, ut eum domi expectet; aut eam interroget ubi habitet, an sola moretur, et postea confessarius illuc se conferat, et illam sollicitet — Idem dicendum est, si confessarius et pœnitens sese invicem sollicitent (mulier tamen non tenetur suum consensum aperire, neque de hoc interroganda) — Item si confessarius laudet mulierem confitentem de pulchritudine, si laus illa certo cognoscatur fieri ex pravo affectu; secus vero si laudet ex quadam imprudentia vel animi levitate.

II. *Immediate ante vel immediate post;* hoc stricte intelligendum, ita ut nullum intervallum intercedat inter sollicitationem et Confessionem. Sic qui mulierem ante pedes genuflexam ad confitendum sollicitat (etsi nondum se crucis signo munierit), dicitur *sollicitare immediate ante;* licet Confessio postea non sequatur — Qui vero statim finita Confessione (alio non interposito negotio) ducit, v. g. puerum in cubiculum et eum sollicitat, dicitur sollicitare *immediate post.* Item dicito si statim post Confessionem confessarius dicat pœnitenti: *Me expecta paulisper,* et aliquo tempore elapso pœnitentem sollicitet; nam immediate post confessionem sollicitationis initium habetur. Sed ex praxi S. Officii non censetur confessarius sollicitare *immediate post,* si sollicitatio transacto integro die accidat. Si tamen confessarius jam suum pravum animum in Confessione indicaverit, esset denuntiandus ex alia clausula; nam sollicitaret occasionem sumendo a Confessione.

III. *Occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta.*

Confessionis *occasio* intelligitur de Confessione vere petita, uti esset si confessarius rogatus a muliere ad ejus Confessionem audiendam, ad alia divertit, et differendo ad aliud tempus Confessionem, interim eam sollicitet; esto nondum ipse sederit pro tribunali. Item est probabilius, si ob fragilitatem in Confessione auditam, mulierem vel in via sollicitet, vel accedat domum ejus ad illam sollicitandam, vel literis ipsam sollicitet etsi non statim fiat post Confessionem; si tamen ex certis Confessionis indiciis impulsus dignoscatur provenire ab ipsa Confessione, uti si post audita turpia pœnitentis peccata, interroget ubi habitet, an sit sola, etc.; quippe in confessione sic interrogando indicia satis certa præbet pessimæ suæ intentionis (1). Et hoc multo magis, si in confessione dicat mulieri nihil mali esse in adulterio, in fornicatione, et postea adeat ejus domum eamque sollicitet; imo esset etiam suspectus de hæresi.

IV. *Prætextu Confessionis, etiam Confessione minime audita.* Prætextus tamen debet esse de Confessione quæ fingitur. Hinc denuntiandus est confessarius, qui ex pravo fine ficte incitat mulierem ad Confessionem et deinde illam sollicitat. Secus vero qui licentiam a superiore peteret, ut in domum mulieris se conferat prætextu Confessionis, sed finis esset simpliciter eundi ad eam tentandam; quia Confessionis prætextus non est respectu pœnitentis, sed superioris. Item probabilius non est denuntiandus qui cum pœnitente convenit, ut se infirmam simulet, et prætextu Confessionis ad se eum advocet. Quia sollicitatio non fit prætextu Confessionis, sed sub tali prætextu executioni mandatur indigna conventio; adeoque prætextus non inservit ad sollicitandum, sed ad parentibus illudendum.

V. *Vel extra occasionem Confessionis in confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo* (sive domi id evenerit, sive in agro, sive in via aut alio loco pro re nata electo), *cum simulatione ibidem Confessionem audiendi.* Ex Decreto Sacræ Inquisitionis colligitur, quod simulatio Confessionis, ut sit denuntiandus confessarius, debeat intervenire,

(1) Quid si confessarius addiscens in Confessione pœnitentem valde ad turpia proclivem ac vehementi amore erga ipsum captum, in ipsa confessione nihil prorsus agat a Sacramento alienum; sed paucis elapsis diebus domum pœnitentis adeat et cum eo peccet? Alii contendunt non adesse veram sollicitationem, ut debeat confessarius denuntiari; nam proprie is non utitur occasione confessionis, sed tantum notitia ex confessione habita. Verum probabilius alii contrarium sentiunt; cum enim sollicitatio a confessione impulsum habeat, satis verificatur quod occasione confessionis fiat sollicitatio; ex confessione notitiam sumit, ex notitia sollicitandi ansam capit et sollicitat (*S. Alph.*, l. VI, n. 678).

etsi sollicitatio fiat in confessionali. Hinc denuntiandus est sacerdos qui rogatus a muliere, ut ejus Confessionem audiat, eam sollicitat, a Confessione dissuadens, si id eveniat in confessionali seu in loco designato ad Confessionem, prout esset etiam cubiculum personæ vere vel ficte ægrotantis. Secus vero si talis sollicitatio eveniat extra locum Confessionis, et absque Confessionis prætextu. Neque est denuntiandus sacerdos qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante illud, non tamen simulando Confessionem *(S. Alph.,* l. VI, n. 678).

A Sancti Officii Congregatione quæsitum fuit: 1) An loca in quibus excipi solent Confessiones Monialium habenda sint ut loca destinata ad audiendas Confessiones, vel ut vera confessionalia? — 2) An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum, in quibus excipi solent confessiones monialium claustralium, et in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis, quæ vulgo dicuntur *Conservatorii, Ritiri?* — 3) Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales et alios degentes in prædictis locis; an etiam quoad alias mulieres extraneas?

S. Officii Congregatio 25 nov. 1874 respondendum censuit: Ad tria dubia prout exponuntur, *Affirmative.*

Casus. Sacerdos confessarius audiens puellæ confessionem eam prosequitur verbis amorosis. Puella tunc in ea ætate non intellexit verba sollicitantia; post aliquot annos cognoscit ea revera prolata fuisse ad eam sollicitandam. *Non est dubium quod puella tenetur denuntiare ex quo id advertit; vera enim sollicitatio intercessit, et hoc satis est, ut denuntiatio fieri debet; nec longum tempus factum destruit.*

770. **Dubiæ sollicitationes.** Non est imponendum onus denuntiationis in dubio sollicitationis; tum quia verba in partem meliorem accipienda sunt; tum quia in dubio nemo privandus est fama quam possidet. Excipe:

1. Si accedant indicia vehementia de vera sollicitatione, uti si confessarius in Confessione, aut immediate post, vel occasione aut prætextu Confessionis in confessionali (aut in alio loco ad Confessionem tamen audiendam electo, et simulando Confessionem) dicat: *Tecum nuberem, si essem sæcularis. Hæc tua peccata me inducunt in pollutionem. Experirisne erga me tentationes, quas ego sentio erga te? vellem te semper videre; si quis daret tibi pecuniam, peccaresne?* et postea pecuniam præberet. Hæc enim sunt impertinentia ad Confessionem, ac aliunde sunt nata ad alliciendum ad amorem pravum.

2. Si verba in Confessione dicta sint aperte excitativa ad venerem, et solum dubitetur, an confessarius ad malum finem ea protulerit. Vel si confessarius dicat: *Veniam in domum tuam*

et promitte mihi facere quod voluero, vel *expecta me hodie domi tuæ, quia habeo tecum loqui;* vel *veni sola in domum meam*, etc.; et inde veniendo revera locum habeat sollicitatio. Nam esto quod ea verba de se sint indifferentia; at per actus subsequentes jam satis determinatur qua mente in Confessione fuerint pronuntiata.

3) Si confessarius dicat mulieri sibi confitenti nihil mali esse in mutuis amoribus *(amoreggiamenti)*, et post domum veniens eam sollicitet; nam per ea verba sat patefecit pravam suam intentionem. Item est si confessarius suadeat in confessione mulieri, ut sibi domi verenda ostendat quæ infecta morbo dixit; sunt enim hæc actiones inhonestæ a confessione per actum externum, occasionaliter. Item si confessarius dum audiebat unius mulieris confessionem, fecit signa inhonesta alteri ante conspectum existenti, si hæc persona ibi erat ut confiteretur; nam sollicitasset *occasione Confessionis* (S. Alph., l. VI, n. 702).

771. **Resolutiones pro praxi:** 1) Si gravissimis difficultatibus persona sollicitata impediatur a denuntiatione statim facienda, confessarius poterit illam absolvere, si serio promittat illam agere causa cessante. Quod si denuntiando timeat grave damnum pœnitens ab ipso denuntiato, vel si nullo impedimento detentus denuntiationem omnino renuat, in hoc casu laudandus est confessarius qui operam suam pœnitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel S. Pœnitentiariam, pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso pœnitentis nomine. Ita S. Congr. Officii 20 febr. 1867.

2) Constitutiones apostolicæ circa sollicitantes obligant omnes totius catholici orbis confessarios sive sæculares sive regulares; cum illæ generatim datæ sint; et ita declaravit expresse C. S. Officii 1 junii 1775, et nuper 20 febr. 1867 — Cæterum vel independenter a Pontificiis Constitutionibus, ille qui scit sacerdotem vel clericum habitualiter turpiter vivere, aut ad turpia sollicitare, teneretur (ipsa caritatis lege) illum Episcopo denuntiare; agitur enim de avertendis gravissimis malis in ruinam delinquentis, in perniciem animarum et in Religionis dedecus vergentibus. *Bouvier*.

3) Non facile est adhibenda fides omnibus mulieribus, quæ de sollicitatione accusant confessarium; cum aliquando nonnullæ atrociter calumniatæ sint pessimo fine vel ex odio, vel vindicta. Omnia igitur mature considerentur, maxime si mulier nimis facilem se præbet ad denuntiandum, vel si non sit uniformis in circumstantiis narrandis, etc.; hæc enim malam suspicionem ingerunt. Igitur severe moneantur tales mulieres quæ falso accusant, ipsas sicuti et mandantes, consulentes incurrere in casum Pontifici reservatum, præter gravissima peccata, quibus inquinantur et retractationis obligationem. *Gury*.

4) Denuntiatio scripto fieri debet ab ipsa denuntiante firmando. Attamen si confessarius illam recipere nequeat, nisi in ipso confessionali (quod evenire potest si puellæ jugiter sociam habeant), neque ad illum literas firmatas mittere valeant; verbis denuntiationem tum excipiat, et statim illam scripto mandare ne obliviscatur, ut sollicite

eam ad superiorem mittat. Attamen de casu certiorandus Episcopus, ut ab ipso ad denuntiationem recipiendam delegetur. *Frassinetti.*

5) Regula generalis est, ut monitio fiat de obligatione denuntiandi in omni eventu; at casus potest contingere (iterum Frassinetti) in quo prudentia aliud suggerit; ut si ad confitendum accedat mulier quæ illico in longinqua (in Americam) est profectura. Confessarius auctoritatem non habet denuntiationem recipiendi, ipsa autem se Episcopo præsentari nequit. Si confessarius ipsam admoneat de obligatione, ejus conscientiam turbaret; præstat illam in bona fide relinquere et absolvat, ipsam monendo ut statim ac pervenerit ad locum suum, in confessione aperiat adhuc suam conscientiam prout nunc, ut novus confessarius videat et judicet quid agendum — Verum juxta alios primus confessarius bene potest recipere denuntiationem ex rationabiliter præsumpta superioris delegatione; vel mulierem admonere, ut denuntiationem peragat cum primum poterit.

772. *Instructiones S. Officii Congregationis.* Emanatæ fuerunt 11 apr. 1661, et a Benedicto XIV confirmatæ Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ:*

I. An sit denuntiandus confessarius, qui dat pœnitenti chartam in Confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? *Domini Qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem contrariam non esse probabilem.*

II. An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? *Censuerunt incidere, et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

III. An confessarius sollicitando, propter parvitatem materiæ sit denuntiandus? *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, et si daretur, in re præsenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem* (1).

IV. An confessarius qui fœminam in Confessione dicentem se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat et a Confessione dissuadet, sit denuntiandus? *Si sollicitatio fiat extra locum Confessionis, et absque prætextu Confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem: secus si in confessionario, seu in loco Confessionis.*

V. An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in Confessione pœnitentem sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum et opinionem negativam non esse probabilem.*

VI. An interpres, si sollicitet in Confessione pœnitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

VII. An mandans confessario, ut in Confessione sollicitet, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

VIII. An quando confessarius et pœnitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus? *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

IX. An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

X. An confessarius incidat in pœnas Constitutionis apostolicæ contra sollici-

(1) Id videtur intelligendum de luxuria directe voluntaria, in qua non dari parvitatem commune est cum s. Alphonso, l. I, n. 415. Non de luxuria indirecte tantum voluntaria, in qua parvitas dari potest; quo in casu non videtur adesse denuntiandi obligatio. *S. Alph.*, l. VI, n. 683.

tantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

XI. An confessarius, qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

XII. An confessarius, si laudet pœnitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? *Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravæ intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem* (1).

XIII. An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit. *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die 26 julii* 1628 (2).

XIV. An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

XV. An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando Confessionem? *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

XVI. An denuntiandus confessarius qui audiens Confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse? *Idem responderunt quod ad duodecimum.* »

Novum documentum S. Officii hac de re datum 20 febr. 1867, vide apud Scavini, l. III, n. 512. In eo præcipue in viridi esse declarantur omnes anteactæ præscriptiones, et ubique terrarum obtinere; et modus traditur procedendi contra sollicitatores in veritatis inquisitione, in pœnarum irrogatione, etc.

APPENDIX. — Casus reservati ac Censuræ in Diœcesi Novariensi.

773. **Casus reservati** in Synodo postrema Novariensi (habita diebus 11, 12 et 13 julii 1827 ab Episcopo cardinali Josepho Morozzo felicissimæ recordationis). Qui memoriæ juvandæ causa hisce versibus exprimi possunt:

Blasphemans; Sacra contemnans; homicida; parentes
Cædens; infantem perimens retinensve cubili;
Horrendum sodomiæ scelus; congressio bruti;
Concubitus simul; incestus; violatio fictis
Promissis innuptæ, per vim extorta metumve;
Consensusque virorum, consensusque parentum;
Sollicitans; falsum jurans; Sacrique retentor.

1. *Blasphemia in Deum vel Deiparam Virginem aut Sanctos, quæ a duobus vel a pluribus audita fuerit. Et blasphemia hæreticalis, nemine etiam audiente prolata.* Reservatæ blasphemiæ reus est qui jurat per falsos Deos. Illæ autem voces auditu nequissimæ: *Corpus* vel *anima Dei, Christe Domine, Sacramentum, Sanguis Christi, tu es Diva* vel *anima mea,* aut *idolum meum, per vitam Dei*

(1) Illud *probabile est* in usu Theologiæ, si cum alia opinione non fiat comparatio, idem est ac dicere, quod opinio illa valida ratione sustinetur, et tuto teneri potest ut dictum est De Conscientia. V. Giraldi, *Expositio Juris pontificii.*

(2) Id est qui ob aliam præcedentem sollicitationem comparuit coram Inquisitore et abjuravit, nempe hæresim detestavit; cum enim abjuratio sit detestatio hæresis, aliquis in tantum abjurare debebat, in quantum de hæresi suspectus: et talis habebatur sollicitator, qui ideo abjurare debebat saltem ad cautelam; si suspicio de hæresi erat levis, dicebatur abjurare *de levi:* si vehemens, abjurare *de vehementi.* V. Diana, vol. v: *De potestate Inquisitorum.* Ferraris, V°, *Abjurantes.*

ita est, hoc tam verum est quam ipsum Evangelium non reservantur. Item neque factum execrandum, Dei, B. V., et Sanctorum effigiem vel simulacrum pedibus proterentis, aut manibus discindentis, utpote blasphemiæ proprie dictæ rationis expers. Incurritur vero reservatio, licet a pueris audita sit blasphemia, si tamen sint doli capaces.

2. *Quæcunque superstitiones cum abusu rerum sacrarum aut expressa dæmonis invocatione.* Ad quam reservationem requirunt: — 1) Ut res sit sacra; quo nomine hic intelliguntur omnia, *quæ consecratione aut benedictione ecclesiastica sacrorum Albo recensentur,* uti Olea consecrata, vestes sacræ, cœmeteria, templa, aqua lustralis, reliquiæ Sanctorum, imagines benedictæ, etc.; — 2) Ut dæmonis invocatio fiat verbis vel scriptis eam significantibus, neque censeatur sufficere opus quodcunque, licet aliunde superstitiosum.

3. *Homicidium voluntarium, quod quis directe sive per se, sive per alium perpetraverit. Abortus quoque fœtus sive animati sive etiam inanimati, licet irrito effectu tentatus.* Incurritur reservatio, licet quis metu fuerit ad occisionem inductus vel vehementi iræ motu, si adhuc sit usus rationis sufficiens ad mortale. Item incurritur, etsi adsit error facti, v. g. si quis occidat Cajum putans occidere Titium. Ex pluribus qui aliquem sauciaverint, si ignoretur auctor vulneris lethalis, omnes reservationem incurrunt. Si quis autem lethaliter sauciato novum et atrocius vulnus intulerit unde citius intereat, non prior sed posterior incurrit reservationem. Mandans occisionem, si ante illam satis se retractavit, liberatur a reservatione — Qui animo abortum curandi, etsi insufficientem causam invexerit, propinaverit, hauserit, paraverit, consuluerit aut applicuerit, reservatione innodatur. Non eam incurrit mater si saltando, adsportando, etc., causam abortus præbeat, modo illum directe non intenderit. Confessarius deputatus ad absolvendum ab hoc casu, est etiam ab Episcopo deputatus ad absolvendum ab excommunicatione lata a Papa in reos abortus effectu secuto.

4. *Injuriosa legitimorum parentum patris nempe vel matris percussio.* Unde qui vitricum vel novercam suam percuteret, non incurreret reservationem. Hæc reservatio obtinet, etsi patris vel matris percussio ex gravi odio vel ira procedat, quamvis in se levis; nam æstimatur gravis ex personæ qualitate. Item reservatur repercussio facta a filiis, licet injuste verberatis. Item impulsio vel repulsio, qua pater et mater parieti alliderentur, vel in terram dejicerentur. Non tamen brachium in parentes minaciter extendere, in illos expuere, aut eos aqua aspergere.

5. *Suffocatio, imo et retentio infantis in lecto, anno expleto minoris, omissa cautione cunarum vel alterius firmi repaguli.* Casum incurrit non solum mater aut nutrix, sed et maritus, si ejus quoque consilio illa retentio facta sit: imo solummodo maritus, si uxor vi vel metu a marito inducta fuerit. Hæc pœna incurritur sive interdiu, sive in cubili, sive alio in loco sopori carpendo apto parvulus, qui annum integrum nondum exegerit, absque repagulo secum collocetur. Non erit vero reservatio, si mater aut nutrix sedendo in lecto eundem susceperit, ut lactet vel soletur, in cunas statim reclinandum, sed interim somno correpta ipsum oppresserit.

6. *Horrenda sodomiæ perfectæ tam activæ, quam passivæ; bestialitatis et concubinatus scelera.* Ad concubinatum non refert, si concubinarii sint soluti vel matrimonio ligati; sed satis est si constituant simul (perinde ac si conjuges essent) libidinose vivere, et sic vivant per annum quadam actuum frequentia delinquentes, etsi una simul non cohabitent. Quoad bestialitatem autem non refert, si commercium cum bruto extra vas naturale compleatur. Tandem sodomia debet esse perfecta et completa ad reservationem.

7. *Incestus inter consanguineos sive in primo sive etiam in secundo gradu (lineæ tam rectæ, quam transversalis). Inter affines in primo gradu: et inter cognatos spirituales.* Nomine *incestus* intelligitur copula cum seminum mixtione: error autem facti, quo incestuosus putat talem non esse sibi propinquam, cum

sit; vel esse propinquam, cum non sit, liberat a reservatione. Flagitium hoc a matrimonio junctis patratum cum consanguineis alterius conjugis, privat etiam jure petendi debitum conjugale. Porro quoties alicui generatim jurisdictio datur absolvendi ab incestu, non includitur facultas in pristinum jus restituendi incestuosos conjuges; quæ toties quoties pœnitentes in idem delictum incidunt est postulanda.

8. *Copula carnalis cum innupta vi, metu aut ficta promissione dotis, vel matrimonii extorta.* Item *inter sponsos ante matrimonium* (pro innupta intelligenda videtur etiam vidua honesta). Sufficit ad reservationem gravis timor incussus alicujus gravis mali aut damni mulieri vel ejus parentibus inferendi. Ficta promissio dotis vel matrimonii, sive agatur de proprio sive de alieno matrimonio, reservatur, si ideo copula extorta sit. Sed dissolutis sponsalibus legitime aut invalide initis, vel carnali facinore non completo, nulla est reservatio.

9. *Consensus dictis vel factis libere omnino præstitus a marito vel parentibus, patre videlicet aut matre; vel ab avo, avia; tutore et curatore, ut uxor, vel filia, vel puella respective alteri sui copiam faciat.* Ut adsit reservatio, copula interesse debet; nec refert si filia sit naturalis, vidua, aut mulier divortio separata. Qui non impedit carnalem lapsum, vel dat consensum absque omnimoda libertate, non incurrit reservationem. Item neque vir qui alimenta uxori negando causa esset illius prostitutionis, eam incurrit, nisi directe et expresse hoc medio uxorem suam adducere intenderet ad hoc flagitium.

10. *Execrandum confessarii pœnitentem ad turpia sollicitantis crimen in actu, vel prætextu vel occasione Confessionis.* Item *quicunque obscœni actus inter confessarium et filiam spiritualem seu Confessionis* (1). Adhuc est reservationi obnoxius confessarius sollicitans, licet pœnitens ad turpia extimulatus non consentiat. Item est, si pœnitens prior sit qui Confessionis prætextu, ad turpia provocet confessarium, qui tamen consenserit. Item est, si confessarius occasione Confessionis cum pœnitente inhonestos sermones habeat, etsi id agat longo tempore post Confessionem. *Obscœni actus* sunt qui objective mortalem præseferunt turpitudinem contra sextum, etsi per jocum fiant: qui reservati sunt tam pro confessario, quam pro pœnitente. Si tamen pœnitens tali confessario relicto, alteri confessario jam ab anno confiteatur, tunc si cum illo primo inhoneste peccet, non incurrit in reservationem, quia non amplius habetur ut ejus filia spiritualis: excipe nisi ad reservationem eludendam, abstinuerit per annum a Confessione illa. *Amplexus* et *oscula,* quæ ex veneris impulsu procedunt, reservantur; non tamen amatoriæ collocutiones, actusque alii de se minime obscœni, etsi eos ignotæ libidinis affectio comitetur.

11. *Jurata falsi in judicio depositio, aut veri reticentia facta ab accusatore vel teste.* Item *inductio falsi testis jurati in judicium.* Qui non leviter dubitant de rei veritate, et eam juramento uti indubiam affirmant; aut qui jurant uti testes de visu, cum sint de auditu; aut utuntur æquivocationibus, amphibologiis, vel restrictione mentali, reservationem incurrunt. Non eam tamen incurrit, si falso juramento deponens vel reticens sit reus ipse et de se agatur. Item neque qui verum jurat, quod ex errore credebat vel dubitabat esse falsum, licet sit perjurus ob conscientiæ reluctantiam.

12. *Retentio et occupatio scripturarum, bonorum immobilium, aliorumque*

(1) Ex ipsa rei natura unusquisque est *pœnitens* illius, penes quem confitetur, etsi ei primum et semel confiteatur. Sed juxta communem intelligendi morem, ut quis habeatur uti *filius* (vel *filia) spiritualis*, seu *Confessionis*, insuper requiritur, ut ter quaterve eidem confessario confessus sit; vel si semel tantum ei sit confessus, ab eodem tamen in posterum audiendus fuerit acceptatus, tanquam Confessionis filius (vel filia). Ita Rulfus in celebri suo *Commentario manuscripto in casus reservatos* (quod extat in Bibliotheca *Seminarii Novariensis):* ex hoc patet, quod prima pars nostri casus magis extenditur, quam secunda.

jurium ad Ecclesias et loca pia spectantium. Item *piorum legatorum solutio diutius anno protracta* (1). Item *Notariorum negligentia a notitia obitus defuncti legata ipsa, aliasque pias testatorum dispositiones intra sex menses ecclesiastico superiori non denunciantium.* Nomine *scripturarum* veniunt etiam scripturæ privatæ, licet in foro interno tantum obligent. Nomine *Ecclesiarum* veniunt sacræ ædes, Beneficia et Capellaniæ ecclesiastica auctoritate in iis erectæ — Nomine *piorum locorum* veniunt quæcunque domus quavis auctoritate extructæ ad Dei cultum destinatæ, vel ad ejus ministros educandos aut sustentandos, vel ad excipiendos infirmos alendosque pauperes. Scripturæ habentur retentæ, etsi habeantur sine animo eas retinendi; si delentur, celantur vel immutantur ex magna parte. Facta restitutione refectisque damnis, cessat de se reservatio — Tandem *piorum legatorum* nomine veniunt omnia ad pias causas relicta (etsi nondum acceptata ab Ecclesia), uti Missæ, Officia, sacræ preces, eleemosynæ Ecclesiæ, pauperibus, puellis dotandis aut captivis distribuendæ, etc. Reservationem incurrunt qui studiose non agnoscunt hæreditatem sibi delatam, ne piæ testatoris voluntati satisfacere adigantur; vel ideo malitiose hæreditatis possessionem differunt; vel post possessionem culpabiliter se impotentes reddunt ad solvendum. Hi tamen licet honesta parsimonia curare teneantur solutionem, si tamen, absolutione rite obtenta, propositum violaverint, reservatio non reviviscit. Hac lege devinciuntur etiam curatores, tutores, executores testamentarii, ac debitores legatorum, atque administrantes bona, quæ hoc onere gravata sint. Facta autem etiam post annum piorum legatorum solutione, reservatio ipsa ex se cessat.

Extra Synodum, in Novariensi Diœcesi, unus est casus Episcopo reservatus, sine censura tamen, et sic legitur in Literis ad Clerum 2 apr. 1857, et in Literis patentibus: *Accessio ad protestantium cœtus seu conventus, in quibus de Religione tractetur, etiam sola curiositatis causa:* quod verificatur, etsi conventus habeatur in platea, ubi aliquis eorum sectæ addictus ex proposito hæretice dogmatizet.

Facultas absolvendi a casibus reservatis: In Novariensi Diœcesi facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis conceditur Vicariis. Pro-vicariis foraneis et Parochis vero conceditur pro semper facultas absolvendi a casu posito sub n. 5°: pro cæteris casibus absque restrictione a dominica *Passionis* usque ad dominicam in *Albis* inclusive; ab omnibus item casibus facultas conceditur die quo Congregatio habetur, pro iis nempe Parochis vel coadjutoribus titularibus, qui ad Confessiones tunc temporis audiendas fuerint deputati a Vicario vel Pro-vicario foraneo. Cæteris vero confessariis omnibus ex postrema Novariensi Synodo hæc in reservatis facultas conceditur absque limitatione: — 1) Erga ægrotantes in Nosocomiis: degentes in Gynæceis, Collegiis, Carceribus et Monasteriis (si tamen ad Monasteria Patentes Literæ extendantur) — 2) Erga infirmos, qui domo exire nequeunt judicio prudentum — 3) Erga sponsos qui intra hebdomadam inituri sunt matrimonium — 4) Erga eos, qui aliunde bene dispositi, absque scandali aut gravis probri periculo sacramentali absolutione privari nequeunt, judicio prudentis confessarii — 5) Erga eos, qui inculpate alicujus peccati reservati in Confessione obliti fuerint; vel bona fide illud confessi sint sacerdoti, qui reservationem minime advertens eosdem sine facultate imprudenter absolverit — 6) Erga eos, qui non minorem quinquennio Confessionem emittunt ex quadam utilitatis vel necessitatis

(1) An autem qui fundum Ecclesiæ conduxit, si annuum locationis pretium culpabiliter non solverit, incurrat in hanc reservationem, tanquam iniquus Ecclesiæ jurium retentor, sunt qui affirmant, quia pretium illud est revera *jus ad Ecclesias pertinens.* Verum negandum videtur: tum quia in communi æstimatione *jurium* nomine proprio sensu non venit pretium rei locatæ, sed potius ratio seu fundamentum per quod fructus et reditus possunt exigi: quod quidem eruitur etiam ex ipso textu; tum quia nomen *retentionis* et *occupationis* locum habet, quando res apprehenditur et in ea insistitur tanquam in re propria: hoc autem de conductore qui differt pretium locationis solvere nonnisi improprie prædicaretur.

ratione: non vero eo tantum fine, ut a reservatis absolvantur — 7) Erga eos, qui tempore admissi criminis reservationem non affectate ignoraverint — 8) Erga illos, de quorum culpa confessarius dubitat, num in reservatione comprehendatur — 9) Erga illos, qui confitentur tempore quadraginta Horarum, vel Missionis aut Exercitiorum spiritualium octo saltem dies perdurantium, et intra illius Parœciæ fines: vel demum occurrentibus Festis Dedicationis ac Titularium Ecclesiæ parochialis et eorum pervigiliis — 10) Ergo illos, qui tempore admissi criminis nondum compleverant decimumquintum ætatis annum, etsi post dictam ætatem illud confiteantur.

Tandem pro Novariensi Diœcesi ex Encyclica *Quanta nos* 23 sept. 1833 (præfixa primum Kalendario anni 1834, et postea confirmata, hæc insuper notantur: 1) Facultates Parochis concessæ quoad casus in Synodo reservatos extenduntur etiam ad Coadjutores titulares, et Pro-parochos et Vice-coadjutores Ecclesiarum vacantium: et quidem ad totum tempus Paschale, etiamsi hoc fuerit a superiore anticipatum vel ampliatum: quæ ampliatio etiam Parochis intelligitur data — 2) Facultas concessa pro Nosocomiis extenditur etiam in favore omnium Communitatum, quæ a superiore vel superioribus determinatis reguntur, dummodo tamen in earum Oratoriis vel ædibus Confessiones excipiantur — 3) Confessarii, licet semel tantum delegati ad absolvendum a reservatis sive casibus sive censuris, absolvere possunt pœnitentem, qui in eundem casum vel censuram relapsus sit, ipsa jam obtenta delegatione (non tamen exercita); et quamvis in petitione certus numerus fuerit expressus culparum aut censurarum — 4) Cessat reservatio, si absque nullius sibi propositæ fraudis vitio confessionem integram fecerit pœnitens confessario opportunis facultatibus quoad reservatos prædito, ab eoque absolvatur; tametsi confessio illius culpæ, ex quovis alio capite, invalida sit — 5) Hebdomada qua licet sponsos absolvere a reservatis, complectitur spatium dierum septem supputandos a die confessionis inclusive — 6) Nomine Dedicationis ac Titularium Ecclesiæ parochialis intelliguntur tantum Festa et anniversaria Dedicationis propriæ Ecclesiæ parochialis ac titularis principalis Parœciæ: ac propterea hæc facultas non amplectitur omnes Dedicationes, quæ in quibusdam locis celebrantur; neque omnes Titulares, ubi plures coluntur. Quoties vero hæc Festa occurrunt feria II, facultas vigebit etiam sabbato et dominica præcedentibus.

774. **Censuræ.** Ex Synodo Novariensi.

Excommunicationes: Excommunicatur *ipso facto* qui denuntiato confessario sollicitante et juramento emisso de silentio, aliquid contra ipsum revelaverit (quæ censura Episcopo est reservata: *pag.* 314). Item sacerdos, qui non approbatus ad Confessionem, hoc ministerium sibi vindicat extra necessitatem (non reservatur: *pag.* 117). Item qui neglectis denuntiationibus, aliisque omissis, coram Parocho inscio vel invito, matrimonium contrahit: quam incurrunt etiam testes et cooperatores (non reservatur: *pag.* 157). Sunt vero excommunicandi qui culpabiliter negligunt ultra octiduum quominus puer baptizetur *(pag.* 78).

Suspensiones: Est *ipso facto* suspensus qui in Sacris constitutus vel comœdias agere vel in choreis publicis saltare, vel deposito habitu, per vias personatus incedere præsumpserit; item ecclesiasticus, qui in cauponis vel liquorum officinis auserit ludere *(alle carte, tarocchi, alla morra, ai dadi* vel *taxillorum lusu):* quæ suspensio est ab Officio *(pag.* 168). Sacerdos qui, Missas quas non celebravit, adnotat sciens et volens per fraudem, in libro videlicet qui fidem facit de acta celebratione: hæc suspensio intelligitur a Missæ celebratione *(pag.* 112). Item civis aut oppidanus, qui scilicet in loco domicilii commorans absque veste talari celebrat: suspensio est a sola Missa ex communi acceptione *(pag.* 106). Quæ omnes suspensiones sunt reservatæ Episcopo; sed ultima tantum ad 15 dies. Suspenditur etiam *ipso facto* ab audiendis Confessionibus, qui citra necessitatem audet mulieris Confessionem excipere extra confessionalem sedem *(pag.* 120).

DISPUTATIO SECUNDA

DE EXTREMA-UNCTIONE.

775. **Extrema-Unctio.** Est *Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam graviter infirmo salutem animæ vel etiam corporis per olei benedicti unctionem et sacerdotis orationem.* Et ideo dicitur *Extrema-Unctio, Unctio infirmorum, Oleum sanctum.*

Principium. Extremam-Unctionem verum esse Novæ Legis Sacramentum de fide est contra Protestantes omnes. Jacobi v legitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum: et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit remittentur ei.* Jam vero in hac unctione habentur omnia requisita ad rationem Sacramenti: 1) Est ritus sensibilis; talis est unctio Olei et Oratio adjuncta — 2) Vim habet gratiæ conferendæ, ut patet ex ejus effectibus — 3) A Christo est instituta; nam ipse solus potuit certis elementis et verbis alligare vim gratiæ causandæ.

Firmatur constanti Ecclesiæ traditione: testes sunt Ritualia omnium Ecclesiarum, et ss. Patres, Ephræm *De vita spirituali;* Chrysostomus, *l.* III *De sacerd.;* Gregorius Magnus in *Sacramentario.* Item Concilia, Cabilonense, Aquisgranense, Maguntinum et Florentinum generale. Hinc Tridentinum sess. XIV, c. I: *Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino Nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum receptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Probabilius Extrema-Unctio fuit instituta a Christo post resurrectionem sicut Pœnitentia, cujus, ex Tridentino sess. XIV, Extrema-Unctio est Sacramentum *consummativum;* et dein per Apostolos promulgata — *Instituta a Christo,* ut dictum est; sane Sacramenta ad fundamentum legis pertinent, ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio. *Dein per Apostolos promulgata,* dicente d. Thoma: *Omnia Sacramenta Christus instituit*

per se ipsum; sed quædam per se ipsum promulgavit, quæ sunt majoris difficultatis ad credendum; quædam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut Extremam-Unctionem et Confirmationem (Suppl. q. 29, a. 3).

776. **Necessitas Extremæ-Unctionis.** Si infirmus sacerdotis hortationibus ad se muniendum hoc Sacramento renuat, satis probabiliter docent mortaliter non peccare; quia non agitur de Sacramento absolutæ necessitatis, et verba Jacobi *inducat presbyteros Ecclesiæ* communiter interpretantur tantum uti de consilio. Verum alii probabiliter tuentur renuentem lethaliter peccare saltem adversus caritatem erga se ipsum, cum se privet tanto auxilio in tanta necessitate; et ideo magis si Sacramentum nollet suscipere, quia parvi illud ducit; vel si Pœnitentiæ sacramento non possit muniri, et ipse sit in peccato mortali, et solum attritus. Aliter esset si recusaret ob quandam repugnantiam, timorem aut negligentiam, ut non raro evenit, vel quia non credit se in tanto periculo esse; et ideo sacerdos ne facile illi faciat conscientiam de mortali *(S. Alph.,* Ho. ap., tr. XVII, n. 12; *Opus mor., l.* VI, n. 733).

Sed Parochi esse debet crebrius populum instruere de efficacia hujus Sacramenti et quoad animam, et etiam quoad corpus si tempore debito suscipiatur; expellendo inanem formidinem, qua multi putant, semel suscepta Extrema-Unctione, actum esse de eorum corporali salute.

777. **Effectus.** In verbis Jacobi Apostoli continentur et a Tridentino (sess. XIV, c. 2), et Florentino in Decreto ad Armenos sic recensentur et explicantur:

I. *Gratia* tum *sanctificans,* sed secundaria, quæ adauget gratiam, cum Extrema-Unctio sit Sacramentum vivorum; tum *sacramentalis,* propria huic Sacramento, nempe quæ infirmum roborat ad morbi incommoda sustinenda et dæmonis tentationes superandas (1).

II. *Peccatorum remissio,* etiam mortalium, at non per se et primario, cum hæc Unctio sit Sacramentum vivorum; sed per accidens et in hypothesi status peccati, si nempe hæc infirmus invincibiliter ignoret, habeatque attritionem, qua aufer-

(1) S. Thomas docet gratiam conferri in ultima tantum unctione (Suppl. q. 30). Alii vero docent quod quævis unctio suam specialem habet gratiam, quia habetur specialis forma, et specialis unctio pro unoquoque sensu *(s. Alph.,* l. VI, n. 709).

Si quis peccato mortali inquinatus et sensibus destitutus Extrema-Unctione donatur, et deinde sensibus recuperatis, culpam detestatur, gratia Sacramenti fruetur, remoto nempe obice, eodem morbo et periculo permanente. Erat Sacramentum informe, quod remoto impedimento reviviscit.

tur peccati obex. Cum enim divina gratia non compatiatur peccatum, ex consequenti, si illud invenit aufert, uti cum communi docet d. Thomas, *Suppl.* q. 30 (1).

III. *Abstersio reliquiarum peccati,* id est pœnæ peccatis debitæ, non quidem totaliter (nam si infirmus convalescit, debet pœnitentiam implere, cui fuerit subjectus); sed quoad partem juxta suscipientis dispositionem.

IV. *Alleviatio infirmi;* quatenus infirmus per gratiam sublevatus animi anxietates, torporem, imbecillitatem, mortis timorem, atque ad malum proclivitatem facilius superat.

V. *Sanitatis corporalis restitutio,* si tamen animæ expediat (Sacramenta enim ad spirituale animarum bonum primario ex divina institutione ordinantur). Neque id evenit per miraculum, sed quatenus hoc Sacramentum causas naturales adjuvat; ideo præstat, ut Unctio non administretur quando jam actum est de salute infirmi, ita ut sine miraculo ipsa nequeat amplius recuperari. Thomas, *Suppl.* q. 30 (V. *s. Alph.*, l. VI, nn. 707, 731).

CAPUT PRIMUM.

De Materia et Forma Extremæ-Unctionis.

778. **Materia remota Extremæ-Unctionis.** Est *oleum ex olivis expressum, et speciali benedictione ab Episcopo consecratum;* de fide est. Ex Clemente autem VIII singulis annis, in Cœna Domini sub gravi renovandum est, veteri exusto.

1. Quod sit *oleum,* constat ex Apostoli verbis: *Ungentes eum oleo:* et quidem de validitate Sacramenti *oleum ex olivis;* quia communi usu nomine *olei* hoc tantum intelligitur. Et Eugenius IV in *Decreto Fidei* expresse hoc *oleum* nominat (2).

(1) Enim vero cum ad remissionem mortalium a Christo institutum sit Sacramentum Pœnitentiæ, illud Extremæ-Unctioni præmitti debet: quod si non possit elicienda est contritio perfecta. Sed quia hæc difficilis est et non raro abest, utriusque defectum supplet Extrema-Unctio, modo adsit attritio, qualis requiritur in sacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet quanti momenti sit Extremam-Unctionem recipere; cum illius ope salvari possit qui alioquin fuisset damnatus, ut docet s. Carolus. *Antoine.*

(2) Audiatur d. Thomas: *Spiritualis sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse* perfecta, *quia post eam alia non relinquitur; et* lenis, *ut spes quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur sed foveatur. Oleum autem lenitivum est et penetrativum usque ad intima et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus Sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiunt; ideo oleum olivæ etiam debet esse quod assumatur in materia hujus Sacramenti* (Suppl. q. 29, a. 4).

2. Quod oleum debeat *ab Episcopo benedici,* probatur ex Tridentini verbis: *Intellexit Ecclesia materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum;* et ita semper veneranda antiquitas tenuit. Imo episcopalis benedictio est de necessitate Sacramenti, uti declaratum fuit a Paulo V, a Congregatione S. Officii, confirmante Gregorio XVI, et Pio IX. Ideo invalide in extrema etiam necessitate Sacramentum administratur cum oleo a simplici sacerdote (sine pontificia delegatione) benedicto (v. *Acta S. Sedis,* t. 1) (1).

3. Quod oleum debeat ad validitatem ab Episcopo benedici *speciali benedictione,* id est in ordine ad Extremam-Unctionem disputant. Negativa sententia non potest in praxim deduci, cum agatur de Sacramenti validitate, nisi in casu necessitatis, in qua Unctio est ministranda sub conditione; *si materia est valida,* etc.; et postea repetenda item conditionate: *si nondum es hoc Sacramento refectus, indulgeat* etc., si statim habeatur oleum infirmorum (D. Thomas, *Suppl. q.* 29, *a.* 4 *et seqq.).*

4. *Oleum infirmorum* ex Rituali *singulis annis in Cœna Domini, veteri combusto* (in lampade Ss. Sacramenti), *renovandum est;* si novum haberi possit. Hæc renovatio probabilius fieri debet sub gravi, quia videtur res satis gravis et talis est universalis consuetudo. Si autem intra annum oleum benedictum deficiat, neque aliud haberi possit, ex Rituali fas erit eidem adjungere oleum non benedictum, dummodo semper in minori quantitate quam vetus *(S. Alph.,* l. VI, n. 708).

5. Excepta magna distantia ab ecclesia regulariter non potest domi retineri Oleum sanctum: quod si necessitas urgeat, servetur domi, sed in loco decenti et tuta custodia. S. Rituum C. 16 dec. 1826 *(S. Alph.,* l. VI, n. 730).

779. **Materia proxima Extremæ-Unctionis.** Est unctio. Quæ quidem ex Decreto Eugenii IV facienda est in septem corporis partibus, nempe in *oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum et locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum; in renibus propter delectationem ibi vigentem.* Ad renes seu lumbos quod attinet, ait Rituale: *Renum*

(1) Ex speciali delegatione R. Pontificis ea benedictio fieri potest etiam a simplici presbytero ex decreto Clementis VIII 31 aug. 1595 confirmato a Benedicto XIV Const. *Etsi pastoralis.* Et in Orientali Ecclesia mos viget a mille et amplius annis, ut presbyteri cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum benedicant ex certa præsumpta RR. Pontificum concessione *(s. Alph.,* l. VI, n. 709).

unctio in mulieribus honestatis gratia semper omittitur: atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest (penes nos quoad omnes omitti solet). *Manus autem quæ reliquis infirmis interius ungi debent, presbyteris exterius unguntur;* eo quod jam interius illorum manus in ordinatione inunctæ fuerint; idque in reverentiam tam excelsæ unctionis, ut passim notant.

780. Si quis careat aliqua parte, quæ inungi debeat, *pars loco illi proxima inungatur. Dum sacerdos paria membra inungit, caveat ne formam prius absolvat, quam ambo perunxerit. Si dum inungitur, infirmus moriatur, ne ultra procedat; si dubitat, inungat sub conditione:* Si vivis; ex Rituale.

781. **Unctio quomodo fieri debet.** Ex Rituali unctio fieri debet, intincto pollice in Oleo sancto in formam crucis, aptando crucem et verba in unctione cujuscunque partis a dextera incipiendo. Pars linita abstergi debet a sacerdote (vel alio ministro in Sacris) gossypio, postea comburendo, ac cineres in sacrarium projiciendæ sunt.

Principia. I. Non est de validitate Sacramenti, quod unctio fiat per immediatum manus contactum. Ideo peste grassante vel alio contagioso morbo, permittitur ut hoc Sacramentum administretur adhibendo oblungam virgam, cujus extremæ parti sit firmiter alligatus gossypii pugillus sacro imbutus Oleo ad infirmum inungendum. Ratio quia ex necessitate Sacramenti non manus contactus, sed unctio simpliciter requiritur. *S. R. C.,* 9 maji 1857.

II. In responsionibus et tribus orationibus, fit variatio generis, si recitantur pro muliere, dicendo *salvam fac ancillam tuam;* item in litaniis pro commendatione animæ, in orationibus et precibus similiter fieri debet ex *S. R. C.,* 12 aug. 1854.

III. Non est de necessitate neque unctionem renum, neque pedum; et ideo servanda consuetudo (1).

IV. Neque necesse est ad validitatem ordinem Ritualis servare in sensus inungendo; cum inversio non impediat Sacramenti significationem. Sed sub gravi, cum potest, ordo ille est servandus (2).

(1) Romæ usus est ungendi *plantas* pedum, nisi causa rationabilis aliud suadeat; et pro viris generatim fit unctio ad lumbos; et quidem si nihil obstet ex utroque latere, secus ex uno tantum, ita tamen ut in utroque casu infirmus vix moveri debeat. S. R. C. 14 aug. 1858 optat ut unctio renum introducatur ubi non est in usu.

(2) Porro: 1) Incipit unctio *ab oculis;* ut commode inungantur debent claudi, et

V. Neque ad essentiam Sacramenti necesse est, ut fiat gemina unctio in geminis partibus, v. g. in utroque oculo, aure, etc.; siquidem ex unius unctione recte dicitur sensus inunctus. Esset tamen grave id omittere, nisi urgeat necessitas, ut si infirmus nequeat verti ad aliud latus, vel sit periculum mortis.

An vero unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti, speculative loquendo est merito probabilis sententia negativa, tum quia ex Jacobo et Tridentino de simplici et unica unctione fit mentio; tum quia antiquitus diversa in pluribus Ecclesiis viguit disciplina, ut videre est penes Martenium. Verum sententia communior et omnino sequenda affirmat, idque firmatur ex usu Ecclesiæ et communi Doctorum sensu. D. Thomas *(Suppl.* q. 32, a. 6) docet unctionem quinque sensuum esse *quasi de necessitate Sacramenti;* ideo cum agatur de valore Sacramenti, quod tutius tenendum est.

Quapropter si instet mors, nonnisi sub conditione, *si es capax,* adhiberi debet una unctio in aliquo sensu magis obvio, et consultius in capite, nempe in fronte (nam omnium sensuum nervi descendunt e capite), dicendo: *Per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus* (addendo, si tempus sit) *visum, auditum, odoratum, gustum et tactum;* præmittendo verbum *deliquisti,* quia si proferatur in fine, et interim æger moriatur, nullum est Sacramentum. Si autem moribundus supervivat, sub conditione, *si nondum es hoc Sacramento refectus,* repetendæ sunt unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas *(S. Alph.*, l. VI, n. 710; Benedictus XVI, *De Synodo,* l. VIII, c. 3; Baruffaldus, *Ad Rituale Romanum Commentaria).*

782. **Forma Unctionis.** Formam (in latina Ecclesia) sic pronuntiare debet sacerdos actu, quo diversas peragit unctiones:

unctio fieri super ambas palpebras. Si claudi non possint, unctio fiat *in superciliis, juxta angulos oculorum* — 2) Veniunt *aures,* quæ unguntur in ima auricula; non in alveolo ejusdem, idque ut facilius tergi possint — 3) *Nares;* ungantur narices foris, quæ sunt nasi alæ laterales, ad evitandam sternutationem, quæ aliter faciendo facile oriretur — 4) *Os, compressis labiis;* hic una debet esse unctio, atque ideo sunt labia unienda ut facilius fieri possit. Sed si hoc non posset obtineri, satis erit, ut labium inferius vel superius ungatur; sunt tamen qui adhuc utrumque inungunt — 4) *Manus;* fit unctio in media palma utriusque manus, vel in alia parte viciniori, si aliter non possit, interius tamen. Nam in exteriori manus parte soli sacerdotes et Episcopi ungi debent — 6) *Pedes;* fit unctio ad metatarsum (vulgo *al collo del piede);* juxta ss. Carolum et Alphonsum fit in *plantis,* quia nimirum iis utimur ad ambulandum. Cæterum satis erit, si ea pars ungatur pedum, quæ commode potest: nec refert, si ambo ungi non possint (V. *Scavini,* l. III, n. 518).

Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, dum unguntur oculi; per *auditum*, dum unguntur aures; et sic de cæteris sensibus, formam integre repetendo ad singulas partes ungendas, prout in Rituali.

783. 1) Verbum *deliquisti*, vel aliud simile est de essentia; secus non exprimeretur unus ex effectibus hujus Sacramenti — 2) Item illud *unctionem*, quia aliter non exprimeretur actio ministri seu confectio Sacramenti. Probabilius una olei gutta sufficit; cum oleum plusquam alii liquores diffundatur. Attamen cum agatur de Sacramento, curandum, ut abundantius diffundatur — 3) Item verbum *Dominus* essentiale est; indicat enim causam principalem quæ per Sacramentum operatur. Item est de pronomine *tibi*, cum subjectum determinet; quanquam juxta alios id satis contineatur in verbo *deliquisti*. Item illud *indulgeat* essentiale est; secus nullimode indicaretur ratio hujus Sacramenti — 4) Illud *sanctam* non est de essentia; cum in Tridentino et Florentino non exprimatur. Imo longe probabilius nec ista: *Per suam piissimam misericordiam;* nam eo ipso quod dicit sacerdos *indulgeat tibi Dominus*, jam orat misericordia. Sed ea omittere est mortale; cum sit contra usum Ecclesiæ in re gravi (*S. Alph.*, l. VI, n. 711).

Forma hujus Sacramenti est oratio deprecativa; *quia* (habet d. Thomas) *suscipiens hoc Sacramentum est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari* (Suppl. q. 29, a. 8).

CAPUT SECUNDUM

De Ministro et Subjecto Extremæ-Unctionis.

784. **Minister Extremæ-Unctionis.** Solus ac quilibet sacerdos potest Unctionem valide conferre: est contra Basnagium et Launojum, qui id etiam diaconis tribuunt, imo in necessitate vel ipsis laicis. Quod si nonnullæ unctiones narrantur factæ a laicis, illæ erant devotionis causa frequentatæ, non sacramentales ex d. Thoma *(Suppl.* q. 31); et probant eruditi.

1) *Solus sacerdos;* nam s. Jacobus ait: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum.* Atqui *presbyterorum Ecclesiæ* nomine non possunt intelligi, nisi sacerdotes, ut probat constans et universalis Ecclesiæ doctrina; et Tridentinum definivit (sess. XIV, can. 5) (1).

(1) Apostolus per illud *presbyteros* noluit significare ministrorum numerum, sed qualitatem, id est sacerdotes, non laicos. Sicut cum Christus dixit Lucæ XVII leprosis: *Ostendite vos sacerdotibus;* satis enim erat se ostendere uni sacerdoti. Idque definivit Alexander III et Benedictus XIV. Cæterum valide confertur a pluribus ministris, si omnes applicando materiam partialem formam pronuntiant respondentem. Sed nostris moribus grave est plures adhibere, nisi sacerdos mini-

2) *Quilibet sacerdos valide conferre potest:* hinc etiam excommunicatus; quia sufficit ad ejus collationem potestas Ordinis. Attamen licite a proprio tantum Pastore ministratur: nisi Parochus aut ejus Vicarius absit, vel licentiam tribuat, vel urgeat necessitas, ideo et caritas. Qui vero secus audent Unctionem ministrare graviter peccant: imo si regulares aliis præter suos hoc Sacramentum ministrare præsumserint, incidunt ipso facto in excommunicationem Papæ simpliciter reservatam (v. t. I, n. 611; et *s. Alph.*, l. VI, n. 722).

785. **Cærimoniæ Extremæ-Unctionis**. Hæc administranda est cum superpelliceo, stola, ministro ac lumine, et precibus in Rituali præscriptis. Cæterum:

I. Si non urgeat necessitas, certum est superpelliceum ac stolam omittere grave esse; cum sit contra Sacramenti reverentiam. Omittere vero solum superpelliceum dicunt non excedere veniale: at S. R. C. 16 dec. 1826, hanc consuetudinem si alicubi vigeat, nullimode probat.

II. Omittere preces præscriptas est grave; cum res sit gravis. Sed quæ ab adstantibus recitandæ, probabilius sunt tantum de consilio.

III. Unctionem ministrare extra necessitatem sine ministro vel omissis crucibus, est tantum veniale juxta plures. Item candelam parari curet sacerdos, quæ ungenti lumen præbeat.

786. Hoc Sacramentum non potest solemniter deferri, uti Viaticum; sed neque subdole ac quasi furtim. Crux portatur sine hasta sicut in exequiis parvulorum. Omnia autem in cubiculo infirmi decentia sint, et serventur cuncta a Rituali præscripta (*S. Alph.*, l. VI, n. 726).

787. **Subjectus Extremæ-Unctionis**. Est solus homo:

I. *Baptizatus;* quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum: et potest recte statim a Baptismo suscepto adulto administrari Extrema-Unctio, si graviter infirmetur, ad ipsum roborandum contra tentationes, etc.

II. *Infirmus*, dicente s. Jacobo: *Infirmatur quis in vobis?* Et quidem infirmus graviter; vox enim græca, quam scriptor

strando deficiat; tunc alius statim suppleat, quin iteret Unctiones prius factas. Si tamen suppleat post quadrantem, omnes unctiones sub conditione repetere debet. *S. Alph.*, l. VI, n. 274.

Quod autem nomine *presbyteri* intelligi debeat, non senior, etiam laicus, ut volunt veteres protestantes; sed sacerdos ut catholica fides docet, vel etiam ex eo patet, quia Jacob non dicit simpliciter *presbyteros*, sed *presbyteros Ecclesiæ*. Consentiunt ipse Grotius, et recentiores protestantes, ut Noessel, Rosenmüller, etc.

latinus vertit *infirmatur*, significat morbum gravem. Constat ex Concilio Florentino, cui consonat Tridentinum *(sess.* XIV, *c.* 3). Ideo nullum esset Sacramentum, si conferatur infirmo morbo gravi non laboranti; ut enim ratiocinatur Angelicus: *Hoc Sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre quasi immediate disponens ad gloriam; et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium* (Suppl. *q.* 32, *a.* 2) (1).

III. *Qui peccati capax aliquando fuerit;* alioquin frustra adhiberentur verba: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.* Hinc pueris nondum rationis usu donatis invalide ministratur. *Pueris,* ait de his Angelicus, *non competit forma hujus Sacramenti, eo quod non peccaverint per visum et auditum, ut in forma exprimitur* (l. cit., a. 4) — Aliter est si puer habeat usum rationis; et ideo non recte ex Benedicto XIV ei negatur Extrema Unctio, tametsi Eucharistiam non accipiat; cum inde salus pueri dependere possit. In dubio rationis usus, Parochus interrogabit parentes, ut dubium deponat: quo adhuc perseverante, probabilius docent ipsum ungendum esse sub conditione, *si es capax;* ne privetur fructu tam salutari, si forte indigeat *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 718).

788. **Resolve:** 1) *Mulieri*, quæ in partu doloribus laboret ordinariis, non debet dari Unctio; tunc enim non laborat infirmitate periculosa. Secus esset, si incipiat gravissimis cruciatibus divexari, ita ut actu sit in periculo mortis.

2) *Amentes,* si perpetuo tales sint, judicantur incapaces Extremæ-Unctionis; cum æquiparentur pueris. Secus vero, si aut delirent tantummodo, aut lucida habuerint intervalla. In dubio ungendi erunt sub conditione. Idem est de *Phrenticis;* ac ubi resistant, tenendi, ut tollatur irreverentiæ periculum.

3) *Infirmis sensibus destitutis* absolute danda est, si christiane vixerint. Imo si æger fuerit sensibus destitutus in actu mortalis peccati probabiliter dicunt sub conditione, *si es capax*, adhuc esse ministrandam, prout hodie communiter receptum est — Item dicendum de *ebriis* in extremis, nisi certissime constet, eos esse in mortali. Habet autem Rituale: *Impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur,* et *excommunicatis* (Unctio) *penitus denegetur;* cum sint prorsus

(1) Si Unctio daretur in morbo gravi, quin aliquod videatur imminere periculum mortis, daretur valide; sed illicite. *S. Alph.*, Ho. ap., tr. XVII, n. 7.

indigni. Idem est de *vulneratis in rixa*, nisi isti omnes præsumantur conteri in illo extremo statu (*S. Alphonsus*, l. VI, nn. 82, 732).

4) Qui sensu vel *videndi* vel *audiendi* vel *loquendi* semper caruerunt, ungendi sunt, ut commune est cum d. Carolo, et quidem in ipsa parte; peccare enim potuerunt (ex d. Thoma, Suppl., 3 p. q. 32, a. 7) per internas potentias, quæ illis membris respondent (*S. Alph.*, l. VI, n. 732).

5) *Capite plectendis*, vel *prælium* aut *periculosam navigationem inituris*, non est danda Unctio; nam actu non sunt infirmi; cum enim hoc Sacramentum sub specie corporalis medicinæ adhibeatur, non competit nisi corporaliter infirmato, ait d. Thomas (l. IV *contra Gentes*, c. 73). Non vero negatur graviter vulnerato in prælio, naufrago ex aquis deducto, et graviter periclitanti. Nec illi, qui periculosissimam operationem est subiturus, v. g. membri amputationem, calculi extirpationem; si tamen in gravi periculo sint: tunc ante operationem muniri solent omnibus Sacramentis.

6) Unctio est danda *senio deficientibus*, qui in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate. Hinc illud: *Morbus est ipsa senectus*, et quibus morbus immedicabilis. Item *veneno infectis;* cum ipsi jam sint graviter infirmi (*S. Alph.*, l. VI, nn. 712, etc.).

Casus. Rogerius parochus cum baptizasset judæum adultum in mortis periculo dubitat, an possit eundem olio infirmorum inungere. *Affirma etiam statim post Baptismum, quando agitur de adulto; nam per Baptismum non absterguntur omnes reliquiæ actualium peccatorum ante Baptismum commissorum, ut sunt torpor, proclivitas ad malum, etc., licet deleantur omnia peccata omnesque peccatorum pœnæ*. S. Alphonsus.

789. **Dispositio ad Extremam-Unctionem**. Si infirmus rationis sit compos, ex generali Ecclesiæ consuetudine, Extremæ-Unctioni sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ præmittenda sunt. Imo si infirmus est in mortali et conscius peccati mortalis, si nequeat confiteri, de necessitate debet conteri; cum Unctio gratiam supponat. Si vero tempus vel infirmi conditio aliud requirat, poterit illa administrari etiam ante Viaticum.

790. Item requiritur intentio expressa, tacita, præsumpta vel interpretativa Unctionem suscipiendi juxta infirmi statum.

Cæteræ autem dispositiones uti vivæ fidei, firmæ spei, etc., sunt ad uberiorem fructum percipiendum. Ad quos pios actus eliciendos infirmus adjuvandus est a parocho, qui item eum

doceat quæ virtus sanctæ Unctioni divinitus indita sit *(S. Alph.*, l. VI, n. 716; *Scavini*, l. IV, n. 47).

791. **Quando ministranda Extrema-Unctio.** Extrema Unctio aliquando debet, aliquando potest dari.

1. *Dari debet*, et quidem sub gravi, quando urget periculum mortis. Imo ex Catechismo R.: *Gravissime peccant qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Nam privaretur infirmus uberiori fructu quem reciperet, si sui compos Sacramentum susciperet; item spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni; et forte etiam corporis sanitate, si tempore congruo datum fuisset (1).

2. *Dari potest* valide et licite statim ac prudenter judicatur infirmitas periculosa, nempe quando adest prudens timor de periculo mortis, etsi adhuc non proximæ. Id firmat Benedictus XIV *(De Synodo*, l. VII, c. 7). « Ne sacramentum Extremæ-Unctionis ministretur bene valentibus, sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant. Hinc recte ait Castropalaus: *Quoties Viaticum infirmis ministratur, statim ei ministrari Unctionem posse et expedire; quia jam censetur infirmitas grave periculum vitæ inducere.* » Non jam quod post unum Sacramentum aliud sit immediate dandum; nam si casus non urgeat, præstat ut post Viaticum aliqua mora intercedat ad Extremam-Unctionem, ut infirmus apposite disponatur *(S. Alph.*, l. VI, n. 714).

792. **Quoties ministranda Extrema-Unctio.** Si agitur de diversa infirmitate, illa iterum infirmo rite administratur; non enim unctio hujus Sacramenti est ad consecrandum, ut ait Angelicus (consecratio enim cum semper maneat, nequit iterari); sed ordinatur ad sanandum; medicina autem sanativa

(1) Imo neque ad elargiendam infirmo *benedictionem papalem* cum plenaria Indulgentia a Benedicto XIV Constit. *Pia Mater* concessam, expectanda est agonia vel delirium; attamen ad validitatem requiritur, ut adsit verus articulus vel verum periculum mortis, non tantum præsumptum. V. Pinzivalle; et Scavini, l. IV, n. 398; et l. n. 47, ubi plura de adjuvando infirmum in hujus Sacramenti susceptione.

Benedictio Papalis (quæ una tantum vice in eadem infirmitate etsi diuturna lucrari potest) habita delegatione, ad validitatem juxta præscriptam formulam a Benedicto XIV tribuenda est. Non est tamen de necessitate, ut adhibeatur cotta et stola. Est autem tribus vicibus recitandum *Confiteor*, cum tribuitur Viaticum, Extrema-Unctio, et Indulgentia in articulo mortis ex S. R. C. 5 febr. 1841.

Potest Episcopus, ubi agitur de parochis ruralibus non solum subdelegare parochum ad hanc Indulgentiam impertiendam, sed etiam quemcunque confessarium per eum ad proprium libitum, semel vel pluries et quandocunque opus fuerit eligendum. Hæc autem delegatio et subdelegatio non expirat per mortem concedentis; *cum jurisdictio delegata iis quæ non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat.* Acta S. Sedis, t. XI.

toties iterari debet quoties infirmitas iteratur *(contra Gentes,* l. IV, c. 73) — Si vero sermo sit de eadem periculosa infirmitate a Tridentino et Rituali non debet dari, nisi *cum infirmus convaluerit, et iterum in periculum mortis inciderit;* etsi agatur de morbo diuturno, qualis est phthisis et hydropisis, si nempe infirmus post unctionem certe manserit in eodem infirmitatis statu ex eodem Angelico (*Suppl.* q. 33) — Si vero dubitetur an morbi status mutatus sit, tunc ait Benedictus XIV *(De Synodo,* l. VIII, c. 8): *Ne nimium scrupulosi se gerant parochi, sed ad Sacramenti iterationem propendant; eo quod hæc iteratio conformior sit veteri consuetudini Ecclesiæ, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 715).

TRACTATUS UNDECIMUS

DE SACRAMENTO ORDINIS ET DE BENEFICIIS

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTO ORDINIS.

---

793. **Ordo sacer.** Nomen *Ordinis sacri* hic sumitur vel ad indicandum cœtum ecclesiasticorum, prout a statu laicali distinguitur, et dicitur *Hierarchia ecclesiastica;* vel pro *ritu sacro quo quis cœtui clericali adscribitur et gradus spiritualis potestatis ei confertur;* et dicitur simpliciter: *Ordo sacer,* vel potius *sacra Ordinatio.*

794. **Ecclesiastica Hierarchia** sic dicta a græco nomine, quod significat *sacrum principatum* definiri potest: *Certus hominum status, in quo varii sunt distincti ac subordinati gradus, quibus Christus Dominus spiritualem potestatem tribuit, ut Ecclesiam suam regerent, et divina religionis mysteria in ea celebrarent, ac distribuerent.* Hæc potestas cum Ecclesiæ regimen directe respiciat, tota repeti debet ab ipso Ecclesiæ fundatore Christo Domino, Apostolis primum data, a quibus manat in cæteros Ecclesiæ Prælatos usque ad finem mundi.

795. *Principia:* I. De fide est, quod in Ecclesia adsit Hierarchia divina ordinatione instituta, ita ut sacri ministri a laicis jure divino distinguantur. Id probat Apostolus, sumpta comparatione humani corporis: *Corpus non est unum membrum sed multa... ; quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?*

Sane Christus providit Ecclesiæ suæ de variis ministrorum gradibus: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores,* etc. Idque definivit Tridentinum (sess. XXIII, c. 6): *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit* (D. Thomas, 2, 2, *q.* 183, *a.* 2).

II. Hæc autem Hierarchia perpetuo durat ad mundi finem; ad Apostolos enim non solum personaliter spectatos, sed quatenus repræsentant seriem perpetuam successorum usque ad consummationem sæculi, pertinent illa Christi verba: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, euntes docete omnes gentes... ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,* etc. (Matth. XXVIII et Joan. XIV). At Apostoli non manserunt usque ad consummationem sæculi, cum morte prohiberentur permanere; ergo verba Christi et ideo auctoritas magisterii ad totam successionem apostolicam pertinent; et sane Apostoli sibi substituere alios et ita successive (v. Franzelin, *De traditione;* et d. Thomas, *contra Gentes,* l. IV, c. 74 et 76).

III. Ecclesiastica hierarchia duplex est: *Ordinis* et *Jurisdictionis.* Illa est facultas ex officio peragendi ritus sacros, sacrificium, sacramenta, benedictiones. Hæc autem est potestas regendi subditos, in ordinem ad Dei cultum. Utraque diversimode tribuitur. *Duplex est* (ad rem Angelicus) *spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur;... potestas autem jurisdictionalis est quæ confertur ex simplici injunctione hominis* (2, 2, *q.* 30, a. 30). S. Alph., *l.* VI, *n.* 734.

Gradus *Hierarchiæ Ordinis* tot sunt quot sunt Ordines in ipsa Ecclesia instituti (ex dicendis de *Ordinum numero).* Gradus autem *Hierarchiæ jurisdictionis* Jure divino constituit Romanus Pontifex, in quo residet plena et suprema jurisdictio in universam Ecclesiam. Item Episcopi, sed subordinate ad Pontificem — Jure autem ecclesiastico ad hierarchiam jurisdictionis pertinent Cardinales, Legati, Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Coadjutores Episcoporum et Prælati inferiores. Item Vicarii Episcoporum generales, Vicarii capitulares, Capitula Canonicorum, Vicarii foranei, Parochi cæterique ecclesiastici omnes.

796. *Resolve:* 1) Electio, missio ministrorum Ecclesiæ ad populum non pertinet; non ad reges, ad parlamenta, uno verbo non ad sæculares; sed ad ipsius Ecclesiæ præsules, quibus sacra ministeria demandata sunt. Non enim omnibus fidelibus dixit Christus: *Pasce oves*

meas; ego mitto vos; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; hoc facite in meam commemorationem, etc. Sed hæc dicta sunt Apostolis tantum (ac primo Petro Apostolo) et illorum successoribus. Idque firmatur ex apostolica consuetudine; nam Apostoli et Episcopi, non vero populus constituebant per civitates presbyteros: *Reliqui te Cretæ*, ait Apostolus ad Titum, *ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

2) Nicænum II, can. 3 dicit: *Omnem electionem, quæ fit a magistratibus Episcopi vel presbyteri vel diaconi, irritam manere.* Et d. Cyprianus *(l.* I, *Ep.* 4 ad Cœcilium: *Coram synagoga fieri sacerdotes legimus, ut plebe præsente, vel detegatur malorum crimina vel bonorum merita prædicentur.* En quam habebat populus partem; testimonium ferebat. Unde si quid ex veteri disciplina in hac re laicus potuit, id totum habuit ex conniventia vel concessione Pontificum et Episcoporum, qui semper sibi retinuerant perversæ electionis rescindendæ auctoritatem *(Syllabus* prop. 50 et 51 (1).

3) In ipsa civili monarchia bene constituta numquid populus ministros eligit, prætores creat ac gubernii officia ad libitum suum distribuit? vel una monarchia officia designat in alia monarchia? Minime gentium: sed ab unaquaque proprii ministri eliguntur, qui ab illa totam auctoritatem mutuantur. Ergo Ecclesiæ solius esse debet, quæ societas est perfecta, independens, per se subsistens a civili societate prorsus distincta, proprios ministros designare; non populi, non civilis gubernii. Quid si Ecclesia vellet distribuere officia civilia in aliorum civili Ditione? exorbitaret; a pari si civile gubernium vellet Ecclesiæ ministros eligere. Nemo dare potest quod non habet; populus igitur aut civile gubernium ad civilia tantum deputatum nullimode poterit in rebus quæ sunt superioris ordinis se immiscere, vel consensum tribuere, et quos voluerit eligere, atque jurisdictionem eis tribuere ad spiritualia exercenda? Hinc Tridentinum, sess. XXIII, can. 7: *Si quis dixerit... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit.*

4) Horrendum facinus admittunt, quod Ecclesiæ constitutionem transvertit in democratiam qua latior nulla; ac hierarchiam divinitus institutam pessumdant qui Ecclesiæ ministros a populo eligendos esse contendunt. Isti veterem evocant damnatamque doctrinam Protestantium, nec non Richerianorum, Febronianorum ac Pistoriensium (prop. 2), qui plus minusve late adstipulati sunt protestantium placitis, quod scilicet plenitudo potestatis resideat in populo fideli, ac nonnisi ejusdem populi suffragio delegari possit singularibus personis ipsius potestatis exercitium *(V. Scelta di Atti episcopali del Cardinale G. Pecci Arciv. Vescovo di Perugia, ora Leone XIII:* Sulle divine prerogative della Chiesa cattolica, e sugli odierni errori contro la medesima).

5) Qui se intrudunt in Ecclesiæ ministeria, quin a legitimo ecclesiastico superiore mittantur præter gravissimum peccatum, incur-

(1) Ecclesiæ fides omnibus sæculis omnibusque temporibus eadem ipsa est eademque semper manet; at ejus disciplina non ita. Nefas utique est privata licentia ejus vigorem inflectere; verum ubi Ecclesiæ ipsius auctoritas ob fidelium utilitatem et immutata tempora id agit, nostrum esse debet reverenter ejus determinationem suscipere; de potestate enim catholicæ Ecclesiæ est exteriorem disciplinam constituere ac sancire: et contrarium asserere hæreticum est, ut constat ex propositione damnata in Synodo Pistoriensi; item vide propositionem 78.

runt (item auxilium aut favorem illis præbentes) ipso facto in excommunicationem specialiter Papæ reservatam. Iidemque fugiendi sunt a fidelibus *tanquam alieni aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur et perdant.* Hi sunt *qui relinquunt iter rectum et ambulant per vias tenebrosas; qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum.* Prov. II (v. disputata, *t.* I, *nn.* 575, 591). Consulatur *L'elezione popolare del Papa, dei Vescovi e dei Parrochi; dialoghi* ecc. *di Monsignor* Rota *Arcivescovo.* Scavini, *l.* II, *n.* 958; *l.* III, *nn.* 545, 666, et *l.* IV, *n.* 566, ubi plura ad rem — *La Civiltà cattolica,* serie 10,ª t. V: Delle elezioni popolari della Chiesa. Item *La Scuola cattolica* — Steccanella, *Delle elezioni popolari nella Chiesa; discussione storica, canonica, pratica;* Prato.

Casus. Antonius asserit ac contendit ad populum de jure pertinere ministrorum electionem; recta enim ratio docet populum non posse rationabiliter cogi ad pastorem suscipiendum nomine, vultu, operibus, fama ignotum; nam oves pastorem suum agnoscunt; sicque magis idonei haberentur ministri — R. *Esto, quod pastores debeant cognosci ab ovibus suis; sed quando pastores semel sunt ab ecclesiastica auctoritate constituti, tunc populus et eos cognoscere et eos sequi, et illis obedire tenetur. Illa assertio falsa est, imo facile schismatum origo esse potest et Ecclesiæ Constitutionis subversiva.*

Absit autem, ut credamus quod meliores haberentur ministri, si electio in manu populi esset: imo contrarium eveniret; quod satis abunde et antiqua historia et hodierna probat experientia, ex qua etiam habemus quot tumultibus, seditionibus ac seductionibus obnoxia sit popularis electio. Hinc libellus, in quo id traditum est, in Indicem librorum prohibitorum *fuit relatus Decr.* 30 *maji* 1849; *ejus tamen auctor laudabiliter se subjecit.* Episcopus Eula et Scavini.

797. **Sacra Ordinatio.** Ordo sacer seu sacra ordinatio definitur: *Sacramentum novæ Legis, quo traditur spiritualis potestas, et confertur gratia rite ecclesiastica munia obeundi.*

Principium. De fide est Ordinem esse verum Sacramentum: est contra protestantes omnes, Anglicanis exceptis. Et 1) Ordo est signum sensibile; confertur enim signo exteriori, uti manuum impositione — 2) Gratiam tribuit: hinc Apostolus Timotheum admonet, ut resuscitet gratiam Dei, quæ illi in ordinatione collata fuit per ejus *manuum impositionem* — 3) Divina institutio; nam Christus ipse Apostolos eorumque successores elegit *in opus ministerii.* Id firmat perpetua traditio, quæ semper sacram ordinationem inter novæ legis Sacramenta recensuit, ut constat ex liturgiis, ex ss. Patribus, ex Conciliis, v. g. Calcedonense, et Nicæno II œcumenicis; imo ex sectis antiquissimis, ut probat Morinus. *Homo manus imponit* (ait d. Ambrosius, *de dignit. sacerd.* c. 5), *sed Deus largitur gratiam.* Hinc Tridentinum definivit: *Si quis dixerit Ordinem seu sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo*

Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros Verbi Dei et Sacramentorum, anathema sit (sess. XXII, can. 3).

798. Ordo autem fuit institutus in ultima Cœna; nam tunc Christus instituit Sacerdotes novæ Legis per verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et post resurrectionem suam Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, mysteria dispensandi, regendi Ecclesiam et alios ministros instituendi (*Act.* XXII; *Joan.* XX; *Matth.* XXVIII; I *Corinth.* XI et XII, etc.).

CAPUT PRIMUM

De Ordinum Numero, Materia, Forma et Effectibus.

799. **Ordinum numerus.** Ordines dividuntur in majores, qui dicuntur etiam sacri, et in minores. *Majores* tres sunt, Sacerdotium, Diaconatus et Subdiaconatus; versantur autem circa Eucharistiam, habentque adnexam legem perpetuæ continentiæ et Horarum. *Minores* vero quatuor numerantur, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus et Ostiariatus, qui remote tantum versantur circa Eucharistiam, quin cœlibatus perpetui, vel Horarum obligationem importent (1).

Hos omnes memorat Tridentinum subdens ab ipso Ecclesiæ initio eos cognitos fuisse; et postea definit: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines et majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit* (sess. XXII, c. 2).

Hinc merito propositio n. 55 Synodi Pistoriensis, quæ Ordines imminuere vellet, damnata est. Hujus numeri ac distributionis rationem congruentem assignat Angelicus: distinctio Ordinis accipitur secundum relationem ad Eucharistiam, prout conficitur seu consecratur, distribuitur et suscipitur. Unde vel agitur de ea consecranda, et datur ad hoc *sacerdotium;* vel de ea distribuenda, in sacerdotis absentia, aut de proxima materia ad eum tradenda, et hoc pertinet ad *diaconum;* vel de præparandis vasis sacris, ut in iis materia recipiatur et pertinet ad *subdiaconum;* vel de ipsa materia præsentanda, et pertinet ad *acolytum.* Quod vero pertinet ad *susceptores,* ii mundi esse

(1) In Ecclesia vero græca multis abhinc sæculis quatuor tantum sunt Ordines, nempe *Sacerdotium* et *Diaconatus* majores; *Subdiaconatus et Lectoratus* minores Ordines. Attamen Subdiaconatus græco ritu collatus acolytatum et ostiariatum includit. Et ab aliquibus græcis exorcistatus traditur cum Diaconatu.

Sub nominæ *Sacerdotii* venit Episcopatus et Presbyteratus.

debent; arcendi sunt ergo immundi. Horum autem triplex genus: alii, qui nolunt fidem suscipere uti infideles, quibus est claudenda Ecclesia; et hoc pertinet ad *ostiarios*. Alii, qui susceperunt fidem, sed nondum sufficienter instructi uti catechumeni; et his datur *lector*. Alii, qui instructi quidem sunt, sed a dæmone detinentur, uti sunt energumeni; porro his dantur *exorcistæ* (Suppl. q. 37, a. 3 et 4. In 4, dist. 24; et contra Gentes, l. IV, c. 75).

800. **An singuli Ordines sint Sacramentum?** Quoad *Sacerdotium* de fide est a Tridentino definitum. De *Diaconatu*, licet non sit de fide expresse, certum est tamen, quod veram Sacramenti rationem participet; nam hic habemus signum sensibile per manuum impositionem; collationem gratiæ, in verbis formæ, quam profert Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum;* tandem Dei institutionem, definiente Tridentino: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit.* Ubi nomine *ministris*, sine dubio saltem diaconi sunt intelligendi.

Quod autem spectat ad *alios Ordines*, omnes Sacramenta esse sunt qui probabiliter affirmant; cum unicuique Ordini sua sit assignata materia ac forma. In hac sententia omnes Ordines unum semper Sacramentum constituerent in ratione finis; cum singuli sint ordinati ad unum Missæ sacrificium. Attamen mihi probabilius est aliis Ordinibus Sacramenti dignitatem non convenire. In illis enim tantum occurrit mentio potestatis tributæ, non gratiæ collationis; ideo sunt tantum institutionis ecclesiasticæ, etiam subdiaconatus; cum apud græcos non habeatur ut ordo sacer (1).

801. **Tonsura**. Definitur: *Ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus baptizatus et confirmatus tonsione capillorum in Clerum adsciscitur.* Tonsura non est ordo (ait Angelicus, *Suppl.*, q. 40, a. 2), sed ad ipsum potius ordinatur. Dicitur etiam primus gradus ad Ordines qui de foro Ecclesiæ facit, et præparat ad altaris ministerium; hinc etiam appellari solet *prima tonsura*. Quia tamen habet relationem ad Ordines et de illis participat, ideo Tonsura (prout et minores Ordines) etiam illicite data, irrevocabiliter data est, nec iterari potest, etsi quis habitum clericalem dimittat et postea resumat, ut declaravit S. C. Concilii penes Fagnanum.

Collatio. D. Carolus suos clericos citius tonsura decorabat, ut

(1) D. Thomas (Suppl. q. 39, a. 2) ait: *Tota plenitudo Sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis... et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum* (s. Alph., l. VI, n. 736).

illis esset jugis incitatio ad spiritum eclesiasticum imbuendum, ex mente Tridentini *sess.* XXIII, *c.* 18 *de Ref.* Ubi tamen viget § 14 Instructionis Benedictinæ, nempe in pluribus Regni Pedemontani locis, non tam cito confertur, cum ad eam requiratur Titulus —In hac tamen re non una est vigens Ecclesiæ disciplina; certo prima Tonsura ex ipso Tridentino *sess.* XXIII, *c.* 4 *de Ref.*, non sunt initiandi ii, *de quibus probabilis conjectura non sit... ut Deo fidelem cultum præstent;* et ideo non est perfunctorie conferenda, sed tantum post maturum examen; ne facile eveniat, ut ingressus in Sanctuarium egrediatur cum status clericalis dedecore. Totum porro hac de re judicium Episcopo remittitur.

Effectus. Tonsuræ effectus sunt, quod candidatus clero adnumeratur, fit capax Ecclesiasticorum beneficiorum, et gaudeat privilegiis clericorum: nempe *fori*, quo a sæculari jurisdictione eximitur. *Immunitatis*, quo a tributis liberatur. *Competentiæ*, quo nequeat si obæratus in carcerem detrudi aut honesta sustentatione privari. *Canonis*, quo ipsum percutientes sint excommunicati. Ultimus in suo vigore subsistit, cum totus sit sub potestate Ecclesiæ; sed alii a modernis civilibus guberniis non agnoscuntur (*S. Alph.*, l. IV, n. 734).

Obligatio tonsurati. Cum novum statum assumant tonsurati, novos mores induere debent in melius. Hinc eos monet Pontificale, ut in posterum *habitu honesto, bonisque moribus atque operibus Deo placere studeant* (D. Thomas, *Suppl.* q. 40).

802. **Ordines.** Eorum natura et proprietates.

Ostiariatus est *primus Ordo inter minores, quo ordinato confertur specialis potestas aperiendi et claudendi januas Ecclesiæ, dignos admittendi, et excludendi indignos.* Ejus materia remota sunt claves Ecclesiæ; proxima est ipsa clavium a candidato tangendarum traditio. Forma sita est in verbis in tali traditione prolatis.

Lectoratus est *secundus Ordo inter minores, quo ordinato confertur specialis potestas legendi extra Missam, in Ecclesia tamen, Scripturas sanctas, et populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei.* Liber sacrarum Scripturarum est materia remota; illius traditio facta ab Ordinante, et a candidato tangenda, est proxima. In istius vero traditione verba prolata constituunt formam.

Exorcistatus est *tertius Ordo, quo ordinato specialis confertur potestas expellendi dæmones ab energumenis per exorcismos ab Ecclesia institutos.* Rituale, ubi exorcismi scripti sunt, juxta Bullam *Sollicitudini* Benedicti XIV est materia remota; ejus traditio, proxima; verba traditionis, forma. Exorcismi hodie solis reservantur sacerdotibus: imo et ipsis quoque graviter prohibentur sine speciali licentia Episcopi eos agere intra Italiam et adjacentes Insulas. Imo neque regularis etsi in

sua Ecclesia, inconsulto Episcopo, ex ejusdem Pontificis Constitutione *Magno (S. Alph.*, l. III, n. 193) (1).

Acolytatus est *ultimus inter minores Ordines, quo ordinato confertur specialis potestas inter Missarum solemnia subdiacono inserviendi, accendendi cereos, præparandi ac porrigendi urceolos vini et aquæ.* Urceoli vacui, et candelabrum cum cereo extincto sunt materia remota; proxima istorum traditio; forma, verba traditionis *(S. Alph.*, l. VI, nn. 735 et 745).

803. **Subdiaconatus**. Est primus Ordo inter majores, *quo ordinato tribuitur specialis potestas præparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, legendi Epistolam et inserviendi Diacono in solemni Missæ sacrificio.* Materia apud Græcos est manuum impositio; et verba in ea impositione prolata sunt forma. Apud Latinos materia remota est calix vacuus cum patena vacua (consecrati), et liber Epistolarum. Traditio utriusque, *materia proxima*: *forma*, verba in traditione prolata. Disputant, an utraque traditio sit de Ordinis necessitate. In praxi utraque materia est adhibenda cum sua forma; et si quid omissum, supplendum est *(S. Alph.*, l. VI, n. 746).

Officia subdiaconorum propria præter gravissimam obligationem quotidie recitandi divinum Officium, ac perpetuam servandi castitatem, sunt ex Pontificali: 1) Vinum, hostiam, lintea et cætera ad Sacrificium præparare. 2) Epistolam in Missa solemni cum manipulo cantare; et Diacono in altaris ministerio ministrare. 3) Calicem et patenam ad aram deferre. Aquam in calicem fundere. Patenam elevatam tenere. Pacem in chorum deferre, Crucem in processionibus portare, etc.

804. **Diaconatus**. Est *Ordo, quo traditur ordinato specialis potestas in Missa solemni Sacerdoti immediate assistendi, Evangelium decantandi, prædicandi, et solemniter cum causa baptizandi.* Materia duplex habetur: impositio manuum Episcopi et traditio libri Evangeliorum, cum formis respectivis. Alii censent probabiliter cum d. Thoma, solam libri traditionem esse de essentia, quia de ea tantum fit mentio in concilio Florentino. Alii probabilius solam manuum impositionem; nam de ea tantum fit mentio *(Act.* VI). Alii requirunt utramque, et patet ex ritu Eclesiæ latinæ: et hæc probabilis sententia in praxi est sequenda; cum res sit de valore Sacramenti. Unde quod est

(1) Neque ideo exorcistatus inutilis evasit; tum quia sacerdos ipse exorcismis utitur virtute hujus Ordinis suscepti; tum quia exorcista ex Pontificali adhuc deputatur ad parandam aquam et sal pro exorcismis, etc.

omissum, caute supplendum ex S. Rituum Congr. 16 junii 1836 (*S. Alph.*, l. VI, n. 748).

Primis sæculis diaconi Episcopum comitabantur, ipsique assistebant dum prædicationis officio et ministerio fungebatur. Nunc ex Pontificali Diaconum oportet: 1) *Ministrare ad altare;* Evangelium solemniter canere. 2) *Eucharistiam* distribuere; extraordinarie tamen, et ex commissione. 3) *Baptizare* publice, sed ut minister extraordinarius. 4) *Prædicare*, sed intelligitur ex Episcopi tantum delegatione, et per modum catechizantis ex divo Thoma, 3 p. q. 67.

805. **Presbyteratus.** Presbyteratus seu Sacerdotium est *Ordo, quo candidato traditur specialis potestas tum consecrandi et ministrandi Corpus et Sanguinem Christi, tum remittendi et retinendi peccata fidelium.* Apud Græcos sola materia Presbyteratus est manuum impositio; apud Latinos est tum manuum impositio, tum traditio instrumentorum cum formis repectivis. Non est dubitandum quod manuum impositio sit necessaria ad materiam essentialem; de ea siquidem Scripturæ mentionem faciunt. Quoad traditionem vero instrumentorum cum d. Thoma alii probabiliter ex Decreto Eugenii IV ad Armenos docent etiam hanc esse de essentia; sed probabilius cum d. Bonaventura et aliis plurimis id negant, quia in Scripturis nulla de ea mentio habetur; et non ante sæculum VIII vel IX invecta fuerit, ut ex Marten notat Benedictus XIV, *De Synodo*, l. VIII, c. 10 (1).

Triplex autem habetur manuum impositio: *prima* fit ab Episcopo, et postea a Sacerdotibus, nil proferendo; et ideo hæc non pertinet ad essentiam, cum nullam habeat formam adjunctam. *Secunda* est quando tam Episcopus quam sacerdotes tenent manus dexteras super ordinandos extensas, solo orante Episcopo. *Tertia* quando solus Episcopus ambas manus super caput singulorum imponit dicens: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. Secunda probabilius est de essentia. Patet ex his Tridentini verbis: *Ministri Extremæ-Unctionis sunt aut Episcopi aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii,* hoc est quæ fit ab Episcopo cum presbyteris assistentibus (sess. XIV, c. 3) — Non autem tertia impositio; tum quia non fuit

(1) Neque obstat, quod Eugenius IV in Decreto ad Armenos porrectionem instrumentorum assignaverit tantum cum relativa forma; nam ut sapienter respondet Benedictus laudatus cum Becano, Menardo et Morino, Eugenius ibi fuit locutus de materia et forma tantum integrali, quam intendit tradere Armenis, qui optabant aggregari Ecclesiæ latinæ. Et ideo non fuit opus eis assignare impositionem manuum, cum illi juxta ritum Græcorum, jam eam adhiberent.

in usu apud Latinos per XII priora sæcula; tum quia jam Sacerdotium collatum est, siquidem noviter ordinati presbyteri cum Episcopo jam concelebrarunt (pro qua Missa ex Benedicto XIV possunt etiam stipendium accipere) — In praxi (cum res sit de Sacramento) ordinatio facta sine secunda impositione tota sub conditione iteranda est ex S. Concilii C. Si autem fuerit facta sine tertia manuum impositione, hæc tantum supplenda *(S. Alph.*, l. VI, n. 749; *Scavini*, l. III, n. 538).

Posita autem sententia, quæ in praxi tenenda est maxime ob auctoritatem d. Thomæ (q. 37 a 5), quod traditio instrumentorum sit etiam essentialis, si hæc fuerit omissa consultum est, ut ordinatio repetatur sub conditione. Ab eodem autem Episcopo qui formam profert, materia est tradenda *(S. Alph.*, l. VI, n. 744).

Officia Presbyterorum præcipua ex Pontificali sunt: *offerre, benedicere, præesse, prædicare* et *baptizare*. Quatuor tamen posteriora hodie ut legitime fiant, assignatio personarum, vel superioris consensus requiritur.

806. **Episcopatus**. Episcopatus qui una cum Presbyteratu sub uno sacerdotii nomine continetur, *est Ordo supremus, quo datur presbytero potestas specialis confirmandi, ordinandi, de fide judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.* Hinc patet inesse Episcopo potestatem tum *Ordinis*, qua baptizatos confirmare possunt et ministros sacros ordinare; tum *Jurisdictionis* qua sibi concreditam Ecclesiam gubernare valeant (1). Utraque est a jure divino juxta illud: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. XX). *Posuit;* subordinate tamen ad Romanum Pontificem; nam et illi Episcopi ad quos Paulus hic loquitur, erant a Spiritu Sancto positi, non autem proxime, sed per ipsos Apostolos, qui illis jurisdictionem commiserunt. Quod ecclesia facit, dicit Spiritum Sanctum facere, at non proxime, sed per interpositam Ecclesiam, cujus caput visibile et supremus moderator est R. Pontifex — Utique Ordo major Episcopatu qui supremus est, neque in summo Pontifice reperitur, qui ideo ad Ordinem se referendo episcopum se, et episcopos fratres appellat; sed hic primogenitus est et caput omnium Episcoporum, centrum unitatis universæ familiæ christianæ et Ecclesiæ, cui Christus plenariam dedit potestatem pascendi oves, et agnos sive in

(1) Jurisdictio quam Episcopi jure Ordinario exercere possunt, tribuitur *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati;* tunc illam validius exercere valent vel etiam contra personas exemptas.

ministerio Ordinis sive in imperio Jurisdictionis. Pulchre d. Bernardus ad Eugenium Papam ajebat: *Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi* (episcopi) *sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor* (De Consideratione l. II, c. 8). V. Bouix, *De Episcopo.* Bellarminus, *De R. Pontifice.* Zacharia, *Antifebronius vindicatus.* D. Thomas, *Suppl.* q. 40, a. 6; et *contra Gentes,* l. IV, c. 76).

Episcopos autem esse presbyteris superiores de fide est a Tridentino definitum *sess.* XXIII, *c.* 7; Episcopi enim in Apostolorum locum successerunt; at presbyteri assumpti fuerunt in adjutorium Episcoporum, uti ait Pontificale; atque ideo perperam jus istis tribuitur in decretis statuendis fidei et disciplinæ: contrarium damnatum est in propositione 9 Synodi Pistoriensis — Item est de parochis qui, ut habet Tridentinum (sess. XIV, c. 13 *de Ref.)* ab Episcopis mittuntur et adsignantur ad certa loca *pro tutiori animarum eis commissarum salute;* et ideo non sunt parochi institutionis divinæ *(D. Thomas,* 2, 2, q. 188, a. 4; *Scavini,* l. I, n. 609; Episc. Eula, *Collectio casuum).*

Imo communior et recepta sententia docet Episcopatum esse Ordinem a Presbyteratu distinctum; cum in eo distinctus character tradatur seu specialis potestas; et distincta habeatur tum materia, tum forma. Et ideo ut quis valide consecretur Episcopus, requiritur ut valide presbyteratum jam susceperit (V. *Scavini,* l. III, n. 541; et Perrone, *De Ordine).*

Manuum impositio, quæ fit a consecrante Episcopo, cum dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*, et quæ dein ab ipso continuatur post brevem orationem, necessariam materiam constituit; verbaque tunc ab eo prolata, necessariam formam. Patet exemplo Apostolorum et omnium Ecclesiarum antiquissima praxi. Cæteræ autem cærimoniæ, etsi ad essentiam non pertineant, sine gravissima tamen culpa omitti nequeunt *(S. Alph.,* l. VI, n. 755) (1).

Episcopi Ordinis potestatem a Deo immediate suscipiunt; nam cum hæc characterem imprimat indelebilem, nonnisi a Deo immediate provenire potest. Disputatum est diu, an etiam proveniat immediate a Deo potestas jurisdictionis Episcoporum. Dicendum, Episcopus ha-

(1) Episcopi etiam extra propriam diœcesim gestare possunt publice et manifeste Crucem pectoralem; cum sit signum dignitatis non jurisdictionis. Ita declararunt Benedictus XIV et Leo XII (v. *Scavini,* l. I, n. 579) — Sed S. Rituum Congregatio interrogata: « An crux pectoralis quæ ab Episcopo in sua Diœcesi supra mozzettam ante pectus gestare solet, debeat, quum ipse in aliena diœcesi reperitur, abscondi vel deponi; vel potius in aperto supra mantellettam, et in sacris functionibus supra sacras vestes gestari possit et debeat? Respondit 14 junii 1873: *Servetur consuetudo.*

Hic præstat referre nuper editum rescriptum quoad noviter electos Episcopos: « An Episcopi nomen dicendum sit in canone Missæ et in aliis liturgicis orationibus a die notitiæ, etiamsi non officialiter habitæ, electionis ejusdem in Consistorio, vel a die captæ possessionis Ecclesiæ, cui a summo Pontifice præpositus fuit? S. Rituum C. sic declarare rata est: *A die captæ possessionis vel per Episcopum ipsum, vel per suum procuratorem.* » Die 4 julii 1879.

bere potestatem immediate a Deo per originem et vim; sed mediante a Papa quoad exercitium, ita ut illud licite et valide exerceri valeat: contrarium asserere in schisma induceret, ut habet propositio 6 in Synodo Pistoriensi damnata (v. *Scavini*, l. I, n. 579).

807. Quoad desiderium Episcopatus Apostolus habet: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (I Tim. III): ubi animadvertere est, Apostolum non jam docere bonum esse hoc desiderium; sed opus quod desideratur, bonum esse in se. Et Angelicus ait (2, 2, q. 185): *Si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum temporalium, erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit præsumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. Verum quia prout est episcopalis actus, habet jam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente* (De Episcopi dignitate, de Episcopo auxiliario, coadjutore, titulari plura Scavini, l. I, n. 581).

808. **Effectus Ordinis et obligationes Ordinati.** *Effectus* sunt: 1) *Gratia habitualis* seu sanctificans, id est ejus augmentum; cum Ordo sit Sacramentum vivorum — 2) *Gratia Sacramentalis,* quæ auxilia suppeditat ad officia Ecclesiastica digne obeunda; cuicunque enim (ait Angelicus) datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ possit congrue fieri; opera namque Dei perfecta sunt — 3) *Character*, ut definivit Tridentinum *(sess.* XXIII, *can.* 4); ideo qui semel sacerdos fuit, laicus amplius fieri nequit. D. Thomas, *Suppl. q.* 35 *(S. Alph.,* l. VI, n. 735) (1).

Obligationes autem quibus tenentur ordinati, aliæ sunt omnibus communes, ut vitæ probitas. Aliæ iis maxime propriæ qui majoribus Ordinibus sunt insigniti, ut est obligatio cœlibatus perpetui, ac Horarum Canonicarum *(de quibus jam suis locis).*

CAPUT SECUNDUM

De Ordinationis Ministro et Subjecto.

809. **Minister ordinarius Sacramenti Ordinis.** Solus Episcopus est ordinarius minister ad valide Ordines conferendos independenter ab omni laicali potestate aut consensu; officia enim societatis conferre pertinet ad illos, qui excellentiorem habent in ipsa potestatem. De fide est, et constat ex Scriptura, quæ non aliis quam Apostolis et Episcopis eorum successori-

(1) Quidam dixerunt, ait Angelicus loco cit., quod in sacris Ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus; sed hoc nihil est, quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem.

bus jus tribuit Ordines conferendi *(Act.* VI et XIV; et II *Tim.* I). Firmatur ex perpetua traditione et doctrina Ecclesiæ. Hinc merito contra novatores definivit (sess. XXIII, can. 7) Tridentinum: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit.* D. Thomas, *Suppl.* q. 38 (1).

Nec officit validitati, quod Episcopus sit hæreticus, degradatus, simoniacus, censuratus et irregularis. Certum est ordinationes validas esse (ut ait d. Thomas, *Suppl.* q. 38, a. 2); nam Sacramenti valor a probitate ministri non pendet, et character episcopalis est indelebilis *(S. Alph.,* l. VI, n. 761).

810. **Minister Ordinationis extraordinarius.** Certum est:

1) Pontificem præbere posse simplici sacerdoti facultatem conferendi Tonsuram et Ordines minores: cum isti probabilius sint tantum ecclesiasticæ institutionis, vel certo nullam conferant directam circa ipsius Christi Corpus potestatem *(S. Thomas,* 3 *p. q.* 65, *a.* 3).

2) Non posse id agere relate ad Presbyteratum; cum sit ministerium excellentissimum, quod a solo Principe Ecclesiæ supremam facultatem habente, ut est Episcopus, proficiscitur.

3) Neque quoad Diaconatum probabiliter Pontificem posse licentiam concedere simplici presbytero, ut illum conferat; quia ejus ministerium est immediate ad Corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo: et facta quæ contra opponuntur, genuina non sunt, ut probant eruditi (vide Billuart). Affirmant vero quoad Subdiaconatum; quia non habet relationem tam immediatam ad Christum *(S. Alph.,* l. VI, n. 756).

811. **Minister legitimus Ordinationis.** Est qui non solum valide, sed etiam licite Ordines confert. Ad quod requiritur, ut ordinationes (quod communiter intelligunt quoque de Tonsura) a proprio Episcopo, qui censura illum prohibente non sit irretitus, suscipiantur; vel ab alio de illius licentia; quod sub censura Pontifici reservata præscribitur (v. *t.* I, *nn.* 641 *et seqq.).*

(1) Si Episcopus sit electus, confirmatus, sed nondum consecratus, possessione adepta, potest licite concedere licentiam subditis, ut ab alio Episcopo ordinentur; cum id sit de potestate jurisdictionis.

Proprius autem Episcopus quoad Ordines licite suscipiendos ille est, cujus jurisdictioni quisque subjicitur; cum Episcopi sit curare bonum suæ Ecclesiæ. Idque contingere potest ratione vel *originis* vel *domicilii* vel *Beneficii* vel *familiaritatis* seu *famulatus*. Hac de re maxime consulenda est Bulla *Speculatores* Innocentii XII *(S. Alph.*, l. VI, n. 769).

812. Ut quis licite ordinetur *ratione originis*, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, v. g. occasione mercaturæ parentum, rusticationis, legationis, officii, itineris, negotii, vel alterius temporalis moræ, etsi diuturnæ. Quo in casu non fortuita nativitas; sed attendendus verus et naturalis patris incolatus, seu locus in quo pater domicilium habet *(S. Alph.*, l. VI, n. 770).

813. Ut quis licite ordinetur *ratione domicilii* requiritur vel decennalis habitatio, vel translatio majoris partis bonorum in eum locum, et successiva permanentia per aliquod tempus: quod relinquitur definiendum arbitrio Ordinarii loci, in quem translata sunt illa bona. Insuper requiritur, ut ordinandus jurejurando affirmet, se vere habere animum perpetuo ibidem manendi. Adhuc autem filiusfamilias vivens seorsum a parentibus potest domicilium acquirere ex S. C. Congregatione (1). Quasi-domicilium quoad Ordines non sufficit.

Quoad adolescentes qui sunt in seminario alienæ Diœcesis studii causa, eos ordinat Episcopus proprius, nisi dimissorias concedat. Sed requiruntur testimoniales loci in quo studiis vacarunt. S. C. 11 julii 1840 *(S. Alph.*, l. VI, nn. 771, 778).

814. Ut quis licite ordinetur *ratione Beneficii*, necesse est: 1) Ut Beneficium ecclesiasticum sit, et pacifice possideatur; nec fuerit obtentum in fraudem Episcopi originis et domicilii, et detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam sustentationem. At non sufficeret titulus Missarum; nec pensio licet perpetua et ecclesiastica, nec capellania laicalis; quia hæc non sunt ecclesiastica Beneficia — 2) Ut ante Ordinationem exhibeantur ordinanti Literæ testimoniales Episcopi originis et domicilii super ordinandi natalibus, ætate et moribus — 3) Si quis plura habeat Beneficia in Diœcesibus diversis, potest ordinari a quolibet illorum Episcoporum, modo adsint conditiones desuper numeratæ. Ita communiter *(S. Alph.*, l. VI, n. 774).

815. Ut quis licite ordinetur *ratione famulatus*, requiritur: 1) Ut per integrum moraliter triennium Episcopus eum in suo servitio retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, quamvis triennium fuerit incœptum ante promotionem ad Episcopatum — 2) Ut ei Episcopus Be-

(1) At neque Episcopus originis potest ordinare sine testimonialibus Episcopi domicilii; neque is sine testimonialibus Episcopi originis, si ordinandus ab ejus diœcesi discesserit ea jam ætate, qua poterat aliquod impedimentum contrahere ex Bulla *Speculatores* Innocentii XII. Nec cæteri sine testimonialibus Ordinarii ejus loci in quo ordinandus tanto tempore moratus est, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit sub pœna suspensionis ex Constitutione *Apostolicæ Sedis* Pii IX (v. t. I, n. 641).

Item notanda differentia inter laicum et clericum: clericus alicui Ecclesiæ addictus vel beneficium possidens non potest a Diœcesi sua ad aliam licite transire absque sui Ordinarii licentia; licet tamen laico etiam filiofamilias quocunque abire, et domicilium suum statuere, etiam in loco quo suum domicilium pater non habet. *Acta S. Sedis*, t. X, pagg. 479 et 491.

neficium ecclesiasticum ad sustentationem sufficiens, quacunque fraude amota, saltem intra terminum unius mensis a die actæ Ordinationis, reipsa conferat. Non tamen illum posset ordinare titulo patrimonii neque titulo pensionis — 3) Ut Literæ testimoniales natalis, ætatis, etc., exhibeantur a proprio Prælato originis et domicilii.

Nomine autem *familiarium* Episcopi intelliguntur qui Episcopo famulantur et vivunt ejusdem expensis, etsi in ejus ædibus non habitent, modo degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope *(S. Alph.*, l. VI, n. 780).

816. **Ordinationis subjectus.** Alia requiruntur ad validam, alia ad licitam ordinationem in subjecto.

I. Ad *validam* præter Baptisma, quod est janua omnium Sacramentorum, requiritur:

1) *Sexus masculinus;* ait enim Apostolus: *Docere autem mulieri non permitto; mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse...; turpe est enim mulieri in Ecclesia loqui* (I *Tim.* II; et I *Cor.* XIV). At si mulieribus docere prohibetur, imo illis ne loqui quidem in Ecclesia permissum est, tanto minus poterunt valide Ordines suscipere et sacerdotalia munia exercere, sacrificare, absolvere, etc. Hinc Angelicus (Suppl. q. 39): *Cum in sexu fœmineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subjectionis habet, ideo non potest Ordinis sacramentum suscipere.* Firmat consensus universalis *(Scavini*, l. III, n. 668).

2) *Intentio;* si de adultis sit sermo; neque gratia tribuenda est non petenti, si eam petere potest. Hinc Innocentius III: *Qui penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti* (1) — Verius autem et communius docent cum d. Thoma (Suppl. q. 39, a. 2) *valide suscipi etiam ante usum rationis* omnia Sacramenta, quæ non requirunt actum suscipientis, sed solummodo in eis datur aliqua potestas spiritualis, ut sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia et Ordo *(S. Alph.*, l. VI, n. 782).

II. Ad *licite* autem ordinationem suscipiendam præter Cœlibatum (de quo t. I, n. 240), plures requiruntur conditiones. En præcipuæ:

817. **Divina vocatio.** Vocationis necessitatem docet Apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (Hebr. V). Docet Christus, cum ita Apostolos alloquitur: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (Joan. XV). Imo et ipse Christus *non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu* (Hebr. V). Hinc Doctorum sensus est, non vocatum esse veluti membrum e suo loco dimotum,

(1) Nota illud *penitus;* secus esset, si quis non sit omnino reluctans. V. *Scavini*, l. III, nn. 550 et 669.

quod adhuc servire potest, sed imperfecte nimis, qui proinde magno periculo damnationis se exponit. Huic autem discrimini tanto magis se committit Episcopus qui perfunctorie in hac re se gerit cum periculo non vocatos admittendi. Hinc Apostolus monet: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (I Tim. v). Ideo facile acquiescere non debet quibuscunque attestationibus; sed curet secretam a fide dignis informationem. Quod hodie maxime curandum est, cum non omnes juvenes in Seminariis edocentur. Quid autem expectandum sit e laicorum scholis, notum est: hodie apud catholicos renovatum videmus quod apud hebræos Machabæorum tempore: *Exierunt ex Israel filii iniqui... et ædificaverunt gymnasium in Jerusalem secundum leges nationum... et recesserunt a testamento Sancto, et juncti sunt nationibus, et venundati sunt, ut facerent malum* (Machab. I).

Signa autem præcipua divinæ vocationis sunt: scientia conveniens, positiva vitæ probitas, amor Sacrorum, recta intentio seu desiderium vacandi divinæ gloriæ et saluti animarum (*S. Alph.*, l. VI, nn. 802, 803; et in hoc Compendio notata t. I, n. 283).

Media tandem ad dignoscendam divinam ad status ecclesiastici vocationem sunt præcipua: 1) *Tempus,* nam deliberandum est diu quod semel tantum eligendum est — 2) *Oratio,* a quo sunt omnia bona; ideo necesse est ut sæpe clamemus ad Dominum: *Notam fac mihi viam in qua ambulem* (Ps. CXLII) — 3) *Consilium;* nam (ut ait A Kempis) nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens; sed oportet nos invicem consolari, pariter adjuvare, instruere et admonere. Hinc Sapiens: *Fili, sine consilio nihil facias et post factum non pœnitebis* (Eccl. XXXII); sed consilium semper a sapiente est perquirendum, ut monet Tobias, cui omnia intima cordis nostri aperienda sunt (v. *Scavini*, l. IV, nn. 489 et seqq., ubi plura de status electione, et de eo qui in eligendo erravit).

818. **Recta Intentio.** Si nulla actio bona esse potest, quæ non fiat bono fine, id fortius dicendum, ubi agitur de re tam gravi, qualis est sacri ministerii electio. Porro hic finis principalis et immediatus paucis ab Apostolo describitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum* (Hebr. v). Mortaliter ergo peccat qui principaliter sacræ militiæ petit adscribi ob fines humanos (S. Alph., *Ho. ap.*, app. 3ª, n. 45) (1).

819. **Probitas vitæ.** Non utique innocentia baptismalis necessaria est (et contraria propositio Synodi Pistoriensis n. 53 damnata fuit; sed omnino requiritur positiva probitas, maxime probata continentia, et non solum in actuali Ordinis susceptione, cum sit Sacramentum vivorum; sed multo ante; nam status clericalis est status probatæ ac firmæ virtutis, non vero pœnitentiæ. Unde ajebat d. Bernardus: *Nos in monasteriis omnes recipimus spe meliorandi; in Clero autem viros probatos deligi oportet, non probandos* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 68) (2).

(1) Dices: *Qui Episcopus potest certior fieri de recta candidatorum intentione, de eorumque in bono perseverantia?* S. Alphonsus De Liguori (*Degli abusi nel prender le Messe* ecc., n. 41) respondit: « In questa terra di tenebre ognuno sa, che dagli uomini non può operarsi che a modo umano. Della detta buona intenzione non potrà aversi sicurtà fisica; ma ben può aversi la morale, e questa basta per quietare la coscienza de' Vescovi. Lo stesso dicasi della perseveranza. »

(2) Ad rem d. Thomas docet, quod si ad statum religiosum non actu præexigitur perfectio, cum sit *via ad perfectionem,* utique præexigitur ad statum eccle-

Hac de causa *(sess.* XXIII, *c.* 5 *de Ref.)* præcipit Tridentinum: *Ut ad minores Ordines promovendi, bonum a Parocho et a magistro scholæ in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri cui magis videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quam primum transmittat.* Quæ proclamatio etiam in festis suppressis fieri potest: hæc autem cum sit a Concilio generali præscripta, ab Episcopo nequit dispensari *(Scavini,* l. III, n. 554).

820. **Animus Clericandi.** Cum status clericalis stabilis sit, qui eum suscipit, oportet, ut teneat permanenter; ideo, ut habeat animum clericandi. Hinc Tridentinum, *sess.* XXIII, *c.* 4, loquendo de tonsura (quod valet a fortiori de Ordinibus) requirit hunc animum. Imo suscipiens Ordinem cum voluntate implendi quidem onera ei adnexa, sed non ascendendi ad superiorem, graviter peccat si possideat Beneficium Ordinem sacrum requirens; quia committeret gravem inordinationem, non curando se habilem reddere ad munus suum *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 785).

821. **Confirmatio suscepta.** *Prima tonsura*, ait Tridentinum, *non initientur qui sacramentum Confirmationis non susceperint.* Communissime tamen docent, id obligare tantum sub levi; cum materia levis sit. Attamen nullus hodie ad Ordines admittitur ante Confirmationem: sed ad id probandum satis est (ubi per testes probari nequeat), si ordinandus in manibus Ordinarii juramentum præstiterit se reminisci collatam sibi fuisse Confirmationem. Ita S. C. C. 6 maji 1617 *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 786).

822. **Exercitium Ordinis suscepti.** Id Tridentinum præscribit, et quidem ut in propria Ecclesia Ordo exerceatur (*sess.* XXIII, c. 11 et 13). Attamen nisi strictum præceptum detur ab Episcopo, non erit lethalis culpa omissio hujusmodi exercitii. Imo nullum peccatum, si agatur de Ordinibus minoribus, quorum exercitium obsolevit; et de illo non amplius inquirunt Episcopi *(S. Alph.,* l. VI, n. 801).

823. **Ætas.** Pro *Tonsura* requiritur saltem septennium ex Benedicto XIV, Bulla *Inter sollicita* (ubi tamen viget § 15 Instructionis Benedictinæ requiruntur 13 anni completi, nisi agatur de arctatis) — Pro *Minoribus* nulla est præscripta ætas; usus tamen est, ut conferantur ab anno 7 ad 14 — Pro *Subdiaconatu* statuitur annus 22 — Pro *Diaconatu* 23; pro *Sacerdotio* 25 ex Tridentino — Pro *Episcopatu* requiritur annus 30 (si Galliam excipias, pro qua indultum est, ut sufficiat annus 27). Annus incœptus, si Episcopatum excipias, habetur pro completo ex S. Concilii Congr. (v. Ferraris, V.° *Annus).*

Est autem annus computandus non a Baptismate, sed a nativitate ex eadem Congregatione. Dispensare super ætate reservatur uni Pontifici, qui nonnisi pro Sacerdotio id indulget *(S. Alph.,* l. VI, n. 799).

siasticum cum sit status perfectionis; *ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiritur bonitas excellens, ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis* (Suppl. q. 35). *Unde gravius peccat, cæteris paribus, clericus in sacris Ordinibus constitutus si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus qui non habet Ordinem sacrum* (2, 2, q. 184, a. 1 et 8).

Casus. Paschasius diaconus cupit Presbyteratum suscipere, sed pridie Ordinationis advertit sibi deesse diem unum ad ætatem requisitam: qui tamen securius procedit illo innixus principio: *parum pro nihilo reputatur* — Paschasius illicite Ordinem presbyteratus suscepit et proinde irregularitatem incurrit, quia ordinatus ante ætatem. Neque valet illud *parum pro nihilo;* tempus enim præscriptum, non moraliter, sed physice accipiendum est; secus satis ætatis limites determinari nequirent, nam si non sit attendendum ad unum diem, quare non ad alterum, non ad tertium, etc.? Est certum. *Gobat.*

824. **Scientia.** Tridentinum pro Tonsurandis requirit, ut *edocti fuerint rudimenta fidei, et sciant legere et scribere.* Pro initiandis ad Minores, *ut linguam latinam intelligant.* Pro Subdiaconis et Diaconis, *ut sint literis, et in iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.*

Pro Sacerdotibus, *ut ipsi ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* Ubi verba *ad administranda Sacramenta* non tantum indicant ea sciri debere, quæ ad Sacrificium et Eucharistiæ administrationem, Baptismum et Extremam-Unctionem pertinent, quorum sunt ministri; sed etiam aliqualem scientiam requiri circa materias magis obvias quæ ad Pœnitentiam spectant. Ideo scire debent saltem universaliora principia moralia, quibus solvere valeant dubia occurrentia in necessitatis casu, ac specialiter qua ratione possint absolvi moribundi, et quid si habeant censuras reservatas, si qua teneantur obligatione. Secus non videntur posse a gravi culpa excusari ex d. Thoma, d. Carolo ac Benedicto XIV *(S. Alph.,* l. VI, n. 790) (1).

Tandem pro Episcopo requiritur ex Tridentino (sess. XXII, c. 2), quod *scientia hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in Universitate studiorum magister sive doctor, aut licentiatus in sacra Theologia vel Jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.* Episcopi Italiæ et Insularum adjacentium debent examen subire coram Pontifice nisi dispensentur (prout hodie dispensari solent); cæteri coram Nuntio apostolico — Quoad Italiæ Episcopos, ut maturius in hac temporum difficultate procedatur in eorum electione, Leo XIII nuper cœtum Cardinalium constituit, qui Ipsi proponerent ecclesiasticos viros quos, singulorum dotibus diu multumque ponderatis, tanta dignitate dignos putarent, etsi laurea donati non sint.

(1) Imo hisce temporibus major adhuc in Clero requiritur scientia: « Di fronte ai meditati sforzi, onde l'incredulità e l'eterodossia oggidì si collegarono agli ultimi danni della fede cattolica, sarebbe una vera prevaricazione per il Clero, se si rimanesse inoperoso ed oscitante. In tanta licenza e conflitto di opinioni è a stretto suo carico la difesa del domma combattuto, della morale sconvolta, e della giustizia così sovente disconosciuta. A lui s'appartiene di farsi argine all'irrompente errore e alla serpeggiante eresia; a lui di specolare le mosse degli insidiosi propagatori, che attentano alla fede e all'onore di questa cattolica terra; a lui di smascherarne gli inganni, di denunziarne gli agguati; a lui di premunire gli incauti, di rincorare i timidi, d'illuminare gli illusi. Una superficiale erudizione, un sapere volgare a ciò non bastano; vi ha d'uopo di uno studio sodo, meditato ed assiduo, e di tale un corredo di faticata dottrina che faccia contrasto all'acutezza e astuzia singolari degli odierni contradditori. » Hactenus ad Clerum hortatio Perusii Card. Episcopi. V. *Scelta di Atti Episcopali del Card. G. Pecci Arcip. Vescovo di Perugia, ora Leone XIII;* Roma, 1879.

825. **Titulus**. Definitur *Jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam, pro honesta clerici sustentatione.* Titulus ad Ordines a Tridentino merito præscribitur, ne alioquin clericus mendicare cogatur, vel artem exercere quæ sit contra decentiam status. Sed tituli sive ex beneficio sive ex bonis privatis tum ob ordinandorum paupertatem, tum ob nequitiam legum civilium vel penitus evanuerunt; vel admodum rari effecti sunt, ideo supplicatum fuit a S. Sede: *An sit concedendum Episcopo oratori indultum promovendi clericos ad sacros Ordines absque legitimo ac sufficienti ordinationis titulo;* S. C. C. 4 aug. 1850 respondit: *Negative, et providebitur in casibus particularibus.*

Ubi viget paragraphus 14 Instructionis Benedictinæ (in Regno Pedemontano) ad Tonsuram requiritur titulus; aliis in locis necessarius est pro solis Ordinibus sacris. Quæ lex adeo firma est, ut clericum ordinatum sine titulo ex jure canonico teneatur Episcopus alere de propriis (si non habeat aliunde, ut honeste vivat), donec titulum ei obtinuerit. Si vero Episcopus rem examinatoribus remiserit, qui mala fide titulum probaverint, ipsi pro rata graviter tenentur ad ordinati sustentationem (1). Quoad pœnas vide t. I, n. 640; *s. Alphonsus*, l. VI, nn. 813 et seqq.).

Notandum, quod si titulus, quo quis suscepit unum Ordinem, pereat etiam casu, is non potest ad superiorem Ordinem ascendere sine novo titulo. At si casu perierit titulus, sed non amplius ad alium Ordinem sit ascensurus ordinatus, qui aliunde certo habeat unde honeste vivere possit, non esset cur inquietari deberet.

Titulus ad Ordines quadruplex est: *Beneficii ecclesiastici, Capellaniæ laicalis, Pensionis ecclesiasticæ* et *Patrimonii.*

1) Ut Beneficium ecclesiasticum inserviat pro titulo jure requiruntur: *a)* Ut canonice et pacifice possideatur. *b)* Ut sit perpetuum. *c)* Ut ejus reditus annuus sit ad taxam Synodalem, ita ut sufficiat ad honestam sustentationem.

2) Ut Capellania laicalis (etsi mercenaria) ad titulum sufficiat, necesse est, ut a patrono legali forma in Curia episcopali recognita detur in titulum, sub obligatione illam non repetendi, donec clericus alium titulum consecutus sit.

3) Idem de pensione ecclesiastica currit, quod de laicali Capellania. Itemque de legatis piis. Si vero Beneficium ecclesiasticum, pensio ecclesiastica, vel legatum pium non sufficiat, fieri potest supplementum aliis bonis, ut pertingat ad taxam præscriptam.

4) Quoad patrimonium, ex Tridentino ii solum hoc titulo ordinari possunt, *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum.* Patrimonium autem debet esse: perpetuum, fundatum in reditu certo, libero et hypotheca munitum, et ab Episcopo approbatum, atque ad taxam synodalem.

Pensio laicalis (et patrimonium) potest constitui sub clausula *donec clericus consequatur alia bona;* sed prior titulus non extinguitur, donec novus ab Episcopo subrogetur. S. C. Concilii die 12 julii 1687 (v. *Scavini*, l. III, n. 670, ubi plura de titulo) (2).

(1) Item Vicarius capitularis tenetur alimenta præstare, si Literas dimissoriales concedat ad sacros Ordines Clerico titulum non habenti; ex *S. Concilii Congr.* 2 oct. 1717.

(2) Ex lege civili tunc cessat patrimonium sic constitutum, quando Episcopus declaret novam præbendam vel beneficium sufficere ad honestam clerici substentationem *(Tribun. Cassat. Florentiæ* 23 jan. 1873. Sed ex jure canonico requiritur ut nova ista præbenda vel beneficium in titulum sit adsignatum.

826. **Exercitia spiritualia**. Innocentius XI per Congreg. Episc. et Reg. 1682 mandavit omnibus Episcopis Italiæ Insularumque adjacentium, ut singuli clerici quoties sunt Ordines suscepturi, per decem continuos dies spiritualibus Exercitiis vacent (1). Hoc confirmavit Innocentius XII anno 1700: qui insuper Indulgentiam plenariam concedit omnibus ecclesiasticis, qui id egerint in aliqua pia domo, diu noctuque ibidem morando per decem continuos dies, et Sacramentis refecti (v. *Scavini*, l. IV, n. 9).

Huc referri potest etiam *jejunium quatuor Temporum* ab ipsa Apostolica traditione manans, quod generalibus Ordinationibus præmittitur ad rogandum dominum messis, ut dignos operarios mittat in messem suam. Hæc jejunia ex d. Thoma habentur item quasi primitiæ et expiatio totius anni (2, 2, *q.* 147, *a.* 5).

827. **Ordinatio per gradum**. In eo consistit, ut quis legitimam Ordinum seriem in illorum susceptione servet; quod sub gravi præceptum est; et contraria propositio Synodi Pistoriensis damnata est n. 51; nam *æquum est*, ait d. Thomas, *quod ad majores se non ingerat qui prius in minoribus non se exercuit* (in 4, d. 24, a. I) — Imo ordinati per saltum (prout communius ajunt) suspensionem incurrunt et fiunt irregulares quoad alios Ordines suscipiendos, et etiam irregulares evadunt, si in Ordine sic suscepto ministrent ex Tridentino (*sess.* VI, c. 5; *sess.* XXIII, c. 8 et 14). Vide t. I, n. 648 — Attamen unius Ordinis collatio ante aliam est valida; cum tradantur distinctæ potestates; si excipias Episcopatum, qui absque Sacerdotio esset nullus. *D. Tomhas*, Suppl. q. 35, a. 5 (*s. Alph.*, l. VI, n. 793).

Ante exercitium tamen Ordinis per saltum suscepti, suscipiendus est Ordo omissus. Qui tamen aliquem Ordinem suscepit ante Tonsuram, non tenetur eam postea suscipere; quia per Ordinem susceptum jam fuit factus idoneus ad alios (*S. Alph.*, Ho. ap., l. III, n. 47).

828. **Immunitas a censura et irregularitate**. Nam censura privat bonorum Ecclesiæ participatione; irregularitas autem inhabilem facit ad Ordinem: utraque ergo impedit Ordinationem (D. Thomas, *Supplem.* q. 39).

Hinc ex Pontificali Episcopus, antequam ordinare incipiat, sub excommunicatione præcipit, ne alterutro impedimento ligatus accedat; sicut nec minime descriptus aut non approbatus aut extraneus, protestando se nolle tales ordinare. Si nihilominus accederet, esset valide ordinatus; quia non est supponendum Episcopum revera voluisse alligare suam intentionem tali protestationi. Sed illa verba censentur dicta ad terrorem (*S. Alph.*, l. VI, n. 784).

829. **Interstitia.** Sunt *ea temporis intervalla, quæ inter unum et alium Ordinem excurrere debent.* Interstitia ex canonico jure diversa sunt pro Ordinum diversitate; ac

I. Tridentinum inter ipsos minores Ordines requirit aliquod spatium, *nisi Episcopo aliud expedire magis videatur;* latitudinem tamen non taxavit. Nihil autem impedit, ut cum Ordine minori una simul tonsura conferatur; cum non sit Ordo. Imo invaluit consuetudo, ut duo, imo omnes minores ordines eodem die conferantur.

II. Ut a Minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, Tridentinum

(1) S. C. de omnibus clericis loquitur; attamen usu inductum est, ut grave hoc præceptum de solis ordinandis in majoribus accipiatur. Præstat tamen ut omnes ordinandi etiam in minoribus per aliquot dies iis vacent. Exercitia enim maxime conferunt ad obtinendum a Deo *spiritum rectum*, qui dirigat intentionem; *sanctum*, qui mundet affectum; *principalem*, qui firmet operationem.

requirit annum, *nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Sub gravi tamen prohibetur in jure quatuor Minores simul cum Subdiaconatu eodem die dare ac suscipere. Et taliter ordinatus fieret irregularis quoad alios Ordines suscipiendos.

III. Ut ascendatur a Subdiaconatu ad Diaconatum, adhuc unum annum Tridentinum requirit, *nisi aliud Episcopo videatur.* Unde ad dispensandum quævis rationabilis causa sufficit.

VI. A Diaconatu ad Sacerdotium Tridentinum requirit saltem anni intervallum, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur.* Quæ verba S. Concilii C. declaravit intelligenda disjunctive; ut sola utilitas (notabilis) satis sit, Episcopo judicio.

V. Quoad Episcopatum requirit Tridentinum, ut consecrandus Episcopus in sacro Ordine saltem a sex mensibus sit constitutus.

Notandum: 1) Qui non servat interstitia, peccat mortaliter, cum ob causam gravem præscripta sint; et si quis eodem die duos Ordines sacros suscipit, fit etiam irregularis — 2) Dispensatio interstitiorum ad Episcopum pertinet etiam quoad Regulares. Non potest tamen probabilius Episcopus dispensare subditum alterius sibi dimissum sine habita facultate. Hæc potestas est etiam Vicarii generalis, si habeat mandatum generale. Item Capitularis, cum succedat in ordinaria jura Episcopi. Ita S. C. C. (*s. Alph.,* l. VI, n. 795).

830. **Tempus.** 1) Tonsura ex Pontificali Romano quocunque die, hora et loco potest licite conferri.

2) Ordines minores, si sit legitima consuetudo, feria VI aut IV ante generalem Ordinationem omnibus generatim dari possunt: secus sunt conferendi eo die, quo Ordines majores. Attamen conferri possunt, si non agatur de generali Ordinatione etiam diebus festivis, licet suppressis, sed mane tantummodo ex *S. R. C.* 12 nov. 1831; et congruentius in Missa ex eadem *S. C.* 16 martii 1833.

3) Majores Ordines conferuntur tantum sabbatis quatuor Temporum, ante dominicam Passionis, et ante dominicam Paschatis. Quod si Episcopo detur facultas Ordines majores conferendi diebus festivis, potest illos conferre etiam in festis suppressis ex S. R. C.

4) Quod pertinet ad electum in Episcopum, dies illius consecrationis est Natalitium Apostolorum; imo R. Pontifex indulgere solet, ut sit alia dies festiva. Conveniens autem est, ut consecrator et consecrandus die præcedenti jejunent *(S. Alph.,* l. V, n. 797).

Facultas quoad tempus dispensandi solius est Pontificis. Mane autem semper Ordines majores sunt conferendi; imo in Missa: quod præceptum grave est ex Pontificali Romano et praxi.

831. **Locus.** Ex Tridentino Ordinationes sacrorum Ordinum publice celebrentur in Cathedrali, vel in digniori Ecclesia Diœcesis, si in ea Episcopus sit. *Scio tamen,* ait s. Alphonsus, *plures Episcopos etiam Ordines sacros solere in privato sacello conferre; forte hodie sic usus habet.* Hac de re censuit S. Episcoporum Congregatio quod si ordinatio sit aliquorum, non generalis, potest ubique ea haberi, etiam in Capella privata.

Nomine vero *loci* intelligitur maxime propria Diœcesis; nefas enim est in alieno territorio, sine illius Episcopi facultate, actum adeo solemnem exercere. Imo ex Tridentino sic ordinans incurrit suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti. Excipiunt plures Tonsuram; cum hæc sine Pontificalibus possit conferri *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 756).

832. **Communionis susceptio.** Hanc præscribit Pontificale omnibus ordinandis: quæ verius sub mortali præcepta est presbyteris,

ut Sacrificium compleant; siquidem cum Episcopo concelebrant. At quoad diaconos et subdiaconos censet Croix, eam nonnisi sub levi esse præceptam; cum nihil habeat relationis ad eorum Ordinationem. Imo solum esse de consilio pro ordinandis in Minoribus; et sane minores Ordines passim dantur etiam extra Missam (*S. Alphonsus*, l. VI, n. 831).

833. **Episcopus proprius**. Est cui subditur ille, qui ordinandus est, et dicitur *legitimus minister*. Hac de re habet Tridentinum (sess. XXV, c. 3): *Episcopi per semetipsos Ordines conferant; quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam probatos et examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* Ubi nomine *ægritudinis* ex jure intelligitur quæcunque justa causa (*S. Alph.*, l. VI, n. 877).

Qui ordinat Episcopus, debet etiam celebrare; *secus divideretur mysterium unitatis*, uti ajunt Innocentius III ac Benedictus XIV. Adhuc tamen Ordinatio esset valida, licet unus celebret et alter ordinet, ut declaravit S. C. Concilii; cum Missa non sit de essentia ad Ordinum validitatem. Ad pœnas quod attinet, si ab alieno Episcopo sine debita licentia Ordinatio habeatur, vide t. I, nn. 641 et seqq.

834. **Tactus physicus Instrumentorum.** Hunc requiri affirmans sententia utpote tutior sequenda est; et contraria quæ citari solet S. C. Rituum responsio, non videtur respicere quæstionem juris; sed potius quæstionem facti, nempe particularem casum cujusdam scrupulosi, qui dubitabat an tetigisset calicem tactu physico — Attamen alii negativam sententiam docent freti novæ S. R. Congregationis decisioni die 21 jan. 1863 apud Perrone. Cæterum sufficit tangere una manu; item sufficit tactus mediatus, ut si tangatur calix, patena aut liber medio aliquo velo vel chirotheca; qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur. (S. Alph., *Opus mor.*, l. VI, n. 743).

In Ordinatione Pontifex tradit Ostiariis claves Ecclesiæ; sed Oratorium seu Ecclesia unam tantum habet clavem. Hinc quæritur: 1 Hæc una clavis est ne sufficiens pro materia remota? 2) Ostiarii debentne singuli successive tangere claves? sufficit simul tangere et non successive, et super duos aut quatuor simul tangentes materiam proferre formam? S. R. C. 11 martii 1820 respondit ad 1^{m}: *Quamvis una clavis esse possit materia sufficiens, servandum tamen esse Rubricam quæ præcipit claves tradendas, quæ sive argenteæ sint sive ferreæ sive ligneæ, dummodo aptæ ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus Ordinis.* Ad 2^{m}: *Affirmative ad utramque partem, dummodo qui simul ordinantur Ostiarii tangant manu dextera claves, dum Episcopus profert formam.*

An Instrumentum *Bugia* cum candela inserviens Episcopis ad librum, possit esse materia Ordinis Acolythorum loco candelabri? S. R. C. 8 junii 1709 respondit: *Negative.*

In ordinatione subdiaconorum super duos aut tres simul manu dextera tangentes calicem cum patena, potest ab Episcopo proferri forma *videte*, etc. In ordinatione vero presbyterorum cuilibet tradendus est calix cum vino et aqua, et patena cum hostia, et cuilibet forma repetenda in singulari: *accipe* etc. S. R. C. 12 nov. 1831.

Materia a consecrando tangenda in Ordinatione sacerdotum est calix cum patena. Sufficit autem (ut verius et communiter docent) tangere calicem ac patenam: *Neque magis*, ait Gonet, *necessarium est tangi hostiam ipsam patenæ superpositam, quam vinum in calice contentum, quod certe nullus ordinandorum tangit. Quod propter nonnullos scrupulosiores notare obiter hic volui.* Cæterum

etsi non tangatur hostia, nec vinum; attamen in calice vinum, et super patenam hostia adesse debet: aliter non daretur directa potestas ad integrum et verum sacrificium. Et quidem eodem tempore debet tradi ac tangi; cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis: ita probabilior sententia omnino tenenda. Qui loco patenæ tangeret hostiam, communiter ac probabilissime dicunt valide ordinari (si tamen simul tangat et calicem, uti supponimus); quia tangit quod potius est, et quod constituit materiam substantialem Sacerdotii: quanquam alii dicunt cum Lugo talem ordinationem ad majorem tranquillitatem sub conditione iterari posse.

Docent autem probabilius valere Ordinationem, si tangatur solus calix, sed non patena superposita (aut vicissim patena, sed non calix); quia calix et patena tunc moraliter unum faciunt. Attamen alii volunt talem ordinationem sub conditione repetendam; Pontificale enim tum calicis tum patenæ tactum requirit. *S. Alph.*, l. VI, n. 753.

835. **Consecrationis verba.** Curent presbyteri Episcopo concelebrantes non ante ipsum, sed cum ipso *eodem momento*, ut habet Pontificale, consecrationis formam pronuntiare. Verum d. Thomas et Innocentius III docent multorum illorum sacerdotum actionem, licet physice diversam, unicam tamen ex Ecclesiæ legibus moralem actionem efficere; unde concludunt tunc Oblata consecrari, cum tota et integra moralis actio peracta est. En verba Innocentii: *Sane dici et responderi probabiliter potest, quod sive prius sive posterius proferant sacerdotes, referri debet eorum intentio ad instar prolationis Episcopi cui concelebrant.* Ideo nemo turbari debet, si ea verba non eodem mathematico temporis puncto cum Episcopo proferat. Catalani in Pontificale R. *Commentaria.*

836. **Missæ ac Preces Ordinatis impositæ.** Alii tuentur hasce persolvendas esse sub mortali; quia materia est gravis. Alii dicunt probabiliter obligationem esse tantum decentiæ, non sub peccato; saltem tenet Croix non esse sub gravi illas omittere; nam Episcopi id non declarant expresse.

Missæ presbyteris impositæ possunt pro aliis applicari cum stipendio, ut commune est; neque absolute necesse est, ut servetur ordo in earum celebratione; dicendæ sunt quando rubricæ votivas permittunt — Nocturnum autem *talis diei* ut habet Pontificale, quod imponitur diaconis et subdiaconis, est Nocturnum feriale respondens diei ordinationis cum suis antiphonis de tempore (sine Lectionibus et sine Laudibus; itemque sine Psalmo *Venite* sub initio), nisi aliud expresserit Episcopus; ex S. R. C. 11 aug. 1860 — Tonsuratis et Minoristis imponuntur Psalmi pœnitentiales; porro necesse non est, ut simul Litaniæ addantur cum suis orationibus, cum id non sit expressum (*S. Alph.*, l. VI, n. 833). V. *Scavini*, l. III, nn. 660 et seqq. ubi plura resolvuntur dubia quoad ordinationem.

CAPUT TERTIUM

De Ordinum Impedimentis, seu Irregularitate.

837. **Irregularitas.** Est *impedimentum canonicum, quo quis redditur inhabilis ad Ordines et Beneficia suscipienda et eorum functiones exercendas.* Qui violat irregularitatem graviter pec-

cat, cum ea inducta sit ad tuendum honorem et reverentiam sacri ministerii. Non tamen novam irregularitatem vel aliam pœnam incurrit — Potest autem quis plures irregularitates contrahere, ut patet. Cæterum illam tantum contrahere possunt qui Ordinis capaces sunt; non ideo mulieres *(S. Alphonsus*, l. VII, n. 341).

Irregularitas differt a censuris, a depositione et degradatione præsertim, quia istæ semper supponunt culpam, et ideo habent rationem pœnæ. Irregularitas vero non semper culpam supponit: et si quando per modum pœnæ imponitur, id fit secundario; nam primario inducta est ad indecentiam in sacro ministerio præcavendam.

Divisio. 1) Irregularitas alia est *ex defectu*, alia *ex delicto;* prout oritur a defectibus vel delictis a jure determinatis.

2) Alia *totalis*, quæ reddit inhabilem ad omne Beneficium, ad omnem Ordinem suscipiendum, ad omne Ordinis jam susscepti exercitium. Alia *partialis*, quæ aliquo tantum Beneficio vel Ordinis ministerio, aut solo ascensu ad Ordines superiores privat; v. g. si sacerdos est cæcus, non posset sine dispensatione celebrare, sed posset adhuc Confessiones excipere.

3) Alia est *perpetua*, alia *ad tempus*, prout vel semper durat, ut esset amissio oculorum; vel durat ad aliquod tempus, et postea cessat, ut defectus ætatis præscriptæ, qua adveniente, cessat inhabilitas.

838. **Effectus Irregularitatis.** Effectus sunt:

1) *Inhabilitas ad licite suscipiendos Ordines,* etiam ipsam Tonsuram. Frustra enim ille ad Ordines præparatur, qui ab illis prohibetur.

2) *Inhabilitas ad Ordines susceptos exercendos,* ita ut irregularis illicite absolvat, etiamsi valide. *Illicite,* quia exercet Ordinem, a quo prohibitus est; *valide,* quia absolvere est etiam actus jurisdictionis, quam irregularitas per se non prohibet. Item neque prohibet actiones, quas etiam laici exercent, ut canere officia, recipere Sacramenta præter Ordinem, minores Ordines exercere, etc.

3) *Inhabilitas ad recipienda ecclesiastica Beneficia;* Beneficium enim datur propter officium: atqui irregularis est inhabilis ad officium; ergo etiam ad Beneficia, quibus officium sit adnexum. Unde communius (et videtur probabilius) ipso facto Beneficii provisio nulla esset; cum irrita dicatur a Tridentino *(sess.* XXII, c. 4 *de Ref.)*: nisi agatur de Beneficio simplici, quin importet Ordinis sacri exercitium *(S. Alph.*, l. VII, n. 343).

Attamen adhuc potest retineri Beneficium obtentum ante irregularitatem, etsi exercitium Ordinis sacri requirat, quando irregularitas provenit ex defectu infirmitatis, si tamen per alium quoad potest, onera impleantur. Nec judex debet irregularem privare, ne afflicto addatur afflictio — Si vero provenit ex delicto (nisi dispensatio obtineatur) est Beneficio privandus per judicis sententiam. Etsi autem non privetur ipso facto, tenetur tamen petere dispensationem; quam si non petit, vel non possit obtinere, tenetur statim Beneficia renuntiare. Quam tamen renuntiationem differre poterit, si laboret magna inopia, et alium jam delegaverit pro adimplendis Beneficii oneribus: sic communiter jus canonicum interpretantur *(S. Alph.,* l. VII, n. 342).

839. **Requisita ad incurrendam irregularitatem.** Requiritur, ut irregularitas jure canonico clare sit expressa; tunc irregularitas verius statim incurritur etiam ob defectum vel crimen occultum, ex c. *Is qui de sent. excomm.* in 6.

Si tamen agatur de irregularitate *ex delicto,* requiritur insuper, ut culpa sit gravis, externa et consummata; versamur enim in odiosis. Item requiritur (prout communissime et probabilius docent) scientia prohibitionis ecclesiasticæ; nam irregularitas ex delicto habet etiam rationem pœnæ. Excipiunt tamen valde probabiliter homicidium ob particularem indecentiam, quam inducit.

Imo videtur satis etiam probabile (etsi contrarium sit valde probabile) ad hanc irregularitatem incurrendam requiri quoque ut non tantum quis sciat delictum esse ab Ecclesia prohibitum, sed insuper illi adnexam esse irregularitatem (semper excepto homicidio). Nam irregularitas ex delicto censetur vera et gravissima pœna imposita etiam in vindictam criminis *(S. Alph.,* l. VII, nn. 349, etc).

In dubio, an quis incurrerit irregularitatem, post sufficientem inquisitionem, non est habendus uti irregularis, si dubium sit *juris,* id est si dubitetur an irregularitas sit a jure assignata; nam cum dubitatur de lege, ipsa non obligat — Si vero dubium sit *facti,* nempe si dubitetur an crimen patraverit propter quod lata est irregularitas, eam verius incurrit in dubio de homicidio, quia id speciatim statuitur in c. *Significasti ad audientiam* etc. In aliis casibus verior et communis sententia negat; nam nemo in dubio est damnandus; et exceptio homicidii quoad cætera firmat regulam contrariam *(S. Alph.,* l. VII, n. 346).

Casus. Anatolius puer duodecim annorum ut solus hæres sit, oc-

cidit fratrem suum. Peracta de gravi crimine pœnitentia, ecclesiasticis studiis vacat, et petit subdiaconatum ; an irregularis sit? — *Certum est impuberes contrahere irregularitatem ex defectu, v. g. defectu natalium ; hic enim non supponit culpam. Controvertitur an impuberes contrahant irregularitatem ex delicto ; probabile est quod non. Nec obstat quod de homicidio agatur ; nam fit quidem exceptio in jure quoad homicidium, sed in dubio facti ; verum hic agitur de dubio juris, an scilicet lex attingat impuberes. Adde impuberes juxta multos censentur eximi ab omnibus pœnis, si excipiatur casus percussionis clerici vel ingressus in claustra monialium.* Reuter, Croix.

Art. 1. — De Irregularitate ex delicto.

840. Irregularitas ex delicto incurritur: 1) Ex mala susceptione Baptismi. 2) Ex mala Ordinis susceptione et usurpatione. 3) Ex censuræ violatione. 4) Ex quorundam criminum patratione. 5) Ex homicidio et mutilatione. Omnia hoc versiculo includuntur :

Fonte reus, sacris, censura, crimine, leto.

841. **Mala susceptio Baptismi**: *(Fonte reus)*. Est irregularis ex hoc capite: 1) Qui sciens suscipit Baptismum ab hæretico declarato, extra casum necessitatis; ejus enim errori videtur communicare — 2) Qui illud differt usque ad mortis periculum ; nam infirmæ fidei signum est — 3) Qui publice aut solemniter rebaptizat. Item assistens clericus. Item qui scienter rebaptizatur; item clericus assistens Baptismo iterum collato; ex pluribus locis juris (1). Probabiliter tamen excusant sive rebaptizantem sive rebaptizatum, si id agunt ex metu, etsi temere et culpabiliter *(S. Alph.,* l. VII, n. 356).

842. **Exercitium Ordinis sacri non suscepti, vel furtiva illius susceptio**: *(reus sacris)*.

Primo ob *exercitium Ordinis non suscepti* fit irregularis ecclesiasticus qui serio ac scienter, in Ordine sacro non suscepto, solemniter ministraret. Hinc irregularis est presbyter, qui exercere solemniter præsumit sacras functiones exclusive reservatas Episcopo, v. g. consecrationem Ecclesiæ, calicis; Diaconus, qui

(1) Magna quæstio est, an rebaptizans sub conditione, sed sine justa causa incurrat irregularitatem. Alii negant cum Suaresio, Laymano, Salmanticensibus aliisque; quia ille qui sic baptizat, revera non rebaptizat, quia conditio apposita: *Si non es baptizatus*, actum invalidat; esset enim ac dicere *ego te non baptizo*. Verum alii cum Benedicto XIV affirmant *(Notif.* 84); firmatur ex Catechismo Romano; idemque fuit sancitum in tertia Synodo Mediolanensi. Ratio est: cum quis certo scit puerum esse baptizatum, et rebaptizat sub conditione, conditio apponitur in fraudem legis, et ideo habetur pro non apposita. Prima sententia spectata ratione, non caret gravi fundamento; sed secunda spectata auctoritate, videtur probabilior *(S. Alph.*, l. VI, n. 122).

solemniter populo benedicit vel confessarii munus exercet. Subdiaconus, qui solemniter defert pyxidem continentem Eucharistiam, aut Evangelium cantat intra Missarum solemnia, more Diaconorum, etc. Sacerdos autem simplex excipiendo Confessiones non fit irregularis (licet gravissime peccet, et inutiliter agat); quia exercet actum Ordinis, quem ipse habet, licet careat jurisdictione.

Secundo *ob furtivam Ordinis susceptionem* fit irregularis: 1) Qui recipit Ordinem sine approbatione Episcopi; seu eo inscio, ordinandis se immiscet — 2) Qui sine Episcopi dispensatione recipit eodem die plures Ordines, quorum unus sit sacer — 3) Qui suscipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, uxore invita. Qui vero fraude utuntur ad dissimulandum defectus, vel confictis falsis dimissorialibus, Episcopum decipiunt, non censentur furtive ordinati, etsi gravissime peccent *(S. Alph.,* l. VII, nn. 171, 361).

843. **Violatio Censuræ**: *(censura reus).* Id contingit, cum quis censura prohibitus, nihilominus exercet *scienter*, *serio* et *solemniter Ordinem sacrum,* uti si Diaconus censuratus cantet Evangelium cum stola et manipulo, si Canonicus censuratus fungens officium hebdomadarii in choro cantet *Dominus vobiscum;* si censuratus Sacerdos Missam celebret, Sacramenta conficiat, etc.

Dixi: 1) *Scienter* et *serio:* nam hæc irregularitas in verum et formalem contemptorem censuræ lata est.

2) *Solemniter,* quæ vox non indicat, quod res debeat fieri cum apparatu; sed quod fiat eo modo, quo vi Ordinis nonnisi ab ordinatis ritus ille usurpetur, seu cum ornamentis Ordinis propriis: sic proprium subdiaconi ornamentum est manipulus. Unde si subdiaconus suspensus ministraret sine manipulo, non ideo fieret irregularis; quia in hoc casu non solemniter exerceret in proprio officio.

3) *Ordinem sacrum,* unde non fit irregularis exercens Ordinem non sacrum (1). Qui exercet simplicem actum jurisdictionis, ut si parochus excommunicatus matrimonio assistat, vel concionem habeat. Item neque qui celebrat in Ecclesia polluta; quia

(1) Fagnanus tradit irregularitatem incurri etiam ob solemnem exercitium Ordinis minoris; et ait ita sentire S. Pœnitentiariam. Et Benedictus XIV, Bulla *Inter præteritos* declarat qui potitur in Jubilæo facultate absolvendi ab irregularitate ob violationem censurarum contracta clericos in majoribus, posse item absolvere clericos in minoribus constitutos, si censurati exercuerint proprium Ordinem minorem solemniter.

non violat censuram, sed tantum directe violat prohibitionem Ecclesiæ *(S. Alph.,* l. VII, n. 357).

844. **Enormium criminum commissio**: *(crimine reus).* Hic intelliguntur ea crimina, quæ a jure habent adnexam infamiam: et ideo potius id videtur reducendum ad irregularitatem *ex defectu*, quam ad illam quæ est *ex delicto;* cum infamia non sit aliud, quam defectus bonæ famæ (v. infra *n.* 855).

845. **Injusta mutilatio et homicidium**: *(leto reus).*

I. Per *mutilationem* fit irregularis ex delicto qui sibi vel alteri membrum per culpam gravem abscindit, sive physice instrumentum adhibendo, sive moraliter abscissionem jubendo, consulendo, etc. Nomine autem *membri* communissime et probabilius venit pars, quæ habet officium per se distinctum, ut manus ad agendum, pes ad ambulandum, oculus ad videndum *(S. Alph.,* l. VII, n. 368).

II. *Ob homicidium injustum volitum in se, vel in causa inseparabiliter cum homicidio conjuncta*, uti esset in lethali vulneratione, incurritur irregularitas. Item eam incurrunt consulentes, mandantes ac quoquomodo efficaciter cooperantes. Item probabilius in rixa occidentes; nam adhuc occisio voluntaria est, ex proposito et in foro externo culpa supponitur gravis. Si vero unus aliquem mortifere vulneraverit, deinde alius maturius occiderit, primus non tenebitur ut homicida quoad incurrendam irregularitatem; utique secundus *(S. Alph.,* l. VII, n. 369).

Dixi 1: *Ob homicidium injustum.* Hæc enim irregularitas non incurritur, si non adsit gravis culpa. Hinc qui cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit ad sui defensionem, irregularis non fit. Item probabilius de illo, qui occidit ad defensionem suæ libertatis, pudicitiæ et bonorum; cum id licitum sit.

Dixi 2: *In se volitum, vel in causa inseparabiliter* etc.; non enim incurritur irregularitas, si homicidium sequatur dando operam rei licitæ (sive etiam illicitæ, non tamen in ordine ad homicidium); at semper adhibita debita diligentia ad illud præcavendum. Hinc non fit irregularis pater vel magister, qui filium vel discipulum verberant (attamen non excedendo), si postea casu accidat mors. Qui equitando in equo feroci puerum occideret extemplo transeuntem. Qui canem ferocem custodit in occulto, si casu ruptis vinculis hominem occiderit; secus si evenerit ex domini incuria *(D. Thomas,* 2, 2, q. 64, a. 8).

Imo neque incurritur irregularitas, quamvis homicidium sequatur dando operam rei illicitæ, si actio non est periculosa

mortis; nam etsi actio peccaminosa sit, mors tamen non esset voluntaria. Hinc ex S. C. Concilii non est irregularis clericus, si ob ejus adulterium, a marito fuerit occisa adultera conjux *(S. Alph.,* l. VII, n. 372).

ART. 2. — De Irregularitate ex defectu.

846. Octo sunt defectus, quibus ex jure irregularitas adnexa est; nempe defectus natalium, animi, libertatis, corporis, ætatis, sacramenti, lenitatis et famæ. Qui omnes hisce versiculis continentur:

Natales, animus, libertas, corpus et ætas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama nolet.

847. **Defectus Natalium.** Sunt irregulares ex defectu natalium quos constat esse illegitimos, etsi occultos; habentur enim uti viles; obscuratur enim hominis claritas ex vitiosa origine (ait d. Thomas, *Suppl.* 39, a. 5). Sunt autem ex jure canonico qui nascuntur ex fornicatione, incestu, adulterio, et ex matrimonio civiliter tantum contracto.

Non autem habentur uti illegitimi nati ex infidelibus, quamvis in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxerint. Item probabilius neque expositi et ex incertis genitoribus nati, ut satis commune est. Neque filii nati de matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum ab una parte saltem ignoratum *(S. Alph.,* l. VII, n. 420).

848. Irregularitas ex defectu natalium aufertur: 1) *Per legitimationem,* sive ea fiat per Pontificis rescriptum (per principes sæculares ea aufertur quoad civiles effectus), sive per subsequens matrimonium, etiam ratum tantummodo. Necesse tamen est, quod inter genitores consistere potuerit matrimonium legitimum, cum filii concepti sunt aut nati; secus nihil prodesset obtenta legitimatio — 2) Per *professionem religiosam,* sed quoad Ordines; non quoad prælaturas aut dignitates — 3) *Per legitimam dispensationem:* hanc quoad omnes effectus concedere potest Pontifex. Episcopus autem quoad primam Tonsuram, Ordines minores, ac Beneficium simplex ad annum *(S. Alph.,* l. VII, n. 432).

849. **Defectus animi.** Ex hoc defectu sunt irregulares:

I. *Amentes:* talis defectus, si oritur post Ordinationem, eo cessante per diuturnum tempus Ordinarii judicio, poterit qui Ordinem suscepit, iterum exercere — Si oriatur ante, tunc si defectus pendeat a causa permanente, v. g. ab organorum læ-

sione, non poterit promoveri ad Ordines. Si vero a causa accidentali, v. g. a febri vel vulnere, sanatus promoveri poterit *(S. Alph.,* l. VII, n. 398).

II. *Epileptici.* Sunt qui docent epilepticum posse ordinari si ante pubertatem illo morbo fuerit infectus, et convaluerit; nam Hippocrates tradit epilepsiam sæpe in pubertate perfecte tolli. Non autem si ea supervenerit in pubertate, præsertim post vigesimumquintum annum — Si epilepticus jam sit ordinatus et per anni spatium sit liber, poterit judicio Episcopi ad Ordinis suscepti exercitium reverti. Imo docent communiter, ubi mali aggressio raro contingat, v. g. semel in mense, posse epilepticum celebrare, sed privatim, et cum assistentia sacerdotis jejuni, et modo non consuescat in terram subito cadere, in clamores magnos erumpere et spumas evomere. Idem de lunaticis, energumenis, dæmoniacis etsi convaluisse videantur.

III. *Illiterati,* qui sufficienti carent doctrina pro Ordinibus sive suscipiendis sive exercendis. Imo habentur probabilius ipso jure naturæ irregulares si adeo rudes, ut nesciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium.

IV. *Neophiti,* qui in adulta ætate recens baptizati sunt; donec ab Episcopo digni judicentur *(S. Alph.,* l. VII, n. 402).

850. **Defectus libertatis.** Ex hoc defectu sunt irregulares:

1) *Servi proprie dicti,* donec plenam consequantur libertatem; qui enim non habet libertatem sui, non potest promoveri: si tamen promovetur Ordinem suscipit, quia libertas non est de Sacramenti necessitate, licet sit de necessitate præcepti; ut ait d. Thomas, *Suppl.* q. 39, a. 3. Item prohibentur adhuc *conjugati,* qui vel ad tonsuram admitti prohibentur.

2) *Curialistæ,* qui ex officio et juramento negotiis sæcularibus implicantur, ut judices, magistratus, advocati (1). Excipe nisi habeant specialem dispensationem a S. Sede, ut sunt quidam ecclesiastici in aulis principum, in causis civilibus occupati; vel nisi consuetudo, sciente Papa, id permittat.

3) *Milites* et *reipublicæ administratores,* donec eidem officio consentiente Principe non valedixerint; vel a Papa dispensentur *(S. Alph.,* l. VII, n. 456).

851. **Defectus Corporis.** Hæc irregularitas contrahitur cum

(1) Si administratio suscipiatur post ordinationem, non incurritur irregularitas. Ut vero possit quis alia officia habens ordinari, sufficit, quod deposita administratione, idoneam fidejussionem de gestis præbeat. Non incurrunt irregularitatem tutores, curatores viduarum aut miserabilium, et orphanorum; neque administratores bonorum Ecclesiæ vel loci pii, etc. *(S. Alph.,* l. III, n. 838).

defectus talis fuerit, qui aut Ordinis executionem impediat, aut talem secumferat deformitatem, quæ sine periculo aut offensione populi functiones peragere non sinat. Pius IX in suo Seminario, quod *Pium* a suo nomine appellatum voluit, præcepit ut alumni inter cætera *sano sint corpore, lingua minime impedita et adspectu non deformi.*

Ex primo capite erunt irregulares:

I. *Cæci;* possunt tamen dispensari a Pontifice ad celebrandum, si jam sint Sacerdotio insigniti, et constet eos in celebratione non errare, et assistentem sacerdotem habeant. Qui caret oculo dextero non est irregularis, modo non nascatur specialis deformitas. Est autem irregularis qui caret oculo sinistro *(Scavini,* l. IV, n. 370).

II. *Surdi,* si nihil penitus audiant: si tamen surditas superveniat sacerdoti, ei non interdicitur Missæ celebratio; cum facilius tolerentur defectus in jam promoto. Surdaster communiter non censetur irregularis, tamen ad cautelam peti solet a S. Sede dispensatio, si agatur de nondum ordinato.

III. *Muti,* qui loqui nequeunt, vel nonnisi cum magna difficultate. *Balbutientes* vero, aut carentes dentibus sunt irregulares, casu quo risum, vel contemptum populo afferant.

IV. *Claudi,* si nequeant absque baculo sustentari; qui vero baculo non indigent, aut habent tantum crura distorta, non sunt irregulares, nisi adsit in iis magna deformitas, quæ tegi nequeat. Uti si haberent pedem ligneum vel aridum; essent irregulares ob magnam, coram populo, indecentiam.

V. *Carentes manu* vel *digitis omnibus,* vel *pollice:* idem dicunt de eo, qui caret indice vel pollicis parte; vel si illi digiti sint adeo debiles, ut non possint Hostiam frangere; vel si manus ita tremulas habent, ut grave sit periculum effundendi Sanguinem *(S. Alph.,* l. VII, n. 404).

Ex secundo autem capite erunt irregulares:

I. *Carentes corporis membro,* si id indecentiam vel horrorem exhibeat: uti carentia nasi, aut auricularum, nisi tamen satis tegantur capillis.

II. *Leprosi,* aut qui habent faciem morbo deformiter maculatam. At privatim celebrare poterunt, si jam ordinati.

III. *Monstruosi:* tales communiter habentur enormiter *gibbosi.* Item *pigmæi* et *gigantes,* quorum illi risum, hi terrorem quemdam movent. *Ætiopes,* qui horrorem excitarent, si apud nos habitualiter ministerium exercerent. *Hermaphroditæ,* licet

virilis sexus prævaleat (1). *Eunuchus*, qui culpabiliter per se, vel per alios sibi amputaverit virile aut testiculos, licet zelo castitatis id egerit.

In dubio, an defectus corporis inducat irregularitatem, Episcopus potest pronunciare *(S. Alph.*, l. VII, n. 410).

852. **Defectus ætatis.** Irregulares habentur qui ætatem a canonico jure præscriptam (v. supra *n.* 823) non attingunt; quanquam præcise hæc stricta irregularitas non est, cum cesset per se, adveniente ætate. Attamen qui ante canonicam ætatem ordinatur, graviter peccat, cum violet præceptum grave *(S. Alphonsus*, l. VII, n. 789).

853. **Defectus Sacramenti.** Cum matrimonium sit signum unionis Christi cum Ecclesia, erit irregularis ex defectu hujus sacramentalis significationis *bigamus*, idest vir bini conjugii. Nam iste non amplius valet significare unionem hanc unius Christi cum una Ecclesia ejus unica sponsa. Bigamia hic late accipitur; et triplex est:

I. *Vera;* evenit quando quis legitime cum duabus conjugium successive matrimonium contrahit et consummat. Ex qua parte non est bigamus ille, qui cum pluribus est fornicatus.

II. *Interpretativa;* evenit cum quis fictione juris duas uxores habuisse censetur. Contingit autem ex d. Thoma *Suppl. q.* 66: 1) Quando duxit viduam jam cognitam, etiamsi duxerit invalide — 2) Quando duxit mulierem jam corruptam ab alio, quamvis id ignoraverit — 3) Quando cognovit suam uxorem post illius adulterium, licet occultum, extortum aut ignoratum — 4) Quando duo contraxit et consummavit matrimonia, unum validum, aliud etiam invalidum. Imo probabilius, etsi duo illa matrimonia sint invalida; et quamvis bona fide contracta.

III. *Similitudinaria;* quando attentatur matrimonium, cum nempe quis post sacri Ordinis susceptionem vel Religionis professionem contrahit (esto invalide) matrimonium, et consumat.

Irregularitas ex defectu Sacramenti eruitur ex toto *titulo de bigamis;* et ex Apostolo, qui ad Ordines *unius uxoris virum requirit* (I Tim. III). Hinc Pontifex raro dispensat, ob reverentiam nempe Apostolici præcepti, nisi agatur de bigamia similitudinaria *(S. Alph.*, l. VII, n. 435).

(1) Sic dicuntur qui habent aliquid utriusque sexus vel utrumque. Quos adesse vel inter homines physici non dubitant, sed imperfectos.

His accedunt qui in alterum sexum mutantur; verum marem fœminam factum nullum exemplum; fœminæ in viros mutatæ, si quæ dantur, jam proprie mares erant, etsi ob aliquem defectum id nonnisi serius manifestatum sit. V. Müller, *De hermaphroditis.*

854. **Defectus lenitatis.** *Hæc irregularitas incurritur ob occisionem aut mutilationem, quæ post Baptismum fit voluntarie etsi juste, vel a militibus in bello justo offensivo; vel a clericis aut monachis medentibus cum adustione aut incisione extra necessitatem, licet sint in arte periti; vel a ministris publicis eorumque cooperatoribus, effectu tamen secuto.*

1. Irregularitatem incurrit *laicus, qui in bello justo offensivo* aliquem propria manu mutilat vel occidit. Dixi: *In bello justo;* etenim in bello injusto omnes fiunt irregulares ex delicto, si unus ex commilitonibus aliquem occiderit ex hostibus, ut docet signanter cum d. Thoma (2, 2, q. 64, a. 8) Benedictus XIV (1) — In bello *offensivo;* non ergo si agatur de bello defensivo, v. g. ad defendendam patriam vel Ecclesiam. Quod valet etiam de clerico, si justum bellum ineat, quando urgentia est, nec laici sufficiant *(S. Alph.,* l. VII, n. 458).

2. Eam incurrunt *clerici in Sacris, aut monachi medentes cum adustione vel incisione, si inde mors vel mutilatio sequatur, licet sint in arte periti: modo tamen id egerint extra casum necessitatis.* Clerici in Sacris (vel beneficiati, ut verius dicunt) hanc irregularitatem incurrunt; non tamen si in necessitate suam peritiam exerceant. Laici autem medici ac chirurgi eam non incurrunt, *quoties secundum artis suæ regulas operentur,* ut ait Benedictus XIV. Usus tamen est alicubi, ut *ad cautelam* petatur dispensatio, si forte culpabiliter deliquerint.

3. Eam incurrunt *ministri publici, et omnes qui cooperantur in judicio justo ad mortem vel mutilationem.* Hæc cooperatio ut vere sit influxiva irregularitatem inducens, debet esse activa, efficax, proxima *(S. Alph.,* l. VII, nn. 384, 461 *et seqq.).*

Resolve: 1) Sunt irregulares carnifices, judices, assessores, scribæ sententiam sanguinis vel mutilationis scripto exarantes (non tamen transcriptores). Item testes voluntarii, accusatores, advocati qui contra reum causam dicunt etc.

2) Non sunt irregulares qui ligna deferunt, ut corpus occisi cremari debeat; neque qui gladios vendunt, quibus carnifex utitur.

3) Probabilius videtur non fieri irregulares *juratos*; quia etsi efficaciter influant in sententiam capitalem; eam tamen non proferunt, et coacti sunt a lege civili hoc munus exercere. *Gury.*

4) Nec duces, nec milites; tanto minus assistentes, consulentes, hortantes (etsi clerici) ad strenue pugnandum in bello justo.

(1) Clericus qui voluntarie (non si a lege compulsus) militiæ nomen dedit, vel sine necessitate et inter armatas copias versatus est, et gravis culpæ reus est, nam prohibetur propria manu pugnare; et irregularis evadit licet ipse neminem occiderit, sed alii tantum interfecerint: ex *S. Concilii C.* 3 martii 1805; 17 febr. 1816, etc. *Acta S. Sedis,* t. I, pag. 295.

5) Non habentur irregulares clerici qui principi suadent, ut quorundam criminum reos morte plectat. Prælati qui jurisdictionem temporalem habentes causas sanguinis suis judicibus committunt. *Soglia.*

6) Potest parochus a judice requisitus, audito prius Ordinario, transcribere ex libro parochiali fidem, quæ petitur in causa sanguinis, quin contrahat irregularitatem. *S. Concilii C.* 12 *aug.* 1843.

855. **Defectus bonæ famæ.** Sunt irregulares omnes infames sive tales sint ex infamia juris, sive ex infamia facti.

1) *Infamia juris* contrahitur tum ex judicis sententia, quæ aliquem declarat de gravissimo crimine convictum, vel damnat ad pœnam infamantem, v. g. ad triremes; tum ob crimen parentum de pœna infamanti mulctatum. Sic infames habentur filii damnatorum ob delictum lesæ majestatis, filii hæreticorum, filii meretricis, si nati post parentum delictum. Non tamen filii carnificis, etsi conveniat, ut ordinentur in aliena diœcesi.

2) *Infamia facti* contrahitur ob notitiam publicam alicujus criminis gravissimi vel qualificati, ut est hæresis, parricidium; vel continuati, ut est concubinatus. Item ob exercitium artis ignominiosæ, ut est ars comica cum turpibus repræsentationibus.

856. *Crimina infamantia* communiter habentur, si tamen ita notoria, ut nulla valeant tergiversatione celari, homicidium, perjurium in judicio, hæresis, apostasia, simonia, crimen læsæ majestatis, proditio, rapina, lenocinium (turpis quæstus ex adulterio uxoris, vel ex scortorum prostitutione); exercitium usurarum; invasio Episcoporum vel Cardinalium; raptus mulierum, duellum, armorum paratio in parentes: et cætera quæ, attentis circumstantiis, tum criminum, tum locorum, tum temporum et similium, Jure sive canonico sive civili, hominem vilis et abjectæ æstimationis reddunt in humana societate; quod quidem generatim valet etiam quoad horum criminum fautores et cooperatores. Est juris regula: *Infamibus non pateant portæ dignitatum* (S. Alph., l. VII, nn. 362, 454).

857. Irregularitas autem ex infamia, si contracta sit a jure, per dispensationem aufertur, aut per aliam sententiam, qua reo sua fama restituatur. Si vero sit contracta ex aliquo turpi facto, aufertur per sinceram vitæ emendationem (ajunt ad id sufficere triennium); per Baptismum, per loci mutationem, nempe eo veniendo, ubi infamia facti non est nota, nec potest facile pervenire *(S. Alph.,* l. VII, n. 364).

Art. 2. — De Irregularitatis Cessatione.

858. **Irregularitatis cessatio.** Pluribus modis ipsa cessat.

1) Ordinarie cessat *cessante causa*, ob quam est inducta, si sit ex defectu, v. g. ætatis; cum tota ratio illius deficiat. Dixi *ordinarie;* nam sunt irregularitates, quæ non cessant per cessationem causæ: ut quæ est ex defectu lenitatis, vel Sacramenti.

2) Per *legitimam Baptismi susceptionem* aufertur ea, quæ est ex delicto. Hinc qui homicidium patravit ante Baptismum, post illum non manet amplius irregularis, nisi infamia nata sit. Per Baptismum autem non tollitur bigamia, ut commune est cum d. Thoma *(Suppl.* q. 66, a. 4).

3) Per *religiosam professionem*, aut *legitimationem* aufertur ea quæ provenit ex defectu natalium. Item per *superioris dispensationem* tollitur quæ non est in jure naturæ fundata. Porro Papa in omni irregularitate dispensat ecclesiastici juris. Et fit recursus ad Datariam pro foro externo; ad Pœnitentiariam pro interno foro *(S. Alph.,* l. VII, n. 352) (1).

859. Etiam Episcopus potest tollere irregularitatem; et:

1) Ex Tridentino cap. *Liceat*, sess. XXIV, c. 6, dispensat per se vel per suum Vicarium specialiter ad id deputatum, in irregularitatibus *ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.*

2) Dispensat in omnibus dubiis irregularitatibus; et in omnibus impedimentis occultis, urgente magna necessitate ad Ordines transeunter exercendos, si Papa facile adiri nequeat *(S Alph.,* l. VII, nn. 391, 400).

3) In irregularitatibus ex defectu potest dispensare cum infamis infamia facti (non juris), ut in susceptis Ordinibus ministrent, si crimina sint minora adulterio et reus egerit pœnitentiam — Item in bigamia *similitudinaria* quoad Ordines sacros suscipiendos et exercendos, etsi bigamia fuerit publica; quia hæc irregularitas provenit ex defectu, non ex delicto. Et cum

(1) Ei qui pluries eandem irregularitatem contraxerit, ut puta quia suspensus pluries celebravit, sat erit petere dispensationem *ab irregularitate contracta ob talem culpam, v. g. violationem censuræ.* Nihilominus si obstrictus pluribus censuris exercuit Ordinem sacrum, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, quia incurrit unam duplici æquivalentem, in petenda dispensationem id exprimere debet. Dispensatio autem potest dari re et etiam facto, uti si Episcopus irregularem ex delicto occulto scienter ordinet.

illegitimis ad Tonsuram et minores Ordines, atque ad obtinenda Beneficia simplicia, sed tantummodo ad annum; interim ad Pontificem fiat recursus *(S. Alph.,* l. VII, n. 355).

860. Concessa facultate absolvendi a censuris reservatis, non est subintelligenda etiam concessa quoad irregularitatem; nam irregularitas non est censura: et difficilior est irregularitatum, quam censurarum relaxatio. Imo nunquam censetur concessa facultas dispensandi super irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio: neque Jubilæi tempore, nisi tamen ea proveniat ex censuræ violatione (1).

Quilibet confessarius absolvere potest a peccatis, ob quæ est incursa irregularitas, seclusa peculiari reservatione. Irregularitas enim non impedit effectum absolutionis; quia non pugnat cum statu gratiæ, nec arcet a Sacramentis, excepto Ordine *(S. Alph.,* l. VII, nn. 5 et 440).

DISPUTATIO SECUNDA

De Beneficiis Ecclesiasticis.

---

861. **Beneficium Ecclesiasticum.** *Est jus perpetuum competens clerico percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum.* Tria ergo maxime requiruntur ad naturam ecclesiastici Beneficii: 1) Jus perpetuum percipiendi fructus ex Ecclesiæ bonis — 2) Officium spirituale eidem adnexum — 3) Ecclesiæ auctoritas seu erectio; quæ erectio præcipue requiritur; et ideo quamdiu deest decretum secutæ erectionis ecclesiastici superioris, quæcunque facta pia dispositio habetur tantum ut pium legatum, vel ut beneficium improprium. *Lotterius* (v. *Scavini,* l. III, nn. 608 et 674).

Lex civilis ad novam Parœciam erigendam præter Papæ auctoritatem (etsi ex Tridentino sess. XXI, c. 4 *de Ref.* satis sit Episcopi auctoritas tanquam Sedis apostolicæ delegati, cum Capituli cathedralis consensu), exigit Regium Placitum; itemque consensum Com-

(1) Confessarius qui facultatem obtinuit dispensandi super irregularitate, quamvis nulla verba sint præcipue determinata, uti poterit hac formula Ritualis, post datam absolutionem a peccatis: *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus), in quam* (vel *in quas) ob talem causam* (vel *ob tales causas) incurristi: et habilem reddo, et restituo te executioni Ordinum et Officiorum tuorum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Si careat absolvendus Ordine, dicat: *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.*

munitatis, si debeat ad expensas concurrere (v. *Scavini*, l. III, nn. 674 681, etc.).

Divisio. Beneficia ecclesiastica multipliciter dividuntur:

1) Alia sunt *majora*, quibus inhæret maximus in Ecclesia gradus: est Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus; addunt Abbatias; et *Concistorialia* dicuntur, quia in Concistorio a R. Pontifice conferuntur — Alia sunt *minora*, nempe communia, quæ diversis adhuc donantur nominibus, nempe sunt:

2) *Simplicia* vel *duplicia;* illa præter Officii recitationem vix aliud important. Hæc vero adnexam habent vel præeminentiam, vel jurisdictionem vel aliquam administrationem, aut curam actualem animarum (1).

3) *Residentialia* et *non residentialia*, prout nempe obligant ad personalem residentiam in loco Beneficii, vel non. Ubi notamus residentiam aliam dici *præcisam*, aliam *causativam;* prima inducit pœnam caducitatis tituli; secunda pœna privationis fructuum, non residendo.

4) *Compatibilia* et *incompatibilia;* prout ab uno eodemque ecclesiastico simul possideri possunt vel non. Sunt autem incompatibilia: 1) Si requirant residentiam personalem, ut Beneficia curata, et dicuntur *titulo incompatibilia.* 2) Si sint uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonicatus in eadem Ecclesia, et tunc dicuntur *retentione incompatibilia.*

5) *Sæcularia* et *regularia.* Illa clericis sæcularibus; hæc Regularibus professis dantur, uti Prioratus, Guardianatus.

6) Ratione modi, quo conferuntur: alia dicuntur *electiva*, si clericus assumatur per nominationem, vel electionem. Alia *patronata*, si conferantur per patroni præsentationem. *Collativa*, si obtineantur per collationem libere factam. Per *concursum*, si conferantur ei qui judicatur magis dignus ex aspirantibus. Tandem *reservata* et *affecta*, si eorum collatio ad Pontificem pertineat *(S. Alph.*, l. IV, n. 85) (2).

862. *Proprietates.* In Beneficiis conferendis præ oculis habenda est regula generalis: *Beneficia vacantia dignioribus, gratis et sollicite conferantur et sine diminutione* — Attamen Beneficia suæ diœ-

(1) Advertit Devoti: Canonicatus aliquo modo ad dignitates accedunt, et tanquam dignitates habentur omnes canonici Cathedralis. Ideo Canonicatus in odiosis simplicium Beneficiorum nomine non continentur. Ita sub nomine *clerici* in odiosis non veniunt Episcopi, dignitates et canonici, etsi clerici sint omnes mares baptizati tonsuram adepti (c. 11 et 15 *de rescript.* vide Fagnanus).

(2) Item distingui solet beneficium in *titulare*, quod scilicet ad vitam et cum plenitudine juris confertur; et in *commendatum*, quod solius administrationis seu custodiæ causa datur.

cesis supprimere, dividere, vel unire (sive id fiat æque principaliter nempe utroque beneficio suum titulum ac jura retinente; sive suppressive, uno nempe extincto) est de jure Episcopi; verum cum ista odiosa sint, ideo ut rata habeantur, fieri debent ex magna et evidenti Ecclesiæ necessitate vel utilitate, vocatis omnibus quorum interest, et regulariter audito Capitulo Cathedralis.

Excipiuntur Beneficia exempta et perpetuo reservata, et salvis alienis juribus. Item Episcopus nequit unire Beneficia mensæ suæ, vel Capitulo Cathedralis (etsi id possit singulis præbendis); nec curata monasteriis, hospitalibus, abbatiis vel aliis beneficiis sine cura animarum; nec libera patronatis, nec quæ sunt diversæ diœcesis vel regni (*Trident. sess.* XIII, c. 18; *sess.* XIV, c. 13 et 15; *sess.* XV, c. 9 etc.). Pallottini, Garcias, Laurenius, Scavini.

863. **Beneficia impropria.** Ea dicuntur, quæ veram non habent Beneficiorum ecclesiasticorum naturam et qualitates, licet aliqua ex parte ad ea accedant. Talia sunt *patrimonia clericalia*, quæ in titulum ecclesiasticum constitui permittuntur — *Coadjutoriæ Beneficii*, quæ nudam important alterius onera supplendi facultatem — *Beneficia manualia*, quæ in alterius manu ita remanent, ut possint ad nutum auferri; et ideo dicuntur ad nutum patroni *amovibilia*, quia patronus pro arbitrio, quin debeat probare causam, potest capellanum (qui non sit passive vocatus) amovere et alium eligere — *Legata pia*, quæ nihil aliud sunt, quam certa bonorum dispositio ad pium aliquod opus, ut est celebratio Missarum. Quæ omnia maxime deficiunt in perpetuitate, et præcipue in ecclesiastica institutione, quæ duo ad veram Beneficii ecclesiastici naturam indagandam præcipue inspicienda sunt.

Hinc patet, etiam nomine Beneficii improprii, venire *Capellanias laicales* seu *non collativas*, licet perpetuas, quæ sunt piæ fundationes sub onere aliqua ministeria obeundi in certa capella vel altari. Sed cum pias fundationes contineant, jus erit Episcopis eas visitandi, inquirendo quoad Missarum celebrationem, aliarumque piorum dispositionum executionem. Neque officit si ecclesiastica potestas a testatore in rei directione et administratione excludatur; nam quoties ipsi administratores piæ voluntati non faciunt satis, vindex esse debet Ordinarius, qui a jure est executor omnium piarum dispositionum. Imo si agitur de reductione onerum spiritualium ad Romanam Sedem confugiendum est; cum ejus tantum sit sacra moderari; nisi ex fundatione hoc jus habeat Episcopus (v. *Scavini*, l. III, n. 611).

CAPUT PRIMUM

De Nominatione, Electione et Præsentatione, seu Jurepatronatus.

864. **Nominatio.** Est *actus, quo exhibetur superiori persona aliqua ad Beneficium vacans occupandum.* Fit per literas: et hoc modo plerunque eliguntur Episcopi (et eorum Coadjutores): scilicet principes ex concessis a Pontifice indultis ad cathedrales Ecclesias præsentant, seu, ut ajunt pragmatici, supplicationem habent pro viris idoneis et Episcopatu dignis — Absit tamen, ut principes jure proprio id agere possint; electio enim Epi-

scoporum est pars ecclesiastici regiminis; et proinde ad Ecclesiam solummodo pertinet. Hinc Pius IX in *Syllabo* damnavit has propositiones; sub n. 50: *Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, ac potest ab illis exigere, ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas Literas accipiant.* Sub n. 51: *Imo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quæ Episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem;* vide supra n. 796 (1).

865. **Electio ad Beneficium.** Electio proprie dicta est *assumptio facta communibus suffragiis personæ idoneæ ad Ecclesiasticum Beneficium vacans.* Ut evenit v. g. in Capitulis et piis laicorum Confraternitatibus, ubi agatur de eorum eligendo canonico vel capellano.

Conditiones in electionibus servandæ sunt: 1) Ut omnes qui jus habent eligendi, juxta usus vigentes vocentur (modo canonico impedimento non prohibeantur, ut sunt hæretici, schismatici, excommunicati). Non autem officit si vocati, injuste accedere recusent, vel nequeant; nam recusantes se faciunt a Capitulo alienos, et impotentia aliquorum non debet aliis nocere — 2) Ut omnes eligentes in Cathedrali vel Collegiata sint saltem subdiaconi — 3) Ut electio omnino sit libera — 4) Ut is eligatur, in quo major numerus consentit (2).

Requiruntur autem majora vota respectu totius Capituli præsentis, ita ut si sint duodecim qui vocem habent, requiruntur saltem septem vota. Sufficit tamen quicunque excessus ultra medietatem, etsi forte sit unius medii voti: v. g. si essent tredicim vocales, septem vota jam sufficerent. Si vota sunt paria electio renovanda (3).

(1) Huc facit illud quod R. Pontifex Leo XIII habet in Epistola ad suum Secretarium Card. Nina 27 aug. 1878: « La Sede apostolica, alla quale è riservata la provvista dei Vescovati, non fu solita concedere il diritto di patronato, se non a quei principi che molto bene avessero meritato della Chiesa, sostenendone le ragioni, favorendone l'ampliazione, accrescendone il patrimonio; e che quelli che la combattono, impugnandone i diritti, appropriandosene le sostanze, addivengono per ciò solo incapaci, secondo i canoni, di esercitarlo. »

Verum non raro RR. Pontifices coacti sunt conventiones inire etiam cum guberniis usurpatoribus ad Ecclesiarum bono providendum; sed per hoc non intendunt nulli juri præjudicium afferre, quod semper quoad legitimos principes firmum remanet; ut patet ex Encycl. Gregorii XVI *Sollicitudo Ecclesiarum* 7 aug. 1831; ex Allocut. Pii IX *Cum caritas* 22 febr. 1867; et *Ordinem vestrum* 27 oct. 1871 (v. *Acta S. Sedis*, t. VI; *Scavini*, l. IV, n. 117).

(2) Si electus aliquo laborat impedimento, ab electoribus peti solet a superiore ejus relaxatio; quæ petitio appellatur *postulatio*. Reiffenstuel.

(3) « La regola di diritto canonico che vieta le elezioni per sorti, riguarda il

866. Ex Lateranensi Concilio electio fieri potest: 1) Per *scrutinium*, est cum quilibet suum suffragium secreto tribuit, ut ordinarie fit — 2) Per *compromissum*, est cum facultas eligendi in unum, vel plures designatos ex communi consensu transfertur — 3) Per *inspirationem* seu *acclamationem;* est cum subito quodam motu omnes eligentes in unum conspirant. Id si accidat in Romano Pontifice eligendo, electio dicitur facta *per adorationem* (Scavini, *l.* III, *n.* 687).

Electio quam citius commode potest (intra octo dies) præsentanda est electo, qui habet mensem ad deliberandum, cognita sua electione, an acceptet; qui insuper debet, secluso legitimo impedimento, intra tres menses a notitia electionis acceptatæ petere confirmationem (si ea ex jure postulanda sit); alioquin electio irrita est — Quod si electus aut non acceptet, aut post consensum renuntiet aut moriatur, vel electio sit cassata, ex jure eligentes adhuc eligere possunt intra terminum ipsis a jure statutum, ac si nondum elegissent.

867. **Juspatronatus**. Est *facultas præsentandi idoneum clericum, ut ei conferatur ecclesiasticum Beneficium vacans.* Et ideo ipsa præsentatio recte definitur: *Exhibitio personæ idoneæ facta coram Episcopo ab eo, qui habet juspatronatum, ut in Beneficio instituatur.* Juspatronatus est aliquid temporale spirituali adnexum: qua *temporale etiam* a fœminis exerceri potest; qua *spirituale* tanquam suum fundamentum habere debet christianam communionem; ideo jurispatronatus incapaces sunt de jure communi hæretici, judæi et infideles — Præter jus præsentandi patronus generatim gaudet jure præcedentiæ in processionibus, sedis distinctæ in ecclesia, alimentorum si ipse vel ejus descendentes pauperes fiant, et id beneficium patiatur etc. *(Scavini,* l. III, n. 614).

868. *Divisio.* Multiplex dividitur juspatronatus:

1. Aliud est *hæreditarium,* quod transit ad vocatos hære-

caso di dignità o beneficj, ai quali sia annessa la giurisdizione o la cura d'anime; non il caso di canonicati, o altri beneficj non qualificati. In tal caso se la votazione abbia prodotto parità tra concorrenti riconosciuti idonei, la elezione può essere affidata alla sorte. Ciò tanto più se la parità si sia rinvenuta in due o tre successivi esperimenti, se la deliberazione di procedere per sorte sia stata approvata dal superiore all'atto (p. e. dal Cardinale titolare nel caso di Capitolo patrono che procede alla nomina per un canonicato vacante), e se il risultato della sortizione sia stato applaudito da tutti. » *Congreg. del Concilio,* 2 maggio 1857.

Canonicus ad vacantem præbendam a sociis præsentatus, dum se abstinet a dando suffragio quando votatio ipsum respicit, tenetur etiam abstinere a suffragio secreto ferendo in Capitulo toties quoties alii concurrentes votationi subjciuntur quoad ipsam præbendam. *S. C. C.* 11 dec. 1875.

des. Aliud *gentilitium* seu *familiare,* quod relictum est iis, qui sunt de tali familia vel gente. Aliud *mixtum ex hæreditario et gentilitio,* quod competit eis, qui sunt simul et hæredes et de tali familia.

2) Aliud est *activum,* aliud *passivum.* Primum est jus præsentandi aliquem ad Beneficium. Secundum est jus quod quis habet, ut Beneficio præsentetur.

3) Aliud est *personale* quod competit personæ patroni independenter a re vel loco. Aliud *reale,* quod adnexum est rei vel loco, v. g. prædio et transit ad quemlibet, qui talem rem aut locum acquirit.

4) Aliud est *ecclesiasticum,* quod Ecclesiæ seu dignitati ecclesiasticæ adhæret, illudque exercet qui eam ecclesiam seu dignitatem obtinet vel administrat. *Laicale* aliud quod spectat ad laicum, vel etiam clericum, non qua clericus est, sed qua de tali familia, successione, etc.; cæterum patronatus etiam laicalis est verum beneficium ecclesiasticum, si sit ab Ecclesia acceptatum et erectum. Aliud *mixtum,* cujus præsentatio pertinet partim ad clericum ratione ejus Officii sacri, partim ad laicos: quod contingere potest, si v. g. ex duobus patronis laicis alter jus suum Ecclesiæ cesserit (*S. Alph.,* l. VI, n. 87).

869. **Jurispatronatus acquisitio.** Juspatronatus ex jure acquiritur: fundatione canonica; sufficienti dotatione Ecclesiæ jam constructæ; Pontificis privilegio. Item donatione accedente Ordinarii consensu; successione vel venditione fundi, cui inhæret (quin tamen in venditione habeatur ratio jurispatronatus, cum hic non veniat in commercium). Item per præscriptionem 50 annorum ex jure canonico.

870. **Præsentatio patroni.** Si patronatus est *laicalis,* ex jure canonico præsentatio facienda est intra menses quatuor; si *ecclesiasticus,* intra menses sex. Tempus autem, ut verius dicunt cum Barbosa ex recepta S. Rotæ sententia ac communi Doctorum, incipit a die habitæ notitiæ vacationis, non a morte beneficiati; et haberi debet ratio locorum distantiæ, qualitatis ipsius beneficii, etc., pro certa notitia — Potest autem Episcopus ad alios sex menses tempus prorogare pro ecclesiasticis, et pro laicis ad alios menses quatuor. Si *mixtus* patronatus, sufficit præsentare intra semestre, etsi pars clericorum sit minor. In patronatu regio nullum tempus præfinitur. *Ferraris.*

Resolve: 1) Non currit tempus, si facta præsentatione, præsentatus acceptare noluit, quousque non sit notificata patrono

renuntiatio; vel si citra culpam præsentantis præsentatio effectum suum sortiri non potuit. Item non currit tempus, si lis vertatur vel inter Episcopum et patronos, vel inter patronos et præsentatos, vel inter ipsos præsentatos *(S. Alph.,* l. VI, n. 89).

2) Patronus præsentans indignum, si laicus, jubetur alium præsentare; si ecclesiasticus, ea vice jure præsentandi privatur. Patronus nequit seipsum præsentare; sed rogare potest Episcopum, ut si dignus est, sibi patrono Beneficium conferat. Potest vero unus patronus præsentare alium compatronum; renuntiando ea vice juri præsentandi (vide *Marenco, Gagliardi* et *Cercià,* Lezioni di diritto canonico).

3) Si patronus, qui antea præsentavit Petrum, postea præsentet Paulum, et patronatus est ecclesiasticus vel mixtus, *qui prior est tempore, potior est jure;* et ideo primus est instituendus. Si vero patronatus est laicalis, poterit Prælatus eum instituere, quem maluerit; tunc præsentatio secunda non irritat primam, neque e contra.

4) Si ex duobus patronis alter unum, alter alterum præsentat, Prælatus Beneficium confert cui vult; si non sit parochiale. Quod si multi patroni sunt discordes (ut maxime evenit si aliqua communitas patronatu gaudeat) erit instituendus in quem convenit eorum pluralitas, nisi sit indignus; de indignitate autem aut dignitate Episcopi est judicare. Potest autem unus patronus plura vota habere, si plures qualitates patronales repræsentet *(S. Alph.,* l. IV, n. 90).

871. **Amissio Jurispatronatus.** Juspatronatus amittitur:

1. *Rei interitu,* ut si quod constituit juspatronatus, penitus pereat; cum amplius non habeat ubi consistat.

2. *Facto ipsius patroni,* ut si suo jure abdicet aut illud alteri concedat; vel prædium vendat, cui patronatus inhæret: *Jus* (ex Angelico) *præsentationis si est affixum rei, vendita re, jus transfertur simul cum re in emptorem* (2, 2, q. 100, a. 4). Item est si penitus extinguatur linea patronorum; tunc beneficium libertatem consequitur, et confertur sicut cætera beneficia, quibus patronatus non est adnexus.

3. *Patroni crimine,* si in hæresim inciderit, si Ecclesiæ Rectorem aut clericum per se vel per alium occidere aut mutilare ausus fuerit. Si jura Ecclesiæ usurpaverit; vel separatim a fundo jus vendiderit, quasi res sit appretiabilis.

4. *Præscriptione,* si spatio annorum 40 (30 juxta alios) patronus neglexerit Beneficium conferre non impeditus. Modo

interea Ordinarius illud bis contulerit jure tanquam proprio (Vide *plurimæ resolutiones apud* Scavini, *l.* III, *n.* 688).

Casus. *Patroni cujusdam Ecclesiæ parochialis vacantis ad ejus dotem augendam proprio marte constituunt, ut nemo de novo eligatur, nisi se obliget ad solvendum Ecclesiæ certum ceræ pondus, detrahendo item aliquam portionem ex reditibus stolæ quæ percipere poterit. Titius huic conventioni cum se subscripserit, ad Beneficium electus fuit* — Talis electio est simoniaca et ideo nulla; nam regula juris Canonici (c. *Quam pio* can. 1, q. 2, c. ult. *de pactis)* in rebus spiritualibus vel spirituali adnexis *omnis absit pactio, omnis conventio cesset.* Et signanter quoad beneficia ex *c.* 24. *tit.* simonia est aliquid temporale pacisci in nominatione, præsentatione, institutione, electione, possessione, renuntiatione; pactum enim semper aliquam novam invehit saltem fidelitatis obligationem, quæ cum sit aliquo pretio æstimabilis, certe pactum simoniacum reddit *(S. Alph.,* l. III, n. 53) (1).

Imo neque licet nominare ad Beneficium cum pacto subeundi aliquod onus spirituale (nisi onus jam ipsi fundationi sit adnexum; tunc nihil novi imponitur, sed explicatur seu intimatur quod jam statutum est). Licet enim in aliis rebus spiritualibus id permittatur, v. g. applico pro te Missam, ut mane applices pro me; in Beneficiis tamen omnis conventio prohibita est, ut communiter docent ex cap. *Quam pio.* Attamen commune est cum d. Thoma, quod possit Episcopus cum consensu Capituli cathedralis (et etiam patroni, si agatur de patronali Beneficio) adnectere Præbendæ vacanti onus aliquod honestum et moderatum cedens in utilitatem Ecclesiæ, ut onus canendi, docendi, negotia ecclesiæ promovendi; tunc nullum initur pactum inter dantem et acceptantem beneficium; sed ipsi beneficio adnectitur onus, ut cum illo transeat de uno in alium *(S. Alph.,* l. III, n. 60; *Salmanticenses,* De simonia c. 1, n. 42). Vide t. I: De simonia.

CAPUT SECUNDUM

De libera Collatione, de Concursu, Optione, Coadjutoria, Reservatione et Devolutione.

872. **Libera Collatio.** Est *concessio Beneficii ecclesiastici vacantis spontanee facta ab eo, qui facultatem habet.* In qualibet Diœcesi jure communi Episcopus est collator ordinarius Beneficiorum; supremus autem et universalis collator est Romanus Pontifex — Si vero Beneficium sit cum cura animarum et ejus collatio ad inferiores pertineat (v. g. ad Capitulum vel ex privilegio vel ex fundatione vel ex consuetudine), tunc alia institutione opus est, quæ *auctorizabilis* dici solet; qua nempe

(1) Aliud est, si post obtentum omnino gratis beneficium, fiat conventio, superiore probante, ut provisus aliquid solvat Ecclesiæ; id enim non est, nisi spontaneum, personale et transitorium.

datur ab Episcopo cura animarum et potestas administrandi Sacramenta, cum ea dari possit ab iis solis qui episcopali jurisdictione gaudent *(Scavini,* l. III, n. 621).

Collatio seu institutio scripto fieri debet. Pontifex dat diplomata, et *Bullæ* dicuntur a pluribus Datariæ et Cancellariæ ministris obsignatæ, quibus nempe delegatur qui electum instituere debeat Pontificis nomine (1) — Episcopus vero id conficit publico instrumento a Cancellario obsignato; Episcopi autem potestas limitatur ratione concursus, reservationis ac devolutionis (*S. Alph.*, l. IV, n. 86) (2).

Dein remanet *possessio* seu corporalis immissio in Beneficium (positio pedis), per quam habetur in illo quies: quæque fit per ingressum in ecclesiam Beneficii, per aditionem altaris, etc. Cæterum semper legitima collatio præire debet, cum ipsa sit quæ jus tribuit capiendæ possessionis; et ideo qui ante ipsam Beneficii possessionem apprehenderit *intrusus* dicitur et prædo, omnique jure privatur ipso facto et gravissimis pœnis mulctatur (V. t. I, nn. 591 et 647; *Scavini,* l. III, n. 680) (3).

(1) Leo XIII, 29 dec. 1878 characterem teutonicum (vulgo *bollatico)* in Apostolicis Literis abolevit, mandans ut illæ communi latino charactere in posterum exarentur (sine transumpto), firmis tamen manentibus ministrorum de more subscriptionibus. Plumbea autem numismata una cum adjectis cordulis vult tantum servanda in Apostolicis Literis collationum, erectionum et dismembrationum Beneficiorum majorum, nec non in aliis S. Sedis solemnibus actis. In reliquis vero Literis substitui voluit impressionem rubri coloris sigilli noviter conficiendi imagines Petri et Pauli referentis, inscriptione Nominis regnantis Pontificis circumducta.

(2) Antequam quis canonicam institutionem obtineat, professionem fidei emittere debet, per se ipsum; etsi alius delegari possit ad institutionem capiendam.

(3) Formulas pro immissione in corporalem possessionem etiam procuratorio nomine refert inter cæteros Barbosa, *De off. et potest Episcopi*. Hæc autem hodie est ab Episcopo (per ecclesiasticum ab eo deputatum) tribuenda; cum Regius Apostolicus Œconomatus, qui in nostris provinciis jam ab anno 1771 obtinuit, quique etiam nomine Ecclesiæ in realem Beneficii possessionem valide immittebat, nonnisi regius evaserit, ac in ea nullam amplius habeat partem Ecclesia, cui tantum esse debet in ecclesiastica jura facultatem tribuere.

Ex cap. *Si tibi* t. XVII *de præb.* in 6 clericus per collationem canonicam semel acceptatam acquirit jus in re ad beneficium ante ipsam possessionem, et ideo per se loquendo valet auctoritate propria omnia ejus officia exercere; v. Garcias, Galiardi, Reiffenstuel, Croix. Attamen hoc jus non censetur ex omni parte completum; nam præter tituli institutionem requiritur etiam institutio autorizzabilis, qua nempe Episcopus curam animarum assignat, si agatur de collatione tituli tributa ab alio quam ad Episcopo ad parochiale Beneficium; nam solius Episcopi est jurisdictionem animarum concedere.

Item præter collationem requiritur etiam possessio, si res sit de fructibus percipiendis, non tantum ex lege civili, sed etiam vi legis ecclesiasticæ ex S. C. C. 9 maji 1874 (v. *Devoti*, et *Acta S. Sedis* t. VIII). Imo hodiernis moribus videtur inductum, ut parochus canonice tantum institutus, cum non censeatur jurisdictionem omnino expeditam habere, ad omnem controversiam et dubitationem avertendam, abstineat a suæ curæ exercitio, nisi expresse ab Episcopo obtineat etiam institutionem auctorizzabilem, seu ab eo mittatur ad parœciæ regimen, ut fieri solet. Ex quo patet quanta sit vis possessionis (v. *Scavini,* l. III, n. 682).

873. **Concursus ad Beneficia.** Ecclesiastica Beneficia, quæ post Tridentinum acquiri nequeunt, nisi per eam examinis speciem, quam Canonistæ *concursum* appellant, sunt illa, quæ curam animarum adnexam habent. Tridentinum expresse jussit eas non posse conferri, nisi dignioribus inter eos, qui experimento instituendo coram Episcopo (vel eo impedito, ab ejus Vicario generali) et examinatoribus (synodalibus vel prosynodalibus) juratis, non paucioribus tribus, fuerint approbati, declarans provisiones secus factas nullas esse omnino ipso jure *(sess.* XIV, c. 18 *de Reform.).*

Adde Theologalem ac Pœnitentiariam, quæ item per concursum (cum aliqua tamen diversitate, in hoc enim quatuor sunt examinatores) conferendæ sunt ex Benedicto XIII Bulla *Pastoralis,* quæ primum data pro Italia et Insulis adjacentibus hodie fere ubique obtinet *(Scavini,* l. III, n. 690).

Nonnulla hic notanda veniunt:

I. Sunt Ecclesiæ parochiales, quæ etiam sine concursu conferuntur. Esset si illæ pauperes admodum sint, aut factionibus et rixis expositæ, aut nemo sit qui se examini quærat subjicere; ex Tridentino (sess. XXIV, c. 18 *de Ref.)* — Item Vicariæ perpetuæ Parochiarum unitarum, seu incorporatarum monasteriis, collegiis, locisque piis: ex s. Pio V Constit. *Ad exequendum* — Item dignitates curam animarum habentes unitæ Cathedralibus vel collegiatis Ecclesiis, ut probat Fagnanus, c. *Cum sit ars,* nn. 19 et 22 (et tunc in congrua Canonici curati imputantur etiam distributiones ex S. C. C. 20 apr. 1697). Hoc valet etiam in permutationibus ecclesiarum parochialium. Vel si Parochus sit amovibilis; et tunc ex S. C. C. 12 jan. 1619 neque requiritur ut examinatores sint synodales vel prosynodales.

II. S. Pius V 16 maji 1567 Bulla *In conferendis:* 1) Nullas irritasque decernit omnes collationes, provisiones, institutiones et quasvis dispositiones parochialium ecclesiarum præter et contra formam a Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam, factas aut faciendas — 2) Parochiarum quæ prædicto modo nulliter collatæ fuerint, collationem reservat Apostolicæ Sedi. Eadem reservatio decernitur si Ordinarii collatores intra sex mensium spatium a die vacationis vacantem Parochiam non contulerint. Eadem reservatio statuitur, quando Parochia est jurispatronatus ecclesiastici vel mixti, si infra tempus a jure præfinitum non fiat præsentatio (nisi tempus prorogetur); atque item si intra duos menses a die præsentationis non fiat institutio — 3) Quoad Parochias, quarum collatio pertinet ad S. Sedem eo quod vacent in mensibus reservatis aliave de causa, si intra quatuor menses a die vacationis Ordinarii Sedi apostolicæ non designaverint digniorem inter approbatos, reservatur R. Pontifici omnimoda dispositio — 4) Verba, quibus Tridentinum præcipit, *ut Episcopus et qui juspatronatus habet intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum,* examinandos vocet, ita determinat, ut nequeat tempus illud ultra viginti dies protrahi. Excipe nisi adsit causa adhuc prorogandi ex S. C. Congregatione.

III. Spectata consuetudine Romanæ Curiæ (quam Ordinarios imi-

tari decet) nequeunt acceptari renuntiationes Beneficiorum curam animarum habentium, sine Pontificis dispensatione, si beneficiatus saltem tribus annis Beneficium illud non possederit, ut tradit Berardi, *De renuntiatione;* Layman in c. *Admonet de renunt.;* Corradus, *In praxi beneficiali,* l. v; et Garcias, *De Beneficiis,* pars 11ª, c. III, n. 45. Quod obtinet in Diœcesi Novariensi; *Scavini,* l. III, n. 691.

IV. Si ad concursum nullus, vel nullus idoneus comparuerit, novus erit concursus indicendus: qui si secundo fuerit frustra tentatus tunc ex S. Concilii Congregatione fas est Episcopo tertium concursum omittere, et ipse poterit (tribus adhibitis examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus) illum probare, qui ad examen privatim se exhibuerit. Sic pluries decisum fuisse a S. C. Concilii testatur Garcias et Barbosa (v. Ferraris, V.° *Concursus,* a. 3, n. 22).

V. Si Parœcia sit patronatus laicalis vel mixt', et unus tantum præsentetur, nullus requiritur concursus. Sed præsentatus erit probandus a tribus examinatoribus synodalibus (vel prosynodalibus), et si idoneus, statim admittendus (1). Et in his generatim nulla cadit reservatio. Quod si Parœcia sit patronatus ecclesiastici, patronus quem putat digniorem, eligere debet ex approbatis in concursu.

VI. Si Beneficia parochialia sint Apostolicæ Sedi reservata ratione mensium, Episcopus (et sede vacante Vicarius capitularis) inter approbatos eligit magis idoneum et illum Datariæ significat; non tamen acta concursus transmittit, nisi requirantur. Si vero Beneficia ex alio capite sint reservata, attenta Benedicti XIV Constitutione *Cum illud,* 14 dec. 1742, peracto concursu, Episcopus abstinere debet a judicio, sed acta Datariæ exhibebit *(S. Alph.,* l. IV, n. 109).

874. **Examinatorum munus.** Peracto examine, ex Tridentino renuntiandi sunt a tribus examinatoribus *quotcunque idonei judicati fuerunt ætate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis.* Sicut autem Episcopo et examinatoribus simul junctis Tridentinum committit examen scientiæ, sic etiam committit eisdem simul examen morum et prudentiæ, ita ut si examen morum, et prudentiæ factum fuit a solo Episcopo, concursus sit nullus; ut pluries declaravit S. C. Congregatio; vide *Acta S. Sedis,* t. XI *(De Concursu et Examinatoribus* v. Scavini, *l.* III, *n.* 691).

875. Probabilius et communius docent, teneri examinatores (nisi agatur de jurepatronatu) denuntiare non solum idoneos, sed etiam magis idoneos, cunctis ut supra pensatis. Est Tridentini mens, ut melius valeat Episcopus judicare, cujus est ultimam sententiam proferre; in qua se immiscere non debent examinatores, nisi Episcopus etiam hac in parte eorum consilium velit exquirere *(S. Alph.,* l. IV, n. 111) (2).

(1) Ex mente Tridentini fieri deberet talis probatio in scriptis *(sess.* XXIV, c. 18 *de R.);* sed invaluit usus, ut etiam oretenus examen instituatur.

(2) *Examinatores* in Synodo electi durant usque ad novam Synodum. Electi extra Synodum (cum consensu Capituli Cathedralis) durant ad annum. Sicut et

876. **Optio.** Alius modus in quibusdam Ecclesiis assequendi Beneficii est *optio,* ob quam licet Canonicis juxta ordinem, quo in Capitulum fuerunt cooptati, dimissa propria præbenda, vacantem acquirere seu optare, quod fit sola voluntatis declaratione. Apud nos optio tantum obtinet circa domus canonicales. V. Moneta, *De optione.*

877. **Coadjutoriæ.** Coadjutoriæ cum futura successione, cum sint quædam species expectativæ, prohibentur in quibusque Beneficiis a Tridentino *(sess.* XXV, c. 7 *de Ref.).* Addit tamen: *Quod si quando Ecclesiæ cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet Prælato dari coadjutorem, is non aliter cum futura successione detur, quam hæc causa prius diligenter a R. Pontifice sit cognita.*

Imo sine licentia Papæ Coadjutoria perpetua cum futura successione concedi nequit in aliis beneficiis, utpote sacris canonibus odiosa, et Patrum decretis contraria. Coadjutoria autem temporalis sine futura successione in beneficiis Episcopatu inferioribus, potest concedi a proprio prælato. At Coadjutorem adsignare ad tempus vel ad vitam principalis, Episcopis et superioribus Prælatis est de causis majoribus; quæ pertinent ad solum Pontificem, non obstante consuetudine contraria ex textu expresso in cap. *Pastoralis* unic. *de cler. ægrot.* in 6 (Ferraris, V.° *Coadjutor).*

878. **Reservatio.** Est jus, quod Romanus Pontifex sibi adjudicat circa nonnulla Beneficia, ut ea ipse solus per Bullas conferre possit. Beneficia hæc appellantur reservata vel affecta: *affecta,* si in iis conferendis manus apposuit Pontifex præveniendo ordinarium collatorem. *Reservata,* quorum collatio Pontifici expresse in jure jam est constituta (communi tamen usu primi et secundi generis Beneficia *reservata* dicuntur). Hic maxime veniunt *regulæ Cancellariæ Apostolicæ:* de quibus fuse ac singillatim apud Scavini, *t.* I, *nn.* 347 *et seqq.*

879. Sane æquum est, ut Romanus Pontifex uti caput totius Ecclesiæ et supremus bonorum ecclesiasticorum dispensator certa Beneficia certis clericis conferat in omnibus Diœcesibus; cum id Ecclesiæ universæ necessitas vel utilitas postulat — Beneficia autem

judices, qui a S. Sede eliguntur ad lites dirimendas, durant ad novam Synodum si in Synodo electi; secus ad annum (et sunt de consilio tantum Capituli eligendi). Ut autem eligi valeant *judices* oportet, ut sint in dignitate constituti, vel ut canonicatum in Cathedrali possideant. *Scavini,* l. III, n. 693.

Si agatur de conferenda Theologali aut Pœnitentiaria quatuor requiruntur examinatores, qui si non sint synodales aut prosynodales, oportet ut sint in theologica facultate licentiati. *Scavini,* l. III, n. 693.

præcipue reservantur vel ratione *qualitatis,* ut sunt v. g. Beneficia majora, Episcopatus, prima capituli dignitas; vel ratione *personarum,* ut v. g. Cardinalium beneficia, et ab ipsis collata suis familiaribus (1); vel ratione *loci,* ut sunt illa quæ in romana Curia vacant; vel ratione *modi,* ob collationem novi beneficii cum primo incompatibili; uti si quis fuerit provisus de aliquo beneficio a Papa quod sit incompatibile cum primo quod jam possidebat etiam per liberam collationem; hoc primum remanet reservatum per secundi collationem (et vulgo dicitur vacare *per risulta).*

Sed hic maxime venit reservatio quæ obtinet ratione *temporis* seu mensis, quo Beneficia (quæ non sint jurispatronatus laicalis aut mixti) vacant; reservantur enim (Sede pontificia minime vacante) Beneficia quæ vacant in mensibus januarii, februarii, aprilis, maji, julii, augusti, octobris et novembris; quæ ideo Bullas pontificias requirunt, ut valide conferrantur. Excipiunt beneficia quæ vacant per permutationem vel renuntiationem in manu Ordinarii (nisi alia ratione reservata sint). Item in regno Pedemontano beneficia simplicia ex immemorabili consuetudine, ut ait Marenco (2).

880. **Jus devolutionis.** Si ii, ad quos pertinet, non provident tempore a jure definito, vel male provident de Beneficiis minoribus vacantibus, jus illa Beneficia conferendi pro ea vice ad alium devolvitur. Videlicet de patronis ad Episcopum (quin ab eo facta provisio publicetur); de Episcopo ad Metropolitam; de Metropolita ad Papam, in quo tamen jus sistit, quin ad alium fiat devolutio (cap. 2 *de Concess. præbendæ)* (3).

(1) Quæ reservata sunt, si familiares Cardinalis Beneficia tempore familiaritatis obtinuerint; etsi ad illa Beneficia habeant tantum jus ad rem; modo tamen non sint jurispatronatus laicalis.

Ad inducendam tamen hanc familiaritatem necesse est copulative duplex requisitum in subjecto, nempe *mentis* et *dentis,* ut ajunt: *mentis,* ita ut actu sit addictus alicui honesto muneri quoad Cardinalis personam; *dentis,* ita ut Cardinalis expensis vivat, etsi extra illius domum. Tales habentur qui in anticubiculo sistunt *(gentiluomini di camera),* auditor domesticus inservienti Cardinali uti tali, non vero auditor generalis sui Episcopatus seu Vicarius generalis, aut secretarius ejus uti Episcopi; item nec visitator, nec examinator, quia isti non sunt officiales Cardinalis, sed Episcopi. Verum uti familiares habentur custos bibliotecæ Cardinalis, ejus computista, magister domus, medicus, cubicularius, anticameræ assistens, capellani. Item secretarius vel pro-secretarius, si cumulative et indistincte inserviant et Cardinali et Episcopo.

Quæ reservatio afficit etiam Beneficia, quæ familiaris obtinuit ante familiaritatem, et durat etiam familiaritate dissoluta; attamen reservatio cessat, si beneficia collata sint, ipsa familiaritate jam extincta. *Rigantius, Garcias, Laurenius.*

(2) In gratiam et remunerationem Episcoporum, qui in suis Ecclesiis assidui sunt, ipsis postulantibus conceditur, ut alternis mensibus cum Pontifice beneficia conferant. In hac porro *alternativa* februarius, aprilis, junius, augustus, october et december assignantur ipsi Episcopo; cæteri menses summo Pontifici. Alternativa conceditur tantum ad vitam concedentis Pontificis, et quidem sub expressa conditione, ut Episcopus *vere et personaliter* resideat in Diœcesi (v. *Scavini,* t. I, n. 347: Regula IX).

(3) Elapso tempore utili ad conferendum, alicubi receptum est, ut adhuc sustineatur collatio, si fiat ab illo qui conferre distulit, antequam qui jure devolutionis gaudet, eo utatur. Hoc tamen alii contendunt non sustineri eo in casu inferioris collationem, nisi superior, ad quem provisio devoluta est, collationem postea fa-

CAPUT TERTIUM

De Beneficiatorum Dotibus, Juribus, Oneribus, de Pensionibus et Procuratione.

881. **Dotes pro Beneficio obtinendo.** Ex sacris canonibus ad ecclesiasticum Beneficium eligendus oportet, ut sit:

I. *Probus*, seu honestis moribus. Hinc repellitur irregularis, censuratus, simoniacus, infamis, hæreticus, etc.

II. *Doctus*, seu ut scientia polleat juxta Beneficii qualitatem. Aliquando requiritur etiam laureæ consecutio: quæ tamen ad Beneficia ecclesiastica acquirenda non amplius valet, quæ hodie obtinetur in publicis laicalibus academiis, cum sint penitus sæcularizatæ; et ideo hodie ex Pontificio privilegio lauream conferendi facultate potiuntur plures Archiepiscopi, speciali Academia erecta (v. *Scavini*, l. III, n. 701) (1).

III. *Cœlebs;* nam ex jure canonico collatio facta ei, qui matrimonio jam prius junctus est, est invalida.

IV. *Legitimus;* secus nulla electio est. Cum illegitimo tamen Episcopus generatim potest dispensare ad obtinendum Beneficium simplex ad annum.

V. In præscripta *ætate* constitutus. Commune est, quod si

ctam patienter sustineat, nempe si non se opponat; et talis esse dicunt praxis Romanæ Curiæ. *Vecchiotti.*

Negligente Episcopo, ex Lateranensi Concilio, non illico ad Metropolitanum, sed primum ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ fit devolutio; at contrarius usus invaluit. V. *Marenco, Berardi, Garcias,* etc.

(1) Huc pulcherrime faciunt quæ de magnis Lycæis ajebat Leo XIII ad doctores decuriales Romani Archigymnasii *(La Sapienza)*: « Siamo pur lieti di sentirci ricordata da voi la protezione concessa dai sommi Pontefici alla Romana Università, e confermata così contro calunniose e viete accuse la verità, che il romano Pontificato, lungi dall'osteggiare la scienza ed impedirne il progresso, lo favorisce invece e lo promuove. Ella Mr Decano, ha rammentati i grandi beneficj che i nostri antecessori largirono al romano Ateneo, e bene sta. Ma a noi sia lecito levarci più alto e dare un rapido sguardo alle altre Università d'Italia e d'Europa, a luminosa conferma dell'accennato vero. Ci sarà facile il vedere, che le Università finchè non divennero centro di politiche agitazioni, finchè non si misero sulla via fatale di far guerra alla cattolica fede, mercè la cura de'romani Pontefici che in ogni maniera le protessero, furono sempre nobile palestra de' più eletti e robusti ingegni, furono pacifico e splendido domicilio della scienza, focolare in cui si mantenne fra le nazioni viva ed ardente la fiamma della terrena e celeste sapienza. La storia ha registrato a caratteri d'oro i segnalati favori, de' quali ad esse furono sempre larghi i Pontefici di Roma. » Et hic inter cætera memorat Universitates, Sorbonæ, Bononiæ, Salmanticæ, Pataviæ, Perusiæ, etc. VI *Id.* aug. 1878.

ætas deficiat etiam quoad unam horam, Beneficii collatio sit nulla. Nempe pro Episcopatu requiruntur 30 anni completi (si excipias Galliæ Episcopos, pro quibus satis est ex privilegio annus 27); 25 pro Parœcia; 40 pro Pœnitentiaria; 22 pro dignitate et personatu in Cathedrali; 21 pro Canonicatu item in Cathedrali; 14 pro cæteris Beneficiis. Annus incœptus pro completo habetur, nisi aliud exprimatur. Qui tamen, ex fundatione ad Beneficium simplex vocantur, si septennio majores, tonsura insigniri possunt, et Beneficium acquirere.

VI. Saltem *tonsura* insignitus; secus non conferretur clerico. Sed etiam de laico nominatio fieri solet, *sub spe* nempe *futuri clericatus.*

VII. *Ut habeat veram intentionem perseverandi in ecclesiastico statu et sacrum Ordinem accipiendi tempore præscripto, si Beneficium id requirat;* secus in re gravi deesset muneri suo. Qui tamen Beneficium simplex, quod sit sine obligatione Ordinem sacrum suscipiendi, accepit animo lucrandi fructus et deinde uxorem ducendi, nonnisi venialiter peccat, si alias officio suo satisfaciat; cum id nullo jure vetetur. Imo Garcias illum ab omni culpa excusat *(S. Alph.,* l. IV, n. 113).

VIII. Non *alio Beneficio provisus;* Beneficiorum enim pluralitas in uno clerico prohibetur sub gravi. Excipe si primum Beneficium non sufficiat ad honestam sustentationem, habita ratione conditionis personarum, temporum et locorum; tunc licet conferre aliud simplex, modo utrumque personalem residentiam non requirat. Non tamen potest tertium conferri, si neque secundum satis est; nisi Pontifice dispensante ob gravissimam causam *(S. Alph.*, l. IV, n. 116) (1).

Si quis sine legitima causa et facultate obtinet secundum Beneficium incompatibile post bimestre ab hujus possessione, ipso jure amittit primum. Quod si ad sex menses illud retinere præsumpserit, privatur ipso jure utroque ex Concilio Tridentino *(sess.* VII, can. 4).

882. Casus. *Eusebius nequam, Eugenius ditissimus, Evaristus integer vitæ sed pauperimus, Beneficia impetrant a R. Pontifice qui illarum conditiones ignorat. Porro Episcopus Eusebio absenti pridie amplum, Eugenio aliud (quod paulo ante vacaverat in Curia romana). Evaristo tandem parvum beneficium jam anno superiori contuleral. Quæ omnes in libello ad Pontificem re-*

(1) Idque verius tenent, etsi agatur de patronatu; attamen ubi contraria consuetudo recepta est, tolerari potest; nec sunt inquietandi qui sunt in bona fide. Benedictus XIV, *Notificatione* 91.

ticuerunt; Eusebius, quia nesciebat sibi collatum Beneficium fuisse; Eugenius, quia repulsam timebat; Evaristus, quia ignorabat necessariam esse ejus mentionem.

Petitio Eusebii non fuit subreptitia, quasi verum non fuerit expositum, cum nondum acceptaverit collatum sibi ab Episcopo beneficium, imo collatum sibi fuisse ignorabat — Nec subreptitia fuit petitio Eugenii; cum beneficium quod vacat in Curia sit reservatum Pontifici; ideo illius collatio ab Episcopo facta, nulla est; porro non parit impedimentum quod de jure non sortitur effectum. Nec obstat quod fuerit subreptitia in opinione petentis; quia ex jure *falsa nostra æstimatio rei veritatem non mutat* — At Evaristi petitio subreptitia fuit, cum fuerit reticitum quod erat de necessitate exprimendum, nempe se aliud beneficium obtinuisse. Nec excusat bona fides. Utrum autem qui petit pauper sit an dives, probus vel non, nil refert; cum nullum jus, nullusque stylus Curiæ id necessario exprimere præcipiat. *Resolutiones Reatinæ.*

883. **Eligendus ad Beneficium.** Si agatur de Beneficiis majoribus, eligentes sive laici sive ecclesiastici tenentur sub mortali eligere quos, omnibus pensatis, judicant digniores. Patet ex Tridentino (sess. XIII, c. 1 *de Ref.)*; et postulat commune Ecclesiæ bonum.

Si vero agitur de Beneficiis minoribus, sed curam animarum habentibus, item certum ex Tridentino, Episcopos et patronos ecclesiasticos teneri sub gravi eligere digniores. Ipsi laici patroni tenentur sub gravi præsentare digniorem; cum eadem urgeat ratio, seu bonum animarum. Et contraria doctrina fuit damnata ab Innocentio XII.

Si tandem agitur de Beneficiis minoribus sine cura animarum, aliqui probabiliter putant eligentes sive ecclesiasticos sive laicos non teneri sub culpa eligere digniorem, modo eligant idoneum. Nam cum hæc Beneficia non habeant adnexam populorum curam, nullum vel modicum damnum animabus infertur. Verum communius et probabilius docent etiam ad Beneficia simplicia digniores esse sub gravi eligendos, nam Ecclesiæ utilitas semper id exigit; nisi dignitatis excessus sit parvus, vel si ex lege fundationis indicetur eligendus, qui indignus non sit. Vel si id postulet caritas, v. g. ad aliquem ab inopia levandum, ad speciale Ecclesiæ bonum curandum, aut malum impediendum (*S. Alph.*, l. IV, n. 91) (1).

(1) *Dignus* ille habetur qui aptus est ad Officia Beneficii adimplenda; *dignior* qui magis Ecclesiæ et fidelibus utilis judicatur, omnibus pensatis, ætate, moribus, prudentia, doctrina, potentia, etc. Hic autem dignitas attenditur maxime relate ad bonum commune: et ideo contingere potest, ait Angelicus, ut qui est minus sanctus et minus sciens magis conferat ad bonum commune propter potentiam vel industriam sæcularem, vel aliud hujusmodi (2, 2, q. 63, a. 2).

« Si consanguineus sit æque idoneus ac extraneus, prælatus consanguineum potest

884. *Resolve:* 1) Si eligatur indignus, et indignitas respiciat carentiam earum qualitatum, quæ stricto jure requiruntur ad validam Beneficii consecutionem, uti est ætas, legitimitas, cœlibatus, clericatus, etc., patet electionem nullam esse. Si vero solam indicet ineptitudinem ad officia ipsi Beneficio inhærentia, electio non est in foro saltem externo ipso jure irrita; quia de hac (saltem circa Beneficia non curata) nihil habetur definitum. Est tamen irritanda ex Tridentino (sess. XXII, c. 4). Ex quo patet, mortaliter peccare tum eum qui se indignum promoveri, tum alium qui talem scienter promovere curat; quia hoc cedit in grave Ecclesiæ damnum, cui proinde debetur etiam restitutio ex communi Doctorum.

2) Electionem digni digniori posthabito, commune est, si Beneficium non habeat curam animarum, validam esse; quia lex nulla irritans citari potest. Si vero electio sit ad Beneficium cum cura animarum, adhuc ipsa valet, si Beneficium fuerit jurispatronatus laicorum: quia ex Tridentino ab iis præsentatus admitti debet, si idoneus repertus, etsi patroni delinquant in officio suo coram Deo. Item est probabilius, si Beneficium curatum sit jurispatronatus ecclesiastici, vel liberæ collationis. Nam, ut ait d. Thomas (2, 2, q. 63): quod aliquis magis vel minus dignus judicetur, hoc pertinet ad internum eligentis judicium, a quo quidem pendere non debet validitas actus (*S. Alph.*, l. IV, n. 102).

3) Eligentes minus dignum alii obligant ad restituendum tum digniori prætermisso, tum ecclesiæ; cum damnum inde patiantur. Alii docent non digniori, sed ecclesiæ restituendum, quæ quidem jus habet ad habendum digniorem — Verum probabilius, neque digniori neque ecclesiæ debetur restitutio. Non digniori: nam digniores jus strictum non habent ad Beneficia. Non ecclesiæ, quia hæc non intendit electores ad aliud obligare, quam ad non indignos eligendos. Excipiunt tamen communiter multo probabilius, si electio fiat per concursum; tunc enim dignior acquirit jus in Beneficium ratione quasi pacti, quod inter electorem et concurrentes intercedit (1).

4) Videtur probabilius electum, qui se digniori prælatum dignoscit, non peccare, si Beneficium acceptet, modo non sit indignus. Nam Angelicus tradit, quod ille, qui debet assumere, *assumat meliorem ad regimen Ecclesiæ*. At pro eo qui assumitur, *non requiritur ut reputet se aliis meliorem; sed sufficit, quod nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium.* Tanto magis, quia electus potest prudenter præsumere, quod Episcopus habeat causam excludendi, quem putat digniorem. Adde: secus res semper scrupulis esset referta (*S. Alph.*, l. VI, n. 110).

885. **Jura Beneficiati.** Alia sunt spiritualia, alia temporalia. *Spiritualia* respiciunt ipsum ministerium spirituale, et patet

præferre, nisi forte ex hoc scandalum oriatur; quia ex quo nihil deperit utilitati Ecclesiæ cum æque idoneo providetur, licet circa hujusmodi provisum etiam amori naturali satisfacere, qui non est contrarius caritati, sed magis ei informatur. Et hoc significatur Genesi VIII, ubi Pharao dicit Joseph de fratribus suis: « Si nosti in » eis viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum. » D. Thomas, *Quodl.* 4, *a.* 15.

(1) Attamen contraria sententia non audeo dicere improbabilem, quia revera non videtur constare, quod inter Episcopum et concurrentes intercedat pactum illud obligans rigorose ex justitia commutativa: et non constando de tali pacto, nec videtur constare de tali obligatione. *S. Alph.*, l. IV, n. 109.

ex natura Beneficii, et fundationis tabulis. *Temporalia,* in eo consistunt, quod beneficiatus Beneficium administret, et proventus inde percipiat uti ususfructuarius. Ex lege civili 25 junii 1871 hoc jus incipit a die, quo beneficiatus obtinuit *Regium placitum* vel *Regium exequatur* (1). Attamen necesse est, ut possessio adepta sit; lege 15 maji 1871.

886. Hic duo notanda: 1) Qui Beneficii ecclesiastici possessionem anni spatio retinuit, is inde dimoveri non potest, nisi primum lis petitorio judicio finita sit. En regula *de annuali possessione* — 2) Qui procul a vitio simoniæ triennii spatio Beneficium ecclesiasticum obtinuit, quovis titulo etiam colorato, is amplius dimoveri nequit. En regula *de triennali possessione* (supponitur tamen bona fides).

887. **Onera beneficiati.** Onera beneficiatorum comitantur jura, et iccirco alia sunt *spiritualia,* alia *temporalia.*

Spiritualia desumi debent ex tabulis fundationis, vel ex natura Beneficii. Ubi notandum onus divini Officii recitandi aliunde haberi. Quare semel adepta possessione Beneficii, si ecclesiasticum sit, ex Ecclesiæ lege beneficiatus tenetur quotidie sub gravi et sub restitutionis onere Officium divinum persolvere. Item cum habitu clericali, et tonsura incedere.

Temporalia obligant beneficiatos præcipue: 1) Ut accepta bona pro viribus custodiant; amissa vindicent; atque locata videant ne deteriora fiant — 2) Ut documenta omnia caute custodiant, inventarium conficiendo; prædia redigant quoad possunt, ad statum semper meliorem, et ædes Beneficii restaurent opportuno tempore (2) — 3) Ut quæ honestam vitæ sustentationem excedunt, ea in usus pios sub gravi conferant (*de bonorum Ecclesiæ administratione, distributione,* Scavini, l. III, n. 635).

888. Notandum est quoad census aliasque præstationes, teneri debitores propriis expensis novum titulum suppeditare creditori

(1) Intra menses quatuor a possessione, beneficiatus quilibet tenetur sub pœna pecuniaria denuntiare ex lege civili omnia mobilia et immobilia Beneficii, et intra duos successive menses solvere taxam successionis ærario.

Regium Placitum requiritur etiam pro iis, qui vices parochorum gerunt ad obtinendam congruam pensionem (v. *Scavini,* l. III, n. 681). Et S. Sedes tolerat, attentis præsentis temporis adjunctis ac difficultatibus, ut Italiæ Episcopi gubernio exhibeant Bullas suarum nominationum, ut illis *Regium exequatur* apponat. *S. Officium* 29 nov. 1876.

(2) Si Ecclesia parochialis sit reparanda, vide Lex 20 martii 1865. Si loci Communitas teneatur concurrere ad expensas cultus, jus habet libros administrationis invisendi in ipso fabriceriæ loco: non tamen cultum præscribendi. Circularis autem ministerii 1 julii 1875 prætextu parsimoniæ spontaneum Communitatis concursum ad cultus divini expensas non probat; probat pro theatro, non probat pro ecclesia! (Scavini, l. I *de cultu Ecclesiæ,* nn. 616 etc.) Cæterum v. infra n. 893.

post annos viginti et octo ab ultimo jam præsentato, declarando subsistentiam juris ad creditorem spectantis ad præscriptionem interrumpendam *(Cod. civ.* a. 2136). V. Stocchi, *Guida pratica amministrativa per i Parrochi;* Bibbiena, 1877.

Quoad plantarum vero cæsionem juvat notare cum cl. Rivarolo: « Le somme che si ricevono dall'abbattimento e dalla vendita delle piante d'alto fusto (exceptis casibus quæ habentur in Codice civili articulis 487, 488, 490; prout notatum est n. 229), non costituendo un frutto, sibbene un capitale, deve questo essere impiegato a favore dell'ente ecclesiastico cui quelle piante spettano *(Cassazione di Torino,* 20 marzo 1868).... Onde procedere legalmente all'atterramento di piante d'alto fusto non destinate a taglio periodico, occorrono le seguenti pratiche: 1° Ricorso al R. Economato e successivo decreto di autorizzazione del governo. 2° Ricorso alla Curia diocesana e relativo decreto di permissione. 3° Trattandosi di piante vegetanti nei boschi o sulle ripe o strisce di terreno imboschite a senso delle diverse leggi, e regolamenti forestali... ci vuole anche il ricorso all'autorità amministrativa provinciale, e relativo decreto d'autorizzazione.... »

889. **Pensio Ecclesiastica.** Est *jus percipiendi fructus ex Beneficio alieno:* onus est beneficio impositum, non beneficii participatio; secus esset scindere beneficium, quod vetitum est.

Triplex autem distinguitur: 1ª *Temporalis,* est quæ datur propter ministerium temporale, v. g. cantoris, æditui, defensoris Ecclesiæ — 2ª *Spiritualis,* quæ fondatur in titulo mere spituali, v. g. concionatoris, coadjutoris — 3ª *Media,* quæ fundatur in statu clericali, non tamen in ipso officio, ut quæ datur clerico pauperi, vel Parocho seni, ad sustentationem. Si pensio est clericalis, ex s. Pio V tenetur pensionarius habitum ecclesiasticum ac tonsuram deferre et Officium B. Virginis quotidie (sub onere restitutionis) recitare, nisi jam ad Officium majus sit obligatus; quod si matrimonium contrahit, statim ipso jure pensio vacat, etsi conjugium sit nullum, modo tale non sit ex defectu consensus *(S. Alph.,* l. IV, n. 137).

890. Pensionem ex Tridentino possunt constituere Episcopi, si agatur de Vicario deputando imperitis, aut malis rectoribus. Utrum vero possint, alia causa interveniente, ad Parochum senem vel infirmum alendum, qui Beneficium ideo dimittit, ad compensandum inæqualitatem in Beneficiorum permutatione, ad succurrendam paupertati alicujus clerici, cujus opera fuit utilis Ecclesiæ, ad lites finiendas, sunt qui affirmant. Alii tamen volunt id esse solius Pontificis ex stylo Romanæ Curiæ qui facit jus; imo Episcopis id prohibet Benedictus XVI Bulla *Quanta,* si agatur de ea imponenda super parochia.

Sed Episcopi, ex invecta consuetudine, pensiones imponunt in

collatione Beneficiorum, sed uti onera personalia imposita ipsi beneficiario, quæ ideo cum ipso extinguuntur; non vero uti onera realia imposita beneficio.

891. Pensio autem moderata sit oportet, ita ut beneficiatus adhuc habeat ut honeste vivat, juxta suam conditionem, et valeat omnibus oneribus satisfacere. Etsi autem pensiones suapte natura sint immunes a quolibet onere; attamen si Beneficii reditus multum imminuantur ob onera civilia, aut ob casus inopinatos, habita proportione, imminui etiam pro rata debent, aut cessare pensiones. Et notandum : pro Episcopatibus et Parœciis integra semper et incolumis esse debet congrua ad formam Tridentini. Ita Decreto *Cum nuperrimis* S. C. Episcoporum 28 jan. 1871, quam refert Scavini, l. III, n. 713 (1).

Pensiones ecclesiasticæ amittuntur per eadem crimina, quibus amittuntur Beneficia; eodem siquidem jure moderantur.

892. **Procuratio.** Est præstatio, quæ a beneficiatis Episcopo est tribuenda Diœcesim visitanti, non pro visitatione facienda, quasi pretium visitationis; sed quasi debita ex ordinatione Ecclesiæ ad sustentationem. Hac de re consuetudo ac conventiones sunt attendendæ: sunt enim loca quæ nihil tribuunt, uti hospitalia, monasteria si in iis non sit Beneficium, civitas in qua Episcopus residet, etc. — Parochus autem omni studio curet, ut Episcopus debito honore a populo excipiatur, cujus dignitas perexcellens est, qui fons est tot charismatum donorum, anulus quo catholicæ unitatis centro unimur, pater atque magister a Deo constitutus. V. Benedictus XIV, *De Syn.*, l. x; *Pontificale Romanum;* Crispino, *La visita pastorale;* Scavini, *l.* III, *n.* 655, ubi etiam de *Annatis, Spoliis, Cathedratico; Procuratione* ac *Regaliis* (2).

(1) Tridentinum, sess. XXIV, c. 13 *de R.* statuit: Ut omnes cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales quæ summam ducatorum centum, secundum verum annuum valorem non excedant, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur (s. Alph., *Ho. ap.*, tr. XIII, n. 59).

Si ergo prælevatis mille pro Episcopatibus, et pro Parœciis centum ducatis, nihil superest, pensio cessat. Si autem in actu impositionis pensionis non sit facta specialis mentio monetæ, intelligenda est de scutatis romanis juliorum decem respondentibus libellis quinque et centesimis 37, 500. *Ita S. Episc. Congr.* 30 maji 1873.

(2) Pro ipsa autem visitatione accuratius facienda eligi solet ab Episcopo unus vel duo convisitatores satis experti et in rebus ecclesiasticis versati; non est tamen ex Tridentino necessaria talis electio, sed tantum voluntaria; imo quoscunque sibi benevisos, etiam extra Capitulum Cathedralis eligere potest, nisi inita sit aliqua conventio a S. Sede approbata — Item ad fructum visitationis melius consequendum Episcopus visitaturus suos mittit præcursores, qui concionando, instruendo, confitendo, per aliquot dies populum disponant: qui sive sint sæculares sive regulares, debent a Parochis etiam regularibus lubenter excipi et adjuvari, ut jubet Benedictus XIV Bulla *Firmandis*, 6 nov. 1744 (Scavini, l. I, n. 428).

CAPUT QUARTUM

De Modis Beneficii reparandi et amittendi.

893. **Beneficiorum reparatio**. Ad cathedralis Ecclesiæ reparationem primo tenetur ipsa fabrica Ecclesiæ, secundo ii qui ex consuetudine adstringuntur, dein Episcopus, canonici, totus clerus, tandem populus — Ad reparationem Ecclesiæ parochialis, venit primo ipsa fabrica, quæ ideo parsimoniæ studere debet, nec reditus consumere; parochus si reditus habeat honestæ sustentationi superfluos; in subsidium postea veniunt cæteri beneficiati illius Ecclesiæ; dein patroni si adsint, et velint patronatum retinere; præter eos qui ex consuetudine vel ex pacto jam tenentur. Tandem communitas, seu populus, qui si omnino miser sit, recurrendum ad subsidia extraordinaria, ad census impositionem, mutuum, Missarum reductionem, etc., ut pluries declaravit S. C. Concilii; et huic dispositioni canonici juris conformis videtur civilis jurisprudentia. V. Lucidi, *De visitatione*, t. I; *Acta S. Sedis*, t. V; et supra n. 887.

Quæ dicta sunt de reparatione ecclesiæ, intelligenda etiam sunt de reparatione domus Episcopi et Parochi. Patronus autem ipse solus tenetur omnia altaris onera seu capellæ sui patronatus sustinere, instaurare, tueri, ut communiter docent ex canonico jure; sane justum est, ut qui sentit commodum juris honorifici, sentiat etiam incommodum talium onerum. V. Ferraris, V.° *Patronatus;* Canestri, *Giurisprudenza can. civile;* Scavini, *l.* I, *n.* 617; Rivarolo, *Il governo della Parrocchia.*

894. **Beneficiorum amissio**. Beneficia amittuntur:

1. *Juris canonici potestate* ac *determinatione;* ut si beneficiatus Religionem profiteatur; si uxorem ducat; si in Episcopum sit consecratus; si assequatur Beneficium novum cum primo incompatibile.

2. *Sententia judicis ecclesiastici.* Vel condemnatoria; vel tantum admissi criminis declaratoria, si jam a jure est privatio determinata, uti v. g. ob hæresim, apostasiam, simoniam, assassinium, duellum, occisionem cardinalis aut episcopi, falsificationem Literarum apostolicarum, abortus crimen, etc. (1).

3. *Facto ipsius Beneficiati*, quod contingit non tantum si ipse moriatur, sed etiam si adhuc inter vivos beneficium dimittat. Ex stylo Curiæ romanæ si Beneficium pure et sine ulla conditione dimittit, dicitur *renuntiatio;* si suum dimittit ea conditione, ut aliter accipiat, dicitur *permutatio;* si dimittit reservando sibi pensionem, dicitur *renuntiatio sub modo* seu reservatione pensionis; quod si in favorem certæ personæ di-

(1) Vel lex civilis hoc jus ob quædam delicta sibi usurpat; *Cod. pœn.*

mittat, *resignatio* vocari solet *(S. Alph.,* l. IV, n. 133; *Scavini,* l. III, nn. 709 etc.) (1).

895. **Beneficii renuntiatio.** Est *spontanea Beneficii dimissio facta coram legitimo superiore eam acceptante.* Legitimus autem superior est ipse legitimus Beneficiorum collator. Quæ renuntiatio per alios etiam laicos fieri potest, modo de peculiari mandato constet scriptis exarato. Facta semel et a superiore approbata renuntiatione, frustra renuntiantem pœnitet.

Ad *validam* renuntiationem maxime requiritur, ut ea probetur seu acceptetur a superiore, et sit spontanea seu libera, id est non dolo extorta; si autem facta ex gravi metu, probabilius valet etsi rescindibilis. Item oportet ut publica fiat.

Ad *licitam* autem renuntiationem requiritur causa: nemo enim operari debet sine legitimo fine *(S. Alph.,* l. IV, n. 134).

896. Vituperandi sunt qui Beneficia, etsi non curata, dimittunt vel aliqua contradictione vexati, vel quodam animi impetu et suo ingenio agentes: vel eo fine, ut se labori subducant, et commodius vivant; vel etiam ut tandem aliquando quiescant, talentum Domini sepelientes in tam magna populorum quotidie crescente necessitate, atque bonorum operariorum inopia. Deus pro nobis sustinuit crucem; at nos leves labores pro Deo sustinere recusamus! Requies in cœlo, in terra labor. « Uno dei più accesi desiderj di un parroco (ait Valuy) dovrebb' essere di morir coll'armi in mano. A coloro che chiedevano lasciar la parrocchia per vivere vita riposata s. Francesco di Sales rispondeva: *Sappiate che Dio abbomina la pace di quelli che egli ha destinati alla guerra.* » Si labores sustinere nequeunt, coadjutorem quærant, sed eorum sit administratio et directio.

Cæterum etiam reprehendendi sunt qui etsi communiter inepti et forsan etiam populis damnosi, attamen obstinate renuunt dimittere munus, vel ideo de multis juribus contendunt. Hac de re si coram Domino tuti esse velimus, sive in retinendo sive in renuntiando officium, consilium piorum et maxime superioris exquiramus; in tanta re ne propriam causam ipsi nos judicemus. At semel habito consilio, strenue ac fidentes agamus omnes difficultates in Domino spernentes *(Scavini,* l. III, n. 709).

897. *Nota:* 1) Beneficium illius qui ingreditur religionem, non vacat nisi post ejus professionem. Quod si sit chorale, interim fructus spectant ad beneficiatum; distributiones ad præsentes. Ingrediens religionem potest beneficium resignare, sed alteri nequit conferri, nisi post professionem ex Benedicto XIV (v. *Scavini,* l. I, n. 583).

2) Beneficia simpliciter et sine ulla conditione renuntiata, si sint liberæ collationis, conferri nequeunt personis, quæ sint consanguineæ vel affines vel familiares tum renuntiantis tum collatoris, ex Constitutione s. Pii V *Quanta Ecclesiæ.* Idque tenet etiam pro Beneficiis parochialibus per concursum providendis, uti declaravit S. Congre-

(1) Si clericus in Sacris matrimonium civile contrahit, probabilius non amittit Beneficium ipso facto; non ex eo quod statum incompatibilem assumat, cum tale conjugium sit nullum; non in pœnam, quia hæc in jure non adest.

gatio Concilii. Attamen si agitur de Beneficiis jurispatronatus, ea conferri possunt (non exclusis parochialibus) personis quibuscunque idoneis, etsi consanguineæ sint, affines aut familiares tum collatoris tum renuntiantis, ut eruitur ex citata Constitutione.

898. **Beneficii resignatio**. Est *Beneficii in favorem alterius subjecti idonei renuntiatio;* fit etiam cum pensionis reservatione in favorem resignantis. Resignans sub gravi tenetur resignare in favorem subjecti digni, ita ut detrimentum non patiatur Ecclesia. Resignatio a solo R. Pontifice admitti potest. Ad validam autem requiritur:

1) Ut resignatio sit libera et acceptata a superiore — 2) Ut ille cui beneficium resignatur, acceptet, atque ei revera conferatur; secus resignans non perdit Beneficium; cum illud cedat tantum sub ista conditione — 3) Ut adsit consensus patroni, si Beneficium resignandum sit patronale; aut electorum, si electivum. Neque Beneficium sit litigiosum, quia tunc tantum in alterum litigantem conferri potest; neque Seminario unitum pro tempore vacationis. Neque possideatur in titulum; tunc ante omnia est alius titulus substituendus — 4) Ut beneficiatus non sit privandus ipso jure Beneficio ob aliquod crimen; tunc enim vacat Beneficium, non renuntiatur — 5) Ut Beneficium dimittens cum resignatione infra viginti dies a dimissione non moriatur; secus Beneficium censetur vacare — 6) Tandem ut dimissio Beneficii publiceter, si agatur de Beneficiis Episcopatu inferioribus (1).

899. **Beneficii permutatio**. Est *quædam species resignationis conditionatæ*. Fit cum duo beneficiati unum vel plura Beneficia (Pontifici non reservata) in manus Ordinarii resignant ea conditione, ut postea alteri Beneficium alterius conferatur. Licita est, si legitimæ sint causæ ac conditiones, nec fiat intuitu lucri temporalis. Hinc Angelicus: *In permutatione est simonia si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius talis commutatio*

(1) Ex Const. *Humano* Gregorii XIII, 7 junii 1583, omnes resignationes et permutationes publicari debent ad valvas Ecclesiæ cathedralis, et loci beneficii, et ibi etiam ad populum intra Missarum solemnia: idque intra menses sex, si beneficia sint intra montes (id est intra Italiam Insulasque adjacentes); secus intra menses novem. Qui autem beneficio sic provisus fuit, intra mensem a die sibi factæ provisionis publicetur. Si secus, beneficium sub reservatione cadit.

Quæ omnia Benedictus XIV Const. *Ecclesiastica ministeria* 15 junii 1746 confirmavit; et insuper decrevit ne resignatio a Dataria admitteretur, quoties mandatum ad resignandum ante octo menses a citramontanis, vel duodecim ab ultramontanis datum non esset. Dein jussit, ut intra duos menses ad summum a die quo Pontifex resignationem admisit, Literæ apostolicæ expedirentur, et mox a die concessionis intra alios sex menses citra montes, et intra novem ultra montes possessio beneficii resignati caperetur et Literæ apostolicæ publicarentur (*s. Alphonsus*, l. IV, n. 135; *Scavini*, l. I, n. 347, Regula Cancell.; et l. III, n. 644).

fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire non est simonia (In 4, d. 25, q. 3); uti si illo loco infirmitatibus non sit obnoxius, adeo ut valeat officia sua rite complere.

900. Permutatio fit in Curia episcopali, servatis quæ ad resignationem præscripta sunt; quæ si deficiant, uterque permutantium absque nova collatione ad suum primum Beneficium regreditur. Omnia autem Beneficia generatim, etsi unum sit curatum, aliud non; unum pingue, aliud tenue inter se ab Episcopo permutari possunt; quia in permutatione, ait Garcias, transfertur solum spiritualis titulus Beneficii, non attenta dignitate adnexa, vel reditibus illius *(S. Alph.,* l. IV, n. 136).

At permutatio Beneficii pinguis facta ab ecclesiastico provectæ ætatis cum alio tenui, quod spectet ad consanguineum, affinem, familiarem suum vel Episcopi, sub cujus auctoritate fit permutatio, prohibita est ex Const. *Officium* s. Pii V.

901. Si permutatur Beneficium simplex cum parochiali certum est examen requiri; nam ad Beneficium parochiale id semper requiritur. At sufficit examen instituere coram Episcopo vel ejus Vicario, et tribus examinatoribus synodalibus. Neque concursus requiritur, cum Parœcia vacare non censeatur.

Si vero permutatur Beneficium parochiale cum alio parochiali, nullum examen requiritur; cum permutantes jam examinati sint et probati. Excipe nisi cohonestetur novum examen ex magna parochianorum inæqualitate. Ita Congregatio Concilii.

902. Hic ultimo revocari potest *regressus, subrogatio, transactio,* et simplex *remotio,* quin Beneficium dimittatur.

I. *Regressus* est jus resumendi Beneficium resignatum vel permutatum, etiam jam legitime consummata resignatione vel permutatione; tamen adversatur sacris canonibus.

II. *Subrogatio* est successio unius in jus et locum alterius. Obtinet tantum inter duos de Beneficio litigantes; si unus interim moriatur, superstes in jus et locum defuncti sufficitur.

III. *Transactio* est pactio onerosa circa litem incertam, ad illam finiendam. Si onus aliquid una vice solvendi imponatur, sufficit auctoritas Episcopi; si vero fiat cessio rei jam ab Ecclesia possessæ, requiritur auctoritas Pontificis, cum sit vera alienatio (*S. Alph.*, l. VI, n. 187).

IV. *Remotio.* Cum bono populorum spirituali sit imprimis prospiciendum et quum plurimorum utilitas unius utilitati præferenda sit, non est dubium, quin etiam cum censura removeri possit parochus scandala præbens — In judicialibus sententiis trinæ monitiones requiruntur aut saltem una quæ loco trium stet, quatenus censura pro crimine irroganda sit; nulla vero requiritur monitio, quum simplex censura medicinalis alicui infligitur non ad ulciscendum crimen, sed ad contumacis emendationem. *Acta S. Sedis,* t. XI, p. 450 (v. *Scavini,* l. III, n. 710).

TRACTATUS DUODECIMUS

DE SACRAMENTO MATRIMONII

« In tutti i paesi ed in tutti i tempi la Religione si è interposta nei matrimonj. Ciò che appartiene al carattere del matrimonio, ciò che riguarda la sua forma, la maniera di contrarlo, la fecondità che procura, è di pertinenza della Religione. » (Montesquieu, *Spirito delle Leggi*, l. XXVI, c. 13).

CAPUT PRIMUM

De Matrimonii natura, honestate, institutione, effectibus, divisione, consensu.

903. **Matrimonium**. Nomen matrimonii sumitur a *matris* munere; quia infans, ut ait Gregorius IX (l. III, t. XXXIII de convers. infid.) *magis materno indiget solatio quam paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur* — Appellatur etiam *conjugium* a communi jugo, cui vir et mulier subduntur; *Nuptiæ* vel *connubium* a verbo *nubere*, quia sponsæ olim velabantur, cum viris traderentur; *Consortium*, quia vir et mulier communem habent sortem. D. Thomas, *Suppl.* q. 44).

904. *Definitio*. Matrimonium prout a Deo institutum est in officium naturæ humanæ, nempe ad propagationem, conservationem et rectam generis humani institutionem definitur a Catechismo Romano: *Conjunctio maritalis viri et fœminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens*. Dicitur *maritalis*, et sic matrimonium a quavis alia conjunctione et pacto discriminatur. *Inter legitimas personas*, ut excludantur

qui a legibus prohibentur. *Individuam vitæ consuetudinem retinens,* ad declarandam indissolubilis hujus vinculi naturam.

Si vero matrimonium accipiatur uti Sacramentum Novæ Legis, prout a christianis semper accipi debet (cum non sit nisi ipsa maritalis conjunctio elevata ad dignitatem Sacramenti pro omnibus baptizatis) definiri potest: *Sacramentum Novæ Legis, per quod vir et mulier inter se indissolubili vinculo maritali colligantur, et divina gratia perfunduntur ad mutuo se amore prosequendos, ad prolem pie suscipiendam, atque sancte instituendam.*

Contractus matrimonii ab ipso mundi exordio fuit institutus et Deum habet auctorem (ex *Genesi* II, *Tobiæ* VII et *Matth.* XIX). Prima matrimonii causa (ait d. Thomas) est virtus divina; consensus non est nisi causa instrumentalis — Matrimonium autem considerari potest *in fieri* et *in facto esse. In fieri,* sive in ejus causa efficienti, et sita est in ipso consensu quo vir et mulier inter se perpetuo junguntur ac legitimam sibi faciunt corporum potestatem. *In facto esse,* sive in connubio jam inito, seu in illa obligatione ac nexu, quo mutuo, atque perpetuo conjuges inter se adstringuntur.

905. **Matrimonii bonum et honestas.** Antiquiores hæretici Marcionitæ, Manichæi et Encratitæ docuere malas esse nuptias. Sed contrarium docet catholica veritas; nam Christus sic de Matrimonio alloquitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (Matth. XIX); at quæ a Deo conjuncta sunt, mala esse non possunt. Item præsentia sua nuptias in Cana Galileæ honoravit, insigni simul miraculo eas illustrando: *Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias,* inquit s. Augustinus, *confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias; futuri enim erant dicentes, quod malum essent nuptiæ.* (In Joan. tr. IX) — Adde: non potest esse nisi bonum quod ad multa bona ordinatur ex sui institutione: *Generatio humana* (ait d. Thomas, contra Gentes, l. IV, cap. 78) *ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, et perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit.*

906. **Matrimonium Sacramentum.** De fide est contra protestantes antesignanos suos secuti, matrimonium christianorum ritu ab Ecclesia præscripto celebratum esse verum Sacramentum a Christo institutum. Id clare innuunt Scripturæ illis Apostoli verbis (Eph. V): *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Hinc d. Chrysostomus: *An non*

audis Paulum dicentem Sacramentum esse nuptias et imaginem dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam exhibuit? (Hom. XX, in c. 5 ad Ephæs.) — Quod autem Scripturæ innuunt firmat constans et perpetua traditio utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Hinc. d. Augustinus: *In nostrarum (uxorum) nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Et Tridentinum (sess. XXIV, can. 1) definivit: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum neque gratiam conferre, anathema sit.* Hinc in Syllabo n. 65 dannata fuit hæc propositio: *Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti.* Vide Perrone et Knoll.

Principia. Matrimonii contractus est ab ipso Sacramento inseparabilis; adeo ut dari nequeat matrimonium inter baptizatos, quin eo ipso Sacramentum sit. Unde in Syllabo damnatur propositio 66: *Matrimonii Sacramentum non est, nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile; ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse.* Item propositio n. 73: *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum; aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur* (1). Hinc d. Thomas: *Verba quibus consensus matrimonii exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti;* ergo consensus qui efficit matrimonium, eodem actu efficit Sacramentum (IV *Sent.*, d. 26, q. 2). Sane positis substantialibus Sacramenti, non potest impediri effectus Sacramenti; sed contractus validus inter fideles est totum id, in quo stat substantia Sacramenti matrimonii; ergo posito prædicto contractu, adesse debet Matrimonii sacramentum ab ipso contractu inseparabile.

Quare si dubitetur, an voluerit christianus inire matrimonium et non Sacramentum, expendenda esset voluntas ejus prædominans; nam si illa fertur in contractum, implicite in-

(1) Et in Allocutione *Acerbissimum* 27 sept. 1852 ajebat Pius IX: *Matrimonium inter fideles dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris præter Sacramentum conjunctionem, cujuscunque etiam legis civilis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum; ac proinde a conjugali fœdere Sacramentum separari nunquam posse.*

cluderet quidquid ab eo inseparabile est, ideoque etiam Sacramentum; e contra si vellet præcise excludere Sacramentum, ne contractum efficeret, cum illum vellet sub conditione contraria et impossibili. *Antoine (Scavini,* l. III, n. 873).

907. *Institutio.* Quoad tempus institutionis sacramenti Matrimonii, alii illud adsignant, quo Christus ejus indissolubilitatem sancivit per ea verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Alii illud tempus, quo nuptias in Cana Galileæ præsentia sua cohonestavit. Alii aliud.

908. **Effectus.** Matrimonii sacramentum cum non sit institutum directe ad remittenda peccata, non producit gratiam primariam ex se justificantem; sed gratiam confert *sanctificantem secundariam,* quæ gratiam sanctificantem jam existentem auget. Item *gratiam sacramentalem,* id est divinum auxilium ad consequendum sacramenti Matrimonii fines, id est ut sponsi valeant tum fidem conjugalem inviolate servare; tum communia conjugii onera patienter et concorditer ferre; tum prolem pie gignere, educare et concupiscentiæ salutariter mederi (D. Thomas, *Suppl.* q. 41, a. 3) (1).

909. **Divisio Matrimonii.** Multiplex communiter distinguitur matrimonium.

I. Legitimum, ratum et consummatum. *Legitimum* est quod contrahitur inter pensonas a lege non prohibitas, quale etiam nunc est inter non baptizatos. *Ratum* est quod contrahitur a solis baptizatis nullo impedimento sive naturali sive ecclesiastico irretitis; inter quos tamen post contractum nondum intercessit commercium carnale (a Tridentino ratum vocatur etiam matrimonium validum). *Consummatum* est ipsum matrimonium legitimum, in quo nempe jam carnalis copula intercessit ad generationem sufficiens.

II. Verum, præsumptum et putativum. *Verum* quod reapse valide contractum est, et uti tale probatur. *Prœsumptum* quod præsumitur adesse. *Putativum* quod legitime contractum existimatur, cum tamen ob latens impedimentum sit nullum.

III. Canonicum et politicum seu civile. *Canonicum,* in quo omnia concurrunt quæ ad validum christianorum conjugium

(1) Ad obtinendam familiarum concordiam et tranquillitatem præstat, ut conjuges speciali cultu ac religione prosequantur Joachim et Annam junctissimos ac sanctissimos conjuges, qui Immaculatam Virginem Mariam genuerunt. Ea de causa atque ad solidius Ecclesiæ præsidium Leo XIII motu proprio eorum festa ad majorem ritum in toto Orbe elevavit decreto 1 aug. 1879.

præscripta sunt. *Politicum*, si in eo concurrunt etiam quæ a civili lege præcipiuntur, sed quoad effectus civiles tantum; et ideo subsequenter ad illius validam celebrationem. Civile enim gubernium matrimonium non statuit, non determinat, non moderatur; sed ab altiori potestate celebratum, sancitum, constitutum debet reverenter accipere. Nempe natura materiam parat, Ecclesia vinculum creat et sanctificat, Status autem politicus effectus civiles moderatur (1).

Adest etiam matrimonium *conscientiæ*, quod interveniente gravissima causa, sine denuntiationibus secreto contrahitur coram parocho et duobus testibus, ac in libro recondito adnotatur, ea lege ut nonnisi in necessitate publicum fiat — Item matrimonium *ad morganaticam;* et evenit cum vir nobilis (maxime princeps) defuncta uxore quæ filios reliquit, aliud matrimonium contrahit cum fœmina humilioris conditionis, addito quod ipsa nec de hæreditate nec de nobilitate mariti participet; sed contenta sit nonnullis donis nuptialibus (*Scavini*, l. III, n. 870).

910. **Consensus ad matrimonium.** Ad matrimonii validitatem requiritur consensus utriusque contrahentis; est enim matrimonium mutua viri et mulieris conventio; consensus autem conventionis essentiam constituit. Qui consensus oportet ut sit:

1. *Deliberatus* ac *plene voluntarius;* nam gravem et perpetuam obligationem inducit, et vinculum est electionis et amoris, quod quidem sine plena libertate ac perfecta deliberatione concipi nequit.

2. *De præsenti;* si esset de futuro non matrimonium, sed tantum illius promissionem haberemus, seu sponsalia.

3. *Mutuus;* consistit enim matrimonium in contractu, qui est essentialiter consensus duorum, seu mutuus.

4. *Externe manifestatus*, si debeat cognosci et acceptari ab altera parte. Potest autem consensus etiam signis et nutibus manifestari, ut patet de mutis et surdis. Attamen ex consuetudine Ecclesiæ ac Rubrica id fieri debet verbis, si non obstet causa. Sed hoc probabilius obligat tantum sub levi. D. Thomas, *Suppl.* q. 45 (S. Alph., l. VI, n. 887).

(1) « Il Cristianesimo ha sollevato all'estrema eccellenza di Sacramento il connubio, e noi vediamo che dove questa sanzione religiosa è maggiormente rispettata e protetta, ivi è maggiore la civiltà, e il carattere della nazione grandeggia. Nè con ciò s'intende negare allo Stato il diritto di tutelare gli effetti civili del matrimonio. Ma esso è principalmente religioso: tale lo reputò il genere umano per tutta la terra e in ogni tempo.... L'unione di uomo e di donna senza nulla di santo, il genere umano lo chiamò sempre *concubinato.* » *Il carattere degl'Italiani* di Augusto Alfani; opera premiata, Firenze 1878. It. v. Scavini, l. III, nn. 884 et seqq. Item Cercià, *Lezioni di Diritto canonico.*

911. **Resolve**: 1) Qui matrimonio ficte consensit peccavit mortaliter contra *veritatem* mentiendo in re adeo gravi; contra *Religionem* violando sanctitatem Sacramenti; contra *justitiam* alium decipiendo in re mutuo promissa. Et in foro externo affirmanti etiam cum juramento, se ficte consensisse, nulla fides adhibetur; et *Ecclesia eum compellit*, ut ait d. Thomas, *ad standum matrimonio* (Suppl. q. 45, a. 4); alioquin nullus fere contractus firmus esset, si nempe fictionis prætextu resilire liceret. Excipe nisi ex circumstantiis certe constet illum aut dolo fuisse deceptum aut gravi metu inductum ad contrahendum.

2) In *foro interno* qui asserit se ficte consensisse, obligandus est ad abstinendum a debito petendo et reddendo, donec verum consensum dederit. Quem quidem ordinarie sub gravi dare tenetur, ut illatam reparet injuriam ; ideo magis, quia in foro externo non permittuntur aliæ nuptiæ, et illi habentur uti conjuges (at in veriori sententia cum d. Thoma, *Suppl.* q. 47, a. 4, sufficit ut verum consensum ponat, quin certiorem faciat partem deceptam). Excipiunt si fraus ex altera etiam parte intercesserit, ut si falso se virginem jactaverit; si damnum alio modo compensari possit, et pars decepta id admittat; si manifesta fuerint indicia ficti consensus *(S. Alph.,* l. VI, n. 908).

3) Si ponatur consensus conditionatus, et conditio apposita sit de præterito et extiterit; aut de præsenti et extet, quæcunque ea sit, matrimonium valide contrahitur; nam consensus suspensus non est, cum jam verificata sit conditio. Idque tenet licet contrahentes ignorent conditionis verificationem; nam eorum consensum non alligarunt scientiæ, sed conditionis existentiæ.

4) Valet matrimonium si ponatur conditio, quæ sit de futuro necessario; v. g. *te duco, si crastina die sol orietur ;* jam enim conditio illa est præsens et determinata in sua causa naturali, ut ait d. Thomas (in 4, d. 29, q. 2, a. 3). Excipe nisi per ea verba intendant suspendere usque ad crastinum matrimonium celebrandum *(S. Alph.,* l. VI, n. 890).

5) Nullum est matrimonium, si conditio de futuro contingenti serio ponatur, et matrimonii substantialibus adversetur. Id est si adversetur vel bono prolis, v. g. *contraho tecum, si prolem natam occidas.* Vel bono fidei, v. g. *contraho tecum, si quæstu adulterandum te tradas.* Vel bono Sacramenti, v. g. *contraho tecum sub conditione quod per adulterium conjugium dissolvatur* — Si vero conditio substantialibus matrimonii non adversetur, licet impossibilis aut turpis, v. g. *contraho tecum*,

modo victum furto compares, in foro externo censetur non apposita; nam nemo censetur jocari in re adeo gravi (1).

6) Si tandem conditio de futuro contingenti honesta sit, certum est matrimonium non valere tempore, quo sic contrahitur; cum voluntas futuræ conditioni alligetur. Sed valet, ut probabilius videtur, sine novo consensu, semel illa conditione impleta; nam contractus conditionatus, semel impleta conditione, evadit absolutus — Attamen contrahere sub conditione est graviter illicitum, præsertim si conditio sit de futuro, nisi adsit causa ab ecclesiastico superiore probanda; cum id gravibus incommodis sit obnoxium, jurgiis, incertitudini, etc. (*S. Alph.*, l. VI, n. 892; *Scavini*, l. III, n. 866).

Differt autem conditio a demonstratione, a modo, et die; nam *demonstratio*, seu causa, ut si quis dicat *duco te quia es virgo*, non vitiat nec suspendit matrimonium, etsi falsa sit et contra conjugii substantiam; quamvis enim ille non contraheret, si sciret eam non esse virginem, de facto tamen absolute contrahit — Neque *modus* officit, ut si dicatur *duco te ut talem occidas*; nam consensus non pendet a modo. Excipiunt probabilius si modus sit contra substantiam matrimonii; nam intentio contractui apposita est quasi conditio excludens animum vere contrahendi, ut si dicas: *contraho tecum, ut adulterium facias* — Tandem *dies* appositus, ut si dicatur *duco te post tres dies*, probabilius contractum suspendit, cum contrahens non intendat ponere antea perfectum consensum (*S. Alph.*, l. VI, n. 896).

Casus 1. Titius et Titia accedunt matrimonium celebraturi. Interrogatus a Parocho de consensu, Titius annuit capite tantum, Titia vero præ gaudio flere incipit. Parochus tunc pronuntiat: *Ego vos conjungo* etc. Quid? Consensus fuit validus ex parte sponsi; quia etiam nutibus dari potest; illicitus tamen extra gravem causam. Non fuit autem validus ex parte sponsæ; nam lacrymæ non sunt signum naturale et manifestum per se consensus. Neque satis est si manum apprehensam non retraheret: secus vero si sponsa manum lubenter

(1) Si matrimonium contrahatur cum pacto servandi perpetuam castitatem, multi cum Alasia docent, pactum illud excludere jus radicale utendi matrimonio et ejus essentiam lædere, ac illud nullum facere. Alii vero plures cum Collet, et quidem probabilius id negant; nam potestas bene separari potest ab usu: ideo hunc excludere non est illam destruere. Sane sola potestas copulæ est de matrimonii essentia, non vero illius usus; et sicuti usus abdicatio fieri potest post contractum matrimonium, ita non repugnat ut fiat in ipso contractu. Neque ideo conjugium caret suo effectu essentiali: nam qui sic contrahit vi matrimonialis vinculi est inhabilis ad contrahendum cum alia persona; item si conjuges posthabito proposito velint conjungi, non erunt fornicarii, etsi infideles in promissis.

Quia tamen similes conditiones ambiguæ sunt: ideo ex Billuart videndum quid intenderint contrahentes, an denegare jus, an dumtaxat usum ligare. Hinc S. Concilii C. interrogata circa duos, qui contraxerunt cum pacto expresso nunquam consummandi, juri renuntiantes in corpora, respondit illos invalide contraxisse; quia vel ipsam potentiam sic excluderent — Quod vero pertinet ad matrimonium B. Virginis cum S. Josepho, et verum et legitimum fuit, quin obstaret votum castitatis emissum; nam, ut tradunt communiter cum d. Thoma (in 4, d. 30, q. 2) B. Virgo fuit certificata ex divina revelatione, quod Joseph nunquam erat debitum petiturus, etsi potentiam seu jus haberet (*Scavini*, l. III, n. 868).

protenderet, quando fides datur. Cæterum Parochus non videtur a gravi culpa excusandus, cum exposuerit matrimonium periculo nullitatis; debuisset commotionem comprimere, et signa ordinaria consensus ab utroque expostulare. *S. Alphonsus, Gury.*

Casus 2. *Titius certo credens vel dubitans suam primam conjugem adhuc vivere, contrahit; prima tamen conjux, ipso nesciente, revera mortua est* – Si certo credit primam conjugem adhuc vivere, probabilius invalidum est secundum matrimonium; nam nemo velle potest sincere quod firmiter credit sibi esse impossibile, ut est aliud conjugium, vivente prima conjuge; cum intentio nunquam possit adesse in voluntate, nisi secundum quod præcessit in intellectu. Si vero sit cum dubio, valet matrimonium; quia tunc vult homo contrahere quantum potest, nec judicat se prorsus id non posse; etsi tamen peccet exponens se periculo invalide contrahendi. *Continuator Tournely. S. Alph.*, l. VI, n. 902.

912. **Matrimonium per procuratorem.** Contrahi potest valide ex hodierna disciplina etiam in Rituali probata. Nam quilibet contractus per procuratorem potest fieri; porro matrimonium habet rationem contractus naturalis, quem Christus elevavit ad esse Sacramenti. Neque obstat, quod postea a partibus renovetur consensus; id enim *majoris dumtaxat cautelæ gratia faciendum suaderi,* ait Benedictus XIV. Ut tamen procurator valeat pro alio contrahere, jure hæc requiruntur:

1) Ut adsit mandatum speciale de matrimonio contrahendo cum persona determinata — 2) Ut procurator mandatum exequatur per se ipsum, neque substantiales fines mandati excedat — 3) Ut mandatum non sit revocatum ante celebrationem — 4) Ut procurator cum comparte coram parocho et testibus matrimonium celebret *(S. Alph.*, l. VI, n. 885).

Attamen Parochus graviter prohibetur, inconsulto Episcopo, tale matrimonium permittere; cum ex praxi Ecclesiæ vix inter alios, quam inter principes vigeat — Matrimonium autem quod vulgo *civile* appellant, celebrari nequit per procuratorem, nisi agatur de rege ejusque familia *(a.* 94 et 99).

Casus. Marcus qui Americam petiit, ad legitimandam prolem quam suscepit a Lucia concubina quæ in Italia moratur, vult matrimonium cum illa contrahere per telegraphum, vel saltem per novum et mirum inventum (vulgo *telefono*, quo unus alteri de longinquo loquitur ac si ambo præsentes sint). Ut autem rite se ad Sacramentum disponat, eodem modo vult confiteri proprio parocho in Italia degenti, cum Americæ confessarii linguam suam ignorent.

R. Ad 1. Ex eo quod matrimonium potest contrahi per literas, sunt qui tenent nil per se obstare, ut etiam per telegraphum contrahatur: telegrammata enim literæ sunt (1). Verum præterquam quod hoc est contra Ecclesiæ præscriptiones, contra legitimum ac receptum usum et Sacramenti reverentiam, literæ sponsorum subsi-

(1) Quod dicitur de matrimonio per procuratorem, idem dic de matrimonio *per Literas;* siquidem Literæ valent consensum contrahentium manifestare. Sponsus scribit ad sponsam, quod ipse in virum ei se tradit, et ex tunc eam in sponsam acceptat. Sponsa item rescribit viro, et hæc responsio legitur coram Parocho et testibus. Quanquam satis est etiam, ut vir scribat mulieri modo relato; et sponsa, quin sponso rescribat, Literas coram Parocho et testibus aperiat, legat et suum præbeat consensum. Cæterum hic modus in praxi non admittitur ob plura inconvenientia (s. Alph., *Opus morale,* l. VI, n. 855; *Homo ap.*, tr. XVIII, n. 32).

gnationem referunt; non vero telegrammata. Id demus protestantibus qui matrimonium habentes ut contractum nudum ac mere civilem, sic contrahunt, ut refert Diarium, *L'Unità cattolica* 25 luglio 1879.

Sunt item nonnulli qui putant conjugium valide iniri posse etiam per telephonum, si parochus et testes hinc inde de sponsorum voce, consensu et identitate certi omnino sint; cum tunc nihil videatur deesse ad matrimonii substantiam. Verum id prorsus amandandum; tum quia pugnat cum Sacramenti dignitate, tum quia non habetur ea præsentia, nec ille modus, qui communiter ac necessario requiritur ad magnum hoc Sacramentum ineundum.

R. Ad 2. Esto quod parochus utpote ordinaria jurisdictione donatus, valeat absolvere suum subditum etiam extra diœcesim; at minime a longe, vel ope telegraphi, quod idem esset ac confiteri absentem per scripta, quod quidem non tantum illicitum, sed prorsus invalidum esse declararunt summi Pontifices (v. supra *n.* 672). Adde tunc confessio publica evaderent saltem apud eos qui telegrammata mittunt et recipiunt, non sine confessionis irrisione. At Sacramenta res derisoriæ non sunt.

Item dicendum de eo qui de longinquo ope telephoni vellet confiteri; etenim certum est ad confessionis validitatem necessarium esse, ut pœnitens sit moraliter præsens. Hæc autem moralis præsentia reputatur non jam illa quæ obtinetur ope extraordinarii vehiculi, id est artificiose; sed illa, intra quam homines inter se communi et ordinaria voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent; et ideo vix illam extendunt ad viginti circiter passus *(S. Alph.,* l. VI, n. 429).

CAPUT SECUNDUM

De Matrimonii Unitate, Indissolubilitate et Fine.

913. **Matrimonii unitas.** In eo sistit, ut unus vir unam uxorem viventem, atque una uxor unum tantummodo viventem virum habeat.

Principia. I. Certum est *polyandriam*, seu biviratum simultaneum, cum nempe uxor plures eodem tempore viros habet, adversari ipsi legi naturali; quia opponitur præcipuis matrimonii finibus, id est generationi, certitudini prolis et ejus educationi. Hanc turpitudinem vel ipsi ethnici agnoscunt; *et ideo nulla lege vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros viventes* (D. Thomas, *Suppl.*, q. 65, a. 1).

II. Certum est, *polygamiam simultaneam*, cum nempe vir plures simul habet uxores viventes, esse prohibitam jure divino-positivo, ut constat Lucæ XVI: *Omnis qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, mœchatur.* Et Tridentinum (sess. XIV, c. 2) contra Lutheranos definivit: *Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse pro-*

hibitum, anathema sit. Imo pluralitas uxorum quodammodo est contra ipsam legem naturæ; nam contractus æqualitas videtur exigere, ut sicut uxor viro, ita vir uxori tradat dominium totius corporis sui, quin illud in plures dividat. Adde difficultatem alendi numerosam prolem et servandi pacem domesticam inter plures uxores; idque etiam lex civilis prohibet sub gravi pœna *(Cod. pœn.,* a. 488) — Verum absolute juri naturæ non repugnat; nam per hoc non impeditur finis primarius, qui est prolis generatio; educatio autem et pax domestica fines secundarii mediis opportunis possunt obtineri. Et ideo, Deo dispensante, veteres sancti patriarchæ potuerunt sine piaculo plures uxores simultanee ducere; est contra Calvinum aliosque hæreticos id negantes (1).

III. Certum est contra Montanistas et Novatianos secundas nuptias successivas et ulteriores validas et licitas esse, dicente Apostolo I Corinth. VII: *Mulier alligata est legi* (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat.* Idque paritate rationis valet de viro; et definitum est ab Eugenio IV Decreto ad Armenos. Hinc d. Ambrosius: *Non licet tibi uxore vivente ducere aliam; nam et aliam quærere cum habeas tuam, crimen est adulterii* (Homil. 56 in Genes.); licet ergo mortua uxore. D. Thomas, *Suppl.,* q. LVI.

914. **Indissolubilitas matrimonii.** Definivit Tridentinum contra Novatores: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit* (sess. XXIV). Quam indissolubilitatem Christus confirmans ait Matthæi XIX: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Vox naturæ id tuetur, ut ait d. Thomas, *Suppl.* q. 67; semel enim generatim admissa vinculi dissolutione, societas conjugalis concuteretur, et turbarentur familiæ *(S. Alph.,* t. VI, n. 956).

Esto, quod nonnunquam societas inter conjuges sit impor-

(1) Audiendus Angelicus: « Pluralitas uxorum esse dicitur contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi conclusiones a primis præceptis derivantur. Sed quia actus humanos variari oportet secundum diversas conditiones personarum et temporum et aliarum circumstantiarum; ideo conclusiones prædictæ a primis legis naturæ præceptis non procedunt ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte, talis est enim materia moralis; et ideo ubi eorum efficacia deficit, licite ea prætermitti possunt. Sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reservatur ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis casibus, ad quos legis efficacia non extendere se debet; et talis licentia *dispensatio* dicitur.... Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat *(Deo dispensante)* debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire » (Suppl. q. 65, a. 2).

tabilis; at privata incommoda patienter sunt toleranda, ut bonum generale obtineatur. Adde: illis incommodis satis provideri per separationem thori, habitationis et bonorum — Attamen divortium non videtur contrarium primis et invariabilibus naturæ principiis, et ideo datur exceptio *(v. n.* 1158) (1).

Porro acatholici qui in pactum deducunt matrimonii dissolutionem, invalide contrahunt; quia positive ponunt conditionem contra substantialia matrimonii. Aliter esset si tantum crederent matrimonium dissolvi posse juxta placita eorum sectæ id permittentis; nam error intellectus minime excludit primariam intentionem contrahendi juxta divinam legem, ut ait Pius VI ad archiep. Pragensem 11 julii 1789; voluntas enim dominans contrahendi juxta Christi institutionem privatum illum errorem quodammodo absorbet, ut docet Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 22 (Scavini, l. III, nn. 874 et seqq.).

915. **Matrimonii finis.** Triplex distinguitur:

1) Finis *essentialis;* et est tum mutua corporum traditio, et radicalis obligatio ad conjugale debitum; tum vinculum indissolubile ex tali traditione exurgens — 2) *Accidentalis*, sed intrinsecus et primarius est prolis generatio; secundarius vero est tum mutuum vitæ adjutorium, tum concupiscentiæ refrænatio — 3) *Extrinsecus* tandem finis matrimonii accidentalis multiplex esse potest, voluptas, divitiæ, honor, pax inter parentes, etc.

Porro finis essentialis servandus est non solum, ut matrimonium licite, sed etiam ut valide contrahatur. Hinc si quis contraheret animo serio non reddendi debitum, vel contrahendi tantum ad tempus, non solum peccaret, sed invalide contraheret, ut omnes docent cum d. Thoma *(in* 4, *d.* 31, *q.* 1, *a.* 3); nam rei substantia destructa, et res ipsa destruitur. Alios autem fines intendere necessarium non est, cum non pertineant ad substantiale matrimonii, veluti si quis senex nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiæ, neque adjutorium (v. Scavini, *De matrimonio B. M. Virginis*, l. III, n. 862).

916. **Remedium concupiscentiæ.** An remedium concupiscentiæ sit finis honestus ad contrahendum, seu an fas sit con-

(1) « Perchè si dice che nella nuova legge il Sacramento del matrimonio è indissolubile di sua natura? Perchè Gesù Cristo avendo elevato il matrimonio alla dignità di Sacramento, lo portò alla sommità della sua perfezione: ed è proprio di ogni cosa che tocca l'apice della sua perfezione, il fermarsi là, e starvici fissa ed immobile. » La Motta, *Teorica dell'istituz. del matr.*, p. 1ª.

Et Pius IX in Syllabo n. 67 damnavit propositionem: *Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.* V. M. Aguilar Arciv., *Il divorzio condannato dalla religione, dal diritto naturale privato e pubblico;* Torino, 1879.

trahere matrimonium ad solam vitandam fornicationem, disputant. Sunt qui putant cum d. Thoma id esse veniale *(Suppl.*, q. 49, a. 5); cum sit aliqua inordinatio postponere finem primarium secundario — Sed non minus communiter neque minus probabiliter docent alii cum d. Chrysostomo, nullum in hoc adesse peccatum, modo contrahens non excludat expresse finem procreandæ prolis. Et idem asserunt de conjugibus, qui copulam habent principaliter ad concupiscentiam propriam sedandam. Nam matrimonium a Deo institutum est etiam in remedium concupiscentiæ, teste Apostolo (I Cor. VII): *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 882).

917. Si vero matrimonium contrahatur ob solum finem extrinsecum et finis ille turpis sit, v. g. pura voluptas, cupiditas divitiarum, tenent communiter non deesse peccatum, etiamsi finis primarius non excludatur: adest enim inordinatio in hoc, quod ad finem inhonestum dirigatur res sacra. Et peccatum erit mortale, si contrahentes in fine ipso inhonesto constituant finem ultimum. Veniale autem in casu contrario.

Si vero finis extrinsecus sit honestus, ut pax populi, honesta collocatio, etc., putamus probabilius sine peccato matrimonium principaliter ob illum finem contrahi posse, modo non excludatur finis primarius. Nulla enim videtur inordinatio, servato fine primario, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis sive intrinsecum sive extrinsecum *(S. Alph.*, l. VI, n. 883).

Cæterum Parochi præcipue esse debet inculcare juvenibus eorumque parentibus quænam sint gravissimæ matrimonii obligationes, qui legitimi fines, quæ necessaria dispositio; quod ideo non sine matura consideratione et assidua ad Deum deprecatione non est ineundum; ab eo siquidem maxime pendet familiæ pax, Ecclesiæ bonum ac societatis civilis tutamen. Si tot mala videre est in societate, sunt præcipue repetenda a malis nuptiis. Vel fere ab ipso mundi initio hac de causa terra repleta fuit iniquitate, et super eam Deus adduxit aquas diluvii *(Gen.* VI). Si *domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens* (Prov. XIX). Quam uxorem invenient qui non e cœlo, sed a terra eam precantur? (v. *Scavini*, l. III, n. 881) (1).

(1) Eccl. XXV et XXVI habentur laudes bonæ et vituperia malæ mulieris. Cave a muliere irreligiosa. Si vir sine religione commiserationem meretur; mulier sine religione horrorem incutit; mulier angelus est, dæmonium est; angelus cum Deo, dæmonium sine Deo. Cave a muliere compta, linguata, vanitosa, quæ literaturam affectat. Nimia instructio in muliere generatim obtundit ejus naturam, missionem et vitam, quæ tota e corde est. Hinc Milton ajebat: *Il non saper molto, è il sapere più bello di una donna.* Sunt utique mulieres insigniter doctæ; at exceptio est. Domus, en ordinaria mulieris cura, instructio, imperium, academia; non

Item opportune monet puellas cl. Tarino: « Ah, pensate dunque, o giovani spose, a quel che fate; pensate seriamente alle funeste conseguenze d'un matrimonio mal fatto, perchè sopra di voi principalmente ricadranno i tristi effetti di esso. Portate al matrimonio una vita passata nel ritiro della casa e nell'esercizio di tutte le virtù. Alla voce di qualcuno che domandi la vostra mano di sposa, state un poco sopra pensiero a guisa di Maria quando fu salutata dall'Angelo Gabriele; osservate bene, se costui sia virtuoso, laborioso ed amorevole; e non solamente se ricco od avvenente; guardate sopratutto dall'unirvi ad un bestemmiatore, profanatore delle feste, e senza spirito di religione, ad un uomo vizioso e libertino, irriverente verso i suoi genitori, sregolato nelle parole e negli atti indecenti con voi e cogli altri, perchè tornerà assai meglio per voi star senza sposo in eterno, che maritarvi a tale che farebbe la vostra infelicità, e quella della vostra famiglia, ecc. » *(Il libro della donna, ossia Maria Vergine libro e modello della donna cristiana.)*

CAPUT TERTIUM

De Ministro, et Subjecto Matrimonii.

918. **Matrimonii Minister.** Alii cum Cano censent, solos sacerdotes esse ministros sacramenti Matrimonii. Quod dicunt conformius et Patrum et Conciliorum doctrinæ, quæ tradit benedictione sacerdotis matrimonium *sanctificari, conciliari, obsignari.* Adde: Apostolus appellat sacerdotes *Dispensatores mysteriorum Dei*, id est Sacramentorum. Præterea Tridentinum hanc formam a Parocho usurpandam assignat: *Ego vos in matrimonium conjungo;* quæ verba vanum haberent sensum, si Parochus non esset hujus Sacramenti minister (1).

emancipatio, sed educatio. Hoc pacto vir mulierem inveniet, quæ *ipsum oblectet, et annos vitæ illius implebit; pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis* (Eccl. XXVI). V. Rotunda, *Lettere due sul matrimonio cattolico;* 2ª ediz.

« Se dobbiamo proprio parlare col cuore in mano, non si può nascondere che in mezzo a tutta questa suppellettile di scienza, di ginnastica e di letteratura, la leggerezza e la civetteria non hanno diminuito di un grado solo, ed invece hanno cresciuto di parecchi gradi.... Certe doti preziose in molte madri ed in molte fanciulle si fanno sempre più rare; la prudenza, la riservatezza, la semplicità delle maniere, l'assennatezza, lo scrupoloso amore ai doveri del proprio stato, la veridicità, l'affetto al lavoro domestico, alla casa. » Alfani, *Il carattere degli Italiani.* V. Franco, *Risposte alle objezioni più comuni.* Ferraris, V.º *Uxor.* Fornaroli, *Del Matrimonio cristiano; istruzione.*

Pro aliquibus facere potest percelebris Gagliuffi dialogus:

Uxorem duxi. — Tibi plaudo. — Haud plaude; molesta est.
Indoleo. — Haud doleas; dos opulenta fuit.
Faustum ergo! — Haud dicas; tectum remque ignis ademit.
Heu! miser. — Haud credas; uxor adempta simul.

(1) Inter recentiores multis hanc sententiam tueri conatur cl. P. Jesualdus De Luca in Opere *Consecrator christiani matrimonii in verum et proprium Sacramentum N. L. tractatus theologicus;* Cataniæ, 1876.

Sed sententia quæ antiquitate et universalitate præstat, et ita in Scholis ante Tridentinum dominabatur, ut teste Benedicto XIV, ad fidem pertinere crederetur; quamque sequuntur præstantissimi Canonistæ et Theologi cum Bellarmino, Barbosa, Billuart, Fagnanus, Sotus, Suarez, etc., docet ipsos contrahentes tantum esse ministros matrimonii (1).

Prob. 1. Ex Tridentino definiente *clandestina matrimonia* (id est sine sacerdotis præsentia) *libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* At matrimonium inter fideles non est ratum et verum, nisi quatenus est Sacramentum, ut definivit Innocentius III. Adde recentem declarationem Pii IX, ex qua constat matrimonium inter fideles existere nunquam posse absque Sacramento. Porro si matrimonia etiam sine sacerdote celebrata, sunt vera Sacramenta, nec sacerdos nec parochus est illorum minister. Hoc argumentum valde exaltat Benedictus XIV; et sententiam nostram *communiorem magisque receptam* dicit (2).

Prob. 2. *Item* Instructio S. C. de Propaganda fide anno 1869 ad archiep. Fogariensem et Episcopos suffraganeos Rumeni ritus uniti habet: « Si quis mixta connubia cum passiva tantum pa-
» rochi assistentia, quæ S. Sedes pro validis habet, Sacramenti
» ratione destituta esse pronuntiaverit, contractum in matri-
» monio christianorum a Sacramento dividi posse supponeret,
» atque in hoc doctrinæ Ecclesiæ contradiceret. » Porro qui passive assistit, non agit ut minister (3).

Adhuc. Pluries S. Concilii Congregatio declaravit matrimonia valere etiam in faciem Ecclesiæ, licet Parochus nulla verba proferat; licet affectet verba sponsorum non intelligere, oculos claudat, renuat, increpet, etc., modo quid agitur, revera intelligat. At si Parochus esset matrimonii minister, active et principaliter ad actum concurrere deberet *(S. Alph.,* l. IV, n. 880).

(1) Klee, *Storia de'dogmi*, t. II pluribus probat, loca scrupulose notando, et Pontifices et Concilia et antiquiores Ecclesiæ tum latinæ tum græcæ Doctores semper habuisse ipsos contrahentes Sacramenti matrimonii ministros. Et ideo, concludit, in nullo antiquo Rituali invenitur formula sacramentalis pro matrimoniis ineundis quæ sit a sacerdote pronuntianda *(Martene*, Antiq. Eccl. ritus, l, IX, a. 2, n. 6). Utique sacerdotis ministerio conjugium *obsignari*, *sanctificari* dicitur; at non *fieri*.

(2) *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. 18. Imo in Decretali, seu Epistola ad archiep. Goanum *Paucis*, 19 martii 1758, thesim nostram aperte tuetur, dum receptum supponit quod *matrimonii materia est mutua corporum traditio verbis aut nutibus assensum exprimentibus; et mutua corporum acceptatio forma.*

(3) « Hanc sententiam (ait cl. P. Cretoni) non tantum certam dixerim; sed etiam fidei proximam, licet expresse nondum ab Ecclesia definitam; id enim ex principiis a S. Sede solemniter traditis proxima atque immediata illatione evidenter eruitur. » (*Adnot. ad Gury,* t. II, n. 222). V. Scavini, l. III, n. 875.

Amplius. Christus Dominus matrimonium Sacramentum fecit (quin amplius unum ab alio separari valeat) non mutando, sed elevando ipsum contractum nuptialem ad esse Sacramenti. Sed omnis contractus humani causæ efficientes seu ministri sunt ipsi contrahentes; ergo etiam ipsi contrahentes esse debent ministri seu causæ efficientes Matrimonii sacramenti, si illud legitime contrahant, id est juxta Christi institutionem et Ecclesiæ suæ præscriptionem *Episc. Formisano.*

Præterea. Confirmatur auctoritate Angelici Doctoris: *Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat* (Suppl. *q.* 45, *a.* 5) — Quando ergo Parochus, intellecto partium consensu, dicit: *Ego vos in matrimonio conjungo*, non proprie conjungit coram Deo, sed in faciem Ecclesiæ approbat et palam declarat legitimam eorum conjunctionem jam ab ipsis initam, ut habent plura Ritualia. Sic in Rituali Romano-Sangallensi de novo anno 1849 impresso, en forma quæ adhibetur semel dato mutuo consensu a sponsis: *Matrimonium per vos contractum secundum ordinem Sanctæ Matris Ecclesiæ, ego auctoritate qua in hac parte fungor, ratifico, confirmo et benedico in nomine Patris, etc.* Sic fere habet Rituale Curiense (1).

919. **Materia et forma sacramenti Matrimonii.** Juxta eos qui sacerdotem sacramenti Matrimonii ministrum esse docent, *materia remota* sunt contrahentium corpora; vel juxta alios dominium mutuum in corpora in ordine ad usum conjugalem. *Materia proxima* est mutuus consensus datus includens mutuam corporum traditionem et acceptationem. *Forma* autem ipsa sunt verba sacerdotis.

In sententia illorum, qui tuentur ipsos contrahentes esse ministros, probabilius *materia remota* sunt corpora contrahentium

(1) Id etiam erui posse videtur ex Rituali ambrosiano; nam parochus antequam pronuntiet verba *Ego auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ qua fungor, conjungo vos in matrimonium*, jam supponit contractum matrimonium. Siquidem semel dato utriusque sponsi ad invicem consensu, statim parochus dicit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* « Interea (postea addit) sponsi genuflectunt, et parochus dextera sua sponsi dexteram præhendit, et ad significationem vinculi fideique conjugalis, imponit manui dexteræ sponsæ, summitatesque stolæ in modum crucis imponit ambabus sponsorum manibus, et aperte dicit: *Ego auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ* etc. »

Maldonatus quoad matrimonii ministrum tertiam sententiam insinuat; docet ad Matrimonium non secus atque ad Baptismum duo esse a Christo deputata ministrorum genera, nempe ministrum tum ordinarium, tum extraordinarium: ordinarius et solemnis erit sacerdos, extraordinarius et necessitatis erunt ipsi contrahentes. Hanc sententiam nonnulli libentius acceptant, tum quia duas contrarias conciliat; tum quia sic fidelium necessitati consulit, casu quo sacerdotes adire nequeant matrimonium inituri.

mutuo tradenda. *Proxima* actualis traditio juris in corpora facta per verba seu signa consensum exprimentia. *Forma* mutua acceptatio per verba vel signa *(S. Alph.,* l. VI, n. 880).

920. **Subjectus Matrimonii.** Subjecti sacramenti Matrimonii sunt duæ personæ baptizatæ, nempe vir, et mulier nullo impedimento naturali, divino aut canonico laborantes. Non baptizatis autem, ait Angelicus *Suppl.* q. 59, a. 2, non competit matrimonium secundum est Sacramentum; competit tamen eis in quantum est in officium naturæ.

921. Matrimonium *sub præcepto* cadit hoc sensu, quod Deus naturæ auctor vult profecto propagationem et conservationem generis humani: quæ haberi legitime nequeunt absque matrimonio. Hoc tamen præceptum obligat communitatem, ad quam spectat ad propriam tuendam conservationem curare, ut aliqui nubant casu, quo ex se jam non nuberent homines (D. Thomas, *Suppl.* q. 41).

Non vero obligat per se loquendo singulos homines; alioquin errasset Apostolus, invitando ad virginitatem: *Dico non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego* (I Cor. VII) (1). Attamen contingere posset per accidens, ut quis matrimonium contrahere teneatur, v. g. Principes ad impe-

(1) D. Thomas ait: « Ex divina providentia dantur homini ea, quæ sunt toti speciei necessaria; nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum utatur. Data est enim homini industria ædificandi et virtus ad pugnandum; nec tamen oportet, quod omnes sint ædificatores aut milites (idem est de nuptiis). » *Contra Gentes,* l. III, c. 136.

Vel ipse Proudhon evidentia convictus fateri fassus est: « Non è vero che nell'ordine della società, tutti gli uomini siano predestinati al matrimonio e alla paternità, benchè tutti lo siano all'amore. È uno dei privilegi dell'uomo il poter vivere in una perfetta verginità, col solo sviluppo della virtù, e senza che l'amore sia punto leso. Una volta data giù la follia amorosa, che tormenta la generazione presente, il numero de'vergini deve accrescersi ogni giorno più.... Il Cristianesimo ebbe il presentimento di quest'avvenire, quando esaltò la verginità sopra tutte le virtù, e ne fece un obbligo per i suoi sacerdoti. In queste, come in tante altre cose, il Cristianesimo è stato profetico. Era la spontaneità sociale che si esprimeva per la bocca dei Papi, in attesa che la riflessione parlasse essa stessa negli scritti de'filosofi.... Il Cristianesimo rivelò al mondo la forma più pura dell'amore nella verginità volontaria, la quale, secondo l'insegnamento della Chiesa, altro non è che l'unione mistica dell'anima con Cristo, vale a dire uno sposalizio continuo. »

« V'ha delle anime nelle quali il senso estetico e l'amore che n'è congenerato, è così vivo, così puro, che non hanno bisogno di veruna immagine o realtà per afferrare l'ideale che esse adorano.... o piuttosto quest'idea si rivela dappertutto egualmente ai loro occhi; come diceva di sè stesso il celebre David, la laidezza per essi non esiste; la loro anima è troppo alta, troppo pura la loro intelligenza, perchè ne abbiano un menomo sentore. Fénelon, Vincenzo de'Paoli, santa Teresa, tante vergini, tanti santi! Per questi cuori eletti, uno sposo, una sposa, i figli, sono cose superflue: le forme visibili dell'amore non arrivano sino alla loro altezza. Il genere umano intiero tiene loro luogo di padri, di madri, di fratelli, di sorelle, di sposo, di sposa, di figli, di figlie. Qualunque altra unione sarebbe per loro una degradazione, un supplizio » *(Système des contradictions économique,* t. II).

dienda bella civilia; vel quivis alius ad legitimandam prolem, damnum deflorationis reparandum; vel si nollet alia media adhibere ad continentiam servandam (*S. Alph.*, l. VI, n. 209; l. II, n. 70).

922. **Matrimonium filiorumfamilias.** Certe non requiritur consensus parentum ad validitatem matrimonii filiorumfamilias. Nam Tridentinum, *eos anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita, et parentes ea rata vel irrita facere posse* (sess. XXII, c. 1). Sane in talibus matrimoniis habetur id omne, quod ad eorum substantiam requiritur, independenter ab ipso parentum consensu: *Quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem*, ait d. Thomas, 2, 2, q. 104, a. 5.

Requiritur tamen parentum consensus ad matrimonii licitatem, adeo ut filiifamilias, qui sine tali consensu contrahunt per se loquendo peccent mortaliter ex communiori sententia. Etenim honor et reverentia parentibus debita postulat, ne filii absque ipsorum consilio tam grave ac perpetuum negotium ineant: cum in eo illi experientia edocti sint, ac generatim valeant auxilium præbere opportunum. Hinc Ecclesia hæc matrimonia semper detestata est ac prohibuit; et ideo ne illis assistat parochus; tanto magis, quia gravia mala, scandala ac jurgia generatim ex talibus nuptiis oriri solent; ideo etiam, quia leges ipsæ civiles obstant, si filiifamilias præscriptam ætatem nondum adepti sint.

Attamen, interveniente causa, licitum est filiis matrimonium inire insciis et etiam invitis parentibus. Esset, si filius in remotis versetur, et ei offeratur matrimonium honestum et valde utile, quod ob graves circumstantias sit ineundum, neque possit expectari parentum consensus. Item si parentes essent irrationabiliter inviti; sed caute semper agendum hac in re, ut inimicitiæ et damna (maxime si obstet lex civilis) vitentur; et ideo, inconsulto Episcopo, ne parochus assistat tali matrimonio (*S. Alph.*, l. VI, n. 849).

923. An filii debeant sub gravi obedire parentibus, qui ipsis matrimonium præcipiunt, audiendus d. Thomas (*Suppl.* q. 47, a. 6): *Pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis; sed potest eum inducere*

ex rationabili causa. Et tunc sicuti se habet ad causam illam; ita se habet ad præceptum patris, ut eum illa causa cogat. Porro non facit contra virtutem pietatis, si filius non obediat; quia vult meliorem statum eligere; aliis sponsalibus obstrictus est; nimis a tali muliere abhorret *(S. Alph.,* l. VI, n. 850).

924. **Matrimonium infidelium.** Si hoc matrimonium legitime contrahitur, nempe inter personas jure naturæ capaces, mutuo ac vero consensu, est verum, firmum et indissolubile matrimonium. Nam est validus contractus naturalis, etsi sub aliqua ratione imperfectum, ut ait d. Thomas; quia illorum matrimonium non est Sacramentum, cum non baptizati sint Sacramenti incapaces *(in* 4, *d.* 39, *q.* 1, *a.* 2).

Quod si fidelis contrahat cum infideli, Pontifice dispensante, an Sacramentum recipiat, alii negant; quia uterque contrahens ad modum unius concurrit ad materiam Sacramenti; unde si materia ex parte unius non sit idonea, neque erit ex parte alterius. Alii probabilius affirmant; nam fidelis omne posuit quod ad Sacramentum requiritur: nec ulla est repugnantia, quod ex duobus contrahentibus alter ob ejus incapacitatem Sacramentum non recipiat; recipiat vero qui ad Sacramentum est idoneus (Ferraris, V.° *Matrimonium,* a. 1).

Si vero uterque conjux infidelis sit, sed ad fidem convertatur, suscepto Baptismo, an fiat eorum conjugium Sacramentum, alii negant; nam contractus actualis in quo sita est materia et forma Sacramenti, non amplius existit cum conjuges convertuntur; sed durat tantummodo effectus contractus conjugalis præcedentis, qui unico instanti perfectus fuit. Alii vero (et quidem communius ex Benedicto XIV) affirmant; tum quia conversi ad fidem non debent gratia sacramentali privari absque evidenti ratione; tum quia per Baptisma matrimonia infidelium evadunt etiam in faciem Ecclesiæ rata et indissolubilia; ergo evadunt etiam Sacramenta.

925. **Matrimonium hæreticorum inter se.** Hæretici et schismatici inter se valide contrahunt et Sacramento muniuntur, si Ecclesiæ catholicæ leges quæ ipsos etiam respicit, atque ad matrimonii substantiam pertinent, accurate observent; tunc enim nihil est, quod valori hujus Sacramenti obstare possit; nam per Baptismum susceptum fiunt capaces Sacramentorum. Hoc confirmat praxis Ecclesiæ, quæ eos non adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si ad catholicæ Ecclesiæ unitatem redeant.

Quod si de validitate Baptismi dubium sit, habemus S. Officii Congregationis decretum 5 febr. 1831: *Generatim qui convertuntur ad catholicam fidem, habendi sunt ex capite Baptismi tanquam valide conjugati, nisi forte certe et evidenter constat in aliquo particulari casu hæreticum, de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum. Sed orator, quoties occur-*

runt casus particulares hujus generis, recurrere debet cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem; et detur decretum authenticum 17 *nov.* 1830 *a Pio VIII approbatum.* In quo decernitur, quod etiam dubio persistente de valore Baptismi, illud est censendum validum in ordine ad matrimonii validitatem.

Casus. Lucia hæretica cum Lucillo pariter hæretico contraxit hæreticaliter matrimonium, id est sine præsentia catholici Parochi in loco ubi obligat hæc Tridentina lex. Lucia tandem fidem catholicam amplectitur, non tamen ejus vir — R. Per se loquendo tale matrimonium est nullum cum laboret impedimento clandestinitatis, et esset coram parocho renovandus consensus, Pontificis venia et sub datis conditionibus. Sed in praxi quoad hosce casus interrogata C. S. Officii 6 julii 1848 respondit: *Conjuges de validitate matrimonii non dubitantes, in bona fide esse relinquendos neque a Sacramentis arcendos.* Hæc autem resolutio iterum ab eadem Congregatione adoptata est addito: *Quamvis autem nulla sint illa matrimonia, consultum tamen quam maxime erit in casibus particularibus recurrere ad Sedem apostolicam, expositis omnibus facti circumstantiis, quæ tunc modo magis opportuno huic rei providebit.* Potest sane S. Sedes tunc concedere dispensationem in radice, quin maritus consensum renovare debeat, ex dicendis n. 1016 *(Scavini,* l. IV, n. 564).

926. **Matrimonium hæreticorum cum catholicis.** Hoc matrimonium appellatur *mixtum;* est validum, sed illicitum.

Validum; quia nullum extat impedimentum dirimens, cum cultus disparitas non respiciat, nisi matrimonia baptizatorum cum non baptizatis. Imo erit etiam Sacramentum; nam ad contrahendum matrimonium, uti elevatum ad dignitatem Sacramenti, requiritur paritas Baptismi, non paritas fidei.

Sed per se *illicitum:* 1) Jure naturali; ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, et pravam sobolis institutionem — 2) Jure divino, nam si ex Apostolo hæreticus homo vitandus est, tanto magis prohibitum erit cum ipso societatem conjugalem inire adeo strictam et perpetuam — 3) Jure ecclesiastico: patet ex pluribus Conciliis et Pontificum decretis. At si tales nuptiæ illicitæ sunt, ergo et fides sponsalitia de iisdem nulla erit; quia quod vetitum est, nemo potest spondere. Attamen Apostolica Sedes gravibus intervenientibus causis, v. g. ad majora mala vitanda, ad curandam hæreticorum conversionem, etc., solet dispensare, ut contrahantur tales nuptiæ: sub juratis conditionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis a conjuge catholico procuranda, deque universa utriusque sexus prole in catholica religione educanda *(S. Alph.,* l. VI, n. 56).

Hæc autem matrimonia extra Ecclesiam ac Sacristiam, et absque parochi benedictione; sed cum simplici ejus adsistentia et testibus, omissis proclamationibus, sine stola et cotta, ac remoto alio ecclesiastico ritu celebrentur. Ideo neque anulus benedicendus, nec verba *Ego vos conjungo* proferenda sunt ex S. Officii C. 1 sept. 1841 (1).

Catholicus autem has nuptias sine dispensatione contrahens, admitti potest ad Sacramentorum participationem. Patet ex epistola Pii VI 23 julii 1782 ad Card. Archiep. Mechlinensem: *Dum ille demonstrabit pœnitere se peccaminosæ suæ conjunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem conjugis hæreticæ, renovare se promissionem de educanda prole in religione catholica, et reparaturum scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones occurrant, non repugnamus Nos quominus pars catholica Sacramentorum fiat particeps.*

CAPUT QUARTUM

De Matrimonii præparatione seu de Sponsalibus.

927. **Sponsalia.** Definiuntur: *Futuri matrimonii promissio.* Quæ promissio ut valida sit, debet esse: vera, deliberata, mutua, signo sensibili expressa, et inter personas idoneas ac determinatas contracta *(Scavini,* l. III, n. 880).

1) *Vera promissio;* id est cum animo se obligandi. Unde ad sponsalia non sufficit simplex animi propositum. Tanto minus promissio ficta, ut si quis non habuerit animum contrahendi, nam omnino deesset voluntas: item est probabilius, si quis voluit quidem promittere, sed noluit se obligare; ubi enim deest voluntas se obligandi, deficit obligatio. Quod valet etsi promissio sit juramento firmata; nam juramentum, ait Angelicus, sequitur naturam promissionis *(In* 3, *d.* 39, *q.* 1, *a.* 3). Sed in foro externo iste non auditur.

(1) Si extra Ecclesiam, et absquo Parochi Benedictione celebrari nequeant, quin graviora oriantur damna, Pius IX permittit Ordinariis, ut tolerent morem adhibendi Ritum in Diœcesano Rituali præscriptum, exclusa Missa. Cæterum pro diversitate temporum ac locorum diversæ hac de re habentur resolutiones, exceptiones et tolerantiæ, nempe ut etiam omissis necessariis cautionibus, possit Parochus materiali sui præsentia assistere, ut patet Lit. Gregorii XVI 20 apr. 1841 ad Hungariæ Episcopos. Non potest autem sacerdos catholicus matrimonio assistere, si sponsi ante vel postea matrimonium contrahant in Ecclesia protestantica ritu protestantico ex S. Officii C. 21 apr. 1847.

Posita autem permissione R. Pontificis, partem catholicam licite posse contrahere cum acatholica, expresse declarat S C. de Propaganda fide anno 1869 in Instr. *De matrimoniis mixtis.* Dixi: *posita permissione R. Pontificis;* neque enim hac de re Episcopi quidquam possunt; et consuetudo si quæ sit contraria, reprobatur a Pio VII, Gregorio XVI et Pio IX (Scavini, *l.* III, *n.* 727; *l.* IV, *n.* 535; et Perrone, *De matrimonio).*

2) *Deliberata,* scilicet cum perfecta cognitione oneris quod suscipitur; cum sponsalia obligent sub mortali et gravissimum ac perpetuum jugum inducant. Hinc sponsalia inita a furiosis, semifatuis nulla sunt.

3) *Mutua,* nempe cum reciproco consensu, ita ut adsit repromissio et repromissionis acceptatio; nam contractus bilateralis est, et onerosus. Quare si Titius promittat nuptias Cajæ, quæ promissionem acceptat, quin repromittat, vi sponsalium in Titio non oritur obligatio.

4) *Signo sensibili expressa;* omnis enim contractus inter homines celebratur per aliquod signum externum: puta verbis, nutibus, literis, vel per procuratorem. Attamen taciturnitas (maxime ex usu regionum) potest esse signum sufficiens consensus. Item subarrhatio anuli, id est illius in digitum immissio, manuum porrectio, vel missio et acceptatio munerum jocalium, juxta locorum consuetudinem.

6) *Inter personas idoneas,* id est, quæ nullo detineantur impedimento; sic generatim habentur inhabiles ex jure canonico qui nondum septennium compleverunt ob defectum deliberationis, quæ requiritur ad perpetuam obligationem sumendam (d. Thomas, *Suppl.* q. 43, a. 2). Si tamen puer ante septennium perfecto usu rationis polleat et quod agit satis intelligat, probabilius valida sunt sponsalia, quæ ideo impedimentum publicæ honestatis inducunt.

7) Et *determinatas:* sicut matrimonium debet esse unius cum una, ita et promissio illius. Hinc si quis duabus simul promitteret, se unam ex illis fore ducturum, promissio etsi ab eis acceptata, induceret vinculum fidelitatis vel etiam justitiæ, non autem sponsalium.

In dubio verborum aut veræ promissionis, in foro interno videnda est intentio contrahentium. In foro externo standum est communi intelligentiæ, inclinando in favorem libertatis; quia quisque præsumitur se minus obligare voluisse, quam potest. Ita S. C. Concilii 5 aprilis 1851 *(S. Alph.,* l. VI, nn. 831, etc.).

928. *Divisio.* Sponsalia dividuntur: 1) In *Ecclesiastica* seu solemnia, quæ celebrantur coram sacerdote ad id deputato; hæc in desuetudinem abierunt. Et in *clandestina* seu melius privata, quæ ineuntur solo contrahentium consensu vel coram parentibus — 2) In *absoluta,* quæ a nulla pendent conditione. Et in *conditionata,* quibus nempe conditio adnexa est — 3) In *simplicia,* quæ pœnam in resilientem non important. Et in *pœnalia* si eam continent (D. Thomas, *Suppl.* q. 41).

Art. I. — De Effectibus Sponsalium.

929. **Effectus Sponsalium.** Effectus sponsalium:

I. Alii sunt a *Jure naturæ:* est gravis obligatio contrahendi matrimonium promissum, et non transeundi ad alia sponsalia; cum promissio data sit de re gravi ab altera parte acceptata. Utrum autem qui renuit, justitiam lædat, multi probabiliter affirmant, quia fidem fallit; alii item probabiliter negant; nam sponsalia nullum tribuunt jus in re, ideo nulla est læsio stricti juris *(S. Alph.,* l. IV, n. 847).

II. Alii sunt a *Jure canonico:* et est impedimentum, ut vocant *publicæ honestatis,* per quod sponsus in uxorem valide ducere nequit consanguineam sponsæ in primo gradu, et vicissim. Hic effectus durat etiam solutis sponsalibus, si validis et absolutis, quamvis inita sint privatim, et solis verbis (1) — Alter effectus ex jure canonico in eo consistit, ut sponsalia transeant in matrimonium ubi Tridentina lex de clandestinitate non fuit publicata, si tamen inter sponsos copula intercesserit, non vi, non affectu libidinoso, sed affectu maritali *(S. Alph.,* lib. VI, n. 845).

III. Ex lege civili promissio mutua futuri matrimonii id unum tribuit, ut peti possit in judicio ab eo, qui sine causa resilit, expensas ideo factas; si tamen petitio fiat intra annum a die, quo promissio suum effectum consequi debebat, et hæc inita fuerit actu publico vel scriptura privata. Quod si agatur de minore, obtinendus fuisset etiam consensus illorum, quorum erat matrimonium permittere *(a.* 5).

(1) Attamen Benedictus XIV monet tutius esse, si sponsalia in tabulis publicis vel privatis exarentur, ut sic, ubi fuerit opus, melius valeant comprobari *(De Synodo,* l. XII). Et potest Episcopus id præcipere, adeo ut si fiant sine scriptura, illis vim non tribuat in suo foro judiciali; sed in foro conscientiæ adhuc valerent, et impedimentum inducerent. Nec potest Episcopus ea invalidare vel dispensare *(Acta S. Sedis,* t. XI).

Ad rem Provinciæ Taurinensis, Vercellensis et Liguriæ Episcopi 25 nov. 1865 decreverunt: *Parochi fideles edoceant in Curia nostra, eos non audiri qui per scripturam comprobare nequibunt se sponsalia contraxisse, licet solo consensu rite inita suos sortiantur effectus ecclesiasticos in foro conscientiæ, quod erit a confessario attendendum.* Et Parochi opportune hac de re commoneant adolescentulas, ne fidant fictis et inanibus juvenum promissionibus, si eorum honori et puritati prospicere velint. Sed sponsorum consensus legali forma firmetur, id est cum parentum consensu, et testibus — Synodus Aquensis exemplar ponit; tutius autem est ut id coram Parocho non fiat, ne sponsi consensum de præsenti coram ipso exprimendo matrimonium de facto contrahant, ut aliquando evenisse scimus.

930. Q. *An matrimonium mere civile contractum coram laico magistratu inducat aliquod impedimentum canonicum?* Resp. S. Concilii Congregatio die 13 martii 1879 declaravit, quod matrimonium vulgo *civile,* haberi debet tanquam actus mere civilis, qui etsi permittatur ad civiles effectus obtinendos; attamen vim non habet in faciem Ecclesiæ, et ideo impedimentum non parit publicæ honestatis. Et die 17 Leo XIII resolutionem approbavit, ac confirmare dignatus est, et jussit fieri decretum. *Acta S. Sedis,* t. XII.

931. **Sponsalia contracta a parentibus pro filiis.** Si parentes sponsalia contrahant pro filiis præsentibus et tacentibus sive puberibus sive impuberibus, sive legitimis sive illegitimis, valida sunt, uti declaravit Bonifacius VII. Si vero filii sint absentes, qui tamen sponsalium sic initorum conscii facti sint (per nuntium vel epistolam) a parentibus, probabilius dicunt sufficere ad validitatem filiorum taciturnitatem (1).

Verum id procedit tantum, si filii interne non dissentiant, ut supponitur; si enim filii taceant ob reverentialem metum vel aliam causam, interiori tamen animo dissentiant, sponsalia non tenent. Item nomine *parentum* probabilius venit tantum pater et mater, non tutor, non fratres; quia jus de parentibus id tantum disponit *(S. Alph.,* l. VI, n. 888).

932. **Sponsalia sine parentum consensu.** Hæc sponsalia, nisi adsit rationabilis causa excusans, sunt illicita et peccaminosa; nam reverentia parentibus debita postulat, ut in re adeo momentosa filii eorum consilium expostulent. An sint etiam invalida, alii affirmant; nam ad illicita non datur obligatio; alii autem melius distinguunt.

Si irrationabiliter parentes dissentiant, sunt valida sponsalia: nam in iis quæ pertinent ad matrimonium, filii sunt sui juris; deficiunt in modo non quærendo consilium; non autem in substantia. Qui nihilominus poterunt resilire, si parentes eis minentur malum grave non prævisum, quia sponsalia etsi jurata, intelliguntur contrahi sub conditione: *Quod non superveniat gravis rerum mutatio aut damnum.*

Si vero parentes rationabiliter dissentiant, nulla sunt spon-

(1) Nam in favorabilibus qui non dissentit cum potest dissentire, consentire censetur: porro sponsalia a parentibus inita censentur cedere in favorem filiorum ob vehementiam amoris quo eos diligunt. Unde d. Thomas: *Robur habent* (sponsalia) *in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire in his, quæ per alios facta sunt* (in 4, d. 27, q. 2, a. 2).

salia, casu quo justa dissentiendi causa sit perpetua, uti si matrimonium vergeret in dedecus familiæ; nam nemo potest obligari ad rem illicitam exequendam: quod valet etsi accedat juramentum et sponsalia jungantur cum stupro, nam propter hoc non aufertur illicitas. At si justa dissentiendi causa sit temporanea, ut si timeantur minæ vel discordiæ, quæ tractu temporis (experientia teste) cessare solent, valent sponsalia; sed eorum executio differenda est usque ad talis causæ cessationem *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 877).

933. **Sponsalia contracta ex metu.** Si metus gravis sit et injuste incussus ab extrinseca et libera causa, probabilius videtur sponsalia esse invalida; nam si matrimonium ex se irritum est si metu gravi initum, idem dicendum de sponsalibus quæ sunt via ad illud: *Connexorum enim idem debet esse judicium;* neque in hoc contractus sponsalitius a cæteris contractibus distinguitur.

Dixi: 1) *Gravis;* si enim metus levis est, sponsalia tenent, ut docent communius ac probabilius; et impedimentum inducit publicæ honestatis; metus enim levis nulla fit æstimatio. Quod valere dicunt licet metus causam dederit contractui; etsi tunc permittant innocenti, ut resiliat ob aliqualem injuriam irrogatam — 2) *Injuste iucussus;* si enim juste incutiatur, valent sponsalia: cum nonnisi irrationabiliter respuantur — 3) *Ab extrinseca et libera causa;* si enim sit ab intrinseco v. g. morbo; vel a naturali causa, v. g. in periculo naufragii, valent sponsalia. Quia nulla fit injuria metum passo, qui potius inter duo libere eligit matrimonium ad se tuendum *(S. Alphonsus,* l. VI, nn. 844 et 1046).

934. **Pœna in sponsalibus.** Si pœna conventionalis apposita sit solvendi pecuniæ summam sive juste sive injuste a sponsalibus resiliatur, est illicita et invalida etsi juramento firmata; cum lædat matrimonii libertatem. Si vero apponatur solum contra eam partem, quæ injuste resiliat, probabilius pœna est valida et licita in conscientia; nam rationabile est, ut pœna imponatur injuste resilienti a contractu *(S. Alph.,* l. VI, n. 853).

Dixi: *In conscientia;* in foro enim civili nulla datur actio ad pœnam repetendam; nam inhonestum putatur vinculo pœnæ matrimonia obstringi *(a.* 53).

935. **Arrhæ in sponsalibus.** Arrharum nomine venit quod in pignus matrimonii celebrandi traditur a sponsis, vel a parentibus. Arrhæ jure naturali non adversantur, cum tribuantur

ut firmior evadat contractus, neque proprie pœnæ sunt *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 852).

Ex jure canonico statutum est: 1) Secuto matrimonio, arrhæ redeunt ad tradentem, cum datæ sint ad securitatem matrimonii, et matrimonium sit contractum — 2) Qui arrhas dedit, si juste resiliat a sponsalibus, eas sibi recuperat; si vero injuste resiliat, illas amittit — 3) Si injuste resiliat qui arrhas accepit, reddet quantum accepit, si ætate sit minor; si vero major, restituet duplum, nempe restituet acceptas, et amittet suas. Cæterum hic inspicienda sunt locorum consuetudines.

Lege civili sponsalia nullam quidem præbent actionem in judicio pro exigenda pœna; imo neque legalem obligationem inducunt ad matrimonium contrahendum. Attamen crederem arrhas ipsa civili lege restituendas esse; si enim matrimonii promissio non inducit obligationem illud exequendi, arrhæ quæ datæ fuerunt in pignus, eo non adveniente, restituendæ erunt ex ipso Codice *(a.* 53).

936. **Quando implenda sponsalia.** Si terminus fuit præfixus, eo adveniente, sponsalia sunt implenda; quia legitima pactio servanda est. Si nullum est præfixum tempus, et pars, quæ potest commode petere, tacet, videtur dilationi assentire. Hæc quoad sponsos.

Quoad judicem vero ecclesiasticum recte docent, quod non debet renuentem cogere ad matrimonium, si inde scandala aut rixæ timeantur. Et Bouvier hanc praxim tradit confessariis: *Adhortationibus premant executionem promissionis; et si eam obtinere nequeant, præcipiant reparationem damni aut liberam utriusque partis compositionem, quod ordinarie melius est. Eam per se vel per mediationem alicujus tertiæ personæ petant* (S. Alphonsus, l. VI, n. 845) (1).

937. **Sponsalia conditionata.** Conditio sponsalibus apposita per se loquendo illis non officit; cum modum tantum respiciat. Alii porro docent probabilius conditiones resolvendas esse ad modum, quo accipitur conditio in ipso matrimonio apposita, nam sponsalia sunt via ad illud. Alii contendunt esse resolvendas sicuti resolvuntur conditiones aliorum contractuum; quia non currit eadem et adæquata ratio pro sponsalibus et matrimonio; quia hoc est insolubile, non illa. Unde in hac sententia, si conditio est de re possibili, tenent sponsalia; si de re impossibili vel turpi, nulla sunt.

(1) Si unus sponsorum ita incipiat abhorrere ab altero, ut serio dicat, se malle quodvis pati quam huic conjungi, a coactione judex desistere debet ex S. C. C.; nam talia conjugia habent malos exitus.

Quid (quæres) *si sponsalia inita sint ab illis, qui ad matrimonium impedimento ligantur; sed sub hac conditione:* Si Papa dispensaverit?

R. Certum est promissionem esse nullam, si Papa in eo impedimento non sit solitus dispensare; nam promissio habetur uti de re impossibili. Item est, si Papa soleat quidem dispensare cum causa; sed spondentes causam non habeant.

Tota quæstio est, quando Papa in tali gradu solitus est dispensare cum causa, et causa adest. Alii tuentur talem promissionem esse nullam; ideo requiri novum consensum, ut (post dispensationem) promissio convalescat. Proinde licitum esse utrique contrahenti ante renovatum consensum, etiam altero invito, resilire; nam impediti ad matrimonium sicut sunt inhabiles ad contrahendum, ita ad promittendum. Et ita pluries addunt, decisum fuit a S. Concilii Congregatione (1) — Idque valet, etiamsi agatur de consanguinea violata, cui sit facta promissio dispensationis obtinendæ. Quod si adest obligatio petendi dispensationem, id non est ratione sponsalitiæ promissionis; sed ratione damnorum *(S. Alph.*, l. III, n. 650).

Alii verius docent, quod etsi illa sponsalia ante dispensationem suspensa maneant, neque interim (nondum secuta dispensatione) inducant impedimentum publicæ honestatis; attamen tenentur sponsi ad expectandum conditionis eventum, et sponsalia cum alia persona inita essent nulla; fides enim data servanda est; et sane contractus factus tempore indebito, valet pro tempore habili, ad quod refertur ex d. Thoma (*in* 4, *dis.* 39, *a.* 1). Unde tunc contractus differtur ad tempus verificationis conditioni: quo veniente, contractus validus fit et absolutus sine novo consensu, uti evenit in aliis contractibus, ac tunc impedimentum inducit *(S. Alph.*, l. VI, n. 859).

938. **Sponsorum obligationes.** Hæc præcipua observanda:

I. Ut christianæ Religionis rudimentis, si opus sit, bene instruantur; Parochus enim tum ex Rituali tum ex Benedicto XIV, antequam ad ipsas proclamationes procedat, oportet ut sponsos in rebus fidei instructos inveniat, atque ideo interroget, si opus sit. Secus quomodo possunt christiane prolem instituere? et desuper benedictionem efflagitare? (2).

(1) Verum hæ declarationes extra rem sunt; nam istæ id unum declarant non subsistere sponsalia, quando conditio nondum impleta fuerit; nec sublatum per dispensationem impedimentum, quod omnes concedunt. V. Alasia, et Ballerini in *Adnotationibus Gury*.

(2) Necessitatem et modum hujus instructionis v. infra, n. 1073.

II. Ut aliquo temporis spatio ante conjugium confiteantur perito confessario; a quo (si suspicio sit) sunt caute interrogandi, an aliquo detineantur impedimento; ne facta, instantibus nuptiis Confessione, in graves incidant angustias, si forte aliquod impedimentum detegatur.

III. *Ut ante benedictionem sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent*, prout habet Tridentinum: id enim esse non potest generatim sine animæ periculo (*sess.* XXIV, c. 1). Cæterum curandum est, ne celebrationem matrimonii diu protrahant; quia ex dilatione solent non raro sequi peccata et scandala.

IV. Contendunt, non esse negandam absolutionem juveni et puellæ, qui sese invisunt animo matrimonium contrahendi; quia nemo tenetur ducere personam sibi ignotam. Itemque permittunt ad invicem oscula ex patrio more, ad captandam benevolentiam, modo sine ullo consensu malo. « Hæc assertio (ait s. Alphonsus) speculative loquendo videtur rationabilis; sed ego experientia ductus vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsæ accedere, vel sponsæ aut parentibus illum in domo excipere; raro enim reperi qui in tali accessu non peccaverit saltem verbis et cogitationibus.... Ex centum adolescentibus vix duo aut tres in ea occasione a mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina obruere facit (1). In his autem advertat confessarius quod nunquam crudelius se geret cum pœnitente, quam benignius agendo (nempe talem accessum permittendo) » (2).

Quia tamen ferme impossibile est exigere a sponso, ne ad sponsam accedat, ideo dicimus quod nonnisi maxima cum cautela ac raro id permittendum est; item in præsentia aliorum, ac nonnisi quando visitationes sunt juxta morem regionis probatum et honestum; ac modo opportunis remediis peccati periculum removeatur; nam oc-

(1) V. t. I, n. 456 quoad juvenes se invicem adamantes (vulgo *far all'amore)*; et t. IV, n. 1073.

(2) Hic totus erat s. Alphonsus, ut videre est in ejus Operibus passim: *Opus morale*, l. VI, n. 452; *Ho. ap.*, tr. VII, n. 32; tr. ult. n. 3. *Praxis Confess.*, n. 204; *Il confessore diretto*, c. XXI; *Avvertimenti ai Confessori novelli*, c. 2; Epistola Pastorali, 20 febr. 1763; *Circol.* 16 apr. 1773. V. Danieli, *De sponsorum amoribus moralis sententia s. Alphonsi M. De Ligorio propugnata contra opinionem P. Antonii Ballerini;* Romæ, 1877.

Cæterum quoad scientiam in rebus fidei, et directionem sponsorum omnino vide Appendix in fine n. 1073, ubi plura ad praxim.

casio proxima est; et licet aliquando (iterum s. Alphonsus) ob justam causam possit permitti periculum peccati, nunquam tamen potest permitti peccatum; cum autem nulla spes apparet emendationis, periculum utique fit formale et a peccato sejungi non potest; et ideo omnino est vitandum cum quocunque damno temporali etiam vitæ.

Hac in re ad illos maxime pertinet invigilare, qui sponsorum curam gerunt; cum parentibus ergo, præcipue cum matribus, Parochi et confessarii severissime agant, urgendo gravem quam ipsæ habent, hujus vigilis custodiæ obligationem, ad quam impellere debet et conscientia et timor, ne filiæ semel corruptæ in paterna domo dehonestatæ consenescant, ut scite monet cl. Ballerini. Moneant parochi, moneant confessarii opportune importune matres, ne per brevissimas moras filiam cum amasio aut sponso deserant: væ, væ solus cum sola! lupus cum ovicula! *(Scavini,* l. III, n. 461).

Art. 2. — De Sponsalium dissolutione.

939. Certum est sponsalia semel inita dissolvi posse (remanet tamen impedimentum publicæ honestatis ex semel validis sponsalibus exurgens, quousque dispensetur); cum non pariant vinculum indissolubile, etsi jurata sint: quia juramentum contractui adnexum ejus naturam et conditiones sequitur. Causæ autem legitimæ solutionis plures sunt. (D. Thomas, *Suppl.* q. 43, a. 2).

940. **Solutio sponsalium mutuo consensu.** Sicut mutuo consensu contracta sunt; ita mutuo consensu sponsalia dissolvi possunt. Attamen requiritur:

1) *Consensus liber* ex utraque parte: si enim adsit metus gravis vel dolus, sponsalia non dissolvuntur — 2) *Causa,* si sponsalia sint juramento firmata ob illius reverentiam. Verum id tantum de honestate requiritur et sub levi; cum juramentum sequatur contractus naturam — 3) Si *impuber* sponsalia contraxit, debet expectare pubertatem ad sponsalia solvenda: qua adepta, etiam altero renuente, ei resilire fas est, modo id agat intra triduum a die cognitionis tum pubertatis tum privilegii — 4) *Puber* qui cum impubere contraxit, non potest resilire sine alterius puberis facti consensu *(S. Alph.,* l. VI, n. 855).

941. **Solutio sponsalium ob impedimentum superveniens.** Distingue impedimenta impedientia a dirimentibus.

I. Si impedimentum sit impediens, communissime et probabilius negant sponsalia dissolvi, nisi illud proveniat ex voto religionis, et probabiliter etiam ex voto castitatis, vel Ordines sacros suscipiendi *(v. n.* 952). Nam loquendo *de tempore feriato* et *Ecclesiæ vetito,* hæc tantum suspendunt matrimonii celebrationem. Loquendo vero *de novis sponsalibus* post prima initis, ea nullius roboris sunt; cum sint promissio de re jam alteri

obligata; ideo prima sponsalia solvere nequeunt; quod probabilius valet, etsi cum secunda sponsa copula intervenerit *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 848).

II. Impedimenta dirimentia supervenientia, ut si sponsus spretis sponsalibus, cum alia matrimonium celebret, certe sponsalia dissolvunt ex parte innocentis, cum matrimonium nequeat amplius locum habere; neque id per ipsum stet. Verum communius et probabilius sponsalia non solvuntur ex parte nocentis, qui impedimentum posuit; quia æquum non est, ut commodum ex sua iniquitate reportet, et alteri fidem frangat. Tunc obligatio sponsalium suspenditur usque dum tollatur impedimentum, nempe quousque moriatur conjux ut in casu: qua mortua sponsalia reviviscunt ex parte nocentis.

Si vero possit obtineri dispensatio ob impedimentum dirimente, probabilius ad illam postulandam non adest obligatio, si requirantur magnæ expensæ et longa mora; quia sponsalia ad extraordinaria non obligant, nisi damnum deflorationis aut famæ reparandum sit *(S. Alph.*, l. VI, nn. 855 et 875).

942. **Solutio sponsalium ob sponsorum crimen.** Intelligitur crimen, quod grave damnum vel infamiam pariat, uti furtum grave, homicidium, hæresis, fornicatio, etc.

Attamen quoad crimen fornicationis distinguere oportet virum a muliere; quoad sponsam certum est, virum liberum fieri, si illa ab alio carnaliter fuerit cognita etsi invita, juxta communiorem et veriorem sententiam. Nam sponsa est facta notabiliter vilior; idque tenet, etsi fornicata sit ante sponsalia et compars id nesciverit — Sed quoad sponsum sive ipse fornicatus sit ante sive post sponsalia, probabilius est, et communius ex Sanchez, Laymano, Concina, etc., sponsam non posse resilire; nam non ideo censetur in communi hominum æstimatione factus notabiliter vilior. Verum in praxi non est ita facile damnanda honesta sponsa, quæ ideo a sponsalibus vellet resilire; cum id summam in ejus animum repugnantiam gignat; et notabilis mutatio in sponso facta sit. Cæterum in omnium sensu facultas illi est sponsalia solvendi, si sponsus prolem suscepisset ex fornicatione etiam ante sponsalia habita, vel si huic crimini esset deditus (S. Alph., *Ho. ap.*, tr. XVIII, n. 18).

943. **Solutio sponsalium ob defectus notabiles.** Ob defectus notabiles de novo supervenientes vel antecedentes, sed noviter detectos, sponsalia dissolvi posse certum est, licet jurata sint. Nam sponsalia semper inita censentur sub tacita con-

ditione: *Nisi mutatio notabilis contingat.* Qui defectus si occulti, sunt ex justitia aperiendi, casu quo redderent nuptias perniciosas, vel a matrimonio desistendum: talis est lepra aut alius morbus contagiosus in alterutro. Excipe nisi altera pars eosdem vel similes defectus haberet; tunc esset compensatio.

Si vero defectus reddat nuptias tantum minus appetibiles, uti si sponsa sit pauper quæ putabatur satis dives, deformis quæ putabatur pulchra, corrupta quæ putabatur virgo, non poterit quidem sponsa virum decipere fingendo se immunem a tali defectu. Non tenetur tamen illum ultro manifestare, etsi altera pars, cognito defectu, possit a sponsalibus resilire *(S. Alphonsus* l. VI, n. 865).

944. *Casus.* Sidonia jamjam matrimonium cum Cajo contractura confitetur se amisisse virginitatem pluries fornicando, prolem item peperisse, quam nemine sciente deposuit in secreto loco, imo et hactenus gravidam esse ex alio juvene.

Sidonia non tenetur declarare se fornicatam esse, nisi interrogetur, et licet sponsus illud si sciret non esset ducturus. Nec declarare se peperisse, modo habeat unde secreto alatur proles, et a sponso semper ignorari possit; secus gravissima damna ac jurgia exorirentur. Tenetur autem sponso manifestare se gravidam esse per se loquendo, vel a sponsalibus resilire; secus illi gravissimam inferret injuriam et damnum prolem extraneam in ejus familiam inducendo; et vix ac ne vix quidem id tegi potest, et ideo inde altercationes, incommoda; et demum divortium ac separatio. Excipiunt plures, si instantibus nuptiis, puella aliter non possit famæ suæ consulere; et aliunde sponsus id non dignoscat, et damnum reparetur postea meliori modo quo potest. En regula pro confessario. S. Alphonsus, Gury.

945. **Solutio sponsalitia ob notabilem mutationem.** Ea mutatio censetur notabilis ad sponsalia solvenda, quæ si nota fuisset, sponsalia inita non fuissent. Idque contingere potest in bonis tum *animi*, tum *corporis*, tum *fortunæ*.

I. Notabilis mutatio in bonis animi sponsalia rite dissolvens contingit, quando sponsus cognoscitur ebrietati, ludo, blasphemiis et impietati deditus; vel in eo deprehenditur gravis morum asperitas. Hæc quæ plerunque faciunt, ut matrimonium quoad habitationem solvatur, magis facere debent, ut impediatur illud adhuc contrahendum.

II. Mutationem in bonis corporis sic jus explicat: *Si post*

hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica; vel oculos vel nasum amitteret; vel quidquam ei turpius eveniret, numquid vir tenetur eam ducere? Idem valet de venustatis amissione in sponsa, si magna sit; sed in sponso major requiritur deformitas; cum in eo non tanti venustas æstimetur. Idem valet, si sponsa clauda facta sit: ex *S. Concilii C.* 22 febr. 1698.

III. Mutatio in bonis fortunæ in sponsis contingit præsertim per supervenientem paupertatem in utroque sponso; vel si alteruter detegatur nimio ære alieno gravatus, quin habeat, ut solvat; vel si inde timeat exhæredari, vel si sponsus evadat ineptus ad acquirendum officium pro sustentatione familiæ necessarium; ita omnes cum d. Thoma, *Suppl.* q. 43, a. 3, etc. Verum ut dissolvantur legitime sponsalia ob talem mutationem videndum, num omnibus pensatis, nuptiæ reddantur non tantum minus appetibiles, sed etiam nimis gravosæ, quibus prævisis, sponsalia inita non fuissent *(S. Alph.,* l. VI, n. 863).

946. *Resolve:* 1) Per supervenientem hæreditatem uni sponsorum sunt qui affirmant solvi posse sponsalia; tunc enim inter utrumque sponsum non amplius existit eadem rerum conditio; neque sponsus factus dives præsumitur contrahere voluisse (si id prævidisset) cum illa persona. Sed alii communissime negant; nam sponsus non fuit deceptus quoad conditionem suæ sponsæ, in qua quidem nulla facta fuit mutatio.

2) Si uni sponsorum offeratur conjugium cum alia excedenter ditiore, non auderem omnino damnare sponsum resilientem a prima; nam magno lucro renuntiare æquivalet magnæ jacturæ. Quanquam nec a contraria sententia abscedere nunquam consulere audeo; quia in prima sponsa nulla intervenit mutatio *(S. Alph.,* l. VI, n. 876).

3) *Status disparitas* per se est sufficiens ad sponsalia solvenda, si sponsi illam ignorabant; sponsalia semper inita censentur inter pares. Si autem disparitatem jam noverint, sed matrimonium non possit contrahi sine familiæ dedecore aut magno scandalo, adhuc promissio sponsalitia non obligat, utpote versans circa rem illicitam. At ista disparitas debet esse notabilis; puta si vir nobilis desponsaret filiam vilis mechanici vel agricolæ.

4) Si matrimonium contrahi possit sine familiæ dedecore, ut si disparitas sit tantum in divitiis, adhuc per se loquendo verius dicendum, sponsalia non obligare; quia illa promissio est nimis prodiga, ideoque illicita. Excipe, si fœmina peculiari prærogativa honestatis, nobilitatis, prudentiæ ac pulchritudinis præstaret, propter quam putet sponsus se cum ea quietam ducturum vitam; fieret enim compensatio. Et idem omnino est, si intercesserit defloratio; nam perditio virginitatis aut bonæ famæ saltem æquivalet excessui disparitatis sponsi, et ideo cessat prodigalitas *(S. Alph.,* l. VI, n. 851) (1).

(1) Si adsit causa sic contrahendi, sed contradicant parentes, et inde ex conjugio timeantur damna et odia inter ipsos, Sanchez docet, abstinendum a matrimonio ex

947. **Solutio sponsalium ob sponsi discessum.** Si sponsus inscia vel invita sponsa alio transferat domicilium, aut abeat in longinquo, etiam cum animo redeundi, poterit sponsa transire ad alias nuptias; nam tunc merito censetur sponsus juri suo renuntiasse.

Si secus, vel expectandum donec redeat; vel invitandus ut solvat promissa. Quod si requisitus reditum ex justa causa distulerit, ex jure canonico causa remittenda erit arbitrio judicis ecclesiastici, cujus erit admonere absentem, ut intra certum tempus contrahat; quo transacto, liberum erit comparti resilire *(S. Alph.,* l. VI, n. 866).

948. **Solutio sponsalium ob moram positam.** Si terminus non sit præfixus ad sponsalia implenda, per moram ex neutra parte ea dissolvuntur. Id tamen cum grano salis accipiendum; si enim nimis differatur tempus (ad duos aut tres annos, vel melius ultra terminum a judice definiendum) sponsalia solvi possunt ex parte ejus, qui non est causa dilationis; nam altera videtur cedere juri suo — Quod si terminus sit præfixus, videndum: an præfixus sit tantum ad obligationem non differendam; v. g. *contraho tecum, et volo, ut non protrahatur matrimonium ultra bimestre.* An vero ad obligationem extinguendam; v. g. *contraho tecum, dummodo intra bimestre matrimonium celebretur* (1).

Si 1, duplex est obligatio, una contrahendi, altera contrahendi intra bimestre: patet autem qui secundam obligationem neglexerit, eum priore adhuc esse devinctum: licere e contrario parti paratæ ad nuptias resilire, ob culpabilem alterius moram — Si 2, poterit item pars per quam non stetit dilatio, resilire, etsi sponsalia jurata sint: quod quidem commune est cum d. Thoma *(in* 4, *d.* 27, *q.* 2, *a.* 3). Imo id probabilius valet, quamvis sine culpa terminus elapsus sit; nam tempus apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis. Quod si ex utraque

lege caritatis; imo nulla esse sponsalia; cum sint promissio de illicito. Sed considerando, quod sola caritas hic urget, nescio quomodo obligari possit sponsus cum suo gravi incommodo ad tale matrimonium non contrahendum, ut vitet odia parentum (ideo magis quod inito matrimonio, facile scandala evanescunt et animi conciliantur). Excipe nisi orituræ essent publicæ perturbationes *(s. Alph.,* Ho. ap., tr. XVIII, n. 16).

(1) In dubio an terminus sit ad sollicitandum vel finiendum, communiter duas regulas adsignant: 1) Si terminus ab una tantum parte præfigatur, altera negative se habente, tunc ille censetur appositus ad sollicitandum; si vero ab utraque, ad finiendum. 2) Si terminus apponitur antequam sponsalia contrahantur, censetur ad finiendum; secus si post contracta sponsalia *(s. Alph.,* l. VI, n. 867).

parte stet culpa, utraque liberatur; quia tempore præfixo non contrahendo, uterque implicite proprio juri cedit *(S. Alph.,* l. VI, n. 868).

949. **Solutio sponsalium ob electionem status melioris.** Per se loquendo fas est post inita sponsalia Religionem eligere; quia promissio sponsalitia semper de jure censetur emissa sub conditione: *Nisi status perfectior eligatur.* Imo communissime (et verius) hoc valet, etiamsi sponsalia sint jurata; quia juramentum contractui adnexum sequitur naturam ejusdem.

Dixi *per se loquendo:* nam si sponsus jam sponsam spe matrimonii deflorasset, et multo magis si proles inde nata esset (quam præstat legitimare); vel aliter scandalo aut sponsæ infamiæ occurri nequeat, teneretur a Religione abstinere, votique dispensationem petere, si eam vovisset. Nam ipso naturali jure, scandalum, et grave damnum alteri illatum tollere cogimur ex gravi justitiæ obligatione *(S. Alph.,* l. VI, n. 870).

950. An autem liceat viro jam desponsato Ordines sacros suscipere inscia vel invita sua sponsa, alii negant; nam nullo jure concessum est Ordini sacro sponsalia dirimere, sicuti est datum statui religioso. Alii cum d. Thoma *(Suppl.,* q. 53) non minus probabiliter affirmant id licitum esse; nam in promissione sponsalium imbibita semper est conditio: *Nisi melior status eligatur;* ideo tenet votum de Ordine sacro suscipiendo, sicut item valet votum castitatis in sæculo servandæ (1).

Et tunc ex parte non voventis sponsalia solvuntur; nam altera pars vovendo censetur illis renuntiasse. An vero solvantur etiam ex parte ipsius voventis, alii negant cum s. Antonino; quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissæ, et ab ea acceptatæ. Sed alii cum d. Thoma affirmant; tum quia ubi occurrunt duæ obligationes, potior est præferenda; tum quia promissio sponsalium censetur generatim facta sub conditione: *Nisi status melior eligatur; non enim propositum aut promissum infringit qui in melius illud commutat.* Excipe, si nuptiæ celebrandæ sint ad prolem legitimandam, scandalum reparandum vel honori sponsæ providendum; cum aliter his malis non potest occurri *(S. Alph.,* l. VI, n. 873).

(1) Eum qui a sponsalibus recedit ob emissum castitatis votum, judex ecclesiasticus compellere solet, ut aut fidem sponsalium servet, aut in Religionem aliquam se recipiat; idque merito ad præcavendas fraudes eorum qui ad se eximendos a sponsalibus facili negotio possent hæc vota simulare. *Ballerini.*

Si votum sit tantum de suscipiendis Ordinibus minoribus (imo etsi minores Ordines jam suscepti sint) sponsalia firma remanent; quia per hoc matrimonium adhuc subsistere potest *(s. Alph.,* l. VI, n. 870).

951. **Auctoritas ad sponsalia solvenda.** Si causa sponsalia dissolvendi est certa, non requiritur judicis auctoritas, nisi ad vitandum grave scandalum. Si causa dubia est, ne compars se periculo exponat privandi alterum jure suo, recurrendum ad judicem ecclesiasticum. Cæterum quoties in ambiguo est, an liceat a sponsalibus resilire, potius resolvendum licere, ne coacta matrimonia fiant. *S. C. C.* 5 apr. 1851.

CAPUT QUINTUM

De Matrimonii Impedimentis.

952. **Matrimonii impedimenta.** Sunt *ea obstacula, quæ ex Ecclesiæ præscriptione vetant ritam matrimonii celebrationem.* Dicitur *ex Ecclesiæ præscriptione;* actus enim disponens ad hoc Sacramentum subjacet sub hac ratione juri Ecclesiæ. Et contraria propositio n. 58 Synodi Pistoriensis damnata est. Cæterum etiam impedimenta sunt quæ oriuntur ex jure naturæ.

953. *Divisio.* Sunt duplicis generis impedimenta: alia reddunt matrimonium tantummodo illicitum; et *tecnice* in Scholis nuncupantur *impedientia.* Alia non solum illud faciunt illicitum, sed etiam nullum; et dicuntur *dirimentia,* quæ nimirum matrimonium de jure dirimunt irritumque reddunt, ubi fortasse fuerit attentatum. Unde patet graviter peccare qui scienter matrimonium contrahit cum aliquo ex his impedimentis tum contra Ecclesiæ præceptum, tum contra Sacramenti reverentiam; imo aliquando etiam in censuram incidit (v. *n.* 972). D. Thomas, *Suppl.* q. 50).

954. *Effectus.* Impedimenta ligant etiam ea invincibiliter ignorantes, quia proprie non sunt nisi inhabilitates, quæ per se obtinent independenter a cognitione, et voluntate nostra; idque sive ignoretur impedimentum in se, sive ignoretur ex tali actu aut persona illud oriri. Quod communissime ac verius dicendum contra alios, etsi agatur de illis impedimentis, quæ videntur habere naturam pœnæ, uti est impedimentum criminis; nam nonnisi secundario rationem pœnæ habent; sed primario et principaliter habent rationem vinculi, quatenus inhabilitant ad contrahendum. Et praxis universa id firmat (1).

955. **Impedimenta impedientia.** Præter dissensum paren-

(1) *Quid de hæreticis?* Generatim impedimentis hæretici subjacent, neque sane ab auctoritate et legibus Ecclesiæ ob eorum desertionem suo marte liberandi sunt. Quam quidem doctrinam inculcat ac late prosequitur Pius VII ad Archiepiscopum Maguntinum Brevi 8 oct. 1803 (v. infra n. 979).

tum, defectum probationis status liberi, ignorantium elementorum fidei, quæ ex legis dispositione matrimonium impediunt; item præter peccatum mortale et excommunicationem, quæ prohibent Sacramentum vivorum utiliter suscipere; quatuor impedimenta impedientia enumerantur hisce versiculis:

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Ecclesiæ vetitum;* quo nomine intelligitur prohibitio Ecclesiæ, quæ quidem alia *generalis* est, nempe jure generali statuta, ut si fuerint omissæ sine causa proclamationes; si catholicus velit hæreticam ducere personam. Alia *particularis*, quæ respicit matrimonium hic et nunc contrahendum, ut si adsit impedimenti dirimentis suspicio: si unus sponsorum sit ligatus aliis sponsalibus; si ex conjugio exurgat vehemens timor gravis mali, puta scandali, rixarum.

II. *Tempus (feriatum* seu *sacratum):* est illud, quo ab Ecclesia sub gravi vetantur nuptiarum solemnitates; cum sit tempus aptius ad jejuniis et orationi vacandum. Incipit ab Adventu Domini a primis vesperis ad diem Epiphaniæ inclusive; et a die Cinerum ad Octavam Paschæ item inclusive ex Tridentino (sess. XXIV, c. 10 *de Ref.*). Nomine *solemnitatis nuptiarum* non intelligitur ipsa matrimonii celebratio; sed benedictio solemnis, quæ fit una cum Missa pro sponso et sponsa (vel cum eorum commemoratione, si Missa propria dici nequeat; vide *n.* 1022). Item prohibetur solemnis et publica traductio sponsæ in domum sponsi, atque convivia splendidiora et similia profanæ lætitiæ signa; attamen convivia et tripudia non prohibentur sub gravi, nisi excessus sit magnus; imo si fiant moderate, nulla erit culpa — Verum ferme ubique prohibitum est sine licentia Episcopi etiam matrimonium tunc contrahere.

III. *Sponsalia* semel legitima inita, nec legitime dissoluta sub gravi impediunt conjugium cum alia; nam non potest uni tradere, quod jam alteri promissum est.

IV. *Votum:* hic intelligitur votum simplex castitatis, sive Religionem ingrediendi, sive non nubendi, sive suscipiendi Ordines sacros. Porro per tale votum corpus voventis promittitur Deo; ergo non potest amplius dari alteri, quin graviter violetur fides Deo data *(S. Alph.*, l. VI, n. 982; v. t. I, n. 729).

956. **Impedimenta dirimentia.** Ecclesiam proprio et nativo jure habere potestatem constituendi impedimenta dirimentia

de fide est contra Waldenses, Lutheranos, Calvinianos, Jansenianos quibus subscripserunt moderni legulei. Matrimonium sane est verum novæ Legis Sacramentum; ergo omnia quæ illud respiciunt ad illam pertinere debet, cui Christus spiritualia commisit, id est Ecclesiæ suæ sanctæ — Neque tantum ipsum matrimonium; sed etiam causæ matrimoniales, quæ scilicet respiciunt ejus præparationem, celebrationem et vinculum. Hinc Tridentinum definivit: *Si quis dixerit Ecclesiam non posse aut non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; vel in iis constituendis errasse, anathema sit. — Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit* (sess. XXIV, c. 4 et 12).

Et Pius IX Allocutione 27 sept. 1853 declaravit, *a conjugali fœdere Sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.* Et in Syllabo propositionibus 68, 69, 74 damnat qui asserunt Ecclesiam non jure proprio et originario, sed mutuata potestate a civili lege impedimenta statuere; aut canones Tridentini hac de re non esse dogmaticos, aut causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere (1).

957. Potestatem autem impedimenta statuendi habet R. Pontifex ob plenitudinem jurisdictionis in Ecclesia universa. Item Concilium œcumenicum, cum totam repræsentet Ecclesiam. Idem dicendum de consuetudine legitime præscripta, quæ vim legis induit. At de potestate ordinaria ea constituere non potest Episcopus neque pro sua Diœcesi; tum quia res maximi momenti non decernuntur, nisi a suprema Sede; tum quia Urbanus VIII id expresse prohibuit.

(1) Confirmatur veritas catholica: 1) « Presso tutte le nazioni il matrimonio ebbe » un carattere religioso. 2) La Chiesa è legittima interprete della legge naturale, » e il matrimonio è innanzi tutto un patto naturale. 3) La Chiesa ha diritto e do- » vere di conservarsi perpetuamente, e il matrimonio cristiano origine e fonda- » mento della vita cristiana, ne è il mezzo necessario. 4) La Chiesa ha la divina » missione di condurre tutti gli uomini alla virtù e alla salute, le quali possono » essere grandemente giovate ed impedite da un felice od infelice matrimonio.... » 5) Il matrimonio è un Sacramento, e la Chiesa è custode e dispensatrice dei Sa- » cramenti; onde a lei spetta il determinare le condizioni, sotto cui si deve rice- » verli. 6). La Chiesa è erede di Cristo, il quale stabilì impedimenti e leggi ma- » trimoniali (*Matth.* V, IX; *Marci* X; *Lucæ* XVI). 7) Consta dalla storia che la Chiesa » esercitò sempre questo potere dai primi tempi sino ai nostri per mezzo de'Con- » cilj e de'Papi, e ciò per sè indipendentemente da ogni civile podestà. 8) Tutti » gli scrittori cattolici sino al secolo scorso, tranne pochissime eccezioni, attribui- » rono alla Chiesa questa podestà. » Ita cl. Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, § 381. V. propositiones 59 et 60 Synodi Pistoriensis damnatæ.

Principes autem sæculares possunt leges condere quoad jura civilia et politica, quibus gaudere debent qui rite matrimonium in faciem Ecclesiæ celebrant; non vero ejus vinculum moderari. Hinc d. Thomas: *Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit* (IV Sent. d. 42, q. 11). Ex quo enim Christus naturalem contractum matrimonii ad Sacramenti dignitatem evexit, et ita evexit, ut quoties personæ baptizatæ hunc contractum legitime efficerent, toties conficerent Sacramentum, matrimonium factum est quid unum et sacrum, atque ad forum ecclesiasticum pertransiit. Et ideo ab Ecclesiæ legibus *omnino pendet* (ut ait Gregorius XVI) *conjugii vis, robur, ac justa consociatio.* (Pluribus tuetur *Scavini,* l. III, nn. 766, 888, etc.; et *Perrone,* De Matrimonio.)

1958. Quindecim autem enumerantur impedimenta dirimentia:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus et impos,
Raptave sit mulier, parti nec reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Sapienti autem et paterna erga filios suos sollicitudine Ecclesia mota fuit, dum impedimenta statuit. Ut quid enim hæc constituta habemus? ut inter pares indivisibilis ista societas ineatur; en impedimentum *conditionis.* Ne lædatur illa reverentia, quam sibi mutuo debent propinqui, et caritas latius diffundatur contrahendo cum extraneis; en *cognatio, honestas, affinitas.* Ad plurima delicta præcavenda, *criminis.* Ad matrimonii libertatem curandam, *raptus.* Ad legitimitatem tuendam, *clandestinatis.* Ad ejus sanctitatem fovendam, *disparitas cultus* impedimentum habemus — Cæterum nihil impedit ut Ecclesia plura impedimenta statuat, aut ab illis dispenset, ut passim fit; cum operetur in re sua, idque Tridentinum definivit, sess. XXIV, can. 3 (Vide d. Thomas, *Suppl.* q. 50, et q. 54, a. 4; et *Contra Gentes,* l. III, c. 125).

Dices 1. *Si matrimonium Sacramentum est, neque Ecclesia aliquid circa ipsum potest; cum nihil possit in materia Sacramentorum*

R. Cum Billuart: Christus non elevavit qualemcunque contractum matrimonialem ad esse Sacramenti, sed tantum contractum legitimum: cum vero Dominus præcise non definierit in quonam ista legitimitas sit collocanda, id publico fidelium bono exigente, bene potuit Ecclesia statuere, cui Sacra a Christo ipso concredita sunt. Hoc autem non est mutare materiam et formam Sacramentorum in se ac formaliter sumptam (nam est semper sicut fuit contractus validus, seu consensus legitimus); sed tantum indirecte et materialiter, faciendo scilicet, ut quod prius erat consensus legitimus, et contractus validus, amplius non sit talis, ideoque non elevabilis ad esse Sacramenti. Sic v. g. qui ex aqua cervisiam faceret aut ex vino acetum, non ideo mutaret materiam Baptismi aut Eucharistiæ formaliter sumptam, quamvis faceret, ut quod prius erat materia illorum Sacramentorum, jam non sit

res quæ sit eorum materia. Tunc tantum mutaret formaliter, quando faceret, ut quod prius erat materia, manens immutatum desineret esse materia, nempe aqua manens aqua, vinum remanens vinum. Igitur Ecclesia non facit, ut consensus seu contractus manens legitimus non sit materia matrimonii; sed tantum facit, ut quod erat contractus legitimus, talis amplius non sit.

Dices 2. *Esto quod Christus legitimum ac naturalem contractum evexerit ad dignitatem Sacramenti; sed nonne principes ob bonum publicum contractus etiam naturales annullare possunt, apponendo nempe conditiones, sine quibus validi esse nequeunt?*

R. Esto quod principes sæculares ratione boni publici contractus mere naturales irritare valeant; at non ita est de contractu matrimoniali christianorum. Ex quo enim elevatus est ad Sacramenti dignitatem, spiritualis evasit et ab ipso Sacramento inseparabilis; illum ergo moderare ad solam illam auctoritatem spectat cui a Christo Sacramentorum cura demandata fuit. Hinc Tridentinum: *Sancta enim res est matrimonium et sancte tractandum* — Imo in probabiliori sententia principes aliquid possunt in ipsis matrimoniis infidelium in se spectatis; sed tota auctoritas coarctatur ad effectos extrinsecos et civiles. Etenim Deus ipse qui in paradiso proto-parentes nostros conjunxit præoccupavit quamcunque legislationem humanam. Cum porro Christus hunc divino-naturalem contractum ad dignitatem Sacramenti evexit per adjectionem gratiæ suæ, nihil circa ejus intimam immutavit naturam, nihilque subtraxit principibus, sed jus quod habebant intactum reliquit, jus nempe quod attingit effectus exteriores et civiles, atque Ecclesiæ auctoritati sacramentum Matrimonii commisit (v. Scavini, l. III, n. 770. Perrone, *Op. cit.).*

« Il dire che fanno gli avversarj, aver Cristo innalzato a Sacramento il contratto *civile*, urta con ciò che il matrimonio fu sacro fin dalla culla del genere umano. Urta col buon senso ammettendo come elemento del Sacramento la volubilità delle leggi umane.... E finalmente a tacere il resto, il selvaggio cristiano prima dovrebbe essere sociale, e poi contrarre il matrimonio. » *Cercià.*

Art. 1. — Error, Conditio, Votum, Cognatio.

959. **Erroris impedimentum.** Error est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex errore circa personam.*

Quadruplex distinguitur error: personæ, fortunæ, conditionis ac qualitatis. *Error personæ* est quando hic putatur Virgilius, et est Plato. *Error fortunæ*, quando v. g. hic putatur dives, et est pauper. *Error conditionis,* quando hic putatur liber, et est servus servitute vera seu stricta (de qua erit infra). *Error qualitatis,* quando hic putatur bonus, sed est malus.

I. Error circa *personam* dirimit matrimonium ipso jure naturæ; personæ enim contrahentium sunt ipsum substantiale objectum matrimonii. Id tenet, etiamsi error sit concomitans, vincibilis et crassissimus; adest semper error circa substantiam. Hinc matrimonium Jacob cum Lia fuit nullum; quia ipse putabat eam esse Rachelem: quare nonnisi accedente postea consensu, validum evasit.

II. Error circa *fortunam* et *qualitatem* non irritat matrimonium; nam non afficit essentiam seu objectum contractus;

cum objectum sit persona, non ejus qualitas vel fortuna. Et hoc currit juxta communem ac veriorem sententiam cum d. Thoma, etiamsi error dederit causam contractui: nam adhuc habemus voluntarium simpliciter circa substantiam, quæ est persona. Excipe, nisi fortuna vel qualitas personæ directe et principaliter intendatur, ut notat idem d. Thomas, *Suppl.* q. 51, a. 2; nam tunc error qualitatis in substantiam redundaret.

Resolve: 1) Si quis ducat viduam putans se ducere virginem, etsi per fraudem in errorem inductus fuerit, valet matrimonium. Nam hic fraus non influit in rei substantiam.

2) Valide contrahit puella nobilis cum viro vago, qui falso se nobilem jactitat, quamvis (si id sciverit) non contractura. Nam de facto vere et absolute cum illo contraxit.

3) Invalide contrahit qui aperte diceret: *Volo ducere divitem, et ideo duco Titiam, quia talis est;* sed talis non sit. Tunc enim qualitas esset deducta in substantiam *(S. Alph.*, l. VI, n. 1013).

960. **Conditionis impedimentum.** Definitur: *Inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex servitute stricte sumpta.* Hi non veniunt *famuli,* qui ad tempus locant operas suas, et dicuntur *domestici.* Neque *servi glebæ* seu *adscriptitii,* qui agro colendo in dominorum suorum utilitatem adscripti sunt. Neque *servi pœnæ,* qui ob crimina damnati sunt ad pœnam, licet perpetuam. Sed servi *stricte tales*, et nuncupantur *mancipia,* quia sunt in totali potestate domini, qui eos vendere et locare valet, eorumque lucra semper eidem domino acquiruntur (D. Thomas, *Suppl.* q. 51).

Porro si persona libera contrahit cum mancipio ejus servitutem ignorans, matrimonium jure canonico nullum est; etsi ignorantia sit crassa. Dicitur: 1) *Si persona libera;* nam serva valide servam ducit, etsi eam liberam putet — 2) *Ejus servitutem ignorans;* secus vero si sciat esse servam, vel si cognita servitute, matrimonium ratificet; sed tunc fieret irregularis *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 1017) (1).

961. **Impedimentum voti.** *Est inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex voto solemni castitatis emisso in professione religiosa.* Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem sole-*

(1) Servus autem per se matrimonium contrahere potest invito domino; nam servitus, quæ est de jure positivo et humano, non potest præjudicare matrimonio, quod est de jure naturali et divino. *Angelicus.*

mniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit (sess. XXIV, c. 9). Imo contra clericos in Sacris et regulares ac moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; nec non contra omnes qui cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumunt, lata est excommunicatio ipso facto Ordinariis reservata ex Constit. *Apostolicæ Sedis* (v. *t.* I, *n.* 620).

Dixi ex *voto solemni;* quia votum simplex, quod emittitur in aliis religiosis congregationibus, est tantum impedimentum impediens, ut ait Cœlestinus Pp. III — Si excipias: 1) Votum simplex castitatis, quod emittere debet uxor, quæ consentiat virum sacro Ordine initiari; viro e vivis erepto, mulier nequit ratione illius voti alio matrimonio valide copulari, ut docet ex jure communior et valde probabilis sententia — 2) Votum simplex castitatis in Societate Jesu emissum post biennium novitiatus. Hoc item dirimit matrimonium ex Bulla Gregorii XIII *Ascendente*, nisi Generalis illius Ordinis dispenset *(S. Alph.*, l. VI, n. 1025; *Scavini*, l. III, n. 907).

Probabilius est cum d. Thoma votum solemne matrimonium de jure divino dirimere; nam in voto solemni corpus non tantum promittitur, prout in voto simplici; sed per acceptationem legitimam prælatorum corpus insuper Deo traditur. Ab hoc tamen voto, urgente gravissima causa, potest Pontifex dispensare declarando quod magis conveniat et Deo gratum sit *(S. Alph.*, l. III, n. 256) (1).

962. **Cognationis impedimentum.** Cognatio est vinculum personarum; et alia est *naturalis*, quæ oritur a generatione carnali. Alia *spiritualis*, quæ oritur ex Baptismo et Confirmatione. Alia *legalis*, quæ oritur ex civili adoptione. Et ideo impedimentum cognationis est: *Inhabilitas ad contrahendum matrimonium inter personas vel carnaliter, vel spiritualiter, vel legaliter propinquas.*

963. **Cognatio naturalis.** Seu *consanguinitas* (quasi *sanguinis unitas)* definitur: *Vinculum personarum ex eodem proximo stipite descendentium per carnalem generationem.*

Dicitur 1) *Ex eodem proximo stipite descendentium.* Quia

(1) Promissio alicujus rei non transfert rem in dominium ejus, cui promittitur; cum igitur in voto simplici non adsit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta, post votum simplex homo potest valide etsi illicite corpus suum alteri dare, id est uxori, et per consequens matrimonium fieri quod indissolubile est. In voto vero solemni, et corpus promittitur et datur Deo, ideo valide non potest amplius dari alteri. Inde est quod tantum votum solemne matrimonium dirimit. D. Thomas, *Suppl.* q. 53.

DE MATRIMONIO

SCHEMATA AD GRADUS CONSANGUINITATIS DIGNOSCENDOS

PRIOR METHODUS

Abavus (Trisavolo)

(Proavia bisavola)	*Proavus (bisavolo)*
1. Julia Noel uxor Titii Pascal	1. Arthur Noel
Avus (avo)	*Avus (avo)*
2. Mævius Paschal	2. Maurus Noel
Pater	*Pater*
3. Paulus Pascal	3. Hector Noel
Sponsus	*Sponsa*
4. Petrus Paschal	4. Maria Noel

In quo exemplo Petrus Paschal et Maria Noel sunt consanguinei in quarto gradu æquali.

Del Vecchio *Compendium* T. II, n. 964.

Methodus Altera



Nota 1ª Personæ quæ tractu conjunguntur, sunt inter se in linea recta cum cæteris in linea collaterali.

2ª Ubi lineæ conjunguntur ibi stipes habetur.

3ª Numerus superior in unoquoque circulo designat gradum secundum jus canonicum, inferior secundum jus civile.

stipitis remoti in linea transversali nulla habetur ratio; alioquin omnes homines essent consanguinei, utpote omnes ab uno Adamo procedentes — 2) *Per carnalem generationem,* idest ex copula carnali, quæ nihil refert ad consanguinitatem, utrum licita an illicita; utrum ex patre et matre simul, an ab alterutro tantum generatio deducatur *(S. Alph.,* l. VI, n. 1029).

Tria autem in consanguinitate consideranda sunt: 1) *Stipes,* seu persona, ex qua aliæ originem ducunt — 2) *Gradus,* seu mensura distantiæ unius personæ ab altera — 3) *Linea,* seu personarum series ab uno stipite descendentium. Linea autem duplex est: alia *recta,* et est series personarum, quarum una descendit ab alia, ut sunt pater et filius. Alia *collateralis* seu *transversalis,* et est series personarum, quæ licet stipitem communem habeant, aliæ tamen ab aliis non descendunt, sed sunt quasi a latere juncti, ut sunt fratres. Ipsa linea collateralis est *æqualis* vel *inæqualis,* prout videlicet consanguinei æqualiter a communi stipite distant, vel distant inæqualiter (v. nn. 74 etc. D. Thomas, *Suppl.* q. 54, a. 2).

Certum est jure ecclesiastico consanguinitatem in quocunque lineæ rectæ gradu matrimonium dirimere; in linea autem collaterali dirimit inclusive usque ad quartum gradum (quoad *jus naturæ* v. *t.* I, *n.* 469) — Potest vero consanguinitas inter easdem personas oriri ex multiplici capite; et tunc erit multiplex propinquitas seu impedimentum, v. g. si duo fratres duas fœminas sibi consanguineas ducant, liberi ex utroque conjugio provenientes dupliciter erunt inter se consanguinei *(S. Alph.,* l. VI, n. 1029).

964. **Methodus ad inveniendos gradus consanguinitatis.** *Prior methodus.* Si cognitus sit stipes, seu homo a quo personæ de quibus quæritur, descendunt, scribas illius nomen in charta, et infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usque dum pervenias ad eas personas, quæ connubio jungendæ sunt: facile inde gradus computabis. Si vero incognitus sit stipes, sic procedas: scribas in inferiori parte chartæ nomen sponsi ad unum latus et nomen sponsæ ad alterum. Dein adnotes supra nomen sponsi nomina eorum consanguineorum, a quibus ipse descendit; idem facito quoad sponsam. Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte et videas utrum sponsi conveniant in communi stipite. Quod postquam inveneris, simulque animadverteris utrum ipsi sint in linea æquali, an inæquali, applicas regulas sequentes: — 1. In *linea recta* tot numerantur gradus, quot personæ, dempto semper communi stipite: v. g. pater, filius, nepos et pronepos quatuor sunt personæ, sed tres tantum gradus, quia tres tantum sunt generationes et tres personæ, dempto stipite, nempe patre. Ideo stipes non est gradus, sed est unde fiunt gradus — 2. In *linea collaterali æquali* tot gradibus duo distant

inter se, quot singuli distant a communi stipite: v. g. frater et soror sunt inter se in primo gradu: quia in una parte una tantum habetur persona — 3. In *linea collaterali inæquali*, tot sunt gradus quot personæ in parte remotiori inveniuntur. Hinc si unus distet a communi stipite tribus gradibus et ejus consanguinea quatuor, erunt inter se consanguinei in quarto gradu juxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.*

Methodus altera. Ad gradus dignoscendos, scilicet cum arbore consanguinitatis, de qua hic ponitur exemplar. Si igitur scire cupis in quo consanguinitatis gradu distent inter se duæ personæ, colloca unam ex iis in cellula vacua N.; ac dein attende, an sint in linea recta vel transversa; si deprehendas, eas esse in *linea recta*, regulam pro linea recta datam applica, et numera generationes vel personas, una dempta, et habebis gradum. Si vero existant in transversa, ex cellula in qua posuimus N. ascende usque ad cellulam, in qua repetitur stipes, seu commune utriusque principium proximum, sive in qua conveniunt ambæ personæ. Si *æqualiter* ab hoc principio distant, applica regulam pro linea transversa æquali, et numerando invenies gradum, in quo distant inter se. Si vero *inæqualiter* a communi stipite proximo distant, applica regulam de linea transversa inæquali, et prodibit distantia.

965. **Cognatio spiritualis.** Est *propinquitas personarum jure ecclesiastico inducta proveniens ex sacramentis Baptismi vel Confirmationis.* Ex Tridentino cognationem contrahunt baptizans (vel confirmans), et patrini cum baptizato (vel confirmato) ejusque patre et matre (sess. XXIV, c. 2 *de Ref.*). D. Thomas, *Suppl. q.* 56; et s. Alph., *l.* VI, *n.* 1028 (1).

Cum autem Baptismus sit quædam spiritualis generatio, et Confirmatio Baptismi complementum, congruum fuit, ut sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis, ita ex generatione spirituali ab Ecclesia induceretur spiritualis cognatio. *S. Thomas.*

966. Ut valide contrahatur cognatio spiritualis in Baptismo, requiritur: 1) Ut patrini (idem valet de baptizantibus) sint baptizati; quia nequit spiritualis esse pater aut tutor, qui spiritualiter nondum natus est. Nec refert si hæretici sint; nam quisquis characterem baptismalem habet, est capax hujus cognationis et Ecclesiæ legibus subditur.

2) Ut patrini habeant usum rationis; alioquin humanitus capaces non forent illius muneris suscipiendi. At maxime convenit ex Rituali, ut sint in ætate pubertatis et jam confirmati. Nihil tamen refert si patrinus sit ætate minor baptizando.

3) Ut gerant intentionem patrini obeundi officium. Non tamen, ut habeant intentionem contrahendi ipsam cognationem.

(1) Cognatio spiritualis multiplex esse potest, uti si duo invicem alter alterius filios tenuerit; vel si unus alium tenuerit in Baptismo et Confirmatione; non autem multiplicatur, si quis plures filios ejusdem patris in Baptismate tenuerit, vel in Confirmatione tantum; quia cognatio ex eo fonte orta est semper eadem (v. *Scavini*, l. III, nn. 892 et seqq., *ubi plurimæ quæstiones*).

4) Ut in actu ablutionis infantem physice tangant. Id eruitur ex declaratione S. Congr. de Propaganda fide 21 jan. 1856. In qua item dicitur, quod patrinus vel matrina satis est, si physico infantis contacto jungat se cum eo, cujus manibus puer defertur; nec opus esse, ut suas in manus infantem excipiens ministro exhibeat baptizandum.

5) Ut sint designati (etsi plures) vel admissi a parentibus, aut a Parocho seu ministro baptizante, cujus est supplere parentes. Si parochus injuste repellat designatos a parentibus et illi infantem teneant, veram cognationem contrahunt.

6) Tandem oportet, ut Baptismus reapse administretur: hinc non contrahitur cognatio, si tantum cærimoniæ suppleantur. Item patrini probabilius non contrahunt cognationem, si adhibeantur in Baptismo privato; sed illam contrahit baptizans, etsi in necessitate baptizet (*S. Alph.*, l. VI, n. 149) (1).

967. Ad valide cognationem in *Confirmatione* contrahendam non tantum oportet, ut susceptores sint baptizati, designati, habeant usum rationis, et animum tale officium gerendi et de facto gerant in Confirmatione valida confirmatum tangendo; sed requiritur insuper ut jam confirmati sint, uti docet probabilius Renzi afferens declarationem S. Concilii Congr. Et certo peccaret graviter ille, qui non confirmatus teneret (*S. Alph.*, l. VI, n. 186).

968. **Cognatio legalis**. Est *propinquitas personarum proveniens ex adoptione*, quæ est assumptio personæ extraneæ in filium. A jure civili statuta fuit ad supplendum filiorum defectum; sed tunc tantum evasit dirimens impedimentum cano-

(1) Quando sub conditione administratur Baptisma, generatim præsumitur tunc fieri Sacramentum; ideo et cognationem contrahi. Si infans suscipiatur procuratorio nomine, solus mandans contrahit cognationem. Si tota communitas eligatur pro munere patrini ex Giraldi cognationem contrahit, qui nomine illius patrinum agit; cum communitas ut persona ficta illam contrahere nequeat. Sed juxta alios, illam nemo contrahit; nam procurator non agit proprio nomine. *Vecchiotti*.

Notant Salmanticenses non posse eandem personam simul puerum et baptizare et levare; nam juxta literam legis patrinus alius esse debet ab illo qui baptizat. Et multo magis juxta legis mentem; nam plerunque Parochi baptizant, quibus non convenit officium pædagogi ad instruendum puerum, si illum et baptizent et simul suscipiant; cum jam sint occupati circa communem populi curam, ut notat Angelicus, 3 p. 67, a. 7.

Attamen alii id putant et valide, et licite fieri in necessitate; cum nihil obstet, et hæc duo munera non pugnent inter se. Imo in aliquibus montanis regionibus aliquando Parochos (patrinis deficientibus), et baptizare et simul puerum suscipere dicunt, quin Prælati reclament. Parochus autem officium suum rite implendo, quoad suos parochianos, etiam pædagogi officium exercet erga puerum a se susceptum.

nicum, quando illam Ecclesia recepit (1). Ideo ab Ecclesia obtinenda dispensatio; verum quoad existentiam impedimenti, in dubio recurrendum ad leges civiles ex Benedicto XIV (*S. Alph.*, l. VI, n. 1027).

Porro a lege civili apud nos quoad adoptionem matrimonium prohibitum est: 1) Inter adoptantem et adoptatum, et hujus descendentes — 2) Inter filios adoptivos ejusdem personæ; inter adoptatum et filios qui supervenerunt adoptanti — 3) Inter adoptatum et conjugem adoptantis; inter adoptantem et conjugem adoptati (*a.* 601) (2).

ART. 2. — Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo.

969. **Impedimentum criminis.** Definitur: *Inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium orta vel ex adulterio sive cum promissione matrimonii de futuro, sive cum attentatione matrimonii de præsenti; vel ex conjugis homicidio; vel ex utroque simul, id est homicidio et adulterio.*

I. *Ut adulterium cum promissione matrimonii de futuro* (id est post mortem conjugis) *inducat impedimentum,* ex parte adulterii requiritur: 1) Ut illud sit *verum,* nimirum in matrimonio valido — 2) *Consummatum,* ut nempe intercesserit copula carnalis perfecta, ita ut vir et fœmina efficiantur una caro per admixtionem seminum, ut commune est cum d. Thoma (id tamen in foro externo semper præsumitur, ex quo copula

(1) *Legibus humanis* (ad rem Angelicus in 4, d. 42, q. 11, a. 2) *prohibitum est inter tales* (adoptantem et adoptatum) *matrimonium contrahi; et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata; et inde est, quod legalis cognatio matrimonium impediat* (dirimat). *Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.*

(2) Olim distinguebatur adoptio in perfectam et dicebatur *adrogatio,* et in imperfectam; sed hodie non amplius fit mentio hujus duplicis adoptionis. An vero adoptio inita juxta normam quam moderni Codices civiles præscribunt, adhuc canonicum impedimentum inducat, sunt qui cum Gury et André negant; nam Ecclesia non sancivit nisi adoptionem romani Juris: talis porro non est quæ nunc viget in pluribus regnis, quæ item nonnisi imperfecta adoptio est.

Verum cum Carrière et Bouvier (et quidem melius, uti ait Giovine) affirmant: nam adoptio inita juxta normam hodiernam, etsi in accidentali adoptionis forma discordet, convenit tamen substantialiter cum adoptione perfecta romani Juris; nam adhuc adoptio fit cum juris solemnitate, et adoptatus ad instar veri filii habetur, hujusque juribus gaudet, jungens etiam suo adoptantis cognomen. Hoc S. Pœnitentiariæ auctoritate firmatur, quæ interrogata an adoptio in Gallia vigens in præsentiarum (quæ eadem est ac illa quæ obtinet in Italia et fere ubique) dirimat matrimonium, respondit 17 maji 1826 Vicario generali Petrocoriensi (de Perieux) *affirmative, si res sit de adoptione legitima inita,* id est inita juxta normam ac solemnitates legis civilis.

locum habuit) — 3) *Formale,* nempe ut uterque delinquens cognoscat alterutram partem esse conjugatam.

Ex parte vero promissionis requiritur: 1) Ut ea facta sit *vivente eodem conjuge:* quia non contrahitur impedimentum, si promissio in uno matrimonio facta sit, et adulterium in alio perpetratum — 2) Ut sit *acceptata* aliquo signo exteriori; nam taciturnitas in odiosis non habetur uti confessio. Sed probabilius non requiritur repromissio; jus enim non requirit nisi *fidem datam* — 3) Ut promissio probabilius non fuerit *ficta;* secus non haberetur vera promissio, sed fictio promissionis. Item ut ante adulterium illa non fuerit retractata — 4) Ut si promissio fuerit conditionata, conditio verificetur ante patratum adulterium, ut communiter tradunt.

II. *Ut adulterium cum matrimonii attentatione de præsenti inducat criminis impedimentum,* ex parte *adulterii* requiritur, ut illud sit verum, consummatum et formale. Ex parte *attentationis* requiritur probabilius, ut attentatio et adulterium fiant durante eodem conjugio (1).

III. *Ut homicidium solum inducat criminis impedimentum,* requiritur: 1) Ut occisio secuta sit communi consilio viri et mulieris; neque sufficit, quod quis audiens conjugis occisionem eam ratam habeat — 2) Ut fiat cum intentione matrimonii ineundi cum complice homicidii. Etsi autem sufficiat, ut hæc intentio sit ex parte unius; requiritur tamen probabilius, ut aliquo modo alteri manifestetur, seu ut aliquo modo percipiatur, uti si præcesserint munera, familiaritates, etc.

IV. *Ad inducendum criminis impedimentum ex homicidio una cum adulterio,* ex parte *adulterii* requiritur, ut illud sit consummatum et formale; et vivente conjuge patratum, secus esset fornicatio, non adulterium — Ex parte vero *homicidii,* ut cum intentione matrimonii ineundi sit perpetratum; atque (prout probabilius videtur), ut hæc intentio sit comparti aliquo modo cognita. Hinc infertur quod si vir uxorem occidat, ut liberius adultera fruatur, etsi ista consenserit in homicidium, sed abs-

(1) Sed nihil refert sive copula præcesserit attentatum sive non. Requirit tamen Aversa quod hoc matrimonium nisi adesset impedimentum ligaminis, esset validum; ideo non subsisteret criminis impedimentum, si contraheretur clandestine vel contrahere tentantes essent aliquo alio dirimente impedimento ligati; nam tunc non haberetur figura veri matrimonii — Verum contradicit Sanchez, quia cum sufficiat promissio matrimonii pro futuro inter tales, multo magis sufficiet attentatio illius de præsenti, cum hæc attentatio sit veluti illius promissio pro futuro, eo quod velint eorum matrimonium esse perpetuum; et ideo in hoc casu necesse non est, ut attentatio præseferat figuram ecclesiastici conjugii.

que intentione matrimonii ineundi, impedimentum non contrahitur *(S. Alph.,* l. VI, nn. 1033, etc.) (1).

Casus. Leonilla uxor mariti jugiter infirmi ac senis cum frustra ut e vivis tandem abiret centies vota emississet, quadam die in cubiculo suo clausa sciensque se a famulo audiri posse sic ingemiscit: *O, si a tam dira peste me liberare possem, libenter, loco sordidi istius senis, juveni famulo meo nuberem.* Hæc audiens famulus pergit ad senem, misero ad citius moriendum præbet auxilium; et transacto luctus tempore, dominam suam ducit. An adsit criminis impedimentum?

Minime cum deficiat acceptatio promissionis; promissio siquidem in contractu non consummatur sine acceptatione. Illud autem qui tacet consentire videtur, *non valet in onerosis, uti est matrimonium; neque in odiosis, ut res est quæ post se trahit impedimentum criminis.* Elbel, Bonacina, aliique contra alios.

970. **Cultus disparitas.** Est *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium inter personas, quarum una est baptizata, altera non.* Quare invalide contraheret baptizata cum catechumeno, vel cum invalide baptizato, licet id ignoretur. Inductum est generali Ecclesiæ more, qui a sæculo XII vim legis obtinuit ex Benedicto XIV, Constit. *Singulari.* D. Thomas, *Suppl. q.* 59, a. 1, ait: *Qui est in luce fidei non potest contrahere cum illa, quæ est in tenebrisin fidelium* (S. Alphonsus, l. VI, n. 1044).

Pontifex nonnisi urgentissima de causa solet dispensare ab hoc impedimento; maxime si agatur de conjugio cum Judæo. Sed quoad barbaras nationes adhuc infideles indulgentiorem se exhibet; semper tamen posita conditione, ut in tuto sit fides contrahentis catholici ac prolis; et adsit probabilis spes de conversione partis infidelis. *S. Congr. Propagandæ fidei,* 13 sept. 1766.

971. **Vis** (seu metus). *Inhabilitas est ad contrahendum matrimonium orta ex vi, seu metu gravi injusto.* Requiritur autem ut metus gravis et injuste incussus sit ad matrimonium extorquendum. Metu durante, jure saltem ecclesiastico, matrimonium dirimitur, licet ei accedat juramentum.

I. *Metus gravis,* qui nempe talis sit respective ad persosonas: nulla enim lege levis metus invalidat matrimonium, cum non auferat sufficientem deliberationem. Idem dicendum de *metu reverentiali,* nisi sit conjunctus cum timore gravis damni, diuturni odii, etc.

(1) Qui adhuc infideles hoc crimen patrarunt, impedimento non ligantur, et post Baptismum possunt secum criminosi contrahere. *S. C. de Propag.* 23 aug. 1852.

Qui leviter percutit, sed inde conjugis mors sequatur ex imperitia medicorum, non contrahit impedimentum; cum mors non sit secuta vi percussionis. Si impedimentum criminis, secuta occisione, sit publicum, nullo exemplo constat Pontifices dispensasse; raro autem si impedimentum sit occultum dispensat Pœnitentiaria ex Benedicto XIV, Epistola *Æstas anni* 11 oct. 1757.

II. *Injuste incussus;* si enim metus incutiatur justa de causa, et qui eum patitur, matrimonium eligat ad damnum quod timet effugiendum, valebit matrimonium. Hinc, si quis contrahat irrationabiliter invitus vel ex metu gehennæ, valide contrahit; quia nulla ei vis infertur.

III. *Ad matrimonium extorquendum;* secus dici nequit quod matrimonium contrahatur ex metu; sed sponte eligeretur uti medium ad declinandum malum, quod timetur. Ita si pater inveniat stupratorem filiæ suæ, et minas mortis incutiat ad matrimonium extorquendum, illud erit invalidum; quia tunc directe extorqueretur matrimonium. Excipe si stuprator nollet vel non posset alia via damnum reparare; nam quando non dotat, tenetur omnino ducere violatam. Item est si pater minas incutiat ad ulciscendum injuriam sibi irrogatam, et stuprator ad ejus iram sedandam nuptias offerat, valet conjugium.

IV. *Jure saltem ecclesiastico.* Verum forsan probabilius etiam jure naturali; nam matrimonium est vinculum perpetui amoris; at repugnat ut amor a metu producatur, ut ait d. Thomas, *Suppl.* q. 47, a. 3 *(S. Alph.,* l. VI, nn. 1045 et seqq.).

Hæc tamen notanda: 1) Metum non ita facile probari posse; ideo in dubio judicatur in favorem initi matrimonii — 2) Matrimonium in faciem Ecclesiæ rite semel celebratum, sed invalide per metum, convalescere per spontaneam cohabitationem vel voluntariam copulam prorsus liberam ac maritali affectu habitam. Habentur enim hæc uti signa novi ac liberi consensus; quin ipse renovetur coram Parocho et testibus, si tamen metus impedimentum omnino occultum fuerit. Ex *Jure canonico.*

972. **Impedimentum Ordinis.** Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex sacro Ordine suscepto* (1). Imo clerici in Sacris constituti vel Regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes incurrunt ipso facto excommunicationem Ordinariis reservatam (*t.* I, *n.* 620) — Imo si quis pertinaciter contenderet tale matrimonium esse validum, non obstante Ecclesiæ prohibitione vel voto, esset etiam hæreticus ex Tridentino *(sess.* XXIV, *can.* 9 *de Matr.).*

(1) Et ideo Ordo sacer dirimit matrimonium contrahendum, non jam contractum licet sit ratum tantummodo. Sed votum castitatis in religiosa professione emissum dirimit matrimonium contrahendum; et potest etiam dirimere jam contractum, modo non sit consummatum (v. infra n. 1059).

Hoc impedimentum a primis Ecclesiæ sæculis obtinuit (t. I, n. 241). Hinc in Syllabo damnatur propositio 72: *Bonifacius VIII* (qui vixit sæculo XIII) *votum castitatis in Ordinibus emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.*

Docent probabilius votum Ordini sacro adnexum dirimere matrimonium solo jure Ecclesiæ (ideo dispensari posse). Nam continentia non est Ordini de necessitate naturæ conjuncta, sed tantum de Ecclesiæ ordinatione. *D. Thomas,* 2, 2, q. 88, a. 11 *(S. Alph.,* l. VI, n. 1059).

ART. 3. — Ligamen, Honestas, Ætas, Affinis.

973. **Impedimentum Ligaminis.** *Ligamen,* prout est impedimentum dirimens matrimonii, est: *Inhabilitas* seu *vinculum, vi cujus qui matrimonio legitime contracto, ac eo durante ligatus est, non potest aliud valide inire.*

Unde qui bona fide contraxit secundum matrimonium, putans priorem conjugem esse mortuam, si postea certo sciat ipsam vivere, etsi id probare nequeat, debet a secunda conjuge separari. Si vero dubitat de vita prioris conjugis, tenetur ante diligentem veritatis inquisitionem abstinere a debito conjugali petendo. Ex his patet, certa indicia requiri solutionis prioris conjugii, ut aliud permittatur. Nec sufficit sola et lunga unius conjugis absentia; nam sola absentia non certo arguit mortem. Nec sola fama ex incerto rumore; quia dictum inane facile sequitur multitudo. Nec ordinarie unicus testis; cum vox unius sit vox nullius *(S. Alph.,* l. VI, n. 1060; *Scavini,* l. III, n. 898; et infra n. 1069).

Cæterum matrimonium ob aliquod impedimentum nullum, si sit ab una saltem parte bona fide contractum, non tantum jure canonico, sed civili lege (quoad suos respective effectus) habetur uti legitimum, et filii legitimi reputentur; si tamen conjugium fuerit præscriptis solemnitatibus celebratum *(a.* 116).

974. **Publica honestas.** Est propinquitas (seu inchoata quædam affinitas), quæ oritur ex conjunctione non corporum, sed animorum; id est tum ex sponsalibus tum ex matrimonio rato, seu non consummato. Ideo publica honestas est *inhabilitas canonica orta ex tali propinquitate, ad matrimonium.*

Regula 1.ª Si hæc honestas oriatur a sponsalibus, ex Tridentino *(sess.* XXIV, hic) dirimit matrimonium inter unum et consanguineos alterius sponsorum, sive legitimos sive illegitimos, ad primum gradum tantummodo. Sed necesse est ut sponsalia sint: — 1) *Valida:* hinc non exurgit impedimentum ex sponsalibus fictis, vel alio vitio nullis; v. g. initis inter eos qui diri-

mente impedimento detinentur nondum dispensato, utpote nondum habiles, ex S. C. C. 26 jan. 1709 — 2) *Absoluta:* vel si conditionata, oportet, ut conditio jam verificata sit. Non tamen officit si sponsalia privatim inita fuerint, vel legitime soluta; modo semel valida fuerint *(S. Alph.*, l. VI, n. 1061).

Regula 2.ª Si publica honestas oriatur a matrimonio rato, ex s. Pio V ipsa contrahitur inter maritum et consanguineos uxoris ad quartum gradum; et vicissim inter uxorem et consanguineos viri item ad quartum gradum inclusive. Neque obstat quod matrimonium fuerit invalidum, v. g. ob aliquod impedimentum dirimens, puta clandestinitatem, ut verius docent.

Excipe 1. Si invaliditas matrimonii proveniat a priori impedimento publicæ honestatis orto ex sponsalibus jam valide contractis; tunc jure constitutum est, ut non oriatur impedimentum in præjudicium priorum sponsalium. Hinc si Cajus, initis sponsalibus cum Lucia, eaque relicta, ejus sororem ducat in matrimonium, ad Luciam redire potest (et debet ut satisfaciat promissis): quin indigeat dispensatione; nisi matrimonium etiam consummaverit (1). Ratio quia tale matrimonium invalide contractum non retroagit, nec ideo inducit impedimentum honestatis relate ad Luciam (2).

Excipe 2. Si matrimonii invaliditas directe oriatur ex defectu consensus, ut excipit jus. Hinc non oritur publica honestas, si matrimonium cum amente, ebrio, vel ex errore personæ, aut ex metu gravi vel ficto consensu contractum fuerit *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 1064).

975. **Impedimentum ætatis.** Est *inhabilitas orta ex defectu ætatis sufficientis ad matrimonii officia.* Jure naturæ præter consensum ad validum matrimonii contractum non plus requi-

(1) Aliter esset, si Cajus matrimonium cum sorore Luciæ consummaverit. Tunc neutram ducere potest sine dispensatione: non Luciam ob exortam affinitatem ex illo illicito commercio cum ejus sorore; non sororem, ob jam existens impedimentum honestatis (v. *Scavini*, l III, n. 913).

(2) Cap. ult. *de spons.* Sed impedimentum oritur relate ad ejus consanguineos, quia exceptio est tantum in favorem priorum sponsalium.

Quid vero si antequam Cajus Luciæ sororem duceret, soluta fuissent priora sponsalia inita inter Cajum et Luciam? posset adhuc Cajus redire ad ipsam Luciam? — Plures adhuc affirmant; nam jure statutum est secunda sponsalia non habere vim retroagendi ad dirimendum matrimonium primitus promissum; nec refert quod soluta sint priora sponsalia; si enim nova contrahantur, non tam nova sunt, quam priorum renovatio et reviviscentia. Alii vero id negant (et contendunt id declaratum a S. C.), quia publica honestas tunc tantum habet privilegium non retroagendi, cum est in præjudicium priorum sponsalium; sed cum priora sponsalia in hypothesi non amplius existant, non possunt præjudicari. Ergo eo in casu publica honestas impedimentum inducit, adeo ut Cajus nequeat amplius valide Luciam ducere, nisi dispensatione obtenta. V. *Carrière*, *Dens* et *Salmanticenses*.

ritur, quam corpora habilia, etsi non sint habilia proxime. Sed ad matrimonii validitatem jure canonico requiritur, ut transacta sit impubertas, seu adsit annus (completus) quartusdecimus in viro, duodecimus in fœmina — Si tamen malitia suppleat ætatem, nimirum si habeatur et doli capacitas, id est discretio ad intelligendam vim et naturam consensus, et potentia physica ad consummandum conjugalem actum, etiam ante pubertatem ipso jure canonico valide contrahitur absque pontificia dispensatione (D. Thomas, *Suppl.* q. 58, a. 5).

Pubertate autem legali completa, etsi nondum advenerit potentia naturalis seu physica, valet matrimonium etiam jure ecclesiastico; tunc sufficit potentia, quæ possit aliquando expediri. Neque solet impotentia perpetua declarari ante annum 18 in viro, et 14 in fœmina *(S. Alph.,* l. VI, n. 1066) (1)

976. **Affinitatis impedimentum.** Affinitas est *propinquitas, quam una persona contrahit cum consanguineis illius, quacum copulam carnalem completam seu consummatam habuit, sive licitam* (hoc est ex conjugio), *sive illicitam* (puta ex fornicatione, incestu); sane cum vir et mulier commiscendo fiant una caro, necesse est unius consanguineos quasi consanguineos alterius fieri. Hinc I Corinth. VI: *Adhœrens meretrici unum corpus efficitur.* Et ideo impedimentum affinitatis est inhabilitas ad contrahendum inter illos qui hanc propinquitatem contraxerunt. V. *d. Thomas,* Suppl. q. 55; et *s. Alph.,* l. VI, n. 1068.

Principia: I. Affinitas in linea recta dirimit ad infinitum. In linea collaterali ex copula licita dirimit ad quartum gradum inclusive; ex Tridentino (sess. XXIV, c. 4). Et impedimentum contrahitur inter virum et consanguineos mulieris, et vicissim.

II. Affinitas dirimit matrimonium solo jure Ecclesiæ in linea collaterali, et multo probabilius etiam in linea recta, si forte primum gradum excipias. Tamen Ecclesia nunquam voluit dispensare in primo gradu lineæ rectæ pro affinitate orta ex commercio licito (v. *Scavini,* l. III, n. 909) (2).

III. Affinitas ex multiplici capite contrahi potest, si nempe quis plures consanguineas cognoverit; et quidem etiam in

(1) Huc potest revocari *amentia perpetua;* seu inhabilitas ad matrimonium orta ex perpetua amissione usus rationis. Tales amentes etsi habeant potentiam expeditam ad copulam; non tamen habent capacitatem contrahendi et se cum deliberatione obligandi; et ideo quoad hoc habentur uti pueri.

(2) Non raro tamen dispensat pro affinitate orta ex commercio illicito in primo lineæ rectæ gradu, saltem ut vir ducat mulierem cujus matrem cognovit; dummodo tamen copula cum matre non antecesserit nativitatem filiæ quam ducere vult, adeo ut periculum sit, ne contrahat cum propria filia (v. t. I, n. 468).

AFFINITATIS SCHEMA



Nota

Hoc schema refert consanguineos in linea recta ad quartum gradum. Lineas collaterales, nempe fratres, consobrinos, etc. facile adjicies.

Del Vecchio, Compendium t. 2 n. 576

AFFINITATIS EXEMPLA

I. *Multiplicatio impedimentorum.* Silvius cupit nubere Cleliam cujus tres consanguineas Amaliam, Elisabetham et Juliam cognoverat: primam extra figuram matrimonii, id est ex commercio fornicario; secundam in matrimonio valido; tertiam in matrimonio nullo. Porro conficiatur schema inter Cleliam et istius tres consanguineas;



Hujusmodi schema dilucide ostendit: 1) Amaliam consanguineam esse Cleliæ in secundo gradu lineæ rectæ; 2) Juliam consanguineam esse ipsi Cleliæ in secundo et tertio gradibus lineæ transversæ inæqualis; 3) Elisabetham inter et Cleliam intercedere consanguinitatis vinculum in gradu secundo et quarto ejusdem lineæ obliquæ inæqualis. Quamobrem triplex affinitatis impedimentum obstat huic matrimonio.

Huic triplici affinitati accedit *publica honestas* in eodem tertio gradu proveniens ex matrimonio rato invalido, quod cum Julia, iniit, dum obstabat affinitas orta ex prioribus nuptiis cum Elisabetha.

II. *Exemplum affinitatis, quæ non parit affinitatem:*



Nil vetat, quod Ambrosius viduus ducat Christinam item viduam; quia Ambrosius erat quidem affinis in quarto et tertio cum Mario, non autem cum ejus uxore Christina. Ratio est affinitas non parit affinitatem, nempe affinitas cum marito non producit affinitatem cum illius uxore; hæc enim affinitas sublata est a Lateranense V.

eodem gradu, ut esset, si quis carnaliter cognovisset duas sorores suæ sponsæ.

IV. Cum affinitas ratione copulæ sive licitæ sive illicitæ sit quædam naturalis propinquitas ac veluti consanguinitas mediata, idcirco sive dirimat jure naturæ sive non, est tamen quoad semel baptizatos impedimentum dirimens, quamvis in infidelitate contracta, ut declaravit *S. Congregatio de Propaganda fide* 23 aug. 1852, uti refert Cretoni.

V. Affinitas contrahi potest inter ipsos conjuges, si maritus rem habeat cum consanguineis suæ uxoris. Verum hæc non dirimit eorum matrimonium, cum jam sit indissolubiliter contractum; sed impedit usum, donec dispensentur (v. *n.* 1052).

VI. Affinitas contrahitur etsi copula habita sit cum invita vel amente, si verificetur carnalis copula perfecta et consummata, seu talis ex qua generatio sequi potest.

VII. Affinitas non parit affinitatem; id est affinitas quam vir contrahit cum consanguineis uxoris, non facit illum affinem cum affinibus eorundem consanguineorum. Unde duo fratres ducere possunt duas sorores, pater et ejus filius ducere possunt matrem et hujus filiam *(S. Alph.,* l. VI, n. 1069).

977. **Affinitas ex invalido matrimonio.** Si matrimonium nullum contractum fuit in bona fide, affinitas ad quartum gradum extenditur. Si in mala fide, juxta alios affinitas extenditur ad secundum gradum. Verum plures illam adhuc ad quartum extendunt; nam adhuc habet figuram veri matrimonii.

978. Ad dignoscendum gradum, in quo quis cum alio est affinis, inservit regula notissima: *Quo gradu consanguinitatis quis est junctus viro, eodem gradu affinitatis junctus est mulieri.* Vicissim: *Quo gradu consanguinitatis quis junctus est mulieri, eodem gradu affinitatis junctus est viro.* Seu clarius: eo gradu una persona affinis est consanguineis alterius personæ quam cognovit, quo gradu isti personæ carnaliter cognitæ sunt consanguinei: v. g. Petrus, qui Annam cognovit, est affinis cum matre et filia Annæ in primo lineæ rectæ gradu; cum sorore Annæ in primo gradu lineæ collateralis.

Varii affinitatis gradus, et affinium nomina:

In linea recta, v. g. Titio vel Titiæ sunt affines:

Ascendentes in 1° gradu.	*Descendentes in 1° gradu.*
Socer *(suocero)*, nempe pater uxoris suæ.	Gener *(genero)*, idest maritus filiæ suæ.
Socrus *(suocera)*, nempe mater uxoris.	Nurus *(nuora)*, idest uxor filii sui.
Noverca *(matrigna)*, nempe uxor patris sui.	Privignus *(figliastro)*, filius uxoris suæ ex alio matrimonio.
Vitricus *(padrigno)*, nempe maritus matris.	Privigna *(figliastra)*, filia uxoris suæ ex alio matrimonio.
Ascendentes in 2° gradu.	*Descendentes in 2° gradu.*
Prosocer *(socer magnus)*, avus mariti vel uxoris.	Progener, nempe gener filii vel filiæ.
Prosocrus *(socrus magna)*, avia mariti vel uxoris.	Pronurus, uxor nepotis seu privigni vel privignæ filii (et ita deinceps).

In linea collaterali Titio affines sunt in gradu:

1. Fratria *(cognata)*, uxor fratris sui,	pariterque	1. Glos seu fratria *(cognata)*, soror uxoris suæ.
2. Uxor filii fratris sui,		2. Filia ex sorore uxoris.
3. Uxor nepotis fratris sui,		3. Neptis ex sorore uxoris.
4. Uxor pronepotis fratris sui,		4. Proneptis ex sorore uxoris.

In eadem linea collaterali obliqua, v. g. Cleliæ sunt affines in gradu:

1. Sororius *(cognato)*, maritus suæ sororis,	pariterque	1. Levir *(cognato)*, frater conjugis sui.
2. Maritus filiæ sororis,		2. Filia ex fratre conjugis.
3. Maritus neptis sororis,		3. Neptis ex ipso fratre conjugis.
4. Maritus proneptis sororis,		4. Proneptis ex fratre conjugis.

Art. 4. — De Clandestinitate.

979. **Clandestinitas.** Impedimentum clendestinitatis est *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium orta ex defectu præsentiæ parochi, et duorum saltem testium.* Matrimonia porro sine hac præsentia contracta dicuntur *clandestina*, id est *occulta.*

In locis, ubi Tridentinum publicatum est, conjugia clande-

stine inita nulla sunt et invalida (imo neque in sponsalia transire possunt, neque obligationem naturalem inducunt; etsi jurata sint et copula sit subsecuta, ut declaravit S. C. Congregatio). En verba Tridentini: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat.... Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem parochia factæ numerandos* (sess. XXIV, c. 1 decreto *Tametsi* de Ref. matr.) (1).

I. Hæc lex afficit omnes qui in loco degunt, ubi Tridentini decretum est promulgatum. Unde catholici Angliæ, ubi non est promulgatum Concilium, in Italia nostra contrahentes, tenentur contrahere coram Parocho loci et testibus; etsi ibi non contraxerint domicilium vel quasi-domicilium; agitur enim de lege generali, cui quidem omnes in loco, ubi illa lex viget degentes, tenentur (2).

II. Qui e loco domicilii, ubi Tridentini decretum promulgatum est, se transfert in loco ubi illud non fuerit promulgatum ad hoc tantum, ut possit ibidem clandestine contrahere, id est

(1) Ubi decr. *Tametsi* legitime non viget, si sponsalibus initis, copula carnalis sponte accesserit, in foro Ecclesiæ verum habetur matrimonium. *Secundum judicium Ecclesiæ*, ait d. Thomas, *carnalis copula subsequens sponsalia matrimonium facere judicantur, nisi aliqua signa expressa doli vel fraudis appareant* (Suppl. q. 46, a. 2).

(2) Ubi Tridentini Decretum de clandestinitate non est publicatum, matrimonium clandestinum etsi graviter prohibitum, tamen adhuc validum est, ut in Anglia, Scotia, Suecia, Dania et pluribus Germaniæ locis; item in Saxonia, Borussia. Quæ promulgatio ex declaratione S. Concilii Congregationis, referente Zallinger, satis censetur obtinere, etiam per solam observantiam et usum decreti: et ita etiam respondit cardinalis Zelanda nomine Pii VI ad Episcopum Lucionensem 28 maji 1793.

S. Pœnitentiaria ad quæsitum: « Utrum matrimonia ab hæreticis inter se inita aut cum catholicis juxta solas leges civiles, seu coram ministro hæretico sine præsentia Parochi catholici, valida sint in Gallia et in aliis regionibus, ubi protestantes et hæretici omnes habent suos ministros, templa, statum legalem a gubernio probatum, respondit 28 martii 1838: *Negative, exceptis regionibus de quibus loquitur Benedictus XIV in Declaratione 4 nov.* 1741 (id est de Hollandia), *atque ad quas per successores suos eadem Declaratio extensa est* (Scavini, l. III, n. 894; item l. IV, n. 84).

Ad Helvetiam præcipue quod spectat, quæ Italiæ limitropha est, hæc notanda veniunt: 1) In pagis catholicis *(Cantoni)* Ticinensi, Tugiensi *(Zuch)*, Uriensi *(Uri)*, Lucerna, Friburgi, Svith, Valesia *(Vallese)*, Abatis-Cella *(Appenzell)*, Fano S. Galli *(S. Gallo)*, decretum *Tametsi* obtinet, si non ratione publicationis, ratione consuetudinis — 2) In pagis vero acatholicis, ut Scaphusia *(Sciaffosa)*, Turgovia, Argovia, Comitatu Valdensi *(Vaud)*, Glarona, Tiguro *(Zurigo)*, Geneva generatim non obti-

in fraudem hujus decreti, et sine intentione domicilii vel quasi-domicilii ibidem figendi, invalide contrahit ex Lit. Urbani VIII, 14 aug. 1627. Hinc Itali hoc tantum fine in Angliam venientes ubi Concilii decretum non est promulgatum, inter se clandestine contrahere nequeunt.

III. Qui e loco ubi Tridentini decretum promulgatum est, transfert suum domicilium vel quasi-domicilium eo ubi illud non est promulgatum, potest ibidem valide clandestine contrahere, cum fiat hujusce loci incola. Ideo Itali valide clandestine in Anglia contraherent, si ibi domicilium vel quasi-domicilium acquirant. Neque obstat quod illud ideo acquirant, uti ibi valeant clandestine contrahere; hoc enim non est facere fraudem, sed conditionem ponere a Tridentino requisitam; ex Benedicto XIV Const. *Paucis ab hinc.*

IV. Si Italus cum Angla contraheret in Anglia, valeret conjugium clandestinum; nam cum Anglicanus exemptus sit ab ea lege, privilegium Italo communicat ob contractus individuitatem; ex Clemente VIII ad Archiep. Mechlinensem, anno 1767 (*S. Alph.*, l. VI, n. 1078).

Sed quæstio est: *An sponsi qui e loco domicilii vel quasi-domicilii ubi Tridentini decretum promulgatum est, se conferunt in locum in quo illud nunquam fuit promulgatum aut obligare desiit, valide contrahant, non servata forma a Concilio præscripta, etsi animum non habeant figendi ibi domicilium vel quasi-domicilium, dummodo tamen illuc non se contulerint in fraudem legis, scilicet intentione inibi contrahendi clandestine, sed alio fine, v. g. causa alicujus negotii, vel civitatis invisendæ?*

Alii negant illos valide contrahere; nam Tridentinum eos inhabilitavit ad valide contrahendum sine præscripta solemnitate, cum adhuc subditi sint ejus loci ubi Tridentinum promulgatum est; at inhabilitas sequitur personas ubique uti umbra corpus. Verum communius affirmant cum Reiffenstuel, Pichler, Ferraris, Ballerini, etc.; nam peregrini non adstringuntur patriis legibus, quando extra ipsam vagantur, præsertim quoad contractus, ut est matrimonium. Tridentinum vero inhabilitatem tantum tulit, quando adest fraus (*Acta S. Sedis*, t. VII, pag. 557).

980. **Testes ad matrimonium.** Cum Tridentinum qualitates testium non determinet, commune est sufficere quoscunque usum rationis habentes, etiam censuratos licet vitandos, in-

net — 3) In locis tandem mixtis, alia sunt loca, in quibus decretum Tridentini vim habet, alia in quibus nullimode observatur. Sic quoad Diœcesim Curiensem (*Coira, Chur*) præsumptio est, quod illud obtineat tum in Subsylvania (*Unterwalden*), tum in italicis pagis Rethiorum et in principatu Liechtenstein. E contra censetur non obligare in cæteris Rethiorum locis, uti Engadina, Partens, Daros, etc. Cum porro nil omnino certi statui possit, restat ut casu adveniente, ad dubia resolvenda recurratur ad ejusdem Helvetiæ Ordinarios.

fames, fœminas, parentes, servos et infideles. Testes autem duo saltem sint oportet, et simultanee cum parocho præsentes, quando datur sponsorum consensus; nam de illo testari debent.

Non autem refert si per vim adducti sint, vel affectent non intelligere, si tamen revera intelligant, et advertant ad id quod agitur; ex S. Concilii Congregatione.

981. **Parochi assistentia ad matrimonium.** Præsentia parochi debet esse moralis, ita ut advertat ad ea quæ fiunt, scilicet intelligat virum et mulierem matrimonium contrahere; sive ex signis, si forte surdus, ut si videat sponsum manu sponsam tenentem vel ei tradentem anulum; sive ex verbis, si forte cæcus (non tamen si cæcus simul sit et surdus omnino); sive per interpretem, si forte ignarus idiomatis sit; ex S. Concilii Congregatione. Gury, *Casus conscientiæ.*

Nec refert, etiamsi adsit casu, vel per dolum, metum aut injuriam detineatur Parochus; et ipse resistat, contradicat ac fugere tentat, oculos claudat, aures obturet affectando non intelligere (1). Prout sæpius fuit definitum a S. Congregatione Concilii, si nihilominus de re peracta testimonium reddere possit. Sed peccarent graviter contrahentes, si vi aut dolo casu transeuntem Parochum detinerent, ut matrimonium coram eo contraherent; gravis enim irrogaretur injuria tam Sacramento quam Ecclesiæ *(S. Alph.,* l. VI, n. 1092).

982. Si neque ad Parochum, neque ad Sacerdotem ab eo delegatum recurrere possint contrahentes, et agatur de casu speciali, quo sit absens Parochus et urgeat matrimonium, puta moribundi ad legitimandam prolem, matrimonium non potest valide celebrari; lex adeo generalis et gravissima lata ob bonum publicum non respicit accidentia, nec bonum privati.

Si vero agatur de tota communitate, quæ non amplius Parochum vel ab eo delegatum habere valeat, neque ad ecclesiasticum superiorem fieri possit recursus, v. g. durante perturbatione politica et religiosa, tunc matrimonia contracta tantum coram testibus valida sunt; idque merito, secus Tridentina lex vergeret in ruinam societatis. Ita rescripsit Pius VI 1793 ad Episcopum Lucionensem, occasione gallicæ revolutionis; et C. S. Officii declaravit id locum habere, si per integrum mensem nullimode tutus est recursus ad parochum, aut sacerdotem,

(1) Hæc Parochi agendi ratio inutilis est, et ex Benedicto XIV *De Synodo*, XII, c. 23, ad aliud non valet, nisi *ut animos contrahentium scrupulis* torqueat.

aut superiorem (1). Tamen hodie in tanta communicationum facilitate, recursus haberi potest sine gravi incommodo.

983. **Qualitas Parochi assistentis.** Ut valide assistat Parochus vel facultatem assistenti tribuat, satis est ut communiter habeatur uti *verus parochus,* seu ut habeat titulum provisionis etsi coloratum, talem nempe qui per se aptus sit ad parochiale beneficium conferendum, quamvis ob latens vitium, v. g. simoniam occultam, illud non conferat. Hinc valide assistit, etsi ab Episcopo prohibeatur, per hoc enim non desinit esse parochus; sed graviter peccat. Valide assistit parochus, etsi nondum sacerdos; tamen sacerdos esse debet (verus vel putativus) qui ab ipso delegatur. Item valide assistit parochus (etsi illicite sine gravi causa), si irregularis, interdictus, nominatim et publice suspensus, excommunicatus, ideoque vitandus; nam istæ censuræ per se non privant ipsa parœcia *(S. Alph.,* l. VI, n. 1082; *Scavini,* l. IV, n. 667).

At invalide assisteret: 1) Si sit publicus et declaratus hæreticus; tunc enim est ipso jure privatus parochiali beneficio — 2) Si publice a parœcia depositus dignoscatur modis a canonico jure præscriptis; etsi forsan adhuc parœciam materialiter teneat ab iniquis protectus — 3) Si sit intrusus, id est sine legitima ecclesiastici superioris auctoritate ad parœciam electus, in eaque constitutus. Ex Instructione Pii VI ad Episcopos Galliæ 1791 (v. *t.* I, *n.* 592).

984. **Quis proprius Parochus sponsorum.** Parochus proprius est parochus domicilii vel quasi-domicilii, in quo contrahentes versantur. Potest autem parochus quoad validitatem (non quoad licitatem sine Episcopi facultate) assistere etiam extra Ecclesiam; imo etiam extra suam Diœcesim; cum simplex assistentia non importet actum contentiosæ jurisdictionis.

1) Ad *domicilium* acquirendum requiritur factum habitationis, cum animo hic et nunc illam perpetuo tenendi (1). Acquiritur autem ipso primo habitationis die — 2) *Quasi-domicilium* ex Benedicto XIV contrahitur ab eo, qui habet animum habitandi alicubi non quasi per transitum, sed per majorem

(1) Quo in casu decet, hortandique sunt fideles, ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo, etsi jam celebrato matrimonio, benedictionem petant. *Adnotator s. Alphonsi,* l. VI, n. 1079.

(2) Quoad domicilium non sufficit simplex adscriptio inter loci municipes, quidquid super hoc statuant leges civiles *(art.* 17). Ita S. Concilii C. 28 aug. 1864 *(De domicilio et quasi-domicilio; de militum et hæreticorum matrimonio* plura Scavini, l. III, nn. 892 et seqq.).

anni partem, et jam de facto habitet, v. g. causa alicujus officii. Ideo Parochus non est proprius parochus, quando quis rusticatur causa recreationis vel valetudinis, vel pro expediendis negotiis, iis expeditis postea discessurus, etsi præter opinionem ibi multo tempore immoretur (1).

Hinc I. *Gubernatores, judices, medici, scholares, publico munere fungentes* stabiliter, valide contrahunt in locis, ubi habitant ratione quasi-domicilii — Item valet de *famulis* et *ancillis,* quæ penes dominos suos quasi-domicilium contraxerunt — Item valide contrahunt *æducandæ* coram parocho Ecclesiæ parochialis, in cujus limites situm est monasterium ratione quasi-domicilii; sed illicite, nam ex S. C. Concilii 19 dec. 1648, puellæ quæ sponsalia vel matrimonium contrahere cupiunt, e pia domo exire debent et in patriam reverti.

II. *Puellæ expositæ,* quæ sunt in hospitiis, contrahere debent coram Parocho, intra cujus Parœciam hospitia sita sunt. Item ex antiqua consuetudine, dicunt de *puellis, quæ vivunt in conservatoriis,* a quibus aluntur et dotantur.

III. *Vagus,* qui relicto corpore et animo domicilio suo, nullibi habitationem fixam habet, potest contrahere coram quocunque Parocho, in cujus ditione nunc versatur; licet tantum alter sponsorum sit vagus; quia sponsus habens domicilium fixum alterius privilegio potest uti. Sed Tridentinum *(sess.* XXIV, *c.* 7 *de R.)* districte prohibet parochis, ne matrimonio assistere audeant, *nisi prius diligentem inquisitionem fecerint; et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quam licentiam Episcopus ex Instructione S. Sedis ne concedat, nisi ei de statu libero authentica fides exhibeatur (1).

IV. *Exteri carceribus detenti* nequeunt ibi contrahere, si

(1) Benedictus XIV Constit. *Paucis* videtur requirere habitationem saltem unius mensis ad hoc ut quis acquirat quasi-domicilium. Sed mensis quam requirit, nihil aliud est nisi probatio quædam præsumptiva in dubio de vera et sincera voluntate permanendi per majorem anni partem.

Ideo si certo jam constet de sincera voluntate permanendi per majorem anni partem (v. g. per sex vel septem menses), non est necessaria habitatio unius mensis; sicut e contrario si certum sit non adesse talem sinceram voluntatem, non sufficit etiam plurium mensium habitatio *(Acta S. Sedis,* t. VII, p. 557).

(2) Hæc Instructio vide per extensum cum variis declarationibus infra n. 1070 Appendix 3ª — Si testes desunt, R. Pontifex ad annum concedit Episcopis *facultatem admittendi ad juramentum suppletorium tam militiæ addictos, quam vagos qui in Diœcesi matrimonium contrahere cupientes, nequeunt sui status libertatem legali modo probare, cum in varias orbis partes vagati fuerint, quin stabile in illis constituerint domicilium.* Qui omnes de gravitate actus prius admonendi sunt, de atrocitate perjurii, si falsum deponant, etc.

custodiæ tantum causa detineantur, qui *nil magis expectant, quam, ut solutis vinculis, paternas ædes revisant,* ex Benedicto XIV. Possunt tamen si ibi sit carcer judicialiter ad debitum tempus eis assignatus, ita ut ipsi videantur contrahere quasi-domicilium.

V. *Infirmi extranei,* qui in hospitali recipiuntur, non possunt contrahere coram Parocho, in cujus loco hospitale situm est. At possunt si ibi quasi-domicilium contraxerint (1).

VI. *Milites* debent ad validitatem contrahere coram Parocho, in cujus Parœcia habitualiter sistunt. Excipe nisi capellanus castrensis sit ad animarum curam deputatus, vel assistendi facultatem obtinuerit, quo in casu ejus potestas non est privativa, sed cumulativa cum Parocho, ita ut et loci Parochus et ipse æque possint assistere. Verum Parochus hac in re, Episcopum consulat *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 1089; *Scavini,* l. IV, n. 551; *Acta S. Sedis,* t. XI, pag. 542) (2).

985. *Resolve:* 1) Si duo sint parochi in una parœcia, ad validitatem, quem libuerit potest assumi, etiam invito altero; quia uterque est Parochus proprius: ita S. C. Concilii.

2) Si vero sponsi habeant duo domicilia, communissime et valde probabiliter docent contrahi posse in utraque Parœcia, modo in utraque habuerint sponsi habitationem, ita ut non fiat ratio habitationis actualis, sed æqualis.

3) Si tandem sponsi ad diversas Parœcias pertineant, ad validitatem potest assistere tam Parochus sponsi quam sponsæ. Verum ad lites et æmulationes auferendas hodie (in Italia præsertim) ex antiquissima consuetudine vim legis habente, matrimonium sub gravi est celebrandum a Parocho sponsæ *(S. Alph.,* l. VI, n. 1086).

Casus. Melitta famula habitans in parochia S. Marci et intendens inire matrimonium cum Merbesio habente domicilium in parochia

(1) Etsi hospitia egenorum, infirmorum, amentium, etc., ampla sint, semper subduntur Parocho, in cujus territorio erecta sunt; et S. Sedes sine maxima urgentique ratione parochialis districtus scindere non consuevit. Neque uti parœciæ haberi possunt, quia in illis curæ animarum opera datur; id enim illorum capellanis competere potest ex privilegio, ex præscriptione vel ex conventione legitima inita. *Rota in Valentina* 26 junii 1754. *Figueroas* (v. Scavini, l. IV, n. 37: *hospitia caritatis).* Sed consulatur Benedictus XIV, *Notif.* 33; et Berengo, *Enchyridion Parochorum,* p. 1ª, c. 5, a. 2.

(2) Milites ut matrimonium contrahant, suorum superiorum licentiam exhibere tenentur. Attamen decreto 26 julii 1876 legitur: *Il sott'ufficiale, caporale e soldato in congedo illimitato può contrarre matrimonio senza bisogno d'autorizzazione del Ministro della guerra.* Prohibitio extenditur etiam ad plures vectigalium vigiles *(guardie doganali);* ideo caute procedendum hac de re (v. Rivarolo, *Il buon governo della parrocchia).*

S. Petri (quo etiam ibit contracto conjugio), deserit famulatum et habitationem, et se transfert cum mobilibus suis ad sororem suam, quæ habitat in parochia S. Euphemiæ, sed tantum pro una vel altera hebdomada, donec sit juncta matrimonio; idque non in fraudem, sed ut præparet necessaria suo conjugio. Sed postquam duos vel tres dies sic morata fuit in parochia S. Euphemiæ, petit cum præfacto Merbesio matrimonio jungi; quæritur coram quo Parocho debeat contrahere? — *Melitta desiit esse parochiana S. Marci, cum Parochiam illam deseruerit corpore et animo; in parochia S. Euphemiæ veram habitationem non habet; cum non habeat nisi animum hospitandi exiguo tempore. Licet autem intendat habitare in parochia S. Petri, attamen eo nondum venit, neque ibi domicilium habet. Haberi igitur poterit uti vaga, poteritque conjungi ab illo Parocho, cui actu se subdit: ei Parochus cui subditur, potest etiam dare licentiam alio sacerdoti illam conjungendi; cum id sit proprii Parochi.* Sanchez, Dens.

Quod si Melitta venit ubi vult domicilium contrahere, ibi valide statim contrahit.

986. **Qui præter Parochum matrimonio assistit.** Valide matrimonio assistit præter parochum:

I. R. Pontifex pro toto orbe, Legati et Nuntii quoad proprias provincias. Et Episcopus pro tota Diœcesi; cum sit parochus respectu suorum diœcesanorum, qui ideo poterit alium delegare (sed non deberet sine gravi causa, invito parocho). Hanc etiam facultatem assistendi et delegandi habet Vicarius Episcopi generalis: neque eum potest prohibere Episcopus.

II. Vicarius capitularis, sede vacante. Abbates cum jurisdictione quasi-episcopali. Archiepiscopi in Diœcesi Suffraganeorum tempore visitationis et appellationis: tunc in jurisdictione sunt.

III. Quilibet sacerdos tam propriæ quam alienæ Diœcesis, qui ab Ordinario vel ejus Vicario, aut Parocho licentiam obtinuerit, ut habet Tridentinum. Quæ licentia expressa sit oportet, et notificata: hinc ex S. C. Congregatio matrimonium contractum coram sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio contrahentium parocho, sed ignorat se illam habere, est invalidum (1) — Sufficit autem licentia data et acceptata, etsi metu extorta (modo non retractata); quia est satis voluntaria. Item licentia data assistendi matrimonio, *præmissis denuntiationibus*, habet suam efficaciam, etsi istæ fuerint omissæ; nam concessio censetur conformis juri (nisi certo aliud constet), ex quo matrimonium sine denuntiationibus est illicitum, sed validum.

(1) Excipe nisi ipse Parochus præsens sit celebrationi, nec contradicat cum possit; esset enim tacite approbare. Licentia enim tacita (ait Sanchez) quæ habetur ex ratihabitione de præsenti sufficit, ut alienus sacerdos possit interesse matrimonio; uti quando vidente et sciente ac tacente Ordinario vel Parocho potenti contradicere assistit. Ratihabitio enim de præsenti reputatur in jure et apud peritos vera licentia expresse concessa.

Item ex S. Concilii Congregatione sufficit generalis deputatio ad cuncta munia parochialia; ita ut delegato dicat parochus: *Eris ut alter ego.* Item si detur generalis licentia administrandi Sacramenta *(S. Alph.,* l. VI, n. 1088).

987. Quæ porro licentia ita necessaria est, ut si quis vel parochus alienus vel alius sacerdos tam sæcularis, quam regularis ausus fuerit (ubi publicatum est Decretum de clandestinitate) sine ipsa assistere vel benedicere ex Tridentino (sess. XXIV, c. 1 *de Ref.)* incurrat ipso facto suspensionem tandiu duraturam, quandiu ab Ordinario illius parochi qui matrimonium interesse deberet, absolvatur. Quam suspensionem censet probabilius Alasia cum Sanchesio esse ab officio tantum; nam juxta canonum intelligentiam ex subjecta materia determinatur pœna, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit.

988. **Subdelegatio.** Si sacerdos sit ab Episcopo delegatus ad omnes parochi vices, potest alium universim subdelegare — Si vero ipse parochus substituto generalissimam tribuat facultatem munia parochialia exercendi, ut si dicat: *In omnibus fac ut alter ego,* poterit sic delegatus alium subdelegare ad aliquod tantum munus speciale; ideoque ad assistendum alicui matrimonio in particulari. Huc facit illud d. Thomæ: *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem* (Quodl. 12, a. 31) — Si tandem agatur de delegato ad munus tantum speciale, generatim loquendo, non potest alium subdelegare; sed v. t. I, nn. 104 et 496 *(S. Alph.,* l. VI, n. 566).

ART. 5. — Impos, Raptave si mulier.

989. **Impotentiæ impedimentum.** Est *inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta ex incapacitate* seu *impotentia ad copulam maritalem.* Dicitur *impotentia ad copulam maritalem;* nam, ut ait d. Thomas *(Suppl.* q. 58), actus carnalis copulæ non est de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de ejus essentia; quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulæ. Si porro sola requiritur potentia, patet matrimonium validum esse inter eos qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare. Hinc permittuntur ac tenent conjugia inter paullo post morituros, quia in eis manet potentia ad copulam, etsi per accidens vi morbi impediantur. Item inter senes et steriles, qui

licet non ad generationem, ad copulam sunt idonei *(S. Alph.*, l. VI, n. 1095) (1).

990. *Divisio.* Multiplex dividitur impotentia ad copulam:

1) Alia est *naturalis*, quæ provenit ex defectu naturali, puta ex nimia frigiditate in viro; vel nimia vasis coarctatione in fœmina. Alia *accidentalis*, quæ provenit ex vitio extrinseco eventuali, v. g. morbo; vel etiam maleficio, cujus casus perrarus est — 2) Alia est *perpetua*, quæ auferri nequit, ut quæ est ex privatione membrorum. Alia *temporanea*, quæ mediis licitis et ordinariis, v. g. chirurgi operatione aufertur — 3) Alia *absoluta*, quæ est cum personis quibuscunque: hac laborat vir utroque testiculo carens. Alia *respectiva:* sic mulier potest esse apta copulari cum uno, non cum alio — 4) Alia *antecedens*, quæ matrimonii celebrationem præcessit. Alia *subsequens*, quæ illam secuta est — 5) Alia *certa;* alia *dubia*, prout est vel non est manifesta.

991. **Principia:** I. Impotentia certa, antecedens et perpetua, sive naturalis sive accidentalis, dirimit matrimonium respectu omnium, si sit absoluta: respectu vero illius personæ, quacum coiri non potest, si sit relativa. Idque omni jure; contractus enim matrimonialis non existit, ubi copula est impossibilis.

II. Impotentia consequens matrimonium non dirimit; nam usus actualis matrimonii non pertinet ad ejus essentiam; sed satis est quod fuerit possibilis tempore contractus *(S. Alph.*, l. VI, n. 1095).

992. *Resolve:* 1) In dubio de impotentia *antecedenti* standum pro valore jam contracti matrimonii, et conjugibus copulam experiri permittendum est. Jure canonico eo in casu triennium experientiæ conceditur.

2) In dubio de impotentia *consequenti* licitum est pariter conjugibus copulam experiri, usquedum certi sint, eam perfici non posse; nam possidet matrimonium *(S. Alph.*, l. VI, n. 1101).

3) Elapso triennio et adhuc perseverante impotentia post multa experimenta, adeo ut copula perfici nequeat, judicatur perpetua: et ideo omne aliud experimentum interdictum est. Attamen caute omnino hic agat confessarius, si conjuges sint

(1) Falso opinatur Gallupius sterilitatem causam esse cur matrimonium dissolvi possit; etenim hæc evenit per accidens. Porro, ait Angelicus, *rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quæ per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quæ totam speciem consequuntur* (Contra Gentes, l. IV, c. 122).

in bona fide. Sæpius præstat, eos non admonere, ne a peccato materiali in formale labantur; neque enim est facile supponendum quod moniti sint obtemperaturi. In hac re adeo gravi confessarius ne quidquam propria auctoritate decernat; sed casum rite examinatum deferat ad Ordinarium. « Imo, ut nobis videtur, confessarius prudens, discretus de impotentia conjuges non interrogabit, neque eos quos credit impotentes præmonebit, neque ipsis ea de re consulentibus ultimo respondebit, nisi prius consuluerit Episcopum, vel res clara omnino sit. » *Gousset* (1).

993. **Impedimentum raptus.** Est *inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium orta ex violenta abductione mulieris matrimonii ineundi causa.* Ait enim Tridentinum (sess. XXIV, cap. 6 *de Ref.): Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.* Idque tenet etsi puella fraudibus circumventa sponte accesserat, sed postea detineatur invita; et quamvis diu ibi manserit et susceperit filios ex S. C. Concilii 25 junii 1864; quod enim per vim inductum est, nulla debet stabilitate subsistere. Nihil autem refert, quod vir ad mulierem rapiendam utatur opera alterius; vel quod penes se, aut penes alios eam vi detineat *(de pœnis* in raptores, v. *t.* I, *n.* 634).

Dicitur I. *Violenta abductione;* etenim si desit vis, vel si adsit consensus mulieris, non habetur raptus, sed fuga. Et fuga reputatur si tractatus de nuptiis seu sponsalia cum raptore præcesserint, nec adsit justa ea dissolvendi causa; nam ex d. Thoma: *Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa, et ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur a crimine raptus* (2, 2, q. 154, a. 7).

II. Per *abductionem* intelligitur traductio de loco in locum, vel de domo in domum per aliquot inde passus distantem. Unde non sufficit, quod mulier trasferatur de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, etiamsi per vim ibi cognoscatur (esset tunc vis, non abductio).

III. *Mulieris;* quia si rapiatur vir, non erit impedimentum raptus ex communi sententia; id enim raro accidit (lex autem non curat accidentia); nec vir ita facile vinci potest.

(1) Ideo etiam, quia (ut notat cl. Ballerini) nunc communiter receptum est apud physiologos medicosque, et experientia constat, quod ad conceptum generationisque effectum non est necesse, ut vir semen effundat et injiciat in interiores fœminei organi partes; sed satis esse quod ejusmodi humor ad externam illius organi superficiem (seu ad vaginæ os, ingressumve) effundatur et applicetur.

IV. *Matrimonii ineundi causa;* nam Concilium spectat raptum solummodo in ordine ad matrimonii libertatem tuendam.

994. **Resolve:** 1) Non adest probabilius impedimentum raptus, si mulier rapiatur ad eam tantummodo deflorandam.

2) Idem est si interveniat solum raptus seductionis, qui tunc locum habet, cum mulier blanditiis, muneribus, promissis (invitis iis a quibus ipsa dependet) raptorem voluntarie sequitur, ut patet ex Litera Pii VI 27 jan. 1805 ad Napoleonem Primum.

3) Cessat ex Tridentino impedimentum, si mulier sit *a raptore separata; et in loco tuto et libero constituta eum in virum habere consenserit* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 1032).

4) An valeant sponsalia contracta dum mulier est sub potestate raptoris, alii affirmant; quia sponsalia utpote rescindibilia, minorem libertatem, quam matrimonium requirunt. Negant alii, quia connexorum eadem est ratio; ideo sicut nullum est in eo casu matrimonium, ita et sponsalia; cum sint via ad illud (S. Alph., *Opus mor.*, l. VI, n. 1107).

CAPUT SEXTUM

De Matrimonii Denuntiationibus seu Bannis.

995. **Matrimonii denuntiationes.** Fieri debent non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti et quidem gravis. Patet tum ex gravitate finis; fuerunt enim indictæ, ut detegatur si aliquod obstet impedimentum; tum ex gravitate pœnæ: nam si omittantur et postea detegatur aliquod impedimentum, ex jure canonico proles suscepta illegitima habetur; et Tridentinum vult separandos esse conjuges, dispensationis spe ablata; vel nonnisi difficulter dispensatio obtinetur: et ideo omissio denuntiationum in supplicatione exprimenda est (vide *Scavini,* l. III, nn. 899 et seqq.).

Hac porro lege omnes tenentur, cum ea generalis sit. Ex usu tamen excipiunt principes; quia eorum genus satis omnibus notum est. Item casum necessitatis vel legitimæ dispensationis (*S. Alph.,* l. VI, n. 989).

996. **Principia.** Tridentinum præcipit, ut *antequam matrimonium contrahantur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum* (sess. XIV, cap. 1 *de Reform.*).

I *Tribus continuis diebus festivis.* Quæ continuitas ita est accipienda, ut nulli festi dies præsertim dominici inter unam alteramque denuntiationem intercedant; alioquin non excusa-

retur quis a veniali, quia jam contra præceptum faceret. Dies autem debent esse festivi sive ex lege generali, sive ex præcepto aut consuetudine speciali loci; nec officit, si festa sint a legitima auctoritate vel etiam antiquitus suppressa, ut declaravit S. Concilii C. 8 apr. 1862 in Pinarolensi; ubi additur: *Curandum tamen ut hæ expleantur tempore divini Officii, quo frequentior fidelium numerus in Ecclesia adesse solet.* Verum Episcopus potest dispensare, ut fiant etiam diebus ferialibus (ut teste Barbosa declaravit S. Concilii Congregatio); si tamen gravissima urgeat necessitas, et æque servetur finis intentus ob populi concursum.

II. *In Ecclesia,* id est parochiali contrahentium; sed possunt fieri probabiliter etiam in *publico Oratorio*, cum causa tamen; imo absolute id liceret, si illuc generaliter veniunt parochiani, et Missa parochialis ibi celebretur. Item ad *januam Ecclesiæ* a parocho proclamationes fieri possunt, et etiam prope ecclesiam, sed nonnisi cum causa, et tunc confluente ad celebritatem magno populo (1).

III. *Inter Missarum solemnia,* idest in Missa parochiali vel conventuali (S. C. Congregatio in Novariensi 1 julii 1724). Imo ex justa causa fieri possunt etiam inter solemnes vesperas, vel in alia sacra functione cum populi concursu; nam S. C. C. 20 sept. 1828 respondit illas fieri posse *sive in parochiali Missa sive in alia hora magis a populo frequentata.*

IV. *A proprio contrahentium Parocho.* Quod si sponsi fuerint diversæ Parœciæ, etsi ejusdem Diœcesis, in utroque Parœcia fieri debent denuntiationes, ut dicit Rituale; idque locum habet, etsi in una parœcia domicilium, in alia tantum quasi-domicilium teneant (1). Si vero alter sponsorum de brevi moretur in aliquo loco, longe probabilius denuntiationes sunt faciendæ

(1) *Quid si parœcia viduata suo pastore vicinæ parœciæ sit commendata?* Proclamationes fieri debent in ipsa parœcia viduata, si ibi aliqua solemnia populo concurrente, sive mane sive vespere celebrentur. Secus in parœcia, cui illa est commendata; cum ad hanc illius incolæ concurrant, et ratione commendationis haberi possit ut hujus parœciæ pars.

Quid (quæres) *tempore pestis?* Ait Bossius cum Marchino, quod si tunc nequeunt fieri denuntiationes in Ecclesia, neque induci sponsi ad matrimonium differendum, Episcopus potest vel permittere, ut fiant denuntiationes per vocem præconis aut per edicta loco publico affixa, et hoc in quocunque die; vel eas remittere, si urgeat necessitas. Quod si nequeat adiri Episcopus, Parochus bene potest, imo urgente causa tenetur sponsos conjungere, postquam tamen certior factus sit nullum omnino subesse impedimentum. S. Alph., t. I, *Opus morale,* l. VI, n. 991.

(2) Hinc publicationes juvenum in Collegiis et puellarum in Conservatoriis educatis fieri debent in parœcia tum domicilii eorundem, tum Collegii aut Conservatorii in quo commorantur ex Clemente XI.

in Parœcia, unde discessit, ubi nempe diutius est commoratus. Quod si alter sponsorum ad aliam Diœcesim, a qua ætate jam nubili discessit, pertineat, eo in casu debebit etiam referre *statum*, ut vocant, *liberum*, exaratum ad normam Instructionis S. Concilii Congregationis (*S. Alph.*, l. VI, n. 991) (1).

Cæterum, ut clarius casus solvantur, triplex institui potest quæstio: 1) Si nondum sex menses præterlapsi sunt, ex quo vetus domicilium reliquit, et simul in novo domicilio nondum per mensem integrum habitavit, solummodo in veteris domicilii Parochia fiunt proclamationes, licet celebratio matrimonii pertineat ad novi domicilii Parochum — 2) Si post domicilii mutationem unus saltem mensis, nondum tamen medius annus effluxerit, in utriusque domicilii Parochia fieri debent proclamationes — 3) Si post mutationem domicilii medius annus peractus est, solum in novi domicilii Parochia fieri poterunt proclamationes — 4) Si nupturiens ultimis annis passim in loco originis vel parentum versatus quidem est, sed jam per annum integrum ex quo sui juris est, in alio loco statuit proprium ac verum domicilium, sufficit proclamatio in hoc loco. Si autem verum quidem statuit domicilium, sed nondum per sex menses ibi habitavit, proclamatio tum in hoc vero, quam in ultimo quasi-domicilio erit facienda. Si nupturiens licet proprium domicilium fixerit, ultimis annis ita frequenter et per longiora temporis spatia in loco originis vel parentum est versatus, ut præter domicilium ab ipso electum, etiam illa loca tanquam domicilia retinuisse videatur, in iisdem fieri debet proclamatio. Cæterum videndæ sunt speciales præscriptiones locorum.

Minores proclamari debent tum in Parochia in qua habitant, tum in Parochia parentum aut eorum, sub quorum potestate sunt in ordine ad matrimonium. *Famuli* et in Parochia heri, apud quem ab uno saltem anno famulantur. Qui perpetuo laborant vel famulantur in una parochia, et in altera fixam habent domum vel cubiculum, in ista etiam posteriori publicandi. *Milites* proclamandi in præsidiis seu locis ubi degunt, et insuper in loco, in quo residebant ante militiam. *Vagi* nupturientes præter proclamationem in Parochia ubi tempore nuptiarum commorantur, etiam in loco originis, vel saltem ubi diutius commorati sunt, proclamari debent. Quidquid sit consentiunt omnes hic maxima cautela opus esse, et recurrendum esse ad Episcopum ex præcepto Tridentini, *sess.* XXIV, c. 7 *de reform. Matrim.*, ut de vagorum libertate constet. Scheider, *Manuale Sacerdotum* (S. Alph., *Opus mor.*, l. VI, n. 991. Carrière, *De Matrimonio.* Scavini, *l.* III, *n.* 900).

997. Notandum ex Rituali, quod si duo menses effluxerint a

(1) Episcopi provinciarum Pedemontii, Liguriæ et Vercellarum Literis 25 nov. 1865 habent: « Quando uno degli sposi non appartiene alla Parrocchia dove intende contrarre matrimonio, dovrà presentare al Parroco, cui spetta benedirlo, una dichiarazione del Parroco di suo domicilio attestante la sua libertà da ogni vincolo conjugale anche solamente civile. Se dopo la sovraindicata età (18 compiti pei giovani, 15 per le giovini) gli sposi, vigente il nuovo Codice, saranno stati assenti dalla loro Parrocchia per lo spazio di oltre sei mesi, si dovranno rimettere alla Curia diocesana affinchè colla testimonianza di due persone degne di fede comprovino la loro libertà. »

peractis denuntiationibus, quin matrimonium celebretur, illæ sunt omnes repetendæ, nisi aliud Episcopo videatur.

998. **Resolve**: 1) Parochus si de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet, vulgari sermone populo notificet, nempe quod N. vir, et N. mulier, ex tali et tali familia et parœcia intendunt, Deo adjuvante, inter se contrahere matrimonium. Item notare debent, si sint vidui, si ex diversa diœcesi. Insuper debet admonere de vice in vicem, an proclamatio, quam agit, sit prima an secunda an ultima. Et quando una vel altera peracta, speretur dispensatio in reliquis, pariter fidelibus indicandum est, ut si quod dignoscant impedimentum, apto tempore revelare possint.

2) Innuere debent gravem obligationem revelandi impedimentum, si quod fideles norint vel sibi vel suis ecclesiasticis superioribus. At quomodo denuntiabit, si quæ sint impedimenta populus ignoret? Hinc gravis in Parocho obligatio aperiendi non tantum sanctitatem, virtutem ac legitimum finem matrimonii; sed etiam impedimenta, ea præsertim quæ frequentius occurrunt, et speciatim impedimenta cognationis spiritualis et publicæ honestatis, quæ ut plurimum ignorantur, prout monet Catechismus Romanus.

3) Parochus verius peccat graviter, etsi certo sciat nullum esse impedimentum, si tres omittat denuntiationes, nisi adsit urgentissima necessitas, quæ moram non patiatur. Nam hæc lex in se gravis fundatur in præsumptione juris seu periculi; ideo in omni casu quoad potest sub gravi servanda est.

Imo probabilius mortaliter peccat, si duas omittat sine dispensatione et sine gravi causa; quia ut pars gravis totius præcepti habenda est. An id sit etiam dicendum de omissione unius, alii affirmant; sed probabiliter alii negant, si Parochus revera sit certus nullum adesse impedimentum: quia respectu ad totum hæc omissio non videtur gravis; modo tamen talis omissio non sit habitualis; sed contigat tantum in aliquo speciali casu *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 990).

999. **Denuntiatio impedimentorum**. Sive fiant sive etiam omittantur proclamationes, omnes per se loquendo sub mortali, si quod noverint impedimentum, denuntiare tenentur. Id præcipit non tantum lex Ecclesiæ, sed ipsius naturæ, ut prospiciatur dignitati ac validitati Sacramenti et bono proximi. Idque tenet, etsi quis impedimentum sciat sub secreto confidentiæ etiam jurato. Imo etsi unus tantum sciat, quamvis illud nequeat

probare, si deponat cum juramento ex certa scientia, aut a persona fide digna. Hinc c. *Super eo* 22 *de testib. et attestat.* legitur: *Matre asserente ipsos* (sponsos) *esse consanguineos, non debent conjungi; quia præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero matrimonium sit firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi* (S. Alph., *l.* III, *n.* 996).

Dixi: *Per se loquendo;* nam excipiuntur: 1) Confessarii, quorum notitia non est hujus fori — 2) Qui illud nequeunt revelare absque gravi detrimento sui vel suorum, ut si impedimentum proveniat ex propria illicita copula; item dic de famulis, qui sine gravi damno nequeunt heri impedimentum prodere — 3) Qui illud sciunt sub secreto consilii, ut sunt parochi, medici, obstetrices; nam societati interest hæc secreta servari — 4) Si impedimentum jam ab alio denuntiatum sit.

1000. Parochus autem, cui impedimentum fuerit denuntiatum ab aliquo fide digno, tenetur interdicere nuptias, id si opus sit Ordinario deferendo. Imo verius ad hoc adhuc tenetur, etsi solus impedimentum (extra Confessionem tamen) sciat; ut validitatem Sacramenti curet et bono suarum ovium consulat.

Si tamen sponsi sint in bona fide, et ex monitione desperetur fructus et impedimentum occultum sit, nec de facili contracto matrimonio dignosci possit, erunt relinquendi in bona fide. Quia melius est permittere peccatum materiale, quam præbere occasionem peccati formalis; tunc et Parochus, et qui illud novit tenetur sub gravi secretum tenere (1).

1001. **Dispensatio a bannis seu denuntiationibus.** Ex Tridentino potest Episcopus ab illis ex justa causa dispensare jure ordinario. Item Capituli Vicarius sede vacante. Item Prælatus inferior, si jurisdictione quasi episcopali polleat. Probabilius etiam Vicarius generalis Episcopi, quia unum cum ipso efficit tribunal in iis, quæ de jure ordinario competunt principali; accedit ubique vigens consuetudo. Quæ facultas dispensandi potest aliis subdelegari.

Omnes tamen merito negant de Parocho, quia nullam in foro externo habet jurisdictionem. Id unum concedunt, ut cum Episcopus dispensare tenetur, et adiri nequit et urget causa

(1) Paucis accipe: si impedimentum sit occultum, *non tenetur* illud sciens revelare, si id redundet in propriam infamiam; *non debet*, si non speretur fructus; *si tamen revelat*, prohibendum est matrimonium.

gravissima, declaret præceptum non obligare: si nulla adsit suspicio impedimenti *(S. Alph.,* l. VI, nn. 1003 et 1007).

1002. **Causæ ad dispensandum a bannis.** Aliæ sunt, quibus extantibus, Episcopus tenetur dispensare; aliæ, ob quas non tenetur dispensare, sed potest.

I. Causæ, ob quas *tenetur Episcopus* dispensare sunt: 1) Si probabilis adsit timor, ne matrimonium malitiose impediatur. Vel si illud sit illico celebrandum ad damnum vitandum in anima, corpore aut bonis. Vel ad scandalum impediendum, ad prolem a moribundo legitimandam — 2) Si sponsus statim debeat in longinquas regiones proficisci. Vel si parentes aut tutor prætendant, ut virgo nubat indigno — 3) Si præcesserit defloratio et timeatur, ne vir mutet voluntatem etc.

II. Causæ vero, ob quas *Episcopus potest*, sed non tenetur dispensare, sunt: 1) Si nuptiæ sint contrahendæ inter magnates — 2) Si sponsi sint valde senes, vel valde dispares conditione aut ætate, ne pudore perfundantur — 3) Imminente *tempore feriato;* sed tunc melius est dispensare a prohibitione nuptiarum, quam a denuntiationibus. Quod si non adeo sit impellens causa, sat erit dispensare ab una vel altera denuntiatione. Omnino enim dispensare Episcopis vetat Benedictus XIV Bulla *Nimiam*, nisi *urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa, ut liquet ex Tridentino*; nec sit suspicio impedimenti *(*S. Alph., *l.* VI, *n.* 1004).

1003. Notant Barbosa, Sanchez, Roncaglia cum aliis, quod Episcopus potest dispensare etiam cum altero sponsorum non sibi subdito in denuntiationibus; sicut enim potest eum cum subdito conjungere, ita etiam dispensare. Sed alii afferunt contrariam consuetudinem, vi cujus requirunt utriusque Episcopi dispensationem.

Cæterum non refert ad praxim; nam Episcopus, in cujus diœcesi est celebrandum matrimonium, illud permittere non potest, nisi habeatur *status libertatis* ab Episcopo alterius sponsi, et ita satis provisum videtur fini, ob quem denuntiationes fiunt *(S. Alph.,* l. VI, n. 1006).

CAPUT SEPTIMUM

De Dispensatione a Matrimonii impedimentis.

1004. **Potestas dispensandi ab impedimentis Matrimonii.** Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici, et quidem valide in omni casu; quia est primarius superior et totius Ecclesiæ caput; et etiam licite si adsit causa, prout recta gubernatio postulat. Hinc damnata est propositio

56 Synodi Pistoriensis, quæ statuit conveniens esse, ut pro impedimentis ortis ex delictis nulla detur dispensatio; id enim est læsivum moderationis a Tridentino probatæ, et juribus Ecclesiæ derogans.

Quæ tamen sunt juris divini directe relaxare nequit; etsi possit in aliquo casu declarare illud non obligare, quibusdam circumstantiis intervenientibus (*v.* t. I, n. 172).

1005. **Episcopi dispensatio ab impedimentis.** Distingue impedimenta impedientia a dirimentibus.

I. In impedimentis impedientibus Episcopus nequit dispensare: 1) A *vetito* lato specialiter a Pontifice, vel ab Archiepiscopo in appellationis causa. Neque in matrimoniis mixtis — 2) A *Sponsalibus*, quia agitur de jure tertii (ideo neque Papa dispensat). Neque a *voto* ingrediendæ Religionis, vel perpetuæ castitatis servandæ utpote Pontifici reservato — 3) A *tempore feriato*, quoad solemnitates nuptiarum, quas Episcopus permittere nequit ex *S. R. C.* anno 1853 (S. Alph., l. VI, n. 986). Quoad cætera generatim potest Episcopus et Vicarius generalis et capitularis dispensare, et alteri dispensationem delegare ex communi sententia. Sed v. t. I, n. 729 maxime quoad *vota*.

II. Episcopus dispensare nequit proprio jure in impedimentis dirimentibus; nam Episcopus nihil potest in communi Ecclesiæ lege (1). Potest tamen aliquando ex Papæ concessione rationabiliter præsumpta, vel etiam ex legitima consuetudine, et communi sensu dispensare.

1) Si agatur de *matrimonio jam inito*, sed nullo ob aliquod impedimentum, posse Episcopum dispensare (per se vel per Vicarium specialiter delegatum) affirmant communiter cum Benedicto XIV, hisce intervenientibus conditionibus: — 1) Ut matrimonium contractum sit cum ignorantia impedimenti, saltem ex una parte; et consummatum, quod supponitur, si ab aliquibus diebus initum — 2) Ut impedimentum sit occultum — 3) Ut non sit facilis ad Papam per epistolam recursus, uti si partes sint pauperes qui carent expensis pro supplicatione — 4) Ut matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiæ, neque neglectæ proclamationes — 5) Ut immineat periculum infamiæ aut scandali, si separentur putati conjuges; vel incontinentiæ periculum, si non separentur (quod fere semper imminet).

(1) Quæ enim sunt de ordine generali ad solum R. Pontificem reservantur; ita insignia cujuscumque generis nec presbyteris singillatim sumptis, nec iis collegialiter viventibus, uti capitulis, Episcopus concedere nequit. Imo si eadem insignia ab Ordinariis fuerint collata, debent statim deponi. Ita S. *Rituum C.* 6 maji 1872.

2) Si agatur de *matrimonio contrahendo* docent item Episcopum in aliquo particulari casu posse dispensare suos subditos, si agatur de quocunque ecclesiastico impedimento occulto, et urgeat gravissima necessitas, v. g. si immineat periculum mortis, vel si matrimonium illico sit necessarium ad legitimandam prolem, aut ad vitandam fœminæ infamiam, ut si mulier jamjam debeat nuptias contrahere, jam amici invitati, et omnia parata, et in Confessione sacramentali manifestet impedimentum, maxime si oriatur ex causa infamante, quin possit aliqua tergiversatione conjugium suspendere. In tali rerum angustia communissime et probabilissime cessat reservatio; vel si Episcopus dispensat, id agit non jure ordinario, sed quia in eo casu præsumitur Papam consentire, maxime cum ipse sciat hanc sententiam communiter esse traditam.

Cardenas hoc dicit *moraliter certum.* Benedictus XIV esse *fere commune.* Pyrrus Corradus testatur id declarasse Sixtum V; et S. Concilii C., teste Vecchiotti, hac de re interrogata 19 apr. 1695 affirmativum responsum dedit, sed *quoad forum conscientiæ tantum;* ideo postea ad S. Pœnitentiariam recurrendum esset *(S. Alph.,* l. VI, nn. 613 et 1122) (1).

Hæc facultas competit Vicario capitulari, non tamen Vicario Episcopi, cum agatur de re extraordinaria, nisi Episcopus facile adiri nequeat: tunc et ipse Vicarius dispensare valet, ea ratione qua dispensat Episcopus, si Papa adiri facile non possit *(S. Alph.,* l. VI, nn. 613 et 1122) (2).

(1) Pignatelli id concedit, etsi impedimentum sit publicum; hoc tamen asserere a S. C. Concilii et a S. Inquisitione declaratum fuit *falsum, temerarium, scandalosum, perniciosum et seditiosum;* vide Ferrari, *Summa Instit. Canonicarum.* Etsi autem probabile sit in impedimentis dubiis posse Episcopum dispensare; attamen in praxi tutius est, ut ad cautelam fiat recursus ad S. Sedem *(S. Alph.,* l. VI, n. 902. *Scavini,* t. III, nn. 904, 915).

(2) « Verum (ad rem cl. Berengo) quum in Pagella quam S. Pœnitentiaria Italiæ Episcopis ad triennium solet concedere, legatur quidem tales facultates concedi pro foro conscientiæ tantum, sed tum Episcopo tum ejus Vicario generali potestas fiat hisce facultatibus utendi etiam extra actum Confessionis, cum limitatione tamen *pro grege vobis commisso et infra fines vestræ diœcesis tantum;* omnino concludere debemus, etiam in casu nostro extra actum Confessionis Episcopum dispensare posse, si agatur de grege suo et intra fines suæ diœceseos. Hinc si Parochus in prædictis rerum angustiis resciverit a sponsis aut ab altero eorum occulte quidem sed extra Confessionem, impedimentum, Episcopus debet hoc casu dispensare per se, non vero delegare Parochum ut dispenset; nam Parochus hanc delegationem seu executionem adimplere non posset, nisi in actu Confessionis, si quidem velimus argumentari ex supradicta Pagella, quæ præcise notat posse quidem Episcopum eas facultates communicare toties quoties confessariis in singulis casibus, et etiam habitualiter Canonico Pœnitentiario et Vicariis foraneis aliisque sibi benevisis per tempus arbitrio suo, sed actu sacramentalis Confessionis. »

1006. Quod si neque ad Episcopum haberi possit recursus; quia nuptiæ in crastinum celebrandæ sunt, et Episcopus longe distet, putarem, ait Roncaglia, quod si impedimentum sit occultum, salvo meliori judicio, Parochum vel Confessarium, prudenter utendo epicheja, posse declarare parti impedimento consciæ, talem legem humanam non obligare in eo casu specialissimo; vel Papam ultro consentire, ut tollatur impedimentum illud. Quæ doctrina etsi audacior prima facie appareat: non tamen reprobari potest ut improbabilis et non tuta in praxi, si vere periculum subsit gravissimum infamiæ vel scandalorum, quod confessarius pro sua prudentia in Domino multum expendere debet. Sed quantocius saltem pro majori securitate et etiam pro reverentia erga Ecclesiæ leges, recurrendum ad S. Pœnitentiariam, ut obtineatur dispensatio, vel potius declaratio, qua id probetur etiam pro foro externo *(S. Alph. loco citato)*.

Art. 1. — Impetratio Dispensationis.

1007. **Dispensationum frequentia.** Nimia frequentia semper improbata fuit ab Ecclesia, per quam ecclesiasticæ disciplinæ nervus laxatur (maxime in consanguinitatis gradibus), et quidem non sine gravi, quod ipsis etiam corporibus evenit, damno. Hinc RR. Pontifices præsertim Benedictus XIV, Gregorius XVI, Pius IX, Leo XIII toti fuerunt in cohibendo abusu; et nonnisi ut majoribus malis subvenirent faciliores se aliquando exhibuerunt in impedimentis relaxandis. Quod dolentes hodie maxime concedere coacti sunt; cum civile gubernium de facili dispenset; ne scilicet sponsi connubio vulgo *civili* celebrato, in perpetuo concubinatu incestuose vivant, ob canonicum dirimens impedimentum.

Pluribus ab hinc annis in scientia medica periti multis probant a consanguineorum nuptiis maxime in gradibus propinquioribus gravia proveniri mala; quod nempe mulier aut sterilis evadit, aut ejus filii in vitam ingrediuntur sive auribus sive lingua capti, sive dementes sive fatui sive infirma valetudine affecti etc. Hinc Episcopi ac parochi esse debet fideles quoad possunt, arcere ab hisce nuptiis, sanctitatem impedimentorum, gravitatem dispensationum et familiarum incolumitatem aperiendo, etc. V. Giovine, *De dispensationibus matrimonialibus*, cons. 7. Scavini, *l.* III, *n.* 903 (1).

(1) Diarium *La Voce della verità* id plurium physicorum testimoniis probat, et citans opusc. Pauli Mantegazza medici habet: « I risultati ch'egli deduce dalle sue considerazioni possono riassumersi in tal guisa: 1) I matrimonj consanguinei sono nella loro generalità più sfavorevoli alla prole. 2) Il danno sorge dalla moltiplicazione dei germi patologici della stessa natura. 3) Questa influenza del sangue indebolisce la prole. I meglio provati effetti di questa unione è la mancanza di concepimento, concepimento abortivo, mostruosità, disposizioni a malattie nervose. 4) Quanto è più vicina la parentela, tanto è maggiore il danno. 5) È probabilmente maggiore il pericolo ne'casi di parentela uterina, poichè i figli traggono più dalla madre, che dal padre. »

Et cl. Murino: « Badate a non congiungervi in matrimonio coi vostri parenti; i matrimonj fra i consanguinei, secondo le più accurate indagini, oltre al dar per frutto la scrofola, danno ancora e più facilmente la tubercolosi » *(Lezioni di medicina popolare e preventiva)*. Ergo Ecclesia hasce conjunctiones vetans promovet ipsum temporale prolis bonum ac societatis.

1008. **Dispensationis impetratio quoad matrimonium.** Ad obtinendas dispensationes a S. Sede duplex Romæ Tribunal erectum est: *Dataria Apostolica*, et *Sacra Pœnitentiaria.*

I. A Dataria petuntur dispensationes pro foro externo tantum, et pro impedimentis publicis, vel quæ publica fieri prævidentur. A S. Pœnitentiaria ordinarie petitur dispensatio pro foro interno, et pro impedimentis occultis.

II. In Dataria solvenda est taxa pecuniaria; pars cedit officialibus instar mercedis; pars cedit ipsi Datariæ vel instar pœnæ, v. g. ob incestum, vel instar eleemosynæ in piis operibus impendenda. Hæc est major vel minor juxta gradus parentelæ ac personarum divitias. In praxi exponendus est status fortunæ (nisi agatur de personis quorum miserabilitas nota est); ut ita rite taxa determinari ac componi valeat, quæ ideo *componenda* dici solet (1) — Quando oratores sunt ad solvendum omnino impotentes ac miserabiles, et gravior adsit causa, Dataria fere gratis dispensat; et dispensatio *in forma pauperum* dici solet: quæ olim ex solis causis famosis seu turpibus, hodie ex causis etiam honestis, concedi solet.

III. Nulla solvitur taxa in S. Pœnitentiaria, et juramentum præstant illius administri se nihil etiam sponte donatum accepturos; semper tamen sunt solvendæ expensæ pro expeditione. Attamen cum hodie, si agatur de causa gravissima et vere pauperibus, soleat aliquando ipsa S. Pœnitentiaria, facto verbo Pontifici, dispensare etiam in foro externo pro impedimentis notoriis; ideo tunc generatim modica taxa imponi solet, sed ad Datariam transmittenda.

IV. Dataria ac S. Pœnitentiaria dispensationem non solent concedere in *forma gratiosa*, sed in *forma commissoria;* id est actu non dispensant, sed committunt, seu alium delegant, ut ipse dispenset, si exposita vera sint, facta diligenti inquisitione.

V. Recursus ad *Sacram Pœnitentiariam* exhibetur Em.° Cardinali Pœnitentiario majori. Exprimendo latino idiomate objectum dispensationis, taceri debent vera nomina, cognomina, patria, Diœcesis et similia, quæ ad personas dispensandas pertinent, si res sit de occultis impedimentis; sed nomina finguntur, v. g. *Titius, Berta.* Additur ultimo tum nomen ac cognomen verum personæ, ad quam rescriptum dirigendum est; tum

(1) Ambo sponsi actu pauperes sint oportet; neque obstat si divites habeant parentes, si omnino recusant illis succurrere. Item et eorum ætas indicanda est.

nomen loci, in quo ipsa moratur; et hæc ad errorem vitandum exarantur idiomate vulgari — Quilibet per epistolam recurrere potest ad Pœnitentiariam sive Parochus sive confessarius: imo vel ipse qui dispensationem desiderat. Sed præstat, ut utatur opera experti nempe Curiæ episcopalis, ut vitetur omnis error.

VI. Quando recurritur ad *Datariam* epistola supplex foris ad Cardinalem Pro-datarium, intus dirigitur ad ipsum Pontificem, et nomina vel cognomina non finguntur, sed scribuntur vera; et indicandum etiam si oratores sint diversæ Diœcesis, quia solet rescriptum dirigi ad Ordinarium sponsæ. Quamvis autem etiam ad Datariam quilibet per procuratorem Romæ existentem possit recurrere; ad omne tamen erroris periculum declinandum tutius est, ut res committatur Officialibus Curiæ episcopalis, ut passim fit. Ideo Parochus, parentelæ albero confecto, mittat sponsos ad Vicarium foraneum, cujus sunt partes de statu oratorum indagare, juratas testium depositiones exquirere, etc. juxta modulum præscriptum, ad Curiam episcopalem postea transmittendum, ut facto prius pro taxa et expensis deposito, Romam mittatur *(S. Alphonsus*, l. VI, nn. 1131, 1144, etc.) (1).

Si vero sponsi sint diversæ Diœcesis, an ab utroque Episcopo sit obtinenda dispensatio, si uterque Episcopus ex indulto speciali dispensandi facultatem habeat, en resolutio S. Officii 22 nov. 1865: « Cum quidem Episcopus dubitasset, num suus subditus impedimento irretitus (cujus dispensandi speciali indulto idem prælatus gaudebat), et in aliam diœcesim profecturus ad contrahendum cum muliere ei non subdita, posset ante discessum ab eo dispensari; adeo ut impedimento solutus in loco dictæ mulieris eum valide cum eadem contraheret, Congregatio respondit: *Affirmative, nisi obstet tenor Apostolicæ concessionis; impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab Episcopo loci* » (S. Alph., *l.* VI, *n.* 1142).

1000. **Causæ ad obtinendas matrimoniales dispensationes.** Causa, ob quam petitur dispensatio, vera esse debet, cum sit tota ratio dispensandi (2). Ubi notamus: 1) Tanto graviorem causam requiri quanto gravius est impedimentum — 2) Aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed

(1) Qui recursum habet ad episcopalem Curiam, si optat ut ipsa operam suam præstet quoad facultates ac dispensationes a S. Sede maxime obtinendas, debet in antecessum pecuniam apud illam deponere, vel certum et capacem fidejussorem ei exhibere pro necessariis expensis; secus supplex libellus reponitur. Nam non raro evenit ut semel missa supplicatione, sed nondum gratia obtenta, matrimonium locum amplius non habeat, adeo ut Episcopi Curia, renuentibus qui ad id tenentur, sustinere debeat omnia onera de proprio solvendo.

(2) In dubio an causa fuerit substantialis vel tantum impulsiva, vera vel falsa, valida censetur dispensatio; quia in dubio standum est pro actus validitate.

alteri adjunctam sufficientem existimari; nam quæ non prosunt singula, multa juvant — 3) Nonnunquam concedi dispensationes *ex certis, honestis et rationabilibus causis*, quin causa exprimatur, ut contingit cum regibus aliisque, qui dignitate præstant; qui ad opus pium ingentem pecuniæ summam elargiuntur (1). Communiores autem potioresque causæ adduci solitæ numerantur a S. Congregatione de Propaganda fide 9 maji 1877; sunt:

« I. *Angustia loci*, sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio fœminæ ita sit propagata, ut alium paris conditionis cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere ei sit durum (2).

II. *Ætas fœminæ superadulta*, si scilicet vigesimum quartum ætatis annum jam egressa, hactenus virum paris conditionis cui nubere possit, non invenit. Hæc vero causa haud suffragatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupit.

III. *Deficientia* aut *incompetentia dotis*, si nempe fœmina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quæ causa magis urget si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter, et ex integro eam dotare paratus sit.

IV. *Lites super successione bonorum jam exortæ*, vel *earundum grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, præter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicæ ut lites extinguantur — Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

(1) Observat d. Thomas sine personarum acceptione fieri, quod facilius dispensetur cum nobilibus aut divitibus; quia salus publica magis a potentibus quam a plebejis dependet: et multum Ecclesiæ interest, potentiores non habere contrarios, sed potius obligatos (2, 2, q. 63, a. 2).

(2) Loci angustia ex S. Concilii C. 8 julii 1876 non est desumenda ex numero focorum cujusque parœciæ; sed ex numero focorum cujusque loci (in uno enim eodemque loco plures esse possunt parœciæ); et etiam ex numero simul plurium locorum, si non distent ad invicem ultra milliare. Ex Brevi autem Pii IX 30 aug. 1847 angusta dicuntur illa loca, quæ aut focos tercentum, aut habitatores mille et quinquaginta non exsuperant.

V. *Paupertas viduæ,* quæ numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduæ ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiæ versetur.

VI. *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum fœdera inter Regna et Principes, sed extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Hæc causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quæ inter contrahentium consanguineos vel affines ortæ sint, quæque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiæ graves viguerint, et licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

VII. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quæ facile impediri non possit.

VIII. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante præhabita; et *prægnatio*, *ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quæ secus innupta maneret. Hæc profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quæ ideo circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

IX. *Infamia mulieris,* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa; cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

X. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice servata Tridentini forma, contractum est; quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno præsertim fœminæ *(c. 7 de consang.)*. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Concilio Tridentino, *sess.* XXIV, c. 5 *de ref. Matr.*

XI. *Periculum matrimonii mixti,* vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiæ auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et

defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi hæreses impune grassantur (Id docuit S. Officii Congregatio Instructionibus 17 apr. 1820, et 14 aug. 1822).

XII. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata Instructione anni 1822 elucet, dispensationis remedium ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti æternæ salutis discrimine, adhibendum esse.

XIII. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur probabile periculum, quod illi qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile* ut ajunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

XIV. *Remotio gravium scandalorum.* — XV. *Cessatio publici concubinatus.* — XVI. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicæ hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de religione sit optime meritus. »

1010. **In supplicatione exponenda.** Ex eadem Congregatione de Propaganda fide hæc sunt de jure vel consuetudine, aut stylo Curiæ exprimenda, adeo ut si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Hæc autem sunt declaranda :

« I. *Nomen et cognomen Oratorum*, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

II. *Diœcesis originis*, vel *actualis domicilii.* Quando Oratores habent domicilium extra diœcesim originis, possunt si velint petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium diœcesis, in qua nunc habitant.

III. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita. Publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato. In impedimento criminis utrum proveniat ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii. In cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum vel inter levantem et levati parentem (1).

IV. *Gradus consanguinitatis* vel *affinitatis*, aut *honestatis*

(1) S. Sedes non nisi raro dispensat, ut baptizans et patrini *(levantes)* ducant personam baptizatam *(levatam)*: quæ dici solet *paternitas* aut *maternitas*. At dispensare solet, ut baptizans ac susceptores ducant parentes baptizati; quæ dicitur *compaternitas* aut *commaternitas*.

ex matrimonio rato; et an sit simplex vel mixtus (1); non tantum remotior sed etiam propinquior; uti et linea, an sit recta vel transversa.

V. *Numerus impedimentorum*, v. g. si adsit duplex consanguinitas, ut si Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo ob diversum stipitem; tunc non est unica seu unius sanguinis communicatio, sed duplex; a duplici ergo impedimento erit dispensatio danda. Item est de affinitate, et alio impedimento sive dirimens sit, sive impediens (2).

VI. *Variæ circumstantiæ*, scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum. Si jam contractum, aperiri debet, an bona fide saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an præmissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti. An pauperes sint vel divites (3).

VII. *Copula incestuosa* habita inter sponsos, ante dispensationis executionem, sive ante sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publica nota sit, sive etiam occulta. Si hæc reticeantur, subreptitias esse et nullibi, ac nullo modo valere dispensationes super quibuscunque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non publicæ honestatis declaravit S. Officii Congregatio 1 aug. 1866.... » (4).

(1) Si gradus sit inæqualis inter ipsos sponsos, consultissimum est exprimere utrum vir vel mulier sit stipiti propinquior. Si autem gradus propinquior reticitus fuit, adhuc valet dispensatio, modo gradus reticitus sive bona sive mala fide non sit primus; sed illicita est adeo ut teneantur sub peccato oratores obtinere a S. Sede Literas declaratorias super gradu illo reticito. Benedictus XIV, Brevi *Etsi matrimonialis* anno 1755.

(2) Puta si quis duas ejus quam ducere vult sorores, cognoverit; tunc duo sunt impedimenta; et tria si et duas sorores et matrem cognovisset suæ sponsæ.

(3) Item dicunt exprimendam (de hoc tamen nihil habet Instructio) jam obtentam dispensationem, si sit super eadem materia et quidem peccaminosa; quia ex repetito delicto difficilius dispensatur. Secus si impedimentum non sit ex aliquo crimine, vel in crimine diverso, ut si quis ad contrahendum cum una jam fuerit dispensatus ab impedimento criminis, et nunc petat dispensari ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad contrahendum cum alia, prima jam defuncta (*S. Alphonsus*, l. VI, nn. 1136, etc.

Item si ambo vel unus hæreticus forsan sit; quod si executor id reticuit, ex Benedicto XIV Const. *Magnæ* executionem suspendat rem S. Sedi renuntiando.

(4) In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineæ collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge oratoris vel oratricis, sed etiam ex copula illicita, seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur,

1011. Casus 1. *Flavius et Mirabella divites vinculo affinitatis ligati, ut obtineant gratis dispensationem, falso exposuerunt, testibus seductis, se pauperes omnino esse. Dispensatione ita obtenta, conjugium celebrarunt* — Alii negant cum Alasia, Bouvier, Gousset dispensationem validam esse; nam verificatio causarum est de valore dispensationis; et Pontifex non intendit dispensare sub illa forma, nisi eos qui vere pauperes sunt. Sed alii affirmant cum Gury et s. Alphonso (l. VI, n. 1129; *Ho. ap.*, tr. XVIII, n. 87), licet gravissime peccaverint et testes seducendo et falsum asserendo. Sane paupertas non est causa neque finalis neque impulsiva dispensationis; sed est tantum ratio, ob quam dispensatio ipsa conceditur gratis: unde semper aliunde adesse debet justa causa. Ad modum fere, quo valet dispensatio, si allegetur vera causa, sed ea probetur falsis testibus, cum veri haberi nequeant: quia dolus non est circa causam impulsivam vel finalem; sed preces revera veritate nituntur, ut ipse argumentatur Alasia.

S. Concilii Congregatio interrogata, pluribus hinc inde disputatis, 18 apr. 1863 respondit: *Dilata.* Iterum interrogata respondit 28 julii 1873: *Nihil esse innovandum.* Attamen semper ageret illicite executor, si nondum verificata paupertate aut assertæ paupertatis falsitate detecta, dispensaret; quia faceret contra præscriptionem. Et illicite quoque Oratores matrimonium contraherent, si falso se pauperes affirmaverint; et in conscientia tenerentur ad justam solutionem in Dataria, ex S. Pœnitentiaria 3 dec. 1852 (vide *Giovine;* et *Scavini,* l. III, n. 916).

Casus 2. Longinus et Longina, tertio affinitatis gradu conjuncti, sponsalia ineunt cum proposito dispensationem impetrandi. In supplici libello expositum fuit sponsos inter se copulam habuisse, et necessariam esse dispensationem ad infamiam auferendam et ob periculum aliud conjugium non inveniendi. Verum est infamiæ periculum ob nimiam familiaritatem inter sponsos notam atque vulgatam; at vera non est copula habita. Ideo Parochus dicit nullam esse dispensationem sic obtentam.

Iterum petitur dispensatio, et cum tunc revera copula secuta sit et proles habita, exponitur etiam causa prolis legitimandæ, sed executioni mandata per commissarium dispensatione, nondum tamen celebrato matrimonio, proles obiit. Quid de prima et secunda dispensatione? — R. Prima dispensatio est valida; nec officit circumstantia incestus, qui locum non habuit; nam hæc circumstantia in se spectata nedum impellat Pontificem ad gratiam facilius concedendam, e contrario eam difficiliorem reddit; et ideo de jure exprimi debet necessario, quando adest. Ergo illa circumstantia falso apposita per se non consetur determinasse Papam ad favorem concedendum, siquidem eum potius cohibuisset. Neque officere videtur allegata inde causa infamiæ, nisi nubat; etenim illa causa non est falsa, sed vera; non quidem ex incestu proveniens, sed ex nimia familiaritate sponsorum quæ longe lateque est divulgata. Ergo neque ex hac parte caduca est dispensatio. *Gury.*

Item dispensatio posterior minime cessavit per mortem prolis, si

necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitæ copulæ; ex S. Pœnitentiaria 20 martii 1842; et 10 dec. 1874 (v. *Acta S. Sedis*, t. XI).

Item si copula intervenerit post fulminationem seu executionem dispensationis, non nova requiritur dispensatio, etsi nondum celebratum matrimonium; quia applicata dispensatione, jam cessat incestus malitia (*s. Alph.*, l. VI, n. 1141).

mors post illius executionem subsecuta est, etsi nondum celebrato matrimonio; ratio quia cum dispensatio jam fuerit executioni mandata, seu a delegato S. Sedis oratoribus applicata, ec ipso impedimentum sublatum est; porro sublato semel impedimento, nulla dispensatio amplius necessaria est, et nihil obstat ad matrimonium. Aliter esset, si proles mortua sit post concessam, sed nondum fulminatam seu executioni mandatam dispensationem, tunc alia requiritur; quia tunc quando delegatus gratiam oratoribus vult applicare, jam preces non amplius veritate nituntur. Porro veritas causæ non solum existere debet tempore quo Papa dat dispensandi facultatem; sed perseverare debet usquedum a commissario seu delegato applicetur, quia tunc proprie gratia conceditur. *Gury; Liguori,* Opus mor., *l.* VI, *n.* 1132.

1012. *Non pauci conqueruntur, quod pro gratiis ac dispensationibus a S. Sede obtinendis pecunia solvenda sit; unde illæ venales fiunt, et pauperes vix iis frui possunt; cum tamen in civili res non ita se habeat* — R. Lugendum, quod aliquando vel ipsi ecclesiastici hac de re laicorum querimoniis subscribant; qui potius et recte respondere deberent: quod gratiæ non paucæ a S. Sede tribuuntur gratis ut notum est, vel paucis admodum solutis pro expensis. Sed non omnes, secus quomodo poterunt onera Pontificatus sustineri, ac romana tribunalia, ubi tot doctissimi viri continuo adlaborant pro totius catholici orbis utilitate? omnis labor mercedem meretur (idque tenet etiam quoad emolumenta quæ a Curia episcopali exiguntur). Quod autem objicitur de dispensationibus a civili gubernio obtentis, non est ad rem; nam præterquam quod vix ac ne vix quidem aliquid ab eo gratis accipitur, tot tributis, vectigalibus, taxis atque gabellis jam satis abunde, ut notum est, tribuimus omnes ad gubernium ejusque publicos officiales sustinendos, ne dicamus ditandos.

De cætero, quod divites multis fruantur supra pauperes, non est de Ecclesiæ acceptione, sed de ipsius rei natura; vel in ipsa civili republica, qui in opera beneficientiæ opes comsumunt, nonne prædicantur ubique, multisque prærogativis distinguuntur? Neque tamen conqueruntur cives; quia probe noscunt, eos non ideo extolli, quia divites, sed quia divitiis bene uti sciunt. Adde: simul cum pecuniæ retributione ordinarie gravis etiam requiritur causa. Absit ergo, ut eos vel minimum probare possimus, qui hac de re blaterando parum reverenter se exhibent erga sanctam apostolicam Sedem (v. *Scavini,* l. III, n. 917) (1).

1013. *Resolve:* 1) Si impedimenta sint diversa, nec unum augeatur ab altero, ut consanguinitas et votum, consanguinitas et crimen, recurrendum est ad Datariam pro publico, ad Pœnitentiariam pro occulto impedimento. Nec est necesse, ut apud unum tribunal fiat mentio de dispensatione ab altero tribunali postulata vel obtenta. Quod si illa duo impedimenta sint publica necesse est, ut in Dataria de ambobus fiat mentio in eodem petitionis libello.

(1) Adde etiam illud Pii VII Brevi 28 febr. 1802, ad Galliæ Episcopos: *Taxa solvitur ad resarciendam aliqua ratione vulnus quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur; et ad matrimonia inter personas consanguinitatis et affinitatis vinculo invicem conjunctas graviora et difficiliora reddenda.*

2) Si impedimenta sese invicem contingant, ut duo crimina, duplex consanguinitas; vel talia sint, ut afferant conjuncta majorem repugnantiam, tunc si impedimenta sint publica, simul exponenda sint in Dataria. Si vero unum tantum publicum sit, petenda est a Dataria dispensatio impedimenti publici, reticito secreto. Utrumque autem exponendum est in S. Pœnitentiaria; quia tunc difficilior redditur dispensatio, cum conjuncta afferant majorem repugnantiam ad matrimonium. Puta si quis velit ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit, orator debet petere a Dataria dispensationem ab impedimento consanguinitatis, et a Pœnitentiaria dispensationem ab impedimento affinitatis ex copula illicita, simul exponendo dispensationem a Dataria obtentam vel obtinendam *(S. Alph.,* l. VI, n. 1139).

3) Item si impedimentum sit publicum, sed copula occulta, tunc ne quis infametur, ab impedimento publico petitur a Dataria dispensatio, reticita copula. In Pœnitentiaria exponitur copula secreta cum impedimento publico, super quo vel jam obtenta est, vel obtinenda erit dispensatio a Dataria *(S. Alph.,* l. VI, n. 1135).

4) Si quis, obtenta gratia dispensationis super impedimentum occultum affinitatis ob copulam illicitam, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea suæ sponsæ, antequam eam duxerit, nova non indiget dispensatione pro illo novo incestu, si dispensatio nondum sit fulminata seu nondum executioni mandata a delegato, nempe si delegatus nondum protulit sententiam dispensationis. Nam tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis; sed a die executionis — Imo probabilius dicunt non requiri novam dispensationem, etsi ista jam fuerit executa; quia illa affinitas jam sublata est per dispensationem quoad effectum contrahendi tale matrimonium. Ex S. Pœnitentiaria 21 sept. 1752 *(S. Alph.,* l. VI, n. 1140).

Dixi: 1) *Cum eadem consanguinea:* quia si copulam haberet cum altera sponsæ consanguinea ante matrimonium, novam contraheret affinitatem et indigeret nova dispensatione — 2) *Antequam eam duxerit;* nam si contracto matrimonio, cum eadem suæ sponsæ consanguinea peccaret, privaretur tantum jure petendi debitum conjugale, ob novam illam affinitatem *(S. Alph.,* l. VI, n. 1140).

Quod si post obtentam dispensationem intercesserit copula inter ipsos sponsos, an requiratur nova dispensatio, negant plures; quia hæc copula nullum inducit impedimentum. Sed ve-

rius affirmandum, si nondum dispensatio sit a delegato executioni mandata; nam major tunc pœnitentia imponitur, idque declaravit S. C. Concilii *(S. Alph.,* l. VI, n. 1141) (1).

1014. Casus. *Plantilla, Domitilla et Flacilla dispensationem obtinent a voto perpetuæ castitatis: prima ut Cajo nubere possit; secunda ut simpliciter nubere valeat; tertia ut unicum matrimonium contrahat, quod cum affine suo in gradu prohibito contraxit id ignorando. Viris mortuis quibus nupserunt, cupiunt alias nuptias inire* — Plantilla non potest sine nova dispensatione alias nuptias inire; quia dispensatio non fuit concessa nisi pro matrimonio contrahendo cum Cajo, et hoc jam locum habuit. Contra sine nova dispensatione potest Domitilla de novo contrahere, cum dispensatio fuerit absolute concessa ad nubendum. Item dic de Flacilla; quia cum matrimonium cum priori viro contractum fuerit nullum ob occultum impedimentum affinitatis, non potest dici quod verum matrimonium inierit; nam *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi;* de reg. juris in 6. *(Resolutiones Reatinæ* 1878; et *s. Alph.,* l. I, n. 196).

Art. 2. — De Dispensationis executione.

1015. **Dispensationum matrimonialium executio.** Dispensatio vel obtenta fuit a Dataria, vel a S. Pœnitentiaria. Prima mandatur Episcopo vel ejus Vicario generali, ut eam exequatur extra Confessionem; secunda committitur confessario, ut eam in foro interno exequatur. Si tamen Pœnitentiaria dispenset ab impedimento publico, ad ejus executionem delegari solet Ordinarius diœcesis. (Si oratores sint diversæ diœcesis, Episcopi nomine venit Episcopus originis) (2).

I. Porro si res sit de datis a Dataria dispensationibus, delegatus (antequam de facto dispenset, et dein mandet Parocho, ut servatis servandis, nuptiis assistat) ex Constitutione Benedicti XIV *Ad Apostolicæ,* inquirere tenetur per se vel per alium, v. g. Parochum, aut Vicarium foraneum, an vera sint quæ in supplicatione exposita sunt. Quæ verificatio adeo necessaria est, ut si prætermittatur (quia jam notum est vera esse

(1) Hujus sententiæ fundamentum non est, quod hæc copula incestuosa inducat aliquod matrimonii impedimentum; sed est stylus Curiæ, quæ tunc non intendit, ut vim habeat dispensatio. Ideo iterum recurrendum est ad Datariam, si copula sit manifesta; ad S. Pœnitentiariam, si copula occulta sit. Sed Episcopus hac facultate munitus esse solet *(Scavini,* l. III, n. 823).

(2) *Oriundus* dicitur qui originem ab illo loco ducit, unde ejus majores fuerunt; *Ortus* vero qui natus est in tali loco. Attamen promiscue hæc duo usurpantur.

exposita), non competit delegato auctoritas dispensandi; nam sub illa conditione ea ipsi tribuitur (1).

II. Post causarum verificationem, ut delegatus procedat ad dispensandum, prius sedulo attendere debet ad clausulas in Datariæ literis positas, quæ quidem si agatur de causa inhonesta, plures esse solent: v. g. sacramentalis Confessio apud quemcunque confessarium peragenda imponitur (aliquando etiam bis), sponsorum separatio quoad thorum et habitationem ad tempus, absolutio cum pœnitentia salutari ab incestus reatu, et a censuris aliisque pœnis ecclesiasticis si forte sponsi in eas incurrerint. Quæ absolutio in pluribus diœcesibus subdelegari solet parocho vel vicario foraneo; et data intelligitur pro utroque foro, ideo etiam extra Confessionem (nisi in decreto ponatur clausula *in sacramentali Confessione)* — Item necesse est, ut mulier rapta non fuerit matrimonii contrahendi causa; et incestus non sit deductus ad forum judiciale ad illum puniendum. Quæ omnia semel adimpleta et per parochum aut alium Curiæ episcopali notificata, delegatus dispensationem impertit, et mandat parocho ut matrimonio assistat; parochus autem celebrato matrimonio omnia describat in Libro matrimoniorum, et servet dispensationem in archivio parochiali ad probandam videlicet matrimonii canonicitatem.

III. Ad exequendam dispensationem pro occulto impedimento a S. Pœnitentiaria obtentam eligi solet confessarius a pœnitente designandus, ex approbatis; et si confessarius designatur uti laurea donatus, talis esse debet. Ait autem Pichler, quod si electus dispensationem exequi recuset vel nesciat, vel nimis sit rigidus in pœnitentiæ impositione, potest pœnitens alium eligere, etsi jam literæ apertæ sint, sed nondum executioni mandatæ.

IV. Si impedimentum uni tantum partium notum sit, sufficit unica executio. Sed si utrique contrahenti sit notum et commune, uterque a respectivo confessario dispensandus est, si contrahentes diversum habeant; ex *S. Pœnitent.* 15 *nov.* 1748. Idem autem rescriptum duobus confessariis inservire potest; et dilacerandum est ab eo, qui illud ultimo exequitur.

(1) Alii volunt id verum esse si in rescripto dicatur: *Si preces veritate niti compereris.* Non autem si dicatur simpliciter: *Si preces veritate nitantur, si vera sint exposita;* tunc si jam aliunde delegatus sciat illa vera esse, non erit irrita dispensatio, si explorationem omiserit. Ita celebris *Summula Aretina* (De verificatione causarum; v. *Scavini*, l. III, n. 915).

Quæ autem in rescripto S. Pœnitentiariæ apponuntur conditiones, sedulo sunt attendendæ. Quarum quidem aliæ sunt ad effectum contrahendi matrimonium, aliæ ad effectum remanendi in matrimonio jam contracto.

1016. **Clausulæ S. Pœnitentiariæ ob occultum impedimentum, si jam contractum sit matrimonium.** Clausulæ sunt:

I. *Si separatio fieri nequeat absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur, inter se secreto* (id est sine præsentia parochi et testium) *contrahere valeant.* Quæ clausula agitare non debet confessarium, cum vix in praxi aliter res esse possit: unde rarissime erit necessarium experiri, an conjuges revera possint separari, et honeste vivere uti frater et soror.

II. *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii* (ut de novo consensus emittatur); *sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.* Pro consensus renovatione, si nullum sit periculum infamiæ aut separationis, aperte dicat sponsa parti ignaræ: *Nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum;* vel *dixit mihi confessarius nullum esse, ideo renovemus consensum.* Quia tamen non ita facile id locum habere potest sine discrimine, aut separationis aut conjugum alienationis, ideo communiter assignantur alii modi.

1) Ut sponsa dicat: *Quando nupsi tecum, non satis curavi de vero consensu; nunc verum præstare volo: vis præstare et tu?* 2) Ut verba proferat: *Scrupulis angor de valore Matrimonii nostri, ideoque renovemus consensum;* id satis est, ut altera pars ponat consensum novum independentem a primo — 3) Ut pars conscia nullitatis compartem primum blanditiis deliniat, et bene dispositam sic alloquatur: *Ita te amo, ut si non esset inter nos matrimonium te in conjugem acciperem, et nunc ita te accipio; tu ne idem ex tua parte facis?* Si respondeat *facio* vel aliis modis similibus, valet matrimonium; non vero si dicat *vellem, facerem,* quia consensus non esset de præsenti.

Verum si prudens confessarius videat has conditiones non posse verificari, nec spem esse obtinendi novum consensum, uti si in discordiis vivant conjuges, id ab initio S. Pœnitentiariæ exprimat; vel postea obtineat dispensationem *in radice.*

Qua in radice dispensatione, Romanus Pontifex suprema, qua pollet auctoritate in omnia impedimenta juris Ecclesiastici, aufert impedimentum ascendendo ad radicem seu originem matrimonii; et

destruendo effectum impedimenti dirimentis ab ipso matrimonii initio, sanat vitium invaliditatis, et validitatem tribuendo pro toto anteacto tempore prolem jam susceptam legitimam declarat, adeo ut apta sit ad Beneficia, ad Ordines etc. Hæc tamen dispensatio nonnisi causa urgentissima concedi solet idest, si una pars ad renovationem consensus adduci nequeat, etsi actu consentiat remanendi in matrimonio; vel si uni tantum parti notum sit impedimentum, quod nullimode conveniat illud alteri parti manifestare; vel si adsit gravis ratio non monendi conjuges de nullitate; potest enim S. Sedes dispensare cum conjugibus quin id sciant, modo non cognoverint eorum matrimonium nullum esse (1).

Oportet tamen, ut consensus utriusque partis perseveret, neque potest illum supplere Ecclesia. Item ut matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum etsi nulliter, adeo ut externe de eo constet; ideo non sufficeret conjunctio fornicaria seu matrimonium civile (2).

1017. ***Clausulæ S. Pœnitentiariæ ob occultum impedimentum, ad matrimonium contrahendum:***

1ª Clausula sedulo attendenda hæc esse solet: *Si ita sit, si preces veritate nitantur.* Quare executor investigare debet, num vera causa, aliaque necessaria adjuncta. Quæ omnia tamen satis est, ut vera fuerint quando dispensationem delegatus exequitur, si ipsi commissa sit executio (ut ordinarie contingit). In verificatione fides est adhibenda ipsi pœnitenti, nisi delegatus certo sciat contrarium extra sacramentalem Confessionem.

2ª *Audita prius sacramentali Confessione:* ideo necessaria est pœnitentis Confessio ad ipsum valide dispensandum, etsi jam prius alteri confessus fuerit. At non est necesse, ut confessio valida sit, vel quod tribuatur absolutio.

3ª *Sublata occasione peccandi.* Idque ex Bouvier ad validitatem dispensationis; sed juxta alios hæc clausula ponitur tantum ad monendum confessarium, quid ipsi agendum sit.

4ª *Dummodo impedimentum sit occultum;* id est non notorium. Si dicat *omnino occultum* (ut solet poni in impedimento criminis), non est amplius tale, si possit per duos testes probari. Si dicat simpliciter *occultum*, non obstat, juxta Fagnanum, si notum sit 4 aut 5 personis loci; vel juxta alios si cognitum sit 7 aut 8 personis in civitate, 6 solis personis in oppido, quæ sint prudentes et impedimentum non evulgaturæ; adeo ut

(1) Et tunc in Literis dispensatoriis præcipitur, ut ipsæ diligenter custodiantur in Episcopali cancelleria, ut pro quocunque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimatione constet (*Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 649; *Scavini,* l. IV, n. 564).

(2) Imo et in impedimento clandestinitatis et in matrimonio vulgo *civili,* puta si civiliter tantum junctus recusat contrahere etiam in faciem Ecclesiæ, sanatio in radice aliquando obtineri possit; ex praxi S. Sedis videtur affirmative respondendum, ut notant Vecchiotti et Gousset; impedimentum enim hoc adhuc perdurante conjugum consensu, est juris ecclesiastici tantum.

non adsit prudens timor, quod impedimentum ex occulto fiat publicum — Potest autem delegatus exequi rescriptum, si olim publicum, nunc ex hominum memoria exciderit; sed exigunt decennii oblivionem. Non tamen potest dispensare, si impedimentum sit materialiter publicum, sed occultum formaliter, uti si notum sit aliquem, antequam matrimonio jungeretur, cum sorore uxoris suæ rem habuisse; ignoretur tamen inde exortum esse impedimentum dirimens. Ita Benedictus XIV, qui etiam docet, iterum recurrendum esse, si delictum in loco, in quo est contrahendum matrimonium, sit occultum; alibi publicum.

5ª *Injuncta grari pœnitentia salutari:* id est juxta vires pœnitentis, habita ratione conditionis, ætatis, etc. Talis esset pro omnibus per sex menses jejunium semel in hebdomada, vel recitatio Rosarii ter in hebdomada, vel frequens Confessio saltem semel in mense, orationes, lectio spiritualis; item per sex menses, eleemosyna, etc. Si autem pœnitens debitam pro peccato pœnitentiam jam egerit, poterit ea moderari ; modo pœnitentia non sit injuncta tanquam commutatio. Aliquando præcipitur pœnitentia *gravis* et *longa*, vel *diuturna:* recitatio Coronæ singulis hebdomadis per annum est pœnitentia gravis et longa; per tres annos, est diuturna, ut commune est.

6ª *Et aliis de jure injungendis; aliudque non obstet:* 1ᵐ Respicit obligationes, quas aliunde potest habere pœnitens, v. g. famæ restituendæ. 2ᵐ Præcipit inquirendum, an forsan aliud obstet impedimentum.

7ª *Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.* Unde si impedimentum post dispensationem fiat publicum, ad scandalum vitandum, conjuges separentur, donec pro externo foro a Dataria obtineatur dispensatio; et iterum contrahatur in faciem Ecclesiæ; attamen secreto uti conjuges haberi possunt; quia revera impedimentum sublatum est. Imo si fides seu testimonium confessarii (conjugibus petentibus) accedat de dispensatione obtenta, nullus amplius inferendæ molestiæ locus esset, nec renovandi matrimonium.

8ª *Præsentibus laceratis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ* (non tamen nullitatis dispensationis); ne scilicet occultum pœnitentis peccatum in lucem veniat. Laceratio facienda est statim (moraliter), id est infra triduum ab executione ipsius dispensationis.

Si tamen matrimonium nondum sit contractum in faciem Ecclesiæ, etsi uti legitimum publice habeatur, literæ non la-

cerantur; sed coram testibus et parocho, omissis denuntiationibus, ac secreto celebrato conjugio (etiam extra ecclesiam, si opus sit), et data ab Episcopo facultate), dispensatio debet a parocho caute adnotari in libro qui non possit facile conspici; ut constet de matrimonii legitimitate si quando impedimentum notum fiat *(S. Alphonsus,* l. IV, n. 1143) (1).

1018. **Clausulæ S. Pœnitentiariæ pro foro externo.** Aliquando ob gravem causam et nimium Oratorum paupertatem S. Pœnitentiaria de speciali et expressa Pontificis gratia, dispensationem pro utroque foro gratis concedit; sed interdicto prius quocunque tractu seu familiari usu ac consuetudine, seu habitatione inter sponsos per tempus ipsi dispensanti benevisum (2). Et exhibita prius a sponsis fide peractæ Confessionis sacramentalis; prævia item sive per dispensantem sive per idoneum Ecclesiasticum ab illo specialiter deputandum absolutione a censuris, a pœnis ecclesiasticis et ab incestus reatu cum pœnitentia gravi (aliquando additur *et diuturna);* et dummodo vera sint exposita, et super petita dispensatione recursus ad Datariam non fuerit habitus, aliudque non obstet; et libellis (taxa tenuis imponitur, et aliquando nulla) transmittendis vel transmissis, aut jam solutis) eidem Datariæ.

Confessio sacramentalis fieri potest apud quemcunque confessarium; quoad cætera deputari solet Parochus, ut referat si in petitione narrata vera sint, et omnes Rescripti clausulæ fuerint impletæ; eique committi solet, ut Oratores absolvat *a censuris,* si forte a statuto diœcesano latæ sint, quia in jure canonico nulla de iis mentio; *a pœnis,* si illis forte incestuosi coerceantur; *ab incestu,* id est a delicto, non a peccato, quod in Confessione sacramentali remittitur; ideoque etiam in foro externo potest ab incestu dari hæc absolutio, nisi aliud expresse præcipiatur. Quibus rite absolutis, dispensatio conceditur, et mandatur Parocho ut matrimonium benedicat (3) — Si tamen

(1) Juxta Bullam *Satis* Benedicti XIV. Si concubinarii ut legitimi conjuges reputati aliquo alio occulto laborent impedimento, duplex mittit rescriptum S. Pœnitentiariæ, unum renovandi matrimonium ut supra, et non laceratur; aliud ad dispensandum super illo impedimento, et lacerari debet. V. Abrate, *Lo spirito del Parroco;* Ferraris, V.° *Instructio Parochorum.*

(2) At non obstat, si sponsi commiscuerint ante injunctam separationem, vel post dispensationem latam; ideo enim nullum præceptum violatur; neque sublatum impedimentum non reviviscit.

(3) Si certa formula pro absolutione impertienda non sit præscripta, hæc usurpari poterit: *Dominus N. Jesus C. te absolvat, et ego auctoritate in hac parte mihi commissa te absolvo ab incestus reatu, et a vinculo censurarum aliisque*

agatur de causa non infamante seu honesta, omnia omittuntur quæ causam inhonestam respiciunt. Dispensatio autem obtineri solet etiam pro matrimonio jam nulliter contracto.

Hic plura notanda pro praxi: 1) Si superior ipse per se gratiam dispensationis concedit, dicitur data dispensatio *in forma gratiosa;* si eam concedit utique, sed per delegatum, dicitur *in forma commissoria.* Illa gratiam jam factam continet; hæc modo faciendam modo factam; *factam* eo sensu, ut delegatus illam tribuere teneatur; ideo en tota diversitas: si gratia est *facta*, illam concedere debet; si est *facienda*, illam potest denegare; prima dicitur necessaria (prout sunt omnes fere dispensationes matrimoniales); secunda dicitur voluntaria. Prima habetur si in rescripto dicatur v. g. *Dispenses*, seu *dispenses, si preces veritate niti repereris*, quamvis adjectum sit: *pro tuo arbitrio et conscientia.* Secunda habetur si dicatur, v. g.: *Dispenses, si expedire judicaveris,* vel *remittimus preces Ordinario,* cum facultatibus opportunis, ut pro suo *arbitrio dispensare possit et valeat* (v. Scavini, l. I, n. 342).

2) Porro seu facta sit gratia seu facienda, si in Rescripto Pontificio clausulæ fuerint appositæ ante dispensationem implendæ, has prius implere necesse est; secus nulla est dispensatio. Et si impositæ sint per modum præcepti, sic implendæ erunt, ut quis eas implendo præcepto parere videatur. Ita si imposita sit v. g. conditio, *peracta Confessione sacramentali*, sponsi prius scire debent hanc conditionem; ideo si ignari confessi fuerint, talis confessio ad obtinendam dispensationem nihil valet, etsi paulo ante confessi sint, et postea in nullum lethale reinciderint.

3) Si conditione impleta, Ordinarius dispensationem concedit, utrum sponsi id scire debeant, nempe dispensationem concessam esse ad matrimonium contrahendum? Affirma quoad licitatem; at quoad validitatem verius negant, quia id nullo jure cautum est. Hinc Salmanticenses: *Privilegium quod in gratiam petentis per literas vel procuratorem conceditur, statim suum effectum sortitur, cum conferens annuit vel voluntatem suam significavit, etiam adhuc ignorante eo, qui postulavit.* V. Resolutiones Reatinæ 1878).

pœnis, in quas ob dictum incestum incurristi. In nomine Patris, etc. Præstat autem ut superpelliceum et stola violacea adhibeatur, etsi non sit necesse.

Quamvis autem incestus et cæterarum pœnarum absolutio non sit Pontifici reservata; tamen occasione dispensationis Pontifex totum negotium sibi assumit. Unde fit, ut absolutio sit tribuenda ex Apostolica delegatione. *Giovine.*

APPENDIX I

Formulæ ad dispensationes postulandas (4).

1019. A S. Pœnitentiaria obtinendæ.

I. Pro Matrimonio contrahendo; en formula:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Titius cognovit Bertam: postea gnarus (vel *ignarus) impedimenti, tractatum habuit de matrimonio contrahendo cum sorore ejusdem. Cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus vero sit publicus; et nisi matrimonium contrahatur, scandala timeantur, de præmissis, de quibus maxime dolet, cupit absolvi et secum dispensari.*

Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me dirigere.

Umilissimum Servum
N. N.

II. Pro matrimonio contracto revalidando formula:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Titius conscius (vel *ignarus) impedimenti contraxit in faciem Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus sororem carnaliter cognoverat. Quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio.*

Dignetur etc., ut supra.

III. Pro obtinenda dispensatione in radice a S. Pœnitentiaria:

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

« Titia cum vero et sincero Sempronii consensu, qui asseritur adhuc perseverare, matrimonium in faciem Ecclesiæ contraxit et consummavit. At vero matrimonium est invalidum ob copulam fornicariam Sempronii cum sorore Titiæ, cujus impedimenti Sempronius est prorsus inscius. Impedimentum est omnino occultum nec timetur manifestandum; et de eo nulla fuit petita dispensatio. Oratrix fundate timet, ne si qualicunque modo consensus renovatio a putativo conjuge petatur, recuset. Quare oratrix, quæ optat rite in conjugio permanere, prolem legitimare, humiliter supplicat Eminentiam Vestram, ut dispensationem in radice præfati matrimonii sanationem a s. Pontifice procurare dignetur.... »

IV. Pro obtinenda dispensatione a voto simplici, Si agatur de voto castitatis, sic ejus relaxatio petitur (ubi notamus cum Pontas ac Continuatore Tournely, sufficere pro legitima causa, si quis propter gravem tentationem sit in probabili periculo unius lapsus, quia vel per unum lapsum castitas amittitur) a Sacra Pœnitentiaria:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

(1) Plura alia exempla refert et explicat Scavini, l iv, App. 71ª, ubi etiam de modo diversas gratias impetrandi a S. Sede; et de eorum executione. Item commendandum Opus cl. Russi, *Prontuario ecclesiastico, ossia Metodo teorico-pratico ad esercitare le cariche sacerdotali;* Firenze, 1879.

Hic notamus, si agatur de publicis gradibus propinquioribus, commendatitia subscribi debet ab ipso Episcopo; nec satis est, si subscribat ejus Vicarius generalis; ex Lit. Leonis XIII.

Titius annos viginti natus vovit castitatem perpetuam; cum autem in gravi incontinentiæ periculo versetur, supplicat pro commutatione aut dispensatione voti, ut inde valeat matrimonium inire.

Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me dirigere.

Umilissimum Servum
(Foris) N. N.

All' Eminentissimo e Reverendissimo signor
il signor Cardinal Penitenziere Maggiore
Roma.

1020. A Dataria obtinendæ dispensationes.

I. Dispensatio impedimenti consanguinitatis: formula.

BEATISSIME PATER.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum Oratorum Petri Boschis *Diœcesis Astensis et* Chatarinæ Rodes *Diœcesis Taurinensis ex oppido Avilanæ, quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendit.*

Sed quia tertio gradu æquali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Ideo supplicant, quatenus dignetur cum ipsis, ut impedimento hoc non obstante matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, ac in eo postmodum remanere libere ac licite valeant, dispensare.

Datum N. die N. mensis N. anno N.

II. Dispensatio ex certis rationabilibus causis.

BEATISSIME PATER.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte N. et N. ex loco N. Diœcesis Novariensis Oratorum et in civitate Mediolani a triennio et ultra commorantium, ubi domicilium contrahere intendunt, quod ipsi, qui vere de nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Sed quia secundo et quarto consanguinitatis gradibus detinentur, desiderium eorum hac in parte adimplere nequeunt absque Sedis apostolicæ dispensatione. Iccirco supplicant humiliter S. V. oratores præfati, quatenus cum eisdem, impedimento talis consanguinatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Tridentini, contrahere, et in eo postmodum permanere libere et licite valeant, dispensare de gratia speciali. Et insuper mandare dignetur, quod Literæ conficiendæ Ordinario non originis, sed domicilii oratorum committantur.

III. Dispensatio ab interdicto ad nubendum:

BEATISSIME PATER.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devoti Oratoris N. laici Diœcesis N., quod alias ipse ejusque uxor prædefuncta a Sede apostolica dispensationem super impedimento tertii consanguinitatis gradus, quo invicem erant conjuncti, cum clausula: Quod alter eorum alteri supervivens, perpetuo absque spe conjugii remaneat, *obtinuerunt. Et quia deinde præfata Oratoris uxor, sicut Domino placuit, ab humanis decessit, ipse Orator qui continenter vivere posse diffidit, ad secundas nuptias transire cupit. Supplicat igitur humiliter S. V., quatenus sibi specialem gratiam faciendo cum eodem, ut clausula in prædictis Literis apposita*

non obstante, matrimonium cum alia muliere nullo alias sibi jure prohibita, publice, servata forma Tridentini, contrahere, et in eo postmodum licite et libere permanere valeat, dispensare dignemini.

Nota. Si interdictum Papæ non habeat adnexum decretum quod irritet, est tantum impedimentum impediens. Attamen adhuc a Pontifice petenda est dispensatio, ut in præsenti causa.

IV. Pro dispensatione obtinenda *in forma pauperum.*

Beatissime Pater.

Exponitur Sanctitati Vestræ humiliter pro parte devotorum Oratorum (ponuntur nomina eorum, Diœcesis, Civitas, Parochia, ut supra), *quod dicti Oratores orthodoxæ fidei cultores vere pauperes ac miserabiles, et labore suo et industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente conjunctos esse, se invicem non quidem data opera, ut crimine admisso Sedem apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliorem redderent, sed solum vesana libidine victi carnaliter cognoverint prolemque susceperint.*

Cum autem, Sanctissime Pater, nisi matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata innuptaque, et proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt supradicti Oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis apostolicæ dispensatione, ideo supplicant etc., ut supra, etc.

(Foris)

All' Eminentissimo e Reverendissimo signor
il signor Cardinale Pro-Datario

Roma.

V. Exemplum de duobus impedimentis, publico et occulto; sic scribitur ad S. Pœnitentiariam:

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

Jacobus et Berta, consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt. Nunc vero Berta a Joanne fratre Jacobo in matrimonio requisita, ei nubere cupit: 1) *quia ætate jam est provecta, nempe triginta annorum nata;* 2) *quia sufficientem non habet dotem, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat;* 3) *quia ex hac unione rixæ familiarum probabiliter cessabunt; copula occulta est. Ambo supplicant Sanctissimo Domino nostro in Dataria, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis publico impedimento dispensare.*

Eminentiæ autem Vestræ humiliter supplicat Oratrix, ut non obstante affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite ac valide matrimonium contrahere atque in eo contracto manere valeat.

VI. Pro dispensatione matrimonii mixti. Si causæ adsunt hoc vel simili modo poterit recurrere ad Episcopum Parochus, ut obtineat Literas commendatitias pro obtinenda dispensatione a S. Sede, id est a S. Officio:

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

Constantia N. romano-catholica ætatis annorum 26 *parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Frederico N. ex N. sectæ lutheranæ addicto, et in suis erroribus saltem huc usque persistenti.*

Pars acatholica coram me, ut ex declaratione huic petitioni addita patet, sub fide juramenti promisit, omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio na-

scituros, in fide romano-catholica baptizandos et educandos esse, iisque æque ac comparti prorsus liberum fore religionis romano-catholicæ exercitium. Præterea pars catholica spopondit se pro viribus curaturam, ut quantum in ipsa erit, vir ad veram fidem convertatur. Quare humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut ipsi super eo impedimento S. Sedis dispensatio procuretur. Causæ sunt: 1) *vani conati ut Oratrix tali matrimonio renuntiet;* 2) *formæ civiles certo brevi adimplendæ;* 3) *spes fundata conversionis partis acatholicæ, etc. Pars catholica* 25 *francos pro expensis faciendis apud me deposuit.*

Novariæ, N.

Umilissimo Servo

N. N. Parroco di N. N. (Diocesi di Novara).

Formula declarationis partis acatholicæ: *Io sottoscritto abitante in N. dichiaro con giuramento:* 1) *che i figli d'ambo i sessi nascituri dal mio matrimonio con N. N. sieno battezzati ed allevati nella Religione cattolico-romana;* 2) *che io permetterò sempre alla suddetta mia consorte ed a tutti i miei figli e figlie il libero esercizio del culto cattolico-romano.*

In fede N. N.

Causæ legitimæ ad hanc dispensationem impetrandam hæ præcipuæ sunt: perversionis periculum quoad catholicum, si sit contrahendum inter principes ad servandam catholicorum tranquillitatem, si in ea regione catholici sint pauci, sed liberi ad profitendam veram fidem, etc.

Nota. Præstat tempora indicare pro communi norma, in quibus Romanæ Congregationes ac ecclesiastica Tribunalia silent et ferias agunt; excipe tamen S. Pœnitentiariam quæ ordinarie jugiter sedere solet, et negotia quæ ad illam diriguntur expedire, si dies festos excipias aliosque paucos.

Præter diem Exaltationis et Coronationis R. Pontificis, item quo Concistorium vel Capella papalis haberi solet, anniversarii Papæ antecessoris, mortis Cardinalis, natalitii Ss. Apostolorum, ac nonnullorum Sanctorum quæ specialius Romæ celebrantur; romanæ Congregationes ac Tribunalia feriantur: 1) Omni quinta feria, præter Datariam ac Pœnitentiariam. 2) A Vigilia Nativitatis Domini N. inclusive ad totum diem Epiphaniæ. 3) A feria tertia ante Quadragesimam ad primam Quadragesimæ diem inclusive. 4) A die tertia majoris Hebdomadæ ad Dominicam in Albis. 5) A die Pentecostes et per totam hebdomadam. 6) A die secunda Octobris ad s. Martinum inclusive. 7) Omnibus Dominicis ac Festis de præcepto.

APPENDIX II.

Formulæ ad exequendas Dispensationes.

1021. **Pro exequenda dispensatione in Foro interno:** quoad gratias a S. Pœnitentiaria obtentas hæc vel alia similis formula esse poterit. Nimirum post absolutionem a peccatis, confessarius dicat:

I. Pro matrimonio contrahendo: *et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa, dispenso tecum super impedimento* (hic quale sit et unde proveniat exprimatur), *ut hoc non obstante, matrimonium cum illa contrahere possis, et prolem, si jam ex ea suscepisti, legitimam declaro. In nomine Patris*, etc.

II. Pro matrimonio jam contracto: *et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum super impedimento* (hic exprimatur, ut supra), *ut eo non obstante matrimonium cum illa, renovato consensu, rursus contrahere possis, et prolem*, etc.

III. Pro dispensatione in radice: *et insuper auctoritate Apostolica mihi con-*

cessa matrimonium a te contractum cum N. in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro: in Nomine Patris, etc. Si uterque conjux nullitatem ignoret, convalidatio fiat, quin partes moneantur.

IV. Pro voto castitatis in contrahendo: *et insuper tibi votum castitatis, quod emisisti* (exprimatur quale) *Apostolica auctoritate mihi specialiter concessa, dispensando commuto, ita ut valeas matrimonium contrahere, et eo uti. In nomine Patris,* etc.

V. Pro voto castitatis in matrimonio contracto: *et insuper, non obstante castitatis voto, quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, Apostolica auctoritate tecum dispenso. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Vide Giovine.

S. Pœnitentiaria in concedendis matrimonialibus dispensationibus Oratoribus pauperibus, si inter ipsos intercesserit incestus vel scandalosa familiaritas, committit delegato dispensandi facultatem hac clausula: *Interdicto prius oratoribus quocunque tractu per mensem aut per duos menses, aut per tempus Ordinario benevisum, et exhibita ab eis fides sacramentalis Confessionis.* Quæsitum fuit: 1) Quid intelligendum per vocem *tractu?* 2) Si interdicto per Ordinarium quocunque tractu, oratores nihilominus tempore interdicti habeant in se tractum, an opus sit nova dispensatione seu revalidatione?

S. Pœnitentiaria die 15 febr. 1854 respondit: « Ad 1) Id omne vetari quod opponitur fini, qui in interdicendo quocunque tractu quæritur, nempe Oratorum resipiscentia aut dati scandali reparatio *(tractus, id est familiaris usus et consuetudo inter sponsos).* Ad 2) Cum clausula apposita det jurisdictionem sub conditione, sed non respiciat ipsam dispensationem, debere quidem conditionem appositam impleri, ut commissarius exequi valeat Rescriptum. Non vero novam petendam esse dispensationem, si oratores violata interdictione cujuscunque tractus, fideles abstineant per tempus præscriptum; dummodo tamen violatio interdicti non pervenerit usque ad incestum. » *Acta S. Sedis*, t. I.

CAPUT OCTAVUM

De Matrimonii Celebratione et Convalidatione.

1022. **Matrimonii celebratio.** Ad licitam Matrimonii celebrationem ex parte contrahentium requiritur, ut sint in statu gratiæ; cum suscipiant Sacramentum vivorum. Ideo præstat ut sponsi confiteantur et Communione se muniant, et piis operibus se præparent ad tam magnum Sacramentum, quo novum ac perpetuum vitæ genus suscipiunt (1).

Ex parte Parochi vel alterius legitimi assistentis necesse est ut ipse servet accurate omnia in Rituali præscripta. Intellecto consensu, dicere debet: *Ego vos conjungo* etc.; quæ verba, licet

(1) In Belgio pia habetur institutio, qua per aliquot dies sponsi ad matrimonium sancte contrahendum disponuntur. *Civiltà catt.*, ser. 10ª, t. II.

Non possunt tamen absolute loquendo exigere Parochi, ut Confessio Matrimonio præmittatur, nisi præceptum Episcopi hoc statuat; nam ad gratiam recuperandam sufficit etiam contritio; et decisum est a S. Concilii C. 28 aug. 1852. Imo etsi adsit lex, possunt occurrere casus, in quibus exceptionem superior admittere debeat ad majora præcavenda mala.

non sint de essentia, tamen omittere vel alia similia, forte probabilius mortale est; cum defectus sit in re satis gravi (*S. Alphonsus,* l. VI, n. 1094).

1023. **Sponsorum benedictio.** Benedictionis nuptialis nomine venit Missa propria, quæ legitur pro sponso et sponsa; vel eorum in Missa de die commemoratio; non autem ipsa matrimonii celebratio, et anuli benedictio. Etsi benedictio nuptialis valde conferat ad uberiores fructus percipiendos; attamen ea non est sub gravi præcepta. Imo non est concedenda:

I. Si sponsa vidua sit, etsi illius vir nunquam nupserit. Quod si mulier nunquam nupserit, sed alias nupserit vir ejus, nuptiæ benedicantur, ubi talis adest (prout in Novariensi Diœcesi) consuetudo.

II. Quæritur an liceat Missam pro sponsis et benedictionem ad diem sequentem differre, si conjuges celebrato matrimonio, sed ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo habitent? S. Rituum Congregatio respondit die 14 aug. 1858: *Negative.*

III. Non est danda probabilius benedictio conjugibus jam benedictis, licet eorum conjugium sit renovandum utpote nullum; quia benedictio primario personas respicit.

IV. Non est danda tempore feriato; et graviter peccaret Parochus tunc illam dans et sponsi illam recipientes. Et Episcopus, qui concedit ut eo tempore matrimonium celebretur, non potest item concedere facultatem celebrandi Missam de sponsis. *S. Rit. C.* 1858, 14 aug. Nihil autem vetat, imo præstat ut sponsi tunc assistant Missæ de die.

V. Neque extra Ecclesiam, cum hæc benedictio tribuenda sit in Missa. Ideo si ex causa matrimonium extra Ecclesiam fuerit celebratum, statim conjuges ex Rituali (si aliud non obstet) conveniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi.

VI. Neque extra Parœciam, sine expresso consensu Parochi loci; quia esto quod valide et licite Parochus assistere possit matrimonio suorum parochianorum etiam extra Diœcesim; non tamen licite extra Parœciam nuptias benedicit. Nam assistentia est actus quietus; sed benedictio nuptiarum est actus solemnitatis (*Scavini,* t. III, n. 920) (1).

(1) Missa propria pro sponsis dicenda est cum colore albo sine *Gloria* et *Credo* et cum commemoratione Sancti, de quo factum est Officium et aliis si imperatæ sint. Si pro pluribus sponsis una dicitur Missa, nihil immutetur. Non tenetur autem illam sacerdos applicare si non tribuatur eleemosyna. S. R. C.

Neque Missa de sponsis, neque illorum commemoratio seu orationes dici debent

1024. Si matrimonium contracturus absolvi nequeat, sed pœnitens putet in bona fide se posse matrimonium licite contrahere, etsi non absolutus, et prævideatur monitioni non esse obtemperaturus, confessarius taceat de obligatione status gratiæ, ne peccet sponsus formaliter. Dicat tamen: *Si matrimonium ineas, contende, ut conteraris, ante celebrationem; et paulo post ad me revertere, ut Confessionem tuam perficere possis.*

Quod si pœnitens cognoscit requiri statum gratiæ, confessarius debet illum e matrimonio contrahendo retrahere, et usquedum absolvi possit, fortiter loquendo de sacrilegio, quod alioquin committit. At si nihilominus matrimonium differre renuat, moneat ipsum confessarius, ut omnino curet contritionem perfectam elicere.

1025. *An* (quæres) *Parochus possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores, vel publice faciunt contra Ecclesiæ leges et præscriptiones?*

R. Lugo cum aliis affirmant, licet omni modo conari debeat, ut sponsi digne contrahant; nam parochus assistit ut publicus minister; at sicut publicus notarius non potest negare suum ministerium, quia contrahentes peccent intentione prava in ipso contractu, ita nec parochus reddens quod ex munere suo debet, si id absque gravi incommodo negare nequeat — Verum hoc non obstante dico cum Benedicto XIV: *Quamvis, juxta communiorem magisque receptam sententiam, non sit* (Parochus) *matrimonii minister; tamen in multis comparatur ministro, nec licite sua præsentia firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Tum quia de jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum jam interne consummaverit; tum quia Parochus tenetur ex justitia impedire peccata suarum ovium.

Et quod dico de Parocho (ait s. Alphonsus, *Opus mor.*, l. VI, n. 54) dicendum est etiam de testibus, qui tamen satis excu-

tempore Adventus ad Epiphaniam inclusive; in Quadragesima; item infra octavas Epiphaniæ et Corporis Christi, si eæ sint privilegiatæ; in vigilia et festo Pentecostes — In Dominicis autem aliisque festis de præcepto, item in duplicibus primæ et secundæ classis fit commemoratio de sponsis (post alias præscriptas commemorationes de die, sed ante imperatam ab Episcopo), id est recitatur Collecta, Secreta et Postcommunio; addendo alias particulares orationes pro sponsis, quæ solent dici post *Pater noster* et *Ite missa est*, ut notat cum Merati Benedictus XIV, *Notificatione* 80, n. 10.

Præfatis tandem diebus exceptis, dicitur Missa votiva de sponsis; et si matrimonium immediate ante Missam benedicitur, sacerdos præter albam et stolam, induere potest etiam planetam; sed manipulum non induat, nisi celebrato matrimonio ex *S. R. C.* 31 aug. 1867.

sarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi; cum ipsi non teneantur nisi ex caritate impedire peccatum — Parochus etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, uti si unus e sponsis esset innocens aut in meliorem vitam mutatus; et maxime si sponsi jam juncti sint vel conjungendi civiliter (ad meliorem autem frugem resipiscere nolint), ita ut per legitimum matrimonium tollatur publicum scandalum, et sponsi liberentur a concubinatu (1).

1026. **Convalidatio Matrimonii**: 1) Si matrimonii nullitas sit publica, ut scandalum auferatur, conjuges statim sunt quoad thorum et habitationem separandi. Dein urgendi, ut dispensationem obtineant; qua obtenta, iterum in faciem Ecclesiæ contrahant, idest coram parocho et testibus; secus publice non constaret de matrimonii validitate. Si quæ autem difficultas oriatur, fiat ad Episcopum recursus (2).

2) Si nullitas matrimonii non sit publico nota, et matrimonium nullum sit, quia ex utraque contrahentium parte consensus defuit, utraque ipsum renovare debet; etenim sine mutuo consensu nullus contractus firmus est. Non autem necesse est ut matrimonium renovetur publice, utpote jam publice contractum. Item sufficit illum renovare seorsim, una parte post aliam. Si vero consensus ex parte unius tantum conjugis defuerit, quia ficte vel ex errore consensit, communiter et verius satis est ut vere nunc consentiat, quin partem moneat. Nam si pars inscia verum consensum posuit, nec retractavit, adhuc perseverat, licet quodammodo suspensus per defectum consensus alterius. Attamen, si certiorando compartem mali exitus non timeantur, ex Benedicto XIV ipsa esset certioranda; nam agitur de valore Sacramenti; ideo quoad potest tutius sequendum.

3) Si matrimonium nullum sit non ex defectu consensus; sed ob aliud impedimentum dirimens dispensabile, et publico occultum, tunc si hoc impedimentum *utrique* conjugi notum est,

(1) De hisce publicis peccatoribus censuræ innodatis interrogata S. Pœnitentiaria respondit curandum, ut debito modo cum Ecclesia reconcilientur; *si recusent et nisi matrimonium celebretur gravia damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis quæ a probatis auctoribus et præsertim a s. Alphonso Ligorio* (l. VI, n. 54) *traduntur, ea declaret quæ magis expedire in Domino judicaverit, exclusa semper Missæ celebratione* (10 dec. 1860). Vide supra n. 408.

(2) Qui concedere solet ut etiam domo vel alio loco a sponsis electo conjungantur præsentibus gravibus testibus, ut publice id dignoscatur.

obtenta dispensatione, matrimonium erit de necessitate revalidandum per utriusque consensus renovationem. Interim conjuges (quoadusque obtineatur dispensatio) separandi sunt quoad thorum; et etiam quoad habitationem, si adsit incontinentiæ periculum; prudenter tamen, ne publicus id dignoscat. Poterit prætextu mercaturæ, devotæ peregrinationis vel invisendi amicos una pars alio pergere ad tempus — Si vero impedimentum dispensabile *uni parti* tantum notum est, pars conscia debet abstinere ab usu conjugii; et alteri parti erit nullitas manifestanda, ut obtenta dispensatione, consensu mutuo renovetur, si fieri possit. Secus obtinenda dispensatio a certioranda parte — Si tandem impedimentum *neutri parti* notum sit, et in bona fide conjuges versentur, erunt monendi ubi sit certa spes fore, ut matrimonium convalidetur (quod non ita facile supponitur). Secus ex Innocentii III Rescripto, *dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta; cum ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere.* Vel dispensatio in radice potest obtineri.

4) Si impedimentum, quo tenentur putati conjuges, non sit dispensabile et publicum, parochus illico præcipiat separationem quoad thorum et habitationem ad scandalum avertendum, et efflagitet sententiam judicis ecclesiastici de nullitate matrimonii. Cui si renuunt obtemperare freti legibus civilibus, indigni sunt absolutionis beneficio.

Si impedimentum autem sit occultum vel ipsis conjugibus, hi sunt relinquendi in bona fide, casu quo non ita facile possit obtineri separatio — Si vero *utrique parti* notum sit, Parochus conjugii usum interdicat, et nullo extante incontinentiæ periculo, permittere poterit, ut simul ad instar fratris et sororis cohabitent. Secus separationem jubeat, eos obligando ad providendum proli meliori modo quo potest — Si tandem occultum impedimentum dirimens neque dispensabile solummodo *uni parti* notum est, pars inscia monenda, licet monitio non sit profutura. Quæ nolens recedere ab usu conjugii, erit dimittenda, si cum ea habitari nequeat absque gravi periculo fornicandi; et interea recurrendum ad superiorem ecclesiasticum. Quod si apud judicem ecclesiasticum probari nequeat nullitas matrimonii, qui nullitatem certo novit, quamvis per excommunicationem obligaretur ad reddendum alteri debitum, humiliter sustinere debebit potius hanc pœnam, quam Deum offendere. Quæ censura, utpote ex errore lata, coram Deo certe non ligat (*S. Alphonsus*, l. VI, nn. 1109 et seqq.).

Casus. Marculfa et Marculfus solo civili contractu conjuncti sunt. Marculfa rogat Marculfum ut etiam coram Ecclesia velit contrahere; qui renuit. Parochus pergit ad illum cum duobus missionariis ad rogandum, ut a malo proposito discedat. Renuit ille dicens: *Sinite me, sum conjugatus, vivo cum uxore contentus; nihil aliud opto.*

R. Inducendus fuisset ad consensum renovandum Marculfus et Marculfa coram testibus, id est duobus missionariis præsente parocho. Facile autem id obtinere potuisset, ut patet ex sponsi verbis, quin aliud requireretur: *Viris contentus cum uxore; ergo illam in tuam uxorem habere velis? nonne? En matrimonium.* Gury.

Appendix. — De Matrimonio vulgo *civili.*

1027. Ex quo *Sacramenti hujus magni religionem nil pensi habentes, illud eodem ordine cum contractibus mere civilibus habuerunt, id misere consecutum est, ut violata christiani conjugii dignitate, cives legali concubinatu pro nuptiis uterentur, conjuges fidei mutuæ officia negligerent, obedientiam et obsequium nati parentibus detrectarent, domesticæ caritatis vincula laxarentur, et quod deterrimi exempli est publicisque moribus infensissimum, persæpe malesano amori perniciosæ ac funestæ discessiones succederent.* Leo XIII Encycl. 21 apr. 1878 — Et ideo fideles serio monendos ait, ut dociles aures doctrinis adhibeant, quæ christiani conjugii sanctitatem respiciunt, atque pareant legibus quibus Ecclesia conjugum natorumque officia moderantur. It. v. *Scelta di Atti episcopali del Card. Pecci Arciv. Vesc. di Perugia ora Leone XIII;* La Chiesa e la civiltà; lettera pastorale; 1878 (1).

1028. **Regulæ pro praxi.** Si matrimonium quod civile appellant obtineat, hæc præ oculis habere debet Parochus:

I. Pergat catholicam de matrimonio doctrinam populum docere; et identidem, præsertim vero a dominica prima Adventus, eloquio gravi et septuplum purgato, exponat sacramenti Matrimonii naturam, sanctitatem, finem, impedimenta ea maxime quæ frequentius occurrunt, vel non satis a rudibus noscuntur, speciatim publicæ honestatis ac cognationis spiritualis.

II. Quos cognoscunt civiliter tantum junctos, parochi et confessarii, imo omnes saltem ex lege caritatis quoad possunt

(1) De hoc civili conjugio vel ipse Bismark ajebat in consessu Borussiæ gubernii 15 nov. 1849: « È mio dovere di pronunciarmi nettamente contro siffatto progetto, il quale facendo dipendere la validità del vincolo matrimoniale, non più dalla benedizione della Chiesa, ma dall'azione giuridica di un segretario di villaggio, viola i diritti e perverte la coscienza dei cristiani. È ben vero che voi accordando, per gran mercè, alle comunioni cristiane i medesimi diritti, che ai club dei liberi pensatori, permettete che poi gli sposi vadano se loro piace a farsi unire dalla Chiesa. Ma questa permissione è derisoria, perchè alla domanda del prete, se vogliono fra loro unirsi in matrimonio, **non possono più legalmente dare una risposta negativa.** Per tal modo dichiarando come accessoria la sanzione religiosa, voi screditate ed avvilite la religione presso il popolo... »

et quandiu spes est, in Domino curent, ut etiam religiose jungantur, ipsis aperiendo ingens fidelium scandalum, et maximum in quo versantur periculum illico ad inferna descendendi, si eos adhuc in concubinatu subitanea mors percutiat (1).

III. Caveat Parochus, ne publice veritatem docendo quempiam offendat vel contra civiles leges insurgat, nisi velit gravi discrimini se committere; et sine fructu. Contentio enim ad nihil utilis est, nisi ad subversionem audientium. Imo parochus moneat sponsos de necessitate se submittendi etiam legibus civilibus, eorum matrimonium muniendo sanctione legali; qua solum ipsi et eorum filii civiles effectus et politicos potiri possunt. Ipsa S. Pœnitentiaria jussu Pii IX id declaravit *opportunum* et *expediens;* nec desunt theologi qui contrahentes, si civiles cærimonias omittant, culpa minime vacare docent, ob perniciosos effectus qui exinde sequuntur. Plures autem Synodi id præcipiunt. *Acta S. Sedis,* t. XII, pag. 168.

IV. Si timendum sit, ne fideles, si prius civiliter contrahant, subito maritaliter vivant, antequam uniantur etiam in faciem Ecclesiæ, aut postmodum recusent contrahere coram Ecclesia, adnitendum est, ut ecclesiasticum matrimonium præmittatur civili, quod semper si fieri potest curandum est. Attamen (addit S. Pœnitentiaria) *si quæ coactio aut absoluta necessitas, quæ facile admittenda non est, ejusmodi ordini invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quam primum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant.* Coactio ordinem invertendi adesset, si lex civilis id præciperet sub pœna (Vide *Instructio S. Pœnitentiariæ,* infra n. 1073) (2).

(1) Et qui nascuntur filii illegitimi sunt, et sic in libro adnotantur. Baptizandi utique sunt; sed sine organi ac campanarum sonitu, si de hoc alicubi sit usus in Baptismi administratione; ex *S. Concilii C.* 31 julii 1867. Nec mulier ad benedictionem quæ post partum tribui solet, admitti debet, ne concubinatus aliquo modo cohonestetur: *ex eadem S. C.* 18 junii 1859.

Ad providendum tot malis quæ ex solo civili contractu oriuntur, in Gallia pia societas sub titulo S. Francisci Regis fuit instituta, cujus partes sunt hæc irrita conjugia revalidare *(Scavini,* l. III, n. 884).

(2) Hanc legem quæ viget in Gallia, Belgio, in Ticinensi Republica et alibi, si catholici subire coguntur; nunquam, tamen eam probare poterunt, quippe quæ dignitatem christiani connubii libertatemque ferit. *Etenim* (ad rem Leo XIII in Litera ad Archiep. et Episc. provinciarum Taurini, Vercellæ et Genuæ 1 junii 1879) *quum audacter religiosam messem occupet Status et non propriam tractet materiam, ideo Sacramenti rationem tantum habet, ut ejus exercitium vinculis alliget, subjiciatque imperio Codicis formularumque forensium necessitatibus. Quinimo reitatis titulum ex Sacramento eruit, ut pœnis pecuniariis et molestis sacrum ministrum et contrahentes opprimat; ceu illegitimum nulliusque valoris, etsi a*

V. Cum Parochus audit sponsos, non satis est investigare an aliquo canonico impedimento detineantur; sed etiam inquirat an aliquid desit ex parte legis civilis (et ideo in ea instrui curet). Et tunc differendum matrimonium quousque obstaculum illud civile auferatur; quod si urgeat causa illud contrahendi coram Ecclesia, inconsulto Episcopo, parochus ne permittat, ex S. Pœnitentiaria. Ne eveniat ut vir frigescente amore, relinquat uxorem ductam in faciem Ecclesiæ, et aliam ducat coram lege civili; quod evenisse notum est, nec amplius suppetat remedium.

VI. Parochus curet omni modo, ut ecclesiastica impedimenta prius auferantur, vel una simul cum civilibus, ne contingat ut sponsi semel liberi ab impedimento legis, sed adhuc impedimento Ecclesiæ ligati, coram officiale civili contrahant, et postmodum negligant (maxime si aliquid difficultatis sit) curare dispensationem Ecclesiæ, et sic in perpetuo concubinatu vivant. Et ideo præstat, ut parochus penitus non ignoret impedimenta a civili potestate inducta aliasque præscriptiones, ne se aut alios gravi discrimini committat (1).

1029. **Impedimenta impedientia ex lege civili:** 1) Est omissio duarum denuntiationum, quæ fieri debent in loco actualis resi-

Deo benedictam, sacramentalem habet unionem, nisi civilis formula præcedat.... Atque ut alia prætereamus, impedit sacrum ministrum, etiam cum debitum urget quominus prompte et opportune consulat, in supremis momentis, per sacramentalem celebrationem tum conscientiarum tranquillitati, tum quieti atque agitatarum familiarum decori in discrimen adducto.

Et quoad subditos indebite vinculis alligat eorum fidem atque religiosam libertatem, impediendo quominus ad Sacramentum accedant, nisi dependenter a Statu; conscientiis eorundem quoad conjugale consortium et familiæ generationem, solam Codicis imponat moralitatem, qua coram Deo et Religione haud justificantur.... Et quod periculi plenum est, dolosis hominibus legale porrigit argumentum ad piarum puellarum honestorumque parentum conscientiam prodendam, quatenus post civilem actum, celebrationem religiosam conficere renuant.

Et tamen prædicant liberam Ecclesiam in libero Statu. Cum præstet inter sacram civilemque potestatem conjunctionem concordiamque fovere, qua nihil optabilius, nihilque utilius, cum utraque potestas ex Dei ordinatione mutuis sibi cooperare debeat auxiliis, ita ut Imperium, quod humana administrat, subsidio sit Sacerdotio, quod cœlestia dispensat.

Si Statui fas esset sese immiscere Sacramento matrimonii, cur non poterit cætera Sacramenta moderari? Igitur posset Episcopum prohibere, ne confirmet pueros, qui legi instructionis laicæ non se conformarunt, confessarium ne audiat pœnitentes nisi prius syngrapham ostendant, ex qua constet ipsos ærario tributa omnia solvisse, Parochum nec Extremam-Unctionem administret conjugibus non civiliter conjunctis, etc.: en ex absurdo principio absurdissima consectaria.

(1) V. Scavini, l. IV, appendix 74ª: *De Matrimoniis religiosis ac civilibus ad confessarii et maxime Parochi directionem.* Appendix 75ª: *De civilibus præscriptionibus quoad Matrimonium, de comparatione Matrimonii religiosi cum civili et consectariis;* ubi de proclamationibus, dispensationibus, etc. Appendix 76ª: *De legis civilis silentio quoad ecclesiasticos et religiosos Matrimonium contrahere præsumentes.* Appendix 77ª: *Resolutio casuum quoad civile Matrimonium.* Quæ omnia nunc ab ecclesiasticis ignorari non debent.

dentiæ sponsorum, si ab anno in ea sint, secus in loco prioris residentiæ, et duabus dominicis successivis, et toto illo intervallo publice affigi. Matrimonium civile nequit celebrari ante quartum ab ultima publicatione diem; quod si illud non contrahatur inter 180 dies successivos, denuntiationes sunt repetendæ — 2) Est oppositio parentum, tutorum vel aliorum, quorum jura sint læsa, si hoc jus a lege ipsis tribuatur; etsi filii et filiæ jam compleverint præscriptam ætatem ad validitatem matrimonii — 3) Est status viduitatis, nempe vidua nequit ad novas nuptias transire, nisi elapsis decem mensibus a solutione primi conjugii. Excipe si quoad istud conjugium ipsa laboraverit impotentia perpetua et antecedente. Item cessat prohibitio a die, quo vidua parturit *(a.* 57, 72, 90, 107 et seqq.).

1030. **Impedimenta dirimentia ex jure civili.** Sunt:

I. *Amentia;* nempe semel ac amens interdictus est, non valet illius matrimonium, etsi habeat lucida intervalla *(a.* 61 et 112).

II. *Defectus parentum consensus* (vel eorum qui parentum vices sustinent), si filius nondum compleverit annum 25, et filia 21. Si genitores discordes sunt, sufficit patris consensus; si unus ex illis nequeat consensum præstare vel mortuus sit, sufficit consensus alterius. Pro adoptato qui nondum compleverit annum 21, præter genitorum requiritur etiam consensus adoptantis (*a.* 63 et seqq.).

III. *Error* et *vis;* attamen additur: « Non è più ammissibile la domanda di nullità... se vi fu coabitazione continuata per un mese dopo che lo sposo ha riacquistato la sua piena libertà, o conosciuto l'errore » *(a.* 105 et 106).

IV. *Cognatio naturalis* et *affinitas; a.* 58 statuitur: « In linea retta il matrimonio è vietato tra tutti gli ascendenti e discendenti legittimi o naturali, e gli affini della medesima linea *(a.* 59). In linea collaterale il matrimonio è vietato: 1) Tra le sorelle e i fratelli legittimi o naturali. 2) Tra gli affini nel medesimo grado (inter cognatos). 3) Tra lo zio e la nipote, la zia e il nipote. » Ex quibus satis apparet a civili lege ea tantum admitti impedimenta, quæ in Levitico c. XVIII exprimuntur (1).

V. *Crimen:* « Chi fu in giudizio criminale convinto reo o complice di omicidio volontario commesso, mancato o tentato sulla persona di uno de' conjugi, non può unirsi in matrimonio coll'altro conjuge » *(a.* 62).

VI. *Ligamen: a.* 56 legitur: « Non può contrarre altre nozze chi è vincolato da un matrimonio precedente. »

VII. *Ætas: a.* 55 requiruntur anni 18 completi pro viro; 15 completi pro fœmina. Et *a.* 110: « Il matrimonio contratto da persone, delle quali anche una sola non fosse pervenuta all'età fissata, non potrà più essere impugnato: 1) Quando siano trascorsi sei mesi dopo compiuta l'età richiesta. 2) Quando la sposa ancorchè non giunta a tale età, sia rimasta incinta. »

(1) Etiam ex Codice civili in ea linea et gradu quo quis est consanguineus cum viro, est affinis cum uxore, et vicissim. Attamen ex lege civili affinitas non exurgit nisi ex matrimonio valido etsi non consummato. « Pietro è nel secondo grado di parentela col fratello Paolo, è quindi nel secondo grado di affinità verso Giovanna che suo fratello ha sposato. Se muore il fratello, Pietro non può prenderla in moglie; osta l'art. 59 n. 2 (dispensabile). Nella linea retta ascendente o discendente avvi resistenza in ogni punto; art. 58. L'affinità si propaga (non dispensabile) come la parentela; Pietro non potrà sposare la madre nè l'ava, nè la figlia, nè una nipote o pronipote in linea discendente di Giovanna sua cognata in qualunque grado. » *Borsari.*

VIII. *Impotentia.* Legitur *a.* 107: « L'impotenza manifesta e perpetua, quando sia anteriore al matrimonio, può essere proposta per causa di nullità dall'altro conjuge. »

IX. *Adoptio.* « Il matrimonio è proibito: tra l'adottante, l'adottato e i suoi discendenti; tra i figli adottivi della stessa persona; tra l'adottato ed i figli sopravvenuti all'adottante: tra l'adottato ed il conjuge dell'adottante, e tra l'adottante ed il conjuge dell'adottato. » *a.* 60

1031. Quæres: *An in conscientia supradicta impedimenta sint denuntianda civili auctoritati, si quis ea noverit?* — Affirmative; cum ex S. Pœnitentiaria sit opportunum et expediens, ut semel celebrato matrimonii Sacramento civiliter etiam contrahatur ad impedienda gravissima damna quæ secus evenire possunt quoad effectus civiles. Porro damna ex civili matrimonio invalido non impediuntur; ideo impedimenta etiam civilia sunt manifestanda cui de jure, et etiam ecclesiasticæ auctoritati cum illis existentibus, celebratio matrimonii ecclesiastici prohibeatur.

1032. **Dispensatio.** Rex quoad impedimenta impedientia dispensare potest ab una, et interveniente gravissima causa etiam a duabus denuntiationibus — Quoad impedimenta dirimentia dispensare valet, urgente causa, in linea collaterali inter affines in eodem gradu; inter nepotem et avunculum; inter materteram et nepotem. Item in impedimento ætatis, ut contrahere possit vir si annos 14, et fœmina si 12 compleverint *(a.* 68, 69, 92, etc.).

1033. **Celebratio.** Matrimonium civile dictum celebrandum est in æde municipali coram Officiario status civilis illius Communitatis, ubi unus sponsorum domicilium tenet aut residet, et coram duobus testibus. Si unus ex copulandis nequeat ob legitimam causam se conferre in ædem Communitatis, tunc officiarius civilis adeat sponsum qui impedimento detinetur, una cum secretario et quatuor testibus, atque ut supra matrimonium celebret. Potest item aliquando celebrari extra residentiam.

1034. *Quid de regniculis qui in extera regione matrimonium contrahunt, ac de exteris qui contrahunt in regno nostro?* Statuit Codex: 1) Matrimonium initum in extera regione inter ipsos regnicolos, vel inter regnicolum et extraneum validum est, si celebratum juxta præscripta loci ubi initum fuit; et insuper civis non detineatur aliquo impedimento a *civili Codice* statuto. Item publicationes fieri debent in regno nostro; quod si civis in illo non resideat, ipsæ faciendæ sunt in loco ultimi sui domicilii; — 2) civis qui in extera regione matrimonium contraxit, tenetur intra tres menses a suo reditu in regnum curare, ut illud inscribatur in actis status civilis eo in loco ubi residentiam posuit, idque sub pœna pecuniaria ad libellas 100; — 3) capacitas extranei ad contrahendum in regno nostro determinanda est a legibus quibus ille subjicitur; attamen ipse quoque tenetur de impedimentis a nostro *Codice* supra constitutis; — 4) extraneus, qui vult contrahere apud nos, tenetur afferre declarationem authenticam suæ regionis, ex qua constet ipsum nullo a suis legibus impedimento teneri. Quod si extraneus resideat in regno nostro, tunc insuper fieri debent proclamationes juxta normam præscriptam *(art.* 100 et seqq.).

Dedecet autem, ut ecclesiasticus in hac re officialis civilis vel segretarii munere fungatur; cum alienum sit ab ejus dignitate et Ecclesiæ sensu ac doctrina se subscribendo et habendo illum actum tanquam legitimum quoad conjugium firmandum.

1035. **Conjugum separatio.** Hæc peti potest ab uno conjuge ob adulterium compartis, ob sævitiam vel graves minas; ob condemnationem ad pœnam criminalem post initum matrimonium. Item ob voluntariam desertionem; vel si vir sedem stabilem sine causa non teneat. Facta judiciaria separatione, semper conjugibus liberum est propria auctoritate ad se ipsos reverti *(a.* 151 et seqq.).

Et judicis erit declarare quæ conjux debeat filios apud se retinere et educare. Et si gravis causa urgeat, poterunt filii vel apud tertium collocari, vel in aliquo educationis instituto; semper tamen facta conjugibus facultate super illos invigilandi. Si conjugum separatio fiat mutuo consensu cum causa (puta ad evitandum publicum ac scandalosum tribunali processum) debet homologari *(a.* 156 et seqq. *ubi etiam sunt constitutæ pœnæ contra civilium præscriptionum violatores)* — Cæterum plures præscriptiones non respiciunt regem, neque ejus familiam *(a.* 69, 92, 99).

CAPUT NONUM

De Debito Conjugali.

1036. **Monitum.** Etsi officii ratio ecclesiasticis tribuat, ut possint absque culpa ad periculosa se convertere; attamen ratio periculi jubet, ut mediis tutis se præmuniant. Quæ sunt præcipue:

I. Ut speciali modo ad Dei præsentiam se sistant, ipsum frequenter invocando: *Eripe me,* (Domine) *de luto, ut non infigar* (Psal. LXVIII). — II. Ut Aloysio castitatis exemplari præclarissimo; s. Alphonso nostro apud Deum patrono potentissimo, se commendent. Et maxime Immaculatæ B. V. Mariæ opem implorent, ejus Nomen frequentius invocando, ejusque imaginem sub oculos habendo. — III. Ut nunquam materiam hanc evolvant curiositatis ergo; sed tantum officii ratione compulsi. Et nonnisi latine, parce et caste, si opus habeant consilii, cum expertis loquantur de hac lubrica materia. Item ut cum multa moderatione, decentia ac prudentia; ac nonnisi cum id omnino necessarium sit, de hac materia conjuges interrogent.

ART. — De Debiti conjugalis honestate, obligatione, circumstantiis.

1037. Actus conjugalis licitus est et honestus, dicente Apostolo: *Vir uxori debitum reddat, similiter et uxor viro:* at Paulus non vult præcipere quod malum est. Adde: actum conjugalem pertinere ad conservationem generis humani. Unde Augustinus apud d. Thomam, 2, 2, q. 153, a. 3: *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis* (1).

1038. **Principia.** Conjuges per se loquendo non obligantur ad usum matrimonii; sub gravi tamen ordinarie tenentur, et ex justitia sibi invicem reddere debitum. Ratio prioris est: nemo ex se tenetur jure suo uti. Ratio posterioris: id oritur ex conjugii natura. Hinc

(1) Imo cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens sit indifferens, actus matrimonialis semper vel est peccaminosus vel meritorius, prout bono vel malo fine exercetur. *D. Thomas, Suppl.* q. 41, a. 4. Sunt autem æquales vir et mulier in debiti petitione ex I Cor. VII *(Suppl.* q. 64, a. 3).

peccat graviter qui mediis etiam licitis impotentem se redderet, puta macerationibus; vel comparti serio et rationabiliter postulanti debitum sæpius negaret *(d. Thomas*, in 4, d. 32, q. 1, a. 2).

Dixi: *Si compars debitum negaret serio postulanti;* aliter enim esset, si precibus averti posset, amoto semper periculo incontinentiæ, vel alio inconvenienti: quod tamen experti plerunque adesse testantur. Quare volunt fortiter esse reprehendendas uxores, quæ maritis suis absque gravissima causa debitum negant; vel quæ non cedunt nisi coactæ falso pietatis motu ductæ. Inde jurgia in familia; atque etiam fit, ut maritus extra quærat quod domi suæ libenter obtinere nequit.

Dixi: *Si sæpius negaret;* si neget una aut altera vice, non conveniunt an sit mortale, secluso periculo incontinentiæ vel magni dissidii. Additur *rationabiliter;* ideo non esset saltem mortale, post tertium accessum eadem nocte negare quartum. Attamen non approbo qui putant fas esse petenti quinquies in mense negare semel.

Dixi: *Per se loquendo conjuges non obligantur ad petendum;* attamen commune est, ad hoc conjugem teneri per accidens: 1) *Quando percipit per aliqua signa, quod* (compars) *vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet:* ita Angelicus, Suppl. q. 64; nam adest petitio implicita. — 2) Si proles est necessaria ad avertendum gravia damna Reipublicæ vel Religionis; ad mutuum amorem fovendum, etc. — 3) Si alter cognoscit compartem versari in periculo incontinentiæ *(s. Alph.*, l. VI, n. 929).

Resolve: 1) Si uxor ex odio non vult accedere ad virum, quem invincibiliter credit esse suum, licet non sit, et quam non expedit monere de nullitate matrimonii, confessarius qui conjugii nullitatem scit potest et debet illi suadere, imo et præcipere redditionem debiti ex Billuart; quia si non reddat, peccat formaliter; si reddat, peccat tantum materialiter. Juxta alios dicat quod omnis uxor tenetur viro suo debitum reddere.

2) *Ob filiorum multiplicitatem* nequit debitum negari; si sit in alterutro periculum incontinentiæ, vel aliud grave inconveniens, puta dissidiarum. Hoc secluso periculo, alii affirmant juste debitum denegari; quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Sed alii quibus magis adhæreo, negant: nam prolis procreatio per se pertinet ad præcipuum matrimonii finem, cui iccirco postponendum est quodvis incommodum. Item est, ut communius et verius dicunt cum d. Thoma, si proles gignatur tantum infirma; *nam melius est ei sic esse, quam penitus non esse:* 1, 2, q. 83 *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 644).

3) Si mater jam experta sit, se *filios mortuos parere*, alii adhuc obligant conjugem ad debitum reddendum; quia illa mors est per accidens; aliunde experientia constat, mulieres post plures abortus feliciter tandem peperisse. Sed præcluso periculo incontinentiæ, id communius negant; nam est gravissimum damnum et spirituale et corporale afferre proli; item grave matris periculum. Caveant tamen, quidquid sit, ne ideo viri male tractent uxores, ut aliquando lugere est; sed potius orationibus simul vacant, ut desuper benedictionem efflagitent *(S. Alph.*, l. VI, n. 953).

4) Certum est conjugem non teneri ad reddendum *cum peccato proprio, neque veniali;* nemo enim potest obligari ad peccandum. Si vero peccatum sit in ipso petente, et peccatum petentis sit mortale, quod se teneat ex parte modi actus ipsius, v. g. si petitio fiat in loco sacro contra reverentiam illi debitam, certum est non posse

reddi petenti. Quia cum reddens poneret copulam sicut ipse petens, concurreret cum ipso ad eundem actum malum — Si vero culpa se teneat tantum ex qualitate personæ petentis, v. g. si hæc sit ligata voto, conciliantes diversas sententias, sic probabilius resolvo: si commode potest pars innocens, tenetur ex caritate admonere compartem, ut a petendo desistat. At si ex negatione gravia timeantur incommoda, iræ, indignationes, adulteria, etc. (uti sæpe evenire solet), compars innocens tenetur reddere; quia ex una parte petens adhuc retinet jus ad copulam: ex altera reddens, actui licito operam dat, peccato alterius se habens dumtaxat permissive *(S. Alphonsus*, l. VI, n. 946) (1).

5) Concedunt non esse illicitum accessum ad *conjugem amentem* vel *perfecte ebrium*, si non adsit periculum scandali vel abortus, aut alterius damni: quia usus conjugii per se licitus est. Verum probabilius ac communissime dicunt talem accessum non esse præceptum; quia tunc qui petit, non petit ut homo, sed ut bestia.

6) Certum est licere comparti innocenti petere debitum a conjuge excommunicato; id expresse definivit Gregorius VII. An vero id liceat etiam ipsi excommunicato, videtur communius et verius affirmandum: lex enim ecclesiastica non intendit obligare cum tanto periculo, in quo indesinenter ille versaretur.

7) Si ex debiti redditione damnum grave in se vel in comparte merito timeatur, conjux per se non tenetur, nec potest reddere. Non tenetur; *quia* ex d. Thoma *hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in se ipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet: et hic est etiam ordo caritatis, quæ naturam perficit* (3 p. q. 63, a. 3) — Non potest; quia nemo est dominus vitæ suæ aut salutis: et quisque tenetur impedire grave damnum, vel ejus periculum etiam in alio, licet iste in illud consentiat. Hinc nec potest petere nec reddere qui laborat morbo contagioso, gallico, peste, lepre, etc., si judicio medicorum adsit periculum infectionis notabiliter noxiæ; vel si conjux sanus ita abhorreat ad coeundum, ut id sit ipsi moraliter impossibile. Dicunt item copulam esse notabiliter periculosam si habeatur statim post balneum, venæ sectionem, vel si conjux laboret gravi febri; non autem post prandium, vel cœnam.

8) Si morbus esset dinturnus et extaret v. g. periculum incontinentiæ, necessitas prolis ad bonum publicum, extinctio dissidiorum, conjux sanus alteri infecto potest reddere, imo et petere; quia esto quod homo non sit dominus vitæ suæ, potest tamen propter caritatem illam exponere. Nec refert, ut verius dicunt cum d. Thoma supra, si proles gigneretur infirma, quia *melius est ei sic esse, quam penitus non esse* (Suppl. q. 64). (V. *s. Alph.*, l. VI, n. 950).

9) Non tenetur reddere mulier si experta sit, non posse parere *sine periculo mortis;* non enim censentur conjuges se voluisse ad debitum obligare cum gravissimo incommodo, aut periculo. Si tamen periculum sit diuturnum, probabilius mulier et petere et reddere potest; nam magnum esset detrimentum, si semper conjugata illa deberet abstinere, cum non modico propriæ continentiæ et alterius

(1) Si peccatum sit tantum veniale, distinguendum. Nempe si actus est leviter illicitus ex parte personæ petentis, v. g. si petat ob finem leviter malum, tenetur compars eidem reddere; quia agitur de actu per se honesto, et debito ex justitia. Si vero actus est leviter illicitus ex parte ipsius actus, v. g. si petatur situ innaturali, potest reddere cum adest causa, ne incurrat indignationem comparti; quælibet enim causa rationabilis excusat a culpa veniali.

conjugis discrimine. Quare ut hoc detrimentum vitet, potest jure optimo vitam indirecte periculo illo exponere, eo vel maxime quod periculum absolute certum non sit, nec ipsa conceptio (*S. Alphonsus*, l. VI, n. 953).

10) Tempore *prægnationis*, usus conjugii non est sub gravi prohibitus; cum periculum abortus aut morbi raro adsit. A levi autem culpa, levis causa excusat quæ fere semper adest. Ideo abstineat confessarius ab interrogando conjuges; cum non sit necessarium, et res lubrica sit (v. *d. Thomas*, in 4, d. 81).

11) An liceat usus conjugii tempore *fluxus menstrui* distingue: Fluxus menstruus in muliere duplicis est generis: alius ordinarius, qui proprie dicitur menstruus; quia singulis mensibus solet evenire et durat (ut plurimum) per duos vel tres dies (1). Alius extraordinarius seu innaturalis, qui provenit ex morbo, et durat ad duodecim dies et amplius — Si porro agatur de *menstruo extraordinario*, certum est licere petere et reddere; tum quia nullum damnum proli et conjugi imminet, tum quia cum talis morbus diuturnus sit, durissimum esset conjugibus abstinere, ut ait d. Thomas (*in* 4, *d.* 32). Si sermo sit de *menstruo ordinario*, communissime et probabilius docent accessum ad conjugem non esse peccatum mortale; quia id nullo jure prohibetur. At volunt non excusari a veniali ob quandam deordinationem; verum a culpa veniali excusat levis causa, v. g. ne maritum iratum faciat.

12) Quod dictum est de menstruo ordinario, idem probabilius et communius dicunt de tempore *purgationis post partum* seu puerperii quod durat quousque mulier quæ peperit, bene se habeat — Tempore autem *lactationis* licere uti conjugio communissime affirmant: tum quia lex nulla id vetat, tum quia periculum damni rarum est.

13) Illicitus non est actus conjugalis diebus festis et jejunii, ut communius docent; tum quia nullo jure id prohibetur; tum quia per hoc non impeditur observantia præceptorum (*S. Alph.*, l. VI, n. 900).

1039. Ad actum conjugalem *tempus nocturnum ac secretum* naturalis verecundia suadet. Hoc tamen non est in præcepto; sed tempore quocunque, alio inconveniente præcluso, ille haberi potest. Sed maxime cavendum a scandalo, si in eodem cubiculo alii sint.

Item ad actum conjugalem verecundia *locum remotum* requirit: neque omnia quæ licent, licent ubique. Unde illum publice habere, grave esset scandalum ac libidinis incentivum. Habere autem in loco sacro, gravis irreverentia: imo probabilius est sacrilegium, licet occulte fiat (sine necessitate); cum graviter Dei domum dedeceat.

Modus seu *situs naturalis* in usu conjugii est, ut mulier sit succuba et vir incubus; cum sit aptior ad effundendum et recipiendum semen. Est tamen commune cum d. Thoma, esse dumtaxat veniale per se loquendo, si actus alio modo fiat; si tamen semper fiat in vase naturali. Nam hæc mutatio generationem non impedit; cum semen virile in matricem mulieris ex se et naturaliter attrahatur. Et ideo nullum etiam erit peccatum, si modus naturalis mutetur ob justam causam, ægritudinis, scandali, difficultatis, etc. (D. Thomas, *in* 4, *d.* 31). S. Alph., l. VI, nn. 909, 924.

(1) Fluxus hic sanguineus (qui obtinet singulis mensibus per duos aut tres dies ordinarie incipit ab anno 12, vel 14 et durat ad annum 50 circiter. Matres vel quæ illarum locum tenent, præstat, ut de hoc filias præmoneant, ne ad casum inopinatum et satis dolorosum terreantur, et alia mala eveniant. Muliere autem prægnante, hic fluxus suspenditur, cum inserviat ad fœtus nutritionem.

1040. Monitum. *Caveat confessarius, ne de variis congrediendi modis quæstiones faciat; item ne interroget de tempore prægnationis, fluxu menstruo, de tempore purgationis, de loco, de tempore etc., quo habetur copula; quod si pœnitens interroget, paucis se expediat ac decentissime, et satis esse debet quod cognoscat intra vas seminationem fieri. In materia adeo lubrica et reverentia Sacramenti, et periculum lapsus in ipso confessario, et occasio scandali quoad pœnitentes et alios (nam non raro pœnitentes de interrogationibus confessariorum cum aliis loquuntur) omnino postulat, ut confessarius ab ulterius inquirendo se abstineat, etsi timeat ne satis integra confessio evadat ob tacitam aliquam circumstantiam.*

Art. 2. — De pravo Fine, actibus Turpibus et Onanismo.

1041. **Pravus finis.** Finis totum inficit opus: unde si malus sit finis, et opus malum erit. Atque ideo jam patet uti matrimonio, v. g. ob solam voluptatem (quin alius finis honestus, v. g. concupiscentiæ remedium nec virtualiter intendatur) peccatum esse; quia non esset secundum rationem intendere voluptatem, uti finem, quæ a natura tantum uti medium intenta est. Id deducitur etiam ex hac n. 9 propositione proscripta ab Innocentio XI: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* Est tamen commune cum d. Thoma *(Suppl.* q. 49, a. 6), id esse veniale, quia voluptas non quæritur extra matrimonium, et actus est natura sua ordinatus ad copulam licitam: unde non deest nisi circumstantia debiti finis in operante; qui quidem defectus per se nonnisi levis est deordinatio *(S. Alph.,* l. VI, n. 913).

Dixi *ob solam voluptatem;* aliud est enim agere propter solam delectationem, et aliud agere cum delectatione. Primum inordinationem dicit, cum finem primarium excludat et ordinem pervertat. Secundum vero non ita, cum per se usus delectabilium non sit malus si moderatus ac dirigatur saltem virtualiter ad finem honestum.

1042. *Quid de delectatione morosa in conjuge circa copulam habitam, vel habendam, quæ tamen hic et nunc haberi nequit, quia abest conjux?*

R. Inter varias sententias dico: Si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum genitalium, sed etiam cum voluptate venerea, non potest excusari a mortali; quia est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. Secus vero si absit illa venerea seu voluptuosa titillatio; quia tunc non est delectationi proxime annexum periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum; cum enim copula sit licita conjugatis, non potest esse graviter illicita (sæcluso dicto periculo) illius delectatio, ut ait d. Thomas, *De malo,* q. 15, a. 2; nam delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ex objecto *(S. Alph.,* l. VI, n. 937).

1043. **Turpia inter conjuges.** Si tactus, aspectus et verba turpia ordinantur ad copulam, et cum ea conjunguntur, conjugibus licent; cui enim licitus est finis, licita sunt etiam media ad ipsum. Item culpa vacant oscula et tactus in partes tum honestas tum etiam minus honestas (si tamen caute fiant) ratione affectus conjugalis demonstrandi aut amoris confovendi. Excipe nisi sermo sit de actibus enormiter turpibus, v. g. affectum sodomiticum præseferentibus. Quamvis

enim aliis id adhuc forsan videatur veniale; semper tamen graviter increpandi sunt conjuges, ut se ab iis abstineant, cum dedeceant matrimonii sanctitati.

Si vero tactus, aspectus et verba turpia ad copulam non ordinentur, neque ad amorem fovendum, sed habeantur ad invicem causa tantum voluptatis, secluso periculo pollutionis, venialia tantum esse docent communius et verius. Alias cum tanta sit inter conjuges societas, et multoties, v. g. ob morbum, non possint copulari, ipsi jugiter essent periculis expositi — Attamen si ex talibus actibus prævideatur (ut timendum est) secutura pollutio, quamvis involuntaria, probabilius tunc sunt mortales, quia quisque tenetur cavere seminis dispersionem. Imo certe erunt mortales, si conjuges voto castitatis sint ligati; quia illud excludit omnem voluptatem veneream.

1044. *An* (quæres) *sint mortales tactus et aspectus turpes unius conjugis cum se ipso, altero absente, ac secluso periculo pollutionis?* — Alii negant, quia tales actus cohonestat conjugalis status. Sed probabilior et suadenda sententia affirmat; nam conjuges non habent jus ad se tangendos, nisi in ordine ad copulam, quæ tunc est impossibilis (*S. Alph.*, l. VI, n. 934).

1045. **Onanismus.** Nomen sumit ab Onan, qui pessimæ huic libidini indulgebat; et in eo consistit, quod vir post incœptam copulam ante seminationem in vase mulieris, se voluntarie retrahit et semen extra effundit, ut generationem impediat; vel ope muniminis impedit ne semen in matricem effundi possit, quin a copula se retrahat (quod tandem idem est).

Principia: Onanismus est semper peccatum gravissimum contra naturam; pugnat enim contra finem primarium matrimonii, per se tendit ad societatis destructionem, naturalemque ordinem ideo subvertit. Patet etiam ex gravi punitione Onan; nam Gen. XXXVIII habetur: *Percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Tum vir qui hoc crimine se maculat, tum mulier quæ consentit vel virum ad illud tacite inducit (v. g. conquerendo de numero prolis, de laboribus partus, etc.), graviter peccant; nec absolvi possunt, nisi sincere doleant, et id vitare serio proponant.

1046. *Resolve:* 1) Si gravis suspicio sit quod huic vitio dediti sint conjuges, caute, caste et prudenter sunt a confessario interrogandi. *Nunquam expedit interrogare de hac materia* (onanismi) *utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir sive mulier abutantur matrimonio:* hæc propositio a S. Officii C. 21 maji 1851 prout jacet declarata fuit *falsa, nimis laxa, et in praxi periculosa* (v. n. 742).

2) Procurandum (ad rem cl. Berardi) imprimis, ut difficultates destruantur, aut minuantur. Dicit conjux: *Pater, habeo prolem numerosam; et quomodo alere potero?* Confessarius difficultatem minuere conabitur dicendo v. g.: *Quot filios adhuc habere poteris? paucos, jam enim processisti in diebus tuis. Verum quid times? si Deus filios, nonne etiam providentiam dabit tibi? Vide, pascit volatilia cœli et vestit lilia agri; nonne oculi Domini super justos?* etc. Si dicat: *Vereor ne in partu moriar;* Confessarius respondere poterit: *Timor ut plurimum est inanis, experientia teste; sed quomodocunque res se habeat, visne ergo emere vitam temporis pretio peccati quod in æternum te perdet?*

3) Si renuit mulier, sed maritus non velit acquiescere, suggerendum, ut uxor iterum atque iterum roget illum, ne Deum tam graviter offendat; omnemque adhibeat industriam. Oh quot bonæ uxores

blanditiis, precibus et adhortationibus tandem obtinuerunt, ut mariti ad meliora redirent!

4) Sed si neque id valeat, tunc recurrendum esset novo remedio quod suggerunt Ballerini et D'Annibale, ut nempe conjuges solum in primis quatuordecim post menstrua diebus se contineant; in aliis vero quatuordecim subsequentibus libere et debito modo copulam perficiant absque ullo prægnationis timore: quod hodie prope certum dicunt ex accuratioribus physiologiæ studiis. Hoc modo diminutis difficultatibus, confessarius si pœnitens adhuc non ita sit dispositus, totam hujus criminis enormitatem aperiat, dicendo v. g. quod agitur de crimine orrendo, quod vehementer provocat iram Dei, ut patet exemplo Onan, clamat cœlestem vindictam ac terribilem trahit maledictionem super maritum, super uxorem totamque familiam. Dicat item quod donec voluntatem non mutet, tanquam excommunicatus Sacramenta recipere nequit, et in via certæ æternæque damnationis est.

5) Quod si his non obstantibus, vir nullimode acquiescat, licet uxori reddere debitum viro petenti, qui omnino vult seminare extra vas, si secus timeat grave damnum; et tunc reddens ne materialiter quidem cooperatur peccato viri, cum non cooperatur seminationi extra vas, sed tantum copulæ incœptæ, quæ per se utrique licita est. Habemus etiam hac de re responsum S. Pœnitentiariæ 1 febr. 1823: *Cum tota actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi retrahit se et extra vas effundit, ideo si mulier post debitas monitiones nihil proficiat, vir autem instet minando, verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa, ut probati Theologi docent, citra peccatum permissive se habere. Cum in his rerum adjunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa quæ eam excusat; quoniam caritas qua impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat.* Item communiter habetur uti causa excusans, si uxor prudenter timeat, ne vir ad alias fœminas accedat. Vel si ex repulsa iratus blasphemias et verba scandalosa coram famulis aut liberis sit pronuntiaturus. Neque tamen uxor tenetur singulis vicibus virum monere, si certo cognoscit se nihil obtenturam; debet tamen aliquoties ostendere se ejus crimini non assentire. *Bouvier* (v. Scavini, l. III, n. 922).

6) Non peccat mulier, si gaudeat non de opere malo in se seu copula sic habita; sed tantum de effectu inde secuto, seu de immunitate ob incommodis quæ gestationem, partum, etc. comitari solent. Videat tamen ne peccato interne consentiat; versatur in lubrico.

1047. *An liceat uxori a viro onanista debitum conjugale petere?* Negandum: nam uxor tenetur ex caritate peccatum alterius impedire. Verum quia caritas non obligat cum notabili incommodo, ideo ipsa poterit petere si habeat gravem et justam causam; v. g. si deberet alias privari suo jure petendi plusquam semel vel bis cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave aut non se continere; vel si sit in periculo incontinentiæ. Quo in casu non videtur reprobanda mulier, si post factam seminationem a viro modo indebito, illum roget ut ad se accedat modo maritali, urgente causa; nam jus habet ad copulam, et per ipsam non stat, quod vir nequeat hic et nunc semen effundere ob jam effusum; neque est de necessitate ad copulam habendam ut semper effundatur semen, uti patet de senibus; sunt enim veri conjuges, et id fit ex gravi causa (*S. Alph.*, l. II, n. 53; l. VI, n. 947; Salmanticenses, *De matrimonio*, tr. IX, c. 12, p. 12).

1048. Si una pars ante seminis effusionem se retrahit, altera repugnante, retrahens peccabit mortaliter; cum alium jure suo fraudet.

Si vero ambo consentiant, et adsit periculum pollutionis, seu effundendi semen extra vas, peccatum erit mortale ex utraque parte. Hoc secluso periculo (per se loquendo) mortale non erit; cum in hoc casu illa vasis penetratio habeatur instar tactus verendorum. At illud periculum ordinarie adest; ideo conjuges videant, ne huic se committant *(S. Alph.,* l. VI, n. 919).

Cæterum commune est licere se retrahere etiam cum periculo pollutionis, si conjuges desistant a copula ob periculum mortis, irruente hoste vel ad vitandum scandalum aliorum; tunc enim præter intentionem pollutio eveniret *(S. Alph.,* l. VI, n. 918).

1049. *Si vir se retrahat post seminationem, sed ante seminationem mulieris, an possit ipsa statim se tactibus excitare, ut et ipsa seminet,* alii negant, quia illa mulieris effusio utpote separata non fit una caro cum viro. Sed communius affirmant; nam seminatio mulieris pertinet ad complementum actus conjugalis. Unde sicut potest uxor tactibus se præparare ad copulam, et ita se excitare ante illam (maxime si frigidioris naturæ sit); ita etiam potest actum copulæ perficere, semel illa incœpta *(S. Alph.,* l. VI, n. 919) (1).

V. cl. Berardi, *De recidivis et occasionariis;* t. III: Praxis confessariorum.

ART. 3. — De Juris amissione ad Debitum conjugale.

Quæstio instituitur de Matrimonio dubio, de incestu, de adulterio et de baptizante propriam prolem.

1050. **Dubium de Matrimonii validitate.** Si matrimonium sit contractum bona fide, ac postea de legitimitate illius superveniat dubium non quidem leve et scrupulosum (quod est contemnendum), sed verum et plausibile, tunc si uterque de hoc dubitet, neuter potest conjugio uti ante debitam diligentiam; quia esset se fornicationis discrimini committere. Si una pars tantummodo dubitet, esto quod ista non possit petere; sed tenetur reddere alteri parti petenti in bona fide, ne se committat gravi discrimini alterius jus violandi. *Aut habet* (ait d. Thomas) *certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem: si primo modo, nec exigere nec reddere debet; si secundo debet reddere, sed non exigere* (in 4, d. 41, q. unica, a. 5).

Quod si debita diligentia adhibita, dubium nequeat vinci, probabilissime et communissime docent posse reddi et peti. Sane: qui contraxerunt bona fide, non debent privari jure suo, donec constet de impedimenti existentia *(S. Alph.,* l. VI, n. 901; *Scavini,* l. III, n. 904).

Dices: In sententia s. Alphonsi ubi opiniones benignæ proximius

(1) Est etiam graviter redarguenda mulier quæ statim post copulam immediate surgit vel mingit eo fine ut semen expellat; etsi necesse non sit, ut remaneat per aliquod tempus, quia matrix fere statim semen recipit.

reddunt periculum formalis peccati, uti quando agitur de vitanda occasione proxima peccati, confessarius tenetur uti opinionibus tutioribus. Porro hic casus est; nam durante dubio de impedimento, v. g. impotentia, periculum est fornicandi, quod quidem est ipsa naturali lege prohibitum.

R. Hic nullum periculum est formalis peccati, cum in tali dubio pœnitens sibi efformet conscientiam certam ac tutam per principia reflexa; et s. Doctor nullum omnino periculum in hoc adesse putat; neque in praxi moderatur ac temperat suam theoriam, ut nonnulli perperam autumant (vide Opusc. *S. Alfonso De Liguori presso il Sig. D. Antonio Rosmini;* Milano e Lodi. It. Scavini, *Il Sig. D. Antonio Rosmini-Serbati presso s. Alfonso De Liguori, ossia lettera seconda sul principio:* La legge dubbia non obbliga. Item fusius *t.* I, *nn.* 84 *et seqq.).*

1051. *Quod si matrimonium contractum sit cum dubia fide (ideo mala) de ejus validitate,* alii negant posse dubitantem etiam post adhibitam diligentiam petere debitum, si dubium non certioretur; etsi probabilius judicet matrimonium esse validum; quia nemo potest uti re, quam mala fide incœpit possidere: unde tunc satis est debitum reddere comparti, quæ contraxit in bona fide.

Attamen satis probabiliter affirmant alii; quia etsi dubitans nequeat deponere dubium titulo possessionis, potest ex alio principio, nempe: *in dubio standum est pro valore actus,* præsertim matrimonii, in cujus favorem in foro tam interno, quam externo semper judicandum est. Casum excipe, quo dubitetur de morte prioris conjugis: tunc possidet primum conjugium quousque habeatur certitudo de ejus solutione, aut saltem tanta præsumptio, quæ quidem moralem certitudinem statuat *(S. Alph.,* l. VI, n. 902).

1052. **Conjugis incestus.** Incestus completus et culpabilis unius conjugis cum consanguineis alterius in primo vel secundo gradu ex lege Ecclesiæ per se privat reum jure petendi debitum conjugale, quoadusque non restituatur in suo jure a legitimo superiore. Unde si incestuosus a debito petendo non abstinet, graviter delinquit toties quoties petit. D. Thomas, *Suppl.* q. 58, a. 4 (S. Alph., *l.* VI, *nn.* 1070 *et seqq.).*

Dictum est: 1) *Completus,* id est cum seminatione intra vas. Et *culpabilis;* ideo non incurreret pœnam mulier per vim oppressa; imo in sententia communiori et probabiliori, etiamsi fuisset inducta per metum gravem. Nam sic delinquens non habetur ut ecclesiasticæ legis contemptor ac contumax; et hujusmodi metus, ut plurimum, excusat ab observatione legis Ecclesiæ, ideoquo etiam ab ejus pœna.

2) *Cum consanguineis alterius conjugis in primo vel secundo gradu:* ideo cognoscens consanguineam propriam, pœnam non incurrit. Si uterque conjux incestum committit, uterque hoc jure privatur.

3) *Per se privat jure petendi;* sed commune est, conjugem impeditum vel voto vel dicta affinitate, adhuc posse per accidens petere, tam si *mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem,* ut ait d. Thomas (nam esset interpretative reddere); quam si adsit periculum incontinentiæ in comparte; neque enim pars innocens hoc subsidio est privanda ob crimen alterius. Imo in hoc casu adesset obligatio petendi *(in* 4, *d.* 38, *q.* 1, *a.* 3, *q.* 2).

4) *Quoadusque non restituatur in jure a legitimo superiore.* Hæc pœna etsi imposita a Pontifice, tamen (ex consuetudine generali) potest Episcopus dispensare etiam per delegatum; est communissimum, ac receptum, saltem in pluribus diœcesibus, ut in Novariensi. Quare confessarius facultatem postulet supplicem libellum Episcopo exhibendo.

1053. Ab hac incurrenda pœna excusat ignorantia etiam crassa (non tamen probabilius affectata) sive *juris,* uti docent probabilius et communius, nempe si vir accedat ad consanguineam uxoris, nesciens adesse legem ecclesiasticam id prohibentem — Sive *facti,* ut dicunt communiter, nempe si vir sciat legem prohibentem petitionem debiti, sed nesciat illam ad quam accedit, esse consanguineam suæ uxoris; semper deest culpa incestus — Sive *pœnæ,* ut satis probabiliter tuentur, nempe si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat adesse pœnam non petendi. Hæc enim privatio imponitur tantum scienter peccanti, et agitur de pœna extraordinaria *(S. Alph.,* l. VI, nn. 930 et 1071; l. VII, n. 48).

1054. *Notandum.* Incestus cadit etiam generatim sub episcopali reservatione. Qui porro facultatem habet a casibus reservatis, non ideo potest incestuosos conjuges restituere in integrum. Sunt enim duæ res disparatæ: una aliam non includit; et inductæ sunt a diversa auctoritate. Ideo facultas secunda distinctis vicibus est expostulanda, etsi quis gaudeat facultate absolvendi a reservatis.

Litera ad Episcopum pro obtinenda facultate mitti potest hoc modo latino idiomate, et semper reticendo nomen delinquentis, ita ut nullimode dignosci possit

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Titius (vel Titia) vesana libidine victus sororem suæ propriæ uxoris carnaliter cognovit, propter quod debitum conjugale amisit (addat si non habeat facultatem a casibus absolvendi: *et in casum reservatum incurrit).* Cum autem Orator de tam enormi crimine quod occultum est plurimum doleat, et debitum conjugale exigere licite posse desideret; ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit absolvi, et dispensari. Quare humiliter supplicat pro opportuno remedio.

Faveat etc, ut supra n. 719.

1055. **Conjugis adulterium quoad debitum.** Adulter non sic privatur jure petendi, quod petendo peccet. Sed quod hæc pœna possit illi infligi; cum justum sit, ut illi fides non servetur qui fidem frangit (imo et divortium potest peti).

Unde adulter, licet non possit stricte etiam exigere debitum ab altero conjuge, potest benevole petere; et stricte etiam exigere, si conjux adulterium eidem remiserit: vel ipse in idem crimen prolapsus sit, quia adest compensatio injuriæ. Imo quandiu conjux innocens nihil excipiat, quia crimen ignorat, tandiu poterit adulter licite exigere debitum. Quia nemo gravem tenetur sibi pœnam infligere, nemine excipiente; vel prodere turpitudinem suam.

1056. **Conjuges prolem baptizantes.** Certum: 1) Conjugem prolem suam legitimam baptizantem (aut in Baptismate vel Confirmatione suscipientem) non privari jure debitum conjugale petendi, si id fecit in vera necessitate; nam *est inculpabile judicandum, quod necessitas intulit* — 2) Graviter peccare, si id egit sine necessitate; id enim sub gravi in jure canonico prohibitum est.

Tota quæstio est, an conjux qui ita egit culpabiliter, citra necessitatem, præter culpam incurrat etiam pœnam privationis debiti petendi. Negant satis probabiliter auctores gravissimi cum Suarez, Salmanticensibus, Viva, Roncaglia et Alasia; nam de hac pœna tacent canones; at nulla pœna incurritur, nisi a jure sit expressa; imo canones expresse negant. Sed communius cum d. Thoma *(Suppl.* q. 56) affirmant ex generali regula: *Affinitas quæ dirimit matrimonium contrahendum, impedit ejus usum, si jam contractum sit.* Et S. Pœniten-

tiaria, si ad eam fiat recursus, dispensat ab hoc impedimento (v. *Scavini*, l. III, n. 850; *s. Alph.*, l. VI, n. 150) (1).

Cum res dubia sit, principium prævalet, in re dubia non posse certum jus conjugibus auferri. *Grueber, Ballerini.*

CAPUT ULTIMUM

De Matrimonii dissolutione.

1057. Contingit dissolvi conjugia aliquando quoad vinculum, ut liceat conjugibus nuptias alias celebrare. Aliquando quoad habitationem et thorum, vinculo remanente. Aliquando quoad thorum dumtaxat. Istæ dissolutiones *divortii* nomine nuncupantur, quia conjuges tunc in partes diversas abeunt (*S. Alph.*, l. VI, n. 955).

1058. **Matrimonii solutio quoad vinculum.** Certum est: 1) *Propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse matrimonii vinculum,* ut Tridentinum definivit. Constans autem ac certa est praxis et doctrina Ecclesiæ.

2) Vinculum non dissolvi per adulterium. Christus ait Lucæ XVI: *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur.* Hinc Tridentinum contra Græcos quibus adhæserunt protestantes: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non possi dissolvi... anathema sit* (sess., XXIV, can. 7). D. Thomas, *Suppl. q.* 59, *a.* 6.

3) Matrimonii vinculum solvi non solum per unius conjugis mortem juxta illud Apostoli: *Si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat;* sed etiam per religiosam professionem; ac per conversionem unius infidelis ad fidem, comparte manente infideli. Adde et per dispensationem R. Pontificis,

(1) Cæterum ex eo quod nonnulli (notat De Varceno in alia re) ob conscientiam nimis meticulosam vel ob aliam specialem rationem, aut ad cautelam petant facultatem a S. Sede, quam Episcopi habent, non ideo amittitur ipsa facultas, nec probat de necessitate esse recurrendum. Et S. Congregatio non tenetur eos admonere de hac facultate; potius eam concedendo mentionem facit de conditionibus servandis. Neque item obstet quod limitationem in ipsa concessione ponat; est enim in potestate S. Sedis dictam licentiam quomodo ei libuerit coarctandi ex quo ad illam fit recursus. Ita docet etiam Benedictus XIV, *Quæst. canon.* 183, nn. 26, 27 (*Scavini*, l. I, n. 236).

Extra hos casus neque ab Ecclesia dissolvi potest matrimonium, tanto minus a lege civili. Hinc in Syllabo hæc prop. 67 damnatur: *Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.* Qui ideo coram Ecclesia contraxit cum una, hac adhuc vivente, non potest contrahere cum alia: *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

1059. **Conjugii solutio per religiosam professionem.** Matrimonium, si sit ratum tantummodo, posse dissolvi per solemnem professionem religiosam, de fide est a Tridentino definitum: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Id jam declaraverat sæculo duodecimo Alexander III, qui id probat exemplo Sanctorum; et Innocentius III asserens, se in hoc sequi vestigia suorum antecessorum — Conjuges autem a jure duos menses habent post nuptias ad deliberandum, et eo tempore non tenentur reddere debitum. At peccat qui matrimonium contrahit cum intentione ingrediendi religionem, si compartem non moneat, ob gravamen quod illi imponitur.

Dictum est: 1) *Matrimonium ratum:* id enim jura non tribuunt jam consummato; tunc enim significatio irrevocabiliter completa est, et conjuges facti sunt una caro. Si tamen sit per vim consummatum ante elapsum bimestre, adhuc pars innocens poterit eo jure uti, ne culpa alterius puniatur: sed tunc pars nocens non poterit de novo nubere; quia jam verificata est matrimonii consummatio.

2) *Per solemnem professionem:* unde solus non sufficit ingressus; cum matrimonii solutio non obtineat, nisi emissa professione, et ideo tamdiu expectandum. Cæterum hoc jus religionem ingrediendi et profitendi non conceditur, si conjugium necessarium sit ad reparandum scandalum vel sponsæ infamiam *(S. Alph.,* l. VI, nn. 870 et 958) (1).

1060. **Conjugii dissolutio per unius conversionem ad fidem.** *Certum est infidelium conjugium* (etsi consummatum), *ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et*

(1) Si sponsa non erat virgo et jam in sponsi domum traducta sit, non creditur illis in matrimonii præjudicium et dissolutionem, quod nempe nondum illud consumaverint. Si vero non sit in domum traducta, adhibetur eorum juramento fides, quod nempe copula non sit habita. Si autem sponsa sit virgo, licet domum sponsi traducta, sed adhuc virgo dignoscatur, creditur illis; quia omnis probatio vincitur aspectu et facto contrarium testificante. *Sanchez.*

Religionis professio intelligitur de regularibus stricte sumptis.

per Apostolum Paulum (I Cor. VII) *promulgato, dissolvi, cum conjugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero (in sua infidelitate obdurato) cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris:* ita Benedictus XIV *(De Synodo,* l. XIII, c. 21).

Sic nempe ait Apostolus: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quæ mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa non dimittat virum.... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Qui discessus etiam de vinculi solutione est intelligendus, ut patet tum ex communi Interpretum expositione; tum ex ipso contextu; tum ex Pontificum declarationibus et constanti traditione. Matrimonium inter infideles est quidem matrimonium, ut ait Angelicus, *Suppl.* q. 59, sed non perfectum *ultima perfectione, sicut est inter fideles;* hinc potest dissolvi (Scavini, *l.* III, *n.* 925).

Dictum est: I) *Cum conjugum alter;* si enim ambo convertantur; per Baptismum fit ratum, et firmatur illorum conjugium — 2) *Cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris;* hoc autem contingit vel si infidelis (qui necessario interpellandus est) nullimode cohabitare velit; vel si cohabitando Dei nomen blasphemet; vel sit periculum perversionis *(S. Alph.,* l. VI, n. 956).

1061. **Matrimonii solutio per Pontificem.** Certum est Romanum Pontificem non posse solvere fidelium matrimonium semel consummatum; quia tunc perfectissime completa est significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Si vero res sit de matrimonio rato, adhuc sunt qui negant; nam matrimonium ratum est ejusdem naturæ ac consummatum. Verum communis est contraria sententia; nam Pontifex uti Christi Vicarius ob bonum commune ac gravissimum dispensare potest in his, quæ sunt juris divini, si hæc humanos actus respiciunt. Revera pluries Pontifices dispensarunt; at nunquid dicendum eos errasse in re tam gravi, totque adulteria permisisse? ut Martinum V, Eugenium IV, Pium IX, Leonem XIII. (Vide *s. Alph.*, l. VI, n. 959; *Scavini*, l. III, n. 855; *Acta S. Sedis*, t. XII.)

Ideo ex Benedicto XIV hodie tota controversia huc reducitur, an adsint causæ sufficientes pro dispensatione concedenda *(Quæst.* can. 24); ut essent gravissima inter conjuges dissidia,

morbus unius partis contagiosus, periculum vitæ æternæ *(Acta S. Sedis,* t. IX).

1062. **Divortium quoad thorum et habitationem.** Hoc licitum esse definit Tridentinum: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit* (sess. XXIV, c. 8).

Causæ sunt:

I. *Catholicæ religionis repudiatio.* Quod valet, etsi absit periculum perversionis; nam jus canonicum non distinguit (civile autem hodie id non curat). Fundamentum habet in illo Apostoli: *hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita.* Cæterum (notat cl. Perrone) *habenda est ratio temporum, locorum et personarum; nam nunc receptum est ut matrimonia mixta celebrentur, et (si debitis servatis conditionibus id fiat), licite fit. Si igitur licite contrahi conjugium potest cum hæreticis, cum iisdem licite cohabitare conjuges catholici possunt post hæreseos crimen, prout revera in iis regionibus et alibi fieri consuevit, nemine repugnante* (S. Alph., *l.* VI, *n.* 974).

II. *Periculum damni gravis ex parte animæ vel corporis.* Ex parte *animæ*, ut si conjux incitetur ad graviora peccata, v. g. sodomiam, pollutionem: nam quisque spiritualem salutem omnibus præponere debet. Ex parte *corporis*, v. g. si altera pars sit sæva et procedat ad percussiones atroces; si amens, furiosa, malefica, ut grave timendum sit damnum. Item si sit morbo contagioso infecta, et illum contrahendi periculum sit *(S. Alph.,* l. VI, n. 971).

III. *Mutuus consensus.* Si separatio sit ad tempus, remoto scandalo et incontinentiæ periculo, licet; sed in perpetuum ordinarie permitti non solet, nisi ambo ingrediantur Religionem; aut saltem nisi, altero Religionem profitente aut sacros Ordines suscipiente, compars ad minimum castitatem voveat. Est juxta illud Christi: *Omnis qui reliquerit uxorem... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Sed semper in casu, quo absit omne incontinentiæ periculum, proles non indigeat parentum cura, et fiat sine scandalo. Dixi *ordinarie;* nam qui causa matrimonii infeliciter initi vel discrepantis indolis privato consilio se separarunt, non facile sunt inquietandi, si aliud non obstat *(S. Alph.,* l. VI. n. 975; *Scavini,* l. III, n. 927).

IV. *Adulterium.* Hæc causa a Christo ipso adsignatur:

Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Quod valet etiam de muliere, quia quoad debitum et vir et mulier sunt pares. Communius autem et probabilius (saltem extrinsece) docent cum d. Thoma hanc pœnam incurri etiam ob sodomiam ac bestialitatem; semper enim fides conjugalis violatur *(Suppl.* q. 62).

Facta juridica separatione ob adulterium, pars innocens potest adulteram cogere, ut ad se redeat, si ejus status mutatus non sit; scilicet ne cedat in ejus detrimentum quod in ejus favorem inductum est. Item potest innocens vel Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere — Ut tamen adulterium præbeat innocenti justam causam divortii juridice petendi requiritur: ut sit *completum*, moraliter *certum*, *alterutriusve* tantum (si enim reciprocum, fieret compensatio); *culpabile;* nec *remissum* neque etiam tacite, v. g. copula post cognitum adulterium sponte a conjuge innocente habita; v. d. Thomas, in 4, d. 55, q. unica, a. 6; et *Suppl.* q. 62 *(S. Alph.*, l. VI, n. 966).

Si conjux innocens facto divortio per sententiam, et ipse adulterio fit reus, *secundum æquitatem juris* (ait d. Thomas) *judex debet ex officio suo eum cogere* (alias *monere), ut caveat a periculo animæ ejus et scandalo aliorum:* quamvis alia conjux non possit reconciliationem petere; nam longe probabilius pars innocens absolute libera mansit. D. Thomas, *Suppl.* q. 61 *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 967).

1063. **Divortium quoad thorum.** Remoto incontinentiæ periculo potest mutuo consensu hoc divortium fieri perfectionis gratia. Hinc illud Apostoli: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Monent autem confessarium, ne facile conjugibus permittat, ut castitatem voveant, maxime si cohabitent, ob incontinentiæ periculum.

Item divortium quoad thorum fieri potest ob crimen incestus, ob adulterium, quod in judicio sufficienter probari nequeat, s certe commissum est *(S. Alph.,* l. VI, n. 961).

MONITA QUOAD DIVORTIA.

I. Ex divortiis plura oriuntur mala, tum quoad ipsos conjuges, qui forsan in grave incontinentiæ periculum conjiciuntur; tum quoad filios si qui sint, qui nonnisi ægre ferre possunt parentum divisionem; tum quoad cæteros qui sine gravi scandalo id accipere nequeunt. Et tamen non raro divortia a minimis incipiunt. Hinc cura esse debet Parochorum et Confessariorum sub initio animos conjugum reconciliare. Patienter illorum querelas audiant, eorunque iras sedare studeant, adducendo Sanctorum exemplum, Evangelicum præceptum, naturæ humanæ conditionem. Ostendant in qualibet societate bona et mala adesse, vitia et defectus ab humana conditione inseparabiles, et statutum esse, ut alter alterius onera portet. Ac proinde matrimonii pondera nequaquam tolli posse per jurgia, dissidia et divortium; sed patienter tolerando ea bene posse imminui, et ita in animæ lucrum verti quod est conditionis necessitas. Si adhuc divortium facere contendant sine gravissima causa, non sunt absolutione digni. *Pramaggiore.*

II. Ad rem cl. Rivarolo, *Il governo della parrocchia:* « Le leggi ecclesiastiche, come il Codice italiano, riconoscono le cause più comuni e più frequenti che sorgono ad intorbidare la società conjugale.... Sotto questo aspetto troverà il Parroco nella legge civile un appoggio di più per mantenere ferma la convivenza dei conjugi, e per impedire le capricciose separazioni, giacchè verificandosi uno di questi casi frequenti, in cui uno dei conjugi pretenda la separazione per motivi insussistenti contro la volontà dell'altro, se il matrimonio fu celebrato anche colle solennità legali, troverà un ostacolo ben serio nel dispositivo della legge e nelle decisioni dei magistrati. » Et ideo præstat, ut in hac lege parochus instructus sit. *(Consulatur* Scavini, l. IV, nn. 549 et seqq.)

III. Non est a Sacramentis prohibenda mulier, quam publice constat fuisse a suo viro depulsam; liceat ei in suo dolore confugere ad Deum totius consolationis. At maritus non est absolvendus, nisi probet suam causam esse rationabilem. *Gousset.*

IV. Probabilius potest fieri divortium sine judicis sententia ob adulterium sive sit publicum sive occultum, si tamen potest fieri sine familiæ perturbatione et scandalo; Christus enim non requirit sententiam. Quod si judex cogat partem innocentem ad cohabitandum ob defectum probationis, ista tenetur obedire, sed non tenetur reddere debitum conjugale; cum revera adulterium certum sit *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 968).

V. Verius tenetur aliquando (raro tamen) uxor dimittere virum adulterum, videlicet ratione correctionis vel scandali vitandi *(S. Alphonsus,* l. VI, n. 964).

VI. Facto divortio juridico, filii sunt educandi apud conjugem innocentem ex canonico jure, expensis conjugis adulteri; juxta modum a judice definitum *(S. Alph.,* l. VI, n. 976).

Casus. Attilius sacerdos per plures annos officio capellani functus, baptizavit, confessiones audivit, Literis patentibus ab Episcopo obtentis, matrimonia de Parochi licentia delegata celebravit, Missas quotidie legit, Extremam-Unctionem ministravit. At tandem dignoscitur fraus, idest illum neque habere primam tonsuram.

R. Attilius plurimis gravissimis peccatis se maculavit; *idololatriæ* saltem externæ; *gravissimi scandali* per inductionem populi ad materialem idololatriam; *injustitiæ* stipendia accipiendo; *damni spiritualis* veris Sacramentis fraudando qui illis indigebant, maxime in mortis articulo. Si ex aliquo errore in intellectu contra fidem et pertinacia, in voluntate hæc fecerit, putans id potuisse etsi non fuerit sacerdos, tunc reus esset formali hæresi externa per celebrationem, et incurreret in excommunicationem specialiter R. Pontifici reservatam. Si vero fecit, secluso tali errore, nullam invenio pœnam spiritualem latam, et a pluribus eximitur etiam ab irregularitate, cum nec sit clericus. Sed habetur uti suspectus de hæresi, ideo denuntiandus. Est etiam reus *simulationis* Sacramentorum.

Baptismus fuit validus, si rite administravit: quod caute indagandum — *Missæ* fuerunt nulliter celebratæ; et ideo petenda condonatio secreto a S. Sede, si quæ erant dicendæ pro Legatis, nec capellanus habeat ut restituat. Fideles semper nulliter confessi sunt; Parochus tamen ne populum inquietet, sed generatim illum excitet ad contritionem. Cæterum qui postmodum una etiam vice confessi sunt bona fide cum dolore universali, satis sunt absoluti. *Extrema-Unctio* nulliter data est; at nullum remedium, nisi agatur de infirmo cui recenter sic fuerit inaniter administrata: tunc sub aliquo prætextu ipsi datur a vero sacerdote — Tandem quoad *matrimonia* ne Parochus sit adeo anxius: quia sicut matrimonium est validum etsi contractum coram Parocho mere putativo; ita quoque quod contrahitur coram sacerdote mere putativo, si hic habeat titulum coloratum licentiæ a Parocho, ut cum Sanchez, Bossio, Cuttieres, Bonacina et aliis docet Giribaldus. Neque dicas ex Tridentino contrahi debere coram Parocho *vel alio sacerdote:* nam sicut quamvis Concilium apponat *coram Parocho,* id intelligitur de Parocho vero vel putativo, ita quamvis Concilium apponat illud *vel alio sacerdote,* intelligitur de sacerdote vero vel putativo, hoc est sic communiter existimato. Ratio fundamentalis: veritas sacerdotii non requiritur de Jure divino ad valide assistendum matrimonio, sicut requiritur ad absolvendum et ad infirmum inungendum; sed solum ex dispositione Ecclesiæ, quæ propterea in casu necessitatis dictæ qualitatis defectum supplere potest, et supplet; cum interveniat error communis una simul cum titulo colorato, et causa gravis. Ita *Resolutio Casuum de mandato* card. Lambertini, dein Benedicti XIV, cum Suarez et aliis.

APPENDIX I.

1064. Decisio quoad explicationem *Transubstantiationis* in Ss. Eucharistiæ Sacramento, factam per quatuor propositiones.

« Humillime rogat Præpositus generalis S. I. e suprema Congregatione S. Officii, ut declarare dignetur, utrum tolerari possit explicatio *Transubstantiationis* in Ss. Eucharistiæ Sacramento, quæ sequentibus propositionibus comprehenditur:

1ª. Sicut formalis ratio hypostaseos est *per se esse*, seu per se subsistere, ita formalis ratio *substantiæ* est *in se esse* et actualiter non sustentari in alio tanquam primo subjecto; probe enim ista dua discernenda sunt: *esse per se* (quæ est formalis ratio hypostaseos), et *esse in se* (quæ est formalis ratio substantiæ).

2ª. Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non *per se* subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiori divina, ita *substantia* finita, v. g. substantia panis, desinit esse *substantia* eo solum et absque alia sui mutatione, quod in alio substantialiter sustentatur, ita ut jam non *in se* sit, sed in alio ut in primo subjecto.

3ª. Hinc Transubstantiatio seu conversio totius *substantiæ* panis in substantiam Corporis Christi Domini Nostri explicari potest hac ratione, quod Corpus Christi, dum fit substantialiter præsens in Eucharistia, sustentat *naturam panis,* quæ hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia,* quia jam non est *in se,* sed in alio sustentante; adeoque manet quidem *natura panis,* sed in ea cessat formalis ratio *substantiæ;* et ideo non duæ sunt substantiæ, sed una sola, nempe Corporis Christi.

4ª. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum jam in alio supernaturaliter existentes rationem substantiæ non habent; sed habent rationem *supernaturalis accidentis,* non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent Corpus Christi; sed eo dumtaxat, quod a Corpore Christi modo, quod dictum est, sustentantur.

Feria IV die 7 julii 1875 in Congregatione generali S. Romanæ et universalis Inquisitionis habita coram Em. et Rev. DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, lectis ac ponderatis suprascriptis propositionibus, iidem Em. Domini dixerunt: *Doctrinam Transubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse.* » (Acta S. Sedis, *t.* XI.)

APPENDIX II.

S. Sedis declarationes super reductione et celebratione Missarum earumque oneribus suscipiendis. Anno 1697.

1065. S. Concilii Congregatio probante Urbano VIII Bulla *Quum sæpe*, confirmante Innocentio XII anno 1697 Bulla *Nuper*, statuit:

« 1. Ac primo distincte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera Missarum celebrandarum, aut post Tridentinum Concilium imposita aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

» 2. Deinde ubi pro pluribus Missis ejusdem qualitatis celebrandis stipendia quantumcunque incongrua et exigua sive ab una sive a pluribus personis collocata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscunque tam sæcularibus quam regularibus; S. Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ub absolute tot Missæ celebrentur quod ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

» 3. Id vero ut deinceps observetur exactius, S. C. eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac locis piis tam sæcularibus quam regularibus cujuscunque ordinis, congregationis et instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisflat.

» 4. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus tam sæcularibus quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis ad quos pertinet, a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua mentione oneris quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium... deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque adnexione converti debeat. Ad hæc S. C. quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum tam sæcularium quam regularium superioribus vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum cætera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi vel ejus Generalis Vicarii, regularis vero sine Generalis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda....

» 5. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro Missis,* vel alia simili sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

» 6. Episcopus vero seu ejus Vicarius, aut Generalis aut Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique ecclesiæ, monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi aut licentiam præbeant quam eis legitime constiterit illius sacerdotes tam novo opere suscipiendo quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut reditus sint secundum morem cujusque civitatis vel provinciæ, intelligantque si in re tanti momenti negligentes fuerint, in novissimo die se hujus pratermissi muneris rationem reddituros.... »

Excitatis, supra præmissorum decretorum intelligentia seu interpretatione, infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendæ.

1). Super *primo* S. C. decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus etc. quæritur: *Quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire; et si recurrendum sit ad Sedem pro moderatione oneris totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?*

2) *Super secundo* ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur etc., quæritur: *An verba illa,* præscriptæ fuerint, *intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente vel Ordinario?*

3) *An cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illas ab offerente præscriptas celebrare?*

4) *An sacerdotes qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu capellaniæ, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis aut defunctorum recipere et unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?*

5) *Posito quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ, quæritur; an liberum sit hæredibus eleemosynas sibi benevisas præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?*

6) *Super tertio* Congregationis decreto... quæritur, *an verba,* in futurum suscipiendis, *intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?*

7) *Super quarto* ejusdem Congr. decreto... quæritur, *an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ et similium?*

8) *An hoc decretum habeat locum in beneficiis quæ conferuntur in titulum, ides n rector beneficii qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii?*

9) *An sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna, major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?*

10) *Super quinto* ejusdem Congr. decreto... quæritur, *an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satis fecerunt; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?*

11) *Quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?*

12) *An in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium defunctorum et vulgo dicuntur* casse dei morti?

13) *An administratores Ecclesiæ diebus magnæ devotionis et concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ et devotio ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?*

14) *Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis Ecclesiarum et piorum locorum tam sæcularium quam regularium superioribus de quibus fit expressa mentio; non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali* et aliis ad quos pertinet, *supplicatur pro opportuna declaratione....*

Resolutiones ad supradicta dubia. S. C. C. auctoritate sibi a Sanctissimo D. N. attributa ad singula dubia proposita respondit:

« Ad *primum:* Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris supra impositi, ab iis ad quos pertinet, Sedem ap. esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet quod magis in Domino expedire judicaverit. Veruntamen si in

ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad *secundum:* Esse intelligenda de præscriptione facta ab eo qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciæ.

Ad *tertium:* Teneri.

Ad *quartum:* Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu capellaniæ, legati aut salarii, si eleemosyna pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad *quintum:* Censuit ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis vel provinciæ.

Ad *sextum:* Ita esse intelligenda.

Ad *septimum:* Respondit permittendum non esse, ut Ecclesiæ ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam, utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ et loca pia alios non habent reditus quos in usum earundem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeunda, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis quæ supersunt (expensis, ut supra, deductis) absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt ab offerentibus eleemosynas.

Ad *octavum:* Non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad *nonum:* Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad *decimum:* Respondet non prohibere absolute; ac propterea etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo intra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad *undecimum:* Quamvis onera suscepta *infra modicum tempus* (nempe mensem ex S. C. 17 julii 1655, vide *Acta S. Sedis,* t. I, pag. 208) adimplere nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad *duodecimum:* Comprehendi.

Ad *decimum tertium:* Non posse nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuunt, ut supra ad undecimum.

Ad *decimum quartum:* Comprehendi etiam privatos sacerdotes. »

1066. *Aliæ resolutiones S. C. Concilii* 25 *julii* 1874, *quoad Missarum eleemosynam.*

Quæsitum fuit: 1) Multæ in Ecclesiis parochialibus Missæ cantandæ fundatæ sunt, quibus a fundatoribus assignata est dos pinguior ab administratoribus administranda. Ex qua Parochi (quibus ex jure diœcesano et consuetudine harum Missarum celebratio competit) eleemosynam ordinarie majorem percipiunt; nullo tamen sacerdote a fundatoribus ad has Missas celebrandas expresse vocato.

2) In celebrandis matrimoniis exequiisque defunctorum jure stolæ Parocho portio assignata est pinguior, quam Missis manualibus.

3) Plurimæ per annum Parochis a fidelibus offeruntur eleemosynæ pro Missis

cantandis sive secundum taxam ab Ordinario statutam, sive etiam sponte traduntur pinguiores. Hinc quæritur: an Parochi impediti possint per alios has Missas et functiones peragere, sibi retinendo partem eleemosynæ?

S. C. respondit: Ad 1m *Integram eleemosynam a Parocho solvendam esse pro Missis sive lectis sive cantatis.* Ad 2n *Cum agatur de juribus stolæ satis esse si Parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam.* Ad 3m *Integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ ipsius Parochi.* » (V. n. 562.)

1067. *Novæ resolutiones S. C. Conciliii* 9 *sept.* 1874, *probante Pio IX, circa eleemosynas Missarum.*

Quæritur: « 1. An turpe mercimonium sapiat ideoque improbanda et pœnis etiam ecclesiasticis si opus fuerit coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et premiis, vel alio quocunque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt?

2. An agendi ratio cohonestari valeat, vel quia nulla facta immutatione, tot Missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committantur quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subvenitur?

3. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes, tunc etiam improbandæ et coercendæ ut supra sint ab Episcopis, quando lucrum quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

4. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi ut supra sint ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus sive recipiant sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine?

5. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi ut supra sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro?

6. An illicite agunt ii qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiatione vel turpis lucri specie?

7. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando præsertim ex propriis reditibus careant?

8. An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem Sanctuariis plures Missarum eleemosynæ congerantur, quam quæ ibi intra præscriptum seu breve tempus absolvi queant?

9. An et quid agendum ab Episcopis ut Missæ sive quæ singulis sacerdotibus sive quæ ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandæ accurate et fideliter persolvantur?

S. Concilii C. sedulo et accurate hisce perpensis, respondit: Ad 1m *Affirmative.* Ad 2m *Negative.* Ad 3m *Affirmative.* Ad 4m *Affirmative.* Ad 5m *Affirmative.* Ad 6m *Negative.* Ad 7m *Negative nisi de consensu oblatorum.* Ad 8m et 9n *Standum Constitutionibus Apostolicis et Decretis alias datis.* » (V. t. I, n. 608) (1).

(1) Vide Benedictus XIV *De Synodo*, lib. v, cap. 8 et seqq.; *De sacrif. Missæ*, lib. III, cap. 21 et seqq. Et *Notif.* 56, n. 14 habet: « Si tanta pecunia (in aliqua ecclesia vel altari) pro Missis celebrandis in his congeratur, ut infra præscriptum tempus absolvi nequeant in illa Ecclesia vel altari, quemadmodum stipendium conferentes expostulant, per S. C. Concilii præcipi solet, ut palam in templo tabella

1068. *Alia novissima declaratio quoad Missas.*

Quæritur: « An et quomodo improbandi sint moderatores et administratores Diariorum religiosorum, qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio Diariis ipsis respondente?

S. Concilii C. respondit 24 apr. 1875: *Negative, dummodo nil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii* quantitatem, locum et tempus celebrationis Missarum, exclusa quacunque studiosa collatione Missarum, et edocto cui de jure de secuta Missarum celebratione, facto verbo cum Sanctissimo. » (Vide *Scavini*, l. IV, nn. 419, 421 et seqq.)

APPENDIX III.

1069. *Antiqui Canones pœnitentiales.*

Circa I *Præceptum:* — 1) Qui a fide desciverit pœnitentiam aget *annos decem.* — 2) Qui auguriis et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit *annis* septem — 3) Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit *annis duobus* — 4) Respiciens futura in astrolabio, pœnitens erit *duos annos* — 5) Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit *annos quinque.*

Circa II *Præceptum:* — 1) Quicunque sciens pejeraverit, 40 *dies* in pane et aqua, et *septem* sequentes *annos* pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur, et post hæc Communionem percipiat — 2) Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget *annos decem* — 3) Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ *diebus dominicis septem,* in manifesto dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus *feriis sextis* in pane et aqua jejunet. Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus dominicis *tres aut duos aut unum pauperem* pascat si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiæ ingressus interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura — 4) Qui votum simplex violaverit, pœniteat *tribus annis.*

Circa III *Præceptum:* — 1) Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, pœnitentiam aget *tres dies* in pane et aqua — 2) Si quis jejunia a s. Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget *dies viginti* in pane et aqua. — 3) Qui in Quadragesima jejunia violaverit, pro uno die pœnitentiam aget *dies septem* — 4) In Quadragesima carnes sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non *communicet;* ac præterea a carne abstineat.

Circa IV *Præceptum:* — 1) Qui parentibus maledixerit, *quadraginta dies* pœnitens sit in pane et aqua — 2) Qui parentes injuria affecerit, *tres annos* — 3) Qui percusserit, *annos septem* — 4) Si quis contra Episcopum, Pastorem et patrem suum insurrexerit, in Monasterio *omnibus diebus* vitæ suæ pœnitentiam aget — 5) Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit vel irriserit, pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane et aqua.

Circa V *Præceptum:* — 1) Qui presbyterum occiderit, pœniteat *duodecim annos* — 2) Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne et vino, dum vixerit; jejunet *secunda* et *quarta* et *sexta feria* — 3) Si quis hominem occiderit,

exponatur quæ declaret, in Ecclesia seu altari infra certum tempus sacra quæ fieri poterunt, conficienda esse. Quæ supererint, in alia Ecclesia seu diverso altari ejusdem Ecclesiæ celebranda. Hoc pacto qui eleemosynas tribuunt, universa perspecta habebunt et pietati facilius obsecundare poterunt, prout ipsis libuerit. »

ad *januam Eeclesiæ* semper erit, et in obitu Communionem recipiet — 4) Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit, pœnitentiam aget *quadraginta dies* in pane et aqua, cum septem sequentibus annis — 5) Si quæ mulier abortum fecerit, pœnitentiam aget *annos tres;* si nolens, *Quadragesimas tres* — 6) Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane et aqua, oleribus ac leguminibus; abstinebit ab uxore *dies totidem.* Deinde pœnitens erit *tres annos* per legitimas ferias; tres præterea Quadragesimas in anno observabit — 7) Qui sceleris occultandi causa filium necavit, pœnitentiam aget *annos decem* — 8) Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necaverit, pœnitentiam aget *annos tres* — 9) Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget *unum annum* per legitimas ferias. — 10) Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, *triduo* pœnitentiam aget in pane et aqua.

Circa VI *Præceptum:* — 1) Si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit *tres annos* — 2) Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, pœnitentiam aget *viginta dies* — 3) Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit *quadraginta dies* — 4) Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, *perpetuam pœnitentiam* aget — 5) Qui incestum fecerit (non ita enorme) pœnitens erit *duodecim annos* — 6) Qui monialem violaverit, pœnitens sit *annos decem* — 7) Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget *annos tres* — 8) Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere *duodecim annos.* Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando *quindecim annos* pœniteat, et postea *Monasterium intret* tota vita sua moraturus ibidem — 9) Pro adulterio *septenii* et *decennii* pœnitentia imponitur. Pro osculo seu amplexu impudico *triginta dierum* pœnitentia statuitur.

Circa VII *Præceptum:* — 1) Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget *unum annum* — 2) Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili vel thesauro, vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit *annos septem* — 3) Qui decimam sibi retinuerit aut dare neglexerit, *quadruplum* restituet, et pœnitentiam aget *dies viginta* pane et aqua. — 4) Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget *annis tribus* et *uno* in pane et aqua.

Circa VIII *Præceptum:* — 1) Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit *annos quinque* — 2) Falsarius in pane et aqua pœnitentiam *agat quandiu vivit.* — 3) Si quis de proximo detraxit, pœnitens erit *dies septem* in pane et aqua.

Circa IX et X *Præceptum:* — 1) Rem alienam nefarie concupiscens avarusque pœnitens erit *tribus annis* — 2) Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus pœnitens erit *annos septem;* si presbyter *quinque;* si diaconus vel monachus, *tres;* si clericus aut laicus, *duos.*

APPENDIX IV.

1070. *Chyrographum Gregorii XVI circa gradus consanguinitatis et affinitatis propinquiores confirmatum a Leone XIII, aliæque præscriptiones.*

Ex Chyrographo Gregorii XVI ad Prodatarium 22 nov. 1836 habetur : *vel* in primo affinitatis gradu, ut si Titius, uxore defuncta, hujus sororem ducere velit: *vel* in primo consanguinitatis, mixto cum secundo consanguinitatis, ut si Titius ducere velit filiam fratris sui aut sororis; scilicet suam neptem ex parte fratris aut sororis; *vel* in primo affinitatis mixto cum secundo affinitatis gradu, ut si Titius ducere velit filiam fratris suæ uxoris, scilicet suam neptem ex parte uxoris, non

dispensari, nisi urgentissima causa, et de ea expresse testante pro conscientia proprio Episcopo. De hoc porro nuperrima Circularis Card. Prodatarii habet:

« Con lettera circolare del 15 febbrajo anno corrente quest' Apostolica Dataria partecipava agli Ordinarj d' Italia esser mente del S. Padre Leone XIII, che si richiamasse in vigore il Chirografo di Gregorio XVI del 22 nov. 1836 intorno alle dispense in primo grado di affinità, e di primo misto col secondo sì di consanguinità che di affinità.

» Ora avendo non pochi degli Ordinarj trovato imbarazzo nell'applicazione delle disposizioni in detto Chirografo contenute, stima opportuno il sottoscritto Cardinale Prodatario a tranquillità degli Ordinarj stessi dichiarare che il S. Padre ha avuto principalmente in mira che in cosa di grave rilievo che può compromettere la moralità fosse bene assodata e comprovata la verità dell' esposto sulla fede e coscienziosa cognizione dei Vescovi stessi, e non soltanto delle Curie vescovili; e che perciò i Vescovi, i Vicarj capitolari, i Vicarj apostolici e gli Abati ordinarj non colle consuete testimoniali di formulario, come si era da qualche tempo introdotto; ma con apposite lettere, ove non sieno impediti, debbano direttamente essi stessi enunciare le cause, che concorrono in ciascun caso, e le circostanze che reclamano la grazia, come appunto s' ingiungeva nel nominato Chirografo di Gregorio XVI.

» Del resto circa l'entità e l' apprezzamento delle cause a dispensare ne' singoli casi ben si comprende non potersi non avere riguardo alla diversità delle attuali circostanze, che non permettono sempre la rigorosa osservanza di certe prescrizioni e cautele richieste in passato, sia perchè all'autorità Ecclesiastica sono stati tolti que' presidj, pei quali era men malagevole il prevenire e riparare gli scandali, sia perchè trattasi sovente d' impedire unioni meramente civili, ovvero di togliere dallo stato di peccato le persone unite soltanto col così detto matrimonio civile, e provvedere col Sagramento del Matrimonio alle deplorevoli conseguenze che ne derivano.

» A non moltiplicare lettere profitta lo scrivente di questa congiuntura per raccomandare la dovuta vigilanza, perchè dalle Curie vescovili venga posta in opera ogni possibile diligenza per bene apprezzare lo stato economico de' dispensandi, affinchè nelle rispettive testimoniali e commendatizie per le dispense di qualsiasi grado, sia espresso il valore della possidenza degli Oratori e dei redditi loro provenienti da altro cespite, avvertendo in pari tempo se la possidenza si gode attualmente dagli Oratori, o se sia solamente in isperanza, come suole verificarsi sovente nei figli di famiglia; qualora poi nulla di ciò si verifichi enunciare espressamente che gli Oratori nulla posseggono, e vivono colla sola industria e lavoro delle proprie mani.

» *Roma, Dataria apostolica,* 21 *luglio* 1879.

» C. Card. Sacconi, *Prodatario.* »

APPENDIX V.

1071. *Instructio S. Officii* 1868 *ad probandum obitum alicujus conjugis.*

« I. Cum de conjugis morte quæstio instituitur, notandum primo loco quod argumentum a sola ipsius absentia quantacunque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad istam probationem habetur. Unde Pius VI ad archiep. Pragensem 11 julii 1789 rescripsit solam conjugis absentiam atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio absens evocatus (idem-

que porro dicendum est si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit; *quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potest, quam ejus contumacia.*

II. Hinc ad præscriptum eorundem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiriri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis parœciæ vel xenodochii vel militiæ vel etiam si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit.

III. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit; testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint aut socii itineris, industriæ vel etiam militiæ, eo magis plurimi faciendum illorum testimonium.

IV. Interdum unus tantum examinandus reperitur, et licet ab jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans, vitam cœlibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respicit suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac propterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicola colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit nihil in ejus testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verosimile.

V. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes vel quia obierint vel ob aliam quamcunque rationabilem causam examinari nequeant; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro secutæ mortis prudenti indicio.

VI. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod ne unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscunque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eandem mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul junctis justa probatio id prudenti relinquendum est judicis arbitrio; hic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illæ sive urgentiores sive etiam leviores colligi et haberi possint.

VII. Itaque in primis illæ præsumptiones investigandæ erunt, quæ personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quæque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiritur, v. g.:

An ille de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset. *An* discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quæ tunc ejus ætas et valetudo esset. *An* aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiæ causa colligi indicia sic poterunt: *Si ob militiam abierit*, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnæ interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit aut destinationes periculosas habuerit, etc. *Si negotiationis causa iter susceperit*, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiæ, etc. *Si maritimum iter fuerit*

aggressus, sedula investigatio fiat, a quo portu discesserit, quinam fuerint itineris socii, quo se contulerit, quod nomen navis quam conscendit, quis ejusdem navis gubernator, an naufragium fecerit, an societas quæ navis cautionem forsan dedit, pretium solverit, aliæque circumstantiæ si quæ sciat, diligenter perpendantur.

VIII. Fama quoque aliis adjuncta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famæ; an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

IX. Tandem, si opus fuerit, prætereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personæ indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

X. Hæc omnia pro opportunitate casuum hæc Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis æqua lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum et jurisprudentum suffragiis, denique suum judicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet, quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

XI. Ex his omnibus ecclesiasticis Præsides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis. » (V. n. 973.)

APPENDIX VI.

1072. *Instructio S. Officii* 21 *aug.* 1676 *probante Clemente X, et confirmata* 25 *dec.* 1827, *pro examine testium ad status libertatem probandam in contrahendis matrimoniis.*

« I. In primis testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas læditur ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem (et quod imminet pœna triremium et fustigationis deponenti falsum).

II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio et habitatione.

III. Interrogetur an sit civis vel exterus; et quatenus sit exterus a quanto tempore in loco est in quo testis ipse deponit.

IV. Interrogetur an ad examen accesserit sponte vel requisitus: si dixerit accessisse sponte, a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

V. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum vel oblatum a contrahere volentibus vel ab alio ipsorum nomine.

VI. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis vel conditionis existat. Si responderit negative testis dimittatur; si vero affirmative:

VII. Interrogetur an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi donec per Literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel diœcesi. Ad probandum vero eorundem statum

liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes morem traxerunt. Si vero responderint contrahere volentes esse cives:

VIII. Interrogetur sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt vel habitant de præsenti. Item an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium — Si vero testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum neque aliud impedimentum ut supra:

IX. Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum vel aliud impedimentum eo quod ipse testis nesciat — Si responderit affirmative, supersedeatur nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum, etc. Si responderit negative:

X. Interrogetur de causa scientiæ ex qua deinde judex colligere poterit, an testi sit danda fides — Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos:

XI. Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges et nunc esse mortuos. Et si responderit mortuos fuisse in aliquo hospitali vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo prædicti prædecesserunt, vel a rectore Ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si autem hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ et sufficientes.

XII. Interrogetur an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota — Si responderit negative;

XIII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota absque eo quod ipse testis sciat — Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia donec producantur testes per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative:

XIV. Interrogetur de causa scientiæ: qua perpensa judex poterit judicare an sit concedenda licentia necne.

Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi nisi doceant per fides Ordinariorum suorum eos esse liberos, et in aliis servata forma Concilii Tridentini, in cap. 7 *multi,* sess. XXIV.

Fides aliaque documenta quæ producuntur de partibus, non admittantur nisi sint munita sigillo vel legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum vel sigillum, et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur potius consanguinei quam extranei, quia præsumuntur melius informati; et cives potius quam exteri; nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio; et notarius exacte describat personam testis quem si cognoscit utatur clausula *mihi bene cognitus;* sin minus examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum.

Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe ultra notarium, officialis specialiter deputandus ad E.mo Vicario; et extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias punitur notarius arbitrio S. Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri pu-

blicationes. Ordinarii præcipiant omnibus et singulis Parochis in eorum diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo vel ejus Generali Vicario prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc. »

Nota. Hæc Instructio ad omnes Ordinarios missa fuit, addito: « Interessando la di lei vigilanza e zelo d'inculcare alla di lei Curia l'esatta osservanza non solo del decreto medesimo, ma ancora delle altre legalità generali, come sarebbero, che i testimonj non siano esaminati *turmatim*, che si legga ai medesimi il loro esame; e che quando sono illetterati, siano presenti al di loro segno di croce due altri testimonj. » (V. n. 980.)

Dubia et resolutiones S. Officii quoad dictam instructionem pro examine testium.

« Dubbio I. Nel quart' ultimo § del suddetto decreto si dice: *Fides aliaque documenta quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo ac legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum.* Se non sono esse fedi e documenti muniti del sigillo dell'Ordinario, ma del sigillo e firma del solo parroco, e tal firma e tal sigillo sia di parroco della Diocesi, sia di parroco, estraneo, è ben conosciuta da uno o più officiali della Curia come dal Cancelliere o sostituto, possono ammettersi? Ed in caso negativo, a conoscersi se il sigillo e la firma sia del parroco scrivente, basta la testimonianza del padre o madre dello sposo o sposa, o di altri della di lui o della di lei famiglia?

Dubbio II. Nel terz' ultimo § del decreto si prescrive: *Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam exteri, quia præsumuntur melius informati.* Sotto la parola *consanguinei* possono intendersi i proprj genitori, abbenchè si scorgano talvolta interessati al disbrigo del matrimonio, per cui si esibiscono essi stessi, o si fanno indicare dagli sposi medesimi ad attestare sulla loro libertà di stato? E se in mancanza di genitori facessero le loro parti o fratelli o zii potranno questi nella conoscenza, o supposto di tale interessamento sentirsi in qualità di testimonj?

Dubbio III. Nel predetto § verso la metà si aggiugne: *Et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscat utatur clausula:* mihi bene cognitus; *sin minus examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia cognita notario et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis.* Avvenendo che in una Diocesi siano diversi e lontani paesi e siavi l' uso che gli sposi mandino o portano seco loro due testimonj per lo più incogniti al Cancelliere ed anche incogniti spessissime volte nella città di vescovile residenza, non ritrovandosi persona, che li conosca a scanso di gravi incomodi per le popolazioni, per la perdita del tempo e del denaro che vi spendono inutilmente se dovessero rimandarsi indietro ed a scanso anche di forti lagnanze che ne nascerebbero, possono prendersi le loro testimonianze sul legale assioma, che *nemo præsumitur malus nisi probetur?*

Dubbio IV. Succedendo anche bene spesso il caso che in seguito del fatto stato libero per qualche contraria circostanza datasi agli sposi, non ha più luogo per allora il matrimonio, passato uno, due o tre mesi senza effetto, dovranno essi tornare a fare lo stato libero per detti uno, due o tre mesi, trattandosi specialmente di basso ceto, e di persone non cognite alla Curia per essere di diversi paesi?

Dubbio V. Essendo in molte Diocesi invalso l'uso che nell'esame degli stati liberi si ricevano le deposizioni de' soli uomini, e dicendosi nel sullodato decreto *testes* senza eccepirne le donne, possono sentirsi anche le donne?

Dubbio VI. Non rare volte suol pur avvenire che un uomo o donna si trovi domiciliata in altro paese da quello d'origine per fino a dieci e più anni, tuttochè

partita dalla sua patria o altra città o paese, già adulta. Basterà che provi la libertà di detti dieci e più anni passati nel paese del suo ultimo domicilio; o converrà pure (null'ostante un sì lungo tempo d'assenza dalla sua patria o suo primo paese) aver anche le fedi di stato libero di questa o questo per maritarsi?

Dubbio VII. Finalmente nel penultimo § del suddetto decreto si prescrive: *Et hujusmodi examinibus debet interesse... extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda.* Per le parole *persona insignis et idonea* possono intendersi i Vicarj foranei coi loro cancellieri, benchè questi non abbiano la facoltà di rogare, accordata solo al cancelliere vescovile? Ed in caso negativo può attendersi la consuetudine in contrario?

S. Officii C. 24 febr. 1847 respondit: Ad 1m *Quoad primam partem affirmative, quo tamen in casu apponatur legalitas a Curia Episcopi; quoad secundam partem provisum in prima.* Ad 2m *Affirmative.* Ad 3n *Servetur Instructio.* Ad 4m *Generatim affirmative; in casibus vero particularibus prudenti arbitrio Episcopi.* Ad 5m *Affirmative.* Ad 6m *Quoad primam partem, negative; quoad secundam affirmative.* Ad 7m *Quoad primam partem affirmative; Vicarii tamen foranei transmittant acta ad Curiam episcopalem, cujus est expedire fidem status liberi. Quoad secundam partem, provisum in prima.* »

APPENDIX VII.

1073. *Resolutiones S. Officii quoad matrimonia exterorum anno* 1819.

« Ordines ultimo loco emanati circa matrimonia cum *exteris* contrahenda, inter alia disponunt quod Ordinarii præcipiant omnibus et singulis Parochis in eorum diœcesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario a quo vel ejus Vicario generali prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali qui probent statum liberum contrahere volentium. Hinc quæritur:

I. An illi ex diœcesibus circumvicinis et ipsi teneantur tales probationes facere, an vero sufficiat fides denuntiationum in eorum diœcesibus factarum cum legalitate Ordinarii et probatio eorum status post discessum ab ipsa diœcesi? R. *Hujusmodi habentur pro exteris, et consequenter tenentur probationes facere.*

II. Item an contrahere volentes, in confinibus eorum diœcesibus habitantes et ob vicinitatem ab eorum rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes; an vero sufficiant probationes ab ipsis rectoribus faciendæ? R. *Etiam ipsi tenentur facere probationes.*

III. An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante ætatem nubilem a propria Diœcesi discedentes ad aliam se contulerint, et in ea postmodum semper habitaverunt? R. *Non tenentur qui non fuerunt extra diœcesim tempore habili ad contrahendum.*

IV. An in civitate in qua milites hispani, teutonici, alemanni et aliarum longinquarum nationum residere solent, idem cum ipsis sit servandum; vel sufficiat probationes in ipsa civitate recipere de eorum statu a testibus ipsarum regionum de negotio edoctis? R. *Tenentur facere probationes juxta formam Instructionis, quia isti facilius committunt polygamiam.*

V. An facta per parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides status ejusmodi sit ab eodem Parocho vel a contrahere volente reportanda? R. *Tenetur fidem reportare et parocho consignare is qui vult matrimonium contrahere, sed est in libertate Parochi hujusmodi onus in se suscipere.*

VI. An æedem probationes sint servandæ in casu necessitatis, et ab existen-

tibus in periculo mortis sic contrahere volentibus? R. *Non sunt servandæ in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias; cum hoc etiam quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiæ juxta Instructionem antequam simul conveniant.*

VII. An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exteris qui per decem annos et ultra domicilium acquisierunt in loco ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos tam originis quam domicilii. R. *Requiritur.*

VIII. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris qui unicam vel plures duxerunt, et e contra mortuæ fuerint in loco ubi matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt? R. *Requiritur pariter.* » (V. n. 984.)

APPENDIX VIII.

1074. De agendi ratione cum sponsis quoad scientiam fidei et visitationes ad invicem.

Quoad scientiam fidei, ante denuntiationes Parochus exquirat consensum eorum qui contracturi sunt, inquirendo nimirum, an liberi sint, an ullo impedimento neque ecclesiastico neque civili ligati, an parentes consentientes sint, an sufficienter instructi, etc. Quo quidem in examine nonnisi caste, distincte et separatim sponsi sunt interrogandi; fœmina autem in loco honesto et omnino aperto ostio (monitum maximi momenti!) et quoad potest in propinquorum conspectu, quin tamen ipsi aliquid audiant. Hac de re s. Carolus *(Actorum*, p. 4[1]: *Instructio Matrimonii)*, et d. Salesius *(Filotea,* par. 3[1]), saluberrima monita habent. Nos hujusce interrogationis, utpote admodum delicatæ, pro nupero Parocho (qui nisi semel et iterum manuducatur, vel in minimis utpote novus, etsi optima theorica instructus, turbatur seque implicat) exemplum dabimus, quod quidem peritissimus Archipresbyter animarum zelo succensus, nostris annuens precibus, nobis suppeditavit his verbis: « Se la qualità della persona lo porta, premetto qualche dimanda, se abbiano qualche obbligazione con altri per fatte promesse, se a questo matrimonio addivengono di piena volontà, se sappiano di essere parenti. Passo quindi alle interrogazioni sul Catechismo or più ora meno, secondo il bisogno. Coi rozzi cerco di assicurarmi se capiscono il mistero dell' Incarnazione, della Morte e Risurrezione del Signore, poichè non di rado avviene che sanno che il Signor nostro G. C. è il Signore, ma non sanno che è la persona seconda della Ss. Trinità; e bisogna trarre in moneta questa parola *incarnossi* (res est magni momenti; et præstat ut istæ interrogationes identidem fiant vel ab ipso Episcopo, dum confirmationem administrat). Interrogo dappoi sul peccato, e in quante maniere si commetta e per quanti peccati mortali si va all' inferno; che si dee fare per ritornare in grazia di Dio dopo il peccato; quante cose sono necessarie per una buona Confessione, e che cosa sia dolore, proponimento, ecc.; che vanno a ricevere quando vanno a comunicarsi, e quali le disposizioni per comunicarsi bene. Infine vengo alla istruzione sul matrimonio.

« *Adesso volete ricevere il sacramento del Matrimonio; ditemi dunque che cosa è questo Sacramento? che grazia dà agli sposi? che cosa opera nell'anima vostra il sacramento del Matrimonio?*

« Pochi sanno rispondere; le figlie abbassano la testa: i giovani dicono che la dottrina una volta la sapean bene; qualche rarissima volta ne vidi alcuno sorridere con un po' di malizia, di cui si vuol guardar bene di dar sentore d' esserne

accorto... « Vorreste dunque andare a ricevere un Sacramento senza sapere che » andate a fare o a ricevere? Ve lo dirò io; state ben attento: il matrimonio non » è già una cosa di mondo, come molti pensano; tutt'altro; egli è una cosa santa, » santissima come il Battesimo, come la Cresima, ecc.; perchè è un vero Sacra- » mento, il quale si fa sentire nell'anima e opera nell'anima. Che fa il Battesimo? » lava l'anima dal peccato originale, dal peccato di Adamo nostro primo padre, » col quale siamo venuti al mondo. Che fa la Cresima? ci rende forti e coraggiosi » a schivar il male, fare il bene, cacciar via la tentazione. E l'Ordine che cosa » fa? fa i Preti, e comparte loro la grazia di essere buoni ministri del Signore. » Così il Matrimonio unisce gli sposi, lega uno coll'altro, sicchè non possano più » essere separati che dalla morte, e dà loro la grazia per adempier bene le ob- » bligazioni di questo stato.... Attento, che qui è il buono; dovete sapere che collo » sposarvi vi addossate sulle spalle gravi obbligazioni, che adesso non avete: » 1) vi addossate la obbligazione di volervi bene l'uno all'altro, e non pei soli » primi giorni, per qualche mese od anno, ma per sempre, per tutta la vita, da » giovani, da vecchi, da sani, da ammalati e nelle prosperità e nelle disgrazie. » 2) Vi addossate l'obbligazione di sopportarvi e compatirvi nei vostri difetti e » nelle vostre mancanze: finchè siete sposi non vedete nel vostro sposo che le buone » qualità: oh il bravo giovine, oh la brava giovane! sarete buonissimi, ma de' di- » fetti sortiranno fuori; abbiam tutti i nostri. Guai però se invece di compatirvi » a vicenda, vi direte parolacce! nasceranno torbidi, ire, discordie, e così perduta » una volta la buona armonia, il vostro matrimonio diverrà una vita d'inferno. » Dunque dovete compatirvi l'un l'altro, e vi compatirete, se vi rispetterete, se vi » amerete nel Signore: guardatevi bene dal pérdervi il rispetto una sol volta; è » vero che il marito è il superiore, ma la moglie non è una serva, ma è vero an- » che che dee stare sottomessa, come dice s. Paolo 3) Vi addossate l'obbligazione » di darvi buon esempio, di ajutarvi a salvarvi l'anima, di eccitarvi l'un l'altro » ad essere buoni cristiani, ad intervenire alla Chiesa, ecc., perchè il matrimonio, » lo ripeto, non è cosa di mondo; Iddio l'ha fatto Sacramento, perchè v'ajuti a » guadagnarvi il Paradiso. 4) Vi addossate l'obbligazione di starvi sempre uniti; » e intendiamoci bene, sposato che avrete quest'uomo... questa donna... di non » pensar più a nessun altro; a guardar nessun'altra, proprio come se per voi non » vi fosse al mondo altro uomo, altra donna; specialmente vi addossate l'obbliga- » zione gravissima di allevare nel timor di Dio i figliuoli, se Dio ve ne concederà, » e per insegnare ai figliuoli il timor di Dio, dovete prima averlo voi. — Capite » le grandi obbligazioni che vi prendete sulle spalle col Matrimonio? Ora siete » voi capaci di adempierle da per voi stessi? ne avete le forze? signori no, si- » gnori no.

» Ebbene, Iddio vi ha provveduto: ha fatto del matrimonio un Sacramento, e » per ciò quel giorno che voi andrete all'altare, se vi andate ben preparati, per » mezzo di questo gran Sacramento comincia a rendersi più santa e più bella l'a- » nima vostra, e nello stesso tempo vi dà un ajuto, un soccorso che vi accompa- » gnerà tutta la vita onde adempiere e soddisfare a queste obbligazioni. Ma per » riceverlo questo ajuto è indispensabile di essere ben disposti; il matrimonio è » Sacramento dei vivi, cioè per riceverlo bisogna essere in grazia di Dio, come » quando si va a fare la Ss. Comunione; altrimenti si commette un sacrilegio: se » aveste un peccato mortale sull'anima, il matrimonio è buono, voi avete fatto il » matrimonio, ma di benedizioni di Dio non ne piovono sopra di voi; anzi, Dio vi » maledirebbe. Dunque in questi giorni preparatevi a ricevere questo Sacramento » con molte opere buone, guardatevi da ogni peccato, da ogni famigliarità fra voi; » pregate e pregate molto; soprattutto fate una buona confessione per tempo, e » anche una buona confessione generale, se non l'aveste mai fatta, ecc. » Ecco un po' più un po' meno ciò che dico a' miei sposi; anche ai signori, secondo il bi- sogno e le circostanze, *demptis demendis;* con questo divario, che, invece d'in- terrogarli che cosa intendono pel sacramento del Matrimonio, uso di quest'altra

espressione: *instruiti come sono, sanno che il matrimonio non è una cosa di mondo*, ecc. Secondo la diversa qualità delle persone, si vuol variare l'istruzione od aggiungere; se la sposa va in casa dove vi sieno molti, raccomandare la carità, rispetto ai genitori del marito, se prende un vedovo con figli, dare avvisi del modo di regolarsi con questi, che è di amarli ed averli come suoi proprj; ai vedovi raccomandare di non lodar troppo la moglie o il marito defunti, e così via.»

Et cl. Frassinetti in suo Theologiæ moralis Compendio scribit: « Quando il Parroco abbia ragione di dubitare che gli sposi non abbiano sufficiente istruzione intorno alle verità della dottrina cristiana, deve interrogarli prima di congiungerl in matrimonio, e trovandoli ignoranti, competentemente istruirli. Questa obbligazione per altro assai di frequente potrebbe mettere in angustie il Parroco, mentre che specialmente nelle città, sarebbero omai pochi quelli che volessero assoggettarsi ad interrogazioni, che pensano doversi fare solo ai fanciulli.... Egli è perciò che bisogna osservare quale possa essere la stretta obbligazione a questo riguardo. Primieramente, se ben si osserva, troveremo che sono assai più rari di quello che si suppone gli ignoranti delle primarie verità della fede, incapaci di essere ammessi ai Sacramenti; in fatti non è poi vero che ignorino ciò che sembrano ignorare. Molti se s'interrogano sui misteri della fede colle domande consuete restano confusi e mutoli, di modo che si giudicherebbe che le ignorano completamente; ma interrogati per altra via rispondono in modo da persuaderci che sostanzialmente li sanno. Interrogati che cosa voglia dire *Unità e Trinità di Dio, Incarnazione, Passione e Morte di G. C.* non daranno adequate risposte. Se invece domanderemo: *Vi sono molti Signori Iddii, oppure un solo?* risponderanno *un solo.* — Così: *Sono i cristiani o i turchi, che adorano la Ss. Trinità, Padre, Figliuolo e Spirito Santo?* risponderanno: *I cristiani.* — Così: *Il Bambino Salvator del mondo è nato da Maria Vergine o da s. Elisabetta?* risponderanno: *Da M. V.* — Così: *Cristo è morto in croce o in altro modo?* risponderanno: *In croce.* Dal che dovremo conoscere che non ignorano la sostanza dei misterj primari della fede. E certo sarebbe ben difficile trovare un cristiano cui fosse ignota la *Unità di Dio;* e ciò se altro non fosse, per la ragione di non aver mai sentito parlare di Dio in plurale. — Lo stesso è a dire *della Trinità,* dopo averla sentita nominare mille volte ed essergli stato insegnato a fare il segno della croce, ecc. — È a dire altrettanto del mistero dell'*Incarnazione, Passione e Morte di N. S. G. C.* Vede il cristiano infinite volte l'immagine di Maria col s. Bambino, lo vede nato nel presepio, venerato dai pastori, adorato da' magi, ecc.; innumerevoli volte lo vede rappresentarsi flagellato alla colonna, coronato di spine, confitto in croce, morto, sepolto, risorto, ecc. Non è quindi possibile che non intenda ch' Egli è nato dalla Vergine benedetta, ch' Egli patì e morì per nostro amore, che risorse, ecc. Bisogna che ci persuadiamo, che il culto esterno della nostra Ss. Religione e specialmente le solennità della Chiesa, sono di per sè di grande istruzione al popolo.

» Bisogna pertanto osservare che la Chiesa non prescrive soltanto ciò che è di assoluta necessità pel valido ricevimento de' Sacramenti; ma anche ciò che è di debita convenienza...; e però esige giustamente che, quando possi supporre che gli sposi manchino in questa maggiore istruzione, sieno interrogati prima di essere ammessi alla celebrazione del Matrimonio; e tanto più lo esige, giustamente considerando che avendo prole, dovranno istruirla nelle verità della fede... Ma una cosa che la Chiesa esige per una convenienza anche gravissima, quando non possa ottenersi e nè anco domandarsi senza provocare affronti ed ingiurie, si potrà omettere.... Laonde pare che non sarebbe da condannare il Parroco il quale: — 1) Esentuasse dalle suddette interrogazioni tutti gli sposi che prudentemente giudica a sufficienza istruiti — 2) Che con buon garbo proponesse alcune interrogazioni a quelli della cui istruzione potesse dubitare e conoscesse pronti a subir quell'esame — 3) Che finalmente omettesse di farle a coloro che prevedesse riottosi e ripugnanti così da non dovere sperare alcun bene dal suo tentativo, e anzi da dover aspettarsene risposte dispettose e irriverenti. » Hoc tamen ultimum cum grano salis accipiendum

est, ait cl. Scavini, l. IV, n. 538; si enim omnes quæ prima fronte opponuntur difficultates, essent attendendæ, in pluribus actum esset de ministerio nostro. Putamus satis bene in hac re posse obtineri etiam a repugnantibus et difficillimis, si industrie et prudenter in Domino omnia fiant, prout supra dictum est; etiam paterne arguendo, si forte resipiscant. *Hic etiam notamus quod ignorantia in rebus fidei major est quam ut creditur, si expertis credere est.*

Miror quod adnotator Frassinetti id negare audeat, cum hodie omnibus nota sint et generalis morum dissolutio, et tantus populorum neglectus quoad Verbi Dei auditionem et lugenda scholarum directio, ubi de religione vel nihil vel nonnisi male. Clariss. Episcopus Berengo *lubentissime subscribit in hac re cl. Scavinio* in suo Enchiridion parochorum: qui insuper addit: *Neminem fugiat, industri et comi conversatione posse parochum absque ulla interrogatione summatim exponere quæ ad rem videntur necessaria, illaque ad modum parænesis potiusquam instructionis inculcare.*

« *Ma se essi ricusassero assolutamente di subire un tale interrogatorio dicendo che non sono più ragazzi da catechismo, che essi conoscono abbastanza le cose da sapersi per celebrare a dovere questo Sacramento?* Tu non devi insistere davvantaggio nè fare di questo esame un impedimento assoluto del matrimonio; massime in questi tempi difficili, in cui vi è pericolo che i contraenti stiano paghi al solo matrimonio civile; ma li congiungi medesimamente, abbastanza tranquillo in coscienza di aver adempito al tuo dovere coll'averne fatta la proposta, ed avere instato che essi obbedissero anche a questa prescrizione della Chiesa. » Tarino, *Il libro del buon Pastore* (v. supra n. 1022).

Sponsorum visitationes ad invicem. Clarissimus ac peritissimus Berardi qui salebrosam hanc quæstionem evolvit in sua plenitudine tota, has tradit regulas, ratione et auctoritate firmando.

Regula 1ª. *Visitationes ex vana aut valde incerta remotissimi matrimonii spe (quamvis juvenes adhuc non peccaverint) tanquam illicitæ habendæ sunt. Unde confessarius illas per quantum potest impedire debet, et quidem statim ab initio.*

Regula 2ª. *Visitationes cum fundata matrimonii spe et antequam sponsalia coram parentibus celebrentur, si in loco licitæ existimantur et peccatum minime adsit, permitti possunt; nemo enim tenetur ducere personam sibi ignotam quoad mores, indolem, etc. Moderatio tamen et cautelæ exigi debent, ut nempe fiant in præsentia parentum, neque in nimia distantia a matrimonio. S. Alphonsus qui rigidior apparet, loquitur de visitationibus post inita jam sponsalia.*

Regula 3ª. *Visitationes, quæ moderationis limites prætergrediuntur, quamvis in se tanquam illicitæ haberi debeant, etsi non adsit peccatum, ob periculum illius, interdum propter specialem aliquam circumstantiam seu necessitatem, tolerabiles, aut etiam (secundum quid) licite evadere possunt, ut si renuendo puella aliam non speret propitiam invenire nubendi occasionem. Sed confessarius eam remediis opportunis præmunire debet; nec ei permittere ut sola cum solo immoretur.*

Regula 4ª. *Si peccatis subsistentibus, adsit vel creverit necessitas matrimonium contrahendi; aut si alia nubendi occasio quæ a simili peccandi periculo sit immunis, expectari nequeat, tunc confessarius ab eo matrimonio pœnitentem non deterrebit, bene vero curabit ut illud citius concludatur, atque ut interea majores cautelæ adhibeantur. Quoad visitationes autem distinguere debebit inter casum occultum et casum publicum. Si peccata adamantium occulta remanserint, tunc curabit quidem ut visitationes minuantur, sed in substantia eas vetare non poterit. Si vero peccata, v. g. propter prægnationem, publica evaserint; tunc ordinarie visitationes ipsas totaliter aut saltem quasi totaliter interdicere debebit.* Hac in re magna prudentia opus est: nam si adamantes adhuc se visitent sibi ipsis proximum peccandi periculum creant, et fidelibus scandalum; si amplius se non visitent, periculum est ne se alienent et matrimonium non celebretur. Igitur si visitatio aliquando forsan permitti valeat, maximæ sunt cautelæ adhibendæ, et

imprimis, ut puella matrem et in defectu sororem, aut morigeram personam roget ut, amasio præsente, nunquam discedat. Hæc si sponsalia inita non sint.

Regula 5ª. *Post inita sponsalia et omnia inter familias sponsi et sponsæ composita, major moderatio majoresque cautelæ exigi debent in visitationibus; tunc enim ex una parte non amplius necesse est ut indoles, mores, etc. explorentur; ex alia periculum peccandi augetur, cum sponsus respiciat sponsam uti suam, et imaginatio copulæ conjugalis proxime secuturæ libidinem commoveat.*

Regula 6ª. *Quamvis post sponsalia major moderatio exigenda sit, nihilominus illæ visitationes illaque amoris signa quæ tunc etiam rationabilia sunt, et judicio timoratorum irreprehensibilia existimantur, revera tanquam licita existimari debent. Si tamen occasio proxima jam subsisteret, tunc confessarius per quantum prudenter poterit, procurare deberet, ut visitationes aliaque amoris signa ultra limites strictæ necessitatis minime protendantur* (De occasionariis, Ed. 2ª). Vide tamen supra notata n. 938, ubi majores adhuc cautelæ suadentur.

APPENDIX IX.

1075. *Instructio S. Pœnitentiariæ circa contractum quem vulgo* civile matrimonium *appellant;* 15 *januarii* 1866.

1. « Quamvis hoc sacrum Tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus, summi Pontificis jussu, dederit; attamen ut postulationibus quæ in dies augentur, satisfiat, mandavit s. Pater ut per hoc Tribunal ad omnes locorum Ordinarios, ubi infausta hæc lex promulgata fuit, instructio mitteretur, quæ normæ cujusdam loco cuique eorum inserviret, ut et fideles dirigant et ad morum puritatem sanctitatemque matrimonii christiani sartam, tectam servandam uno animo procedant.

2. » At vero in exequendis s. Patris mandatis hæc S. Pœnitentiaria superfluum putat in memoriam cujusque revocare quod est ss. Religionis nostræ notissimum dogma, nimirum matrimonium unum esse ex septem Sacramentis a Christo Domino institutis, proindeque ad Ecclesiam ipsam cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere. Tum etiam superfluum putat in cujusque memoriam revocare formam a S. Tridentina Synodo præscriptam *(sess.* XXIV, c. 1 *de Ref. matrim.)*, sine cujus observantia in locis ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset.

3. » Sed ex hisce aliisque axiomatibus et catholicis doctrinis debent animarum pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam fidelibus id persuadeant quod Ss. Dominus Noster in Concistorio secreto die 27 sept. anno 1852 proclamabat, id est: *Inter fideles Matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit Sacramentum; atque iccirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, præter Sacramentum conjunctionem etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum.*

4. » Atque hinc facile deducere poterunt, civilem actum coram Deo ejusque Ecclesia nedum ut Sacramentum, verum nec ut contractum haberi ullo modo posse. Et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapacem esse. Ideoque, sicut hæc S. Pœnitentiaria jam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione conjugum legitimo matrimonio coram Ecclesia conjunctorum, a laica potestate latam, nullius valoris esse; et conjugem qui ejusmodi sententia abutens, alii se personæ conjungere auderet, fore verum adulterum. Quemadmodum esset verus concubinarius qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere præsumeret; atque utrumque absolutione indignum esse donec haud resipiscat, ac præscriptionibus Ecclesiæ se subjiciens ad pœnitentiam convertatur.

5. » Quamvis autem verum fidelium matrimonium tunc solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram Parocho et testibus juxta citatam S. Concilii Tridentini formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur; attamen ad vexationes pœnasque vitandas et ob prolis bonum, quæ alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiæ periculum avertendum, opportunus et expediens videtur, ut iidem fideles postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum executuri, ea tamen intentione (ut Benedictus XIV docet in Brevi diei 17 sept. anni 1746 *Redditæ sunt Nobis)* sistendo se gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem cæremoniam exequantur.

6. » Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustæ legis executioni cooperentur, Parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi conjuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere. Atque hic facilis ne sit ad annuendum; sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat.

7. » Quod si opportunum est ac expedit ut fideles sistentes se ad actum civilem paragendum se probent legitimos conjuges coram lege; hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si quæ coactio aut absoluta necessitas, quæ facile admittenda non est, ejusmodi ordini invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant. Hac super re unumquemque hortatur S. Pœnitentiaria, ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV expositam in Brevi cujus supra mentio facta est, ad quod tum Pius VI in suo Brevi ad Galliæ Episcopos *Laudabilem majorum suorum* dato die 20 sept. 1791, tum Pius VII in suis Literis datis die 11 junii 1808 ad Episcopos Piceni, eosdem Episcopos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularunt quibus in simili civilis actus contingentia fideles dirigerent. — Post hæc omnia facile est videre praxim hactenus observatam circa matrimonium, et speciatim circa *paræciales libros, sponsalia* et *matrimonii impedimenta* ab Ecclesia sive constituta sive admissa nullo modo variari. » (V. *Acta S. Sedis,* t. I, pag. 508; et supra n. 1028.)

APPENDIX X.

Catalogus Auctorum qui magis prædicantur in re morali.

1076. A) **Auctores qui in dubio stant plus minusve pro sententia favente legi.**

Alasia claritate, ordine, stylo et rerum copia præstantissimus. — *Antoine* Gabriel e Societate Jesu (inter rigidos auctores ex s. Alphonso *Op. Mor.*, l. VI, n. 505, non infimum habet locum). Multa paucis sapienter complectitur; † 1743. — *Armilla aurea* Bartolomæi *Fumi*; † 1567. — *Ægidius,* romanus: *doctor fundatissimus;* archiep.; † 1316.

Baccari ex Congregatione s. Vincentii. — *Bailly* Ludovicus; ejus *Theologia dogmatica et moralis ad usum seminariorum* prohibita fuit *donec corrigatur,* 7 dec. 1852; † 1669. — *Ballerini* Petrus et Hieronymus, veronenses, scientia clari; primus † 1764; alter † circa 1767. — *Berti* † 1766. — *Bertrand,* aquitanus, *doctor famosus;* episcopus et cardinalis; † 1534. — *Billuart*, belga, ordinis Prædicatorum (perspicuitate, soliditate et eruditione merito prædicatur; probabiliorista admodum moderatus); † 1757. — *Blancus.*

Cabassutius, prudentia insignis; † 1685. — *Cajetanus*, Thomas De-Vio, ex Cajeta oriundus, et inde dictus Caetanus, dominicanus; cardinalis, scientia et ingenio perclarus, etiam latina elegantia; † 1534. — *Camargo* e S. J.; † 1702. — *Carrière*, Congregationis s. Sulpitii; rerum copia ac perspicuitate commendandus; † 1864. — *Collet*, ex Congreg. Missionariorum; perdoctus, sed ex rigidioribus non ultimus; † 1770. — *Comitolus* e S. J., styli elegantia perspicuus; † 1626. — *Concina* Daniel, dominicanus; doctus, disertus, sed perrigidus; † 1756. — *Collationes Andegavenses* (d'Angers); illustratæ a card. Gousset. — *Contensonius*, gallus, dominicanus; commendatur etiam Verbi Divini præconibus; rigidissimus; † 1674. — *Continuator Tournely* (Collet supralaudatus). — *Cuniliati*, ordinis s. Dominici, concinnitate præstat, sed rigidior; † 1759.

Dens, doctus et pius Mechlinensis professor. — *De-Prado*, Joannes Martinez; hispanus, dominicanus; † 1668. — *Dettori*; (ingenii acritate, styli elegantia et erutione celebratus).

Elizalde, hispanus e S. J. scripsit sub nomine *Celladeus*, circa annum 1690. — *Esclapetius*. — *Estius* ex Hollandia, *doctor fundatissimus* a Benedicto XIV nuncupatus; † 1613.

Fagnanus, romanus; peritus jurisconsultus et secretarius S. Congregationis Concilii; probabilioristarum facile princeps; † 1678. — *Franzoja* (vel ipso Concina aliquando rigidior). — *Fromageau*; † 1705. — *Furnus*.

Genettus, episcopus; † 1702. — *Gonetus*, dominicanus, clarus pietate et scientia; † 1681. — *Gonzales Thyrsus* (præpositus generalis Societatis Jesu), hispanus; † 1705. — *Gotti*, italus, dominicanus, scientia illustris; cardinalis; † 1742.

Habert, episcopus, rigidissimus, Doctor Sorbonicus. Qui non dubitavit (ut notat Liguori) erroneam tunc ac falsam opinionem (hodie post definitionem Vaticani Generalis Concilii *hæreticam*) asserere, Papam ex cathedra loquentem tam in materia fidei quam morum errare posse; † 1717. — *Hennus*, monachus, moribus et luciditate commendandus; sæculo XVII. — *Huygens*, doctor lovaniensis et Quesnelli familiaris; † 1702.

Jueninius ejus *Institutiones Theologicæ ad usum seminariorum* relatæ sunt in Indicem librorum prohibitorum 25 sept. 1708, *donec corrigantur*; † 1713. — *Institutiones Theologiæ moralis* in usum Clericorum seminarii Mediolanensis Diœcesis; 1851; perdocti professoris Vegezzi.

Le-Drou, Petrus Lambertus; † 1708. — *Le-Tombeur*. — *Liebermann*, in Diœcesi Argentinensi professor. — *Luraschi*, Novocomensis professor; brevis quam par est.

Mauro, qui pro nupero confessario praxim confitendi edidit nuperrime Rituale Romanum erudite commentando. — *Michael De-Elizalde*. — *Merbesius*, gallus; † 1684. — *Mercorus*, dominicanus, cremonensis; † 1658. — *Merenda*, italus; † 1657. — *Montazet*, episcopus lugdunensis; ejus Theologia est prohibita decreto 17 dec. 1792.

Natalis Alexander; † 1724; eruditionis copia celebratur. — *Neessen*, belga; pietate et scientia clarus; † 1679.

Pacificus (beatus) e Ceredano, Novariensis, ordinis Franciscani; sanctitate insignis; *patrium solatium præsidiumque* eum appellat Venerabilis episcopus Bascapè in sua *Novaria sacra*. Illius opus est *summa pacifica*; † 1482. — *Panormitanus*, etiam *Abbas* De-Tudeschis, siculus, archiep.; † 1445. — *Parato*, in Taurinensi Athæneo perdoctus professor. — *Patutius* Vincentius, dominicanus; Venetiis docuit (ex rigidioribus qui plus æquo calamum exacuit contra s. Alphonsum); † 1769. — *Petra*, cardinalis, scientia commendatur; † 1747. — *Petrocorensis*, theologus anonimus, qui Moralem edidit pro usu seminarii Petrocoricensis (*Périgueux*). — *Piselli*. — *Pontas* Joannes; eruditus; † 1728. — *Pramaggiore*, italus; consiliis commendatur; † 1863.

Rebellus, natione hispanus, e S. J.; † 1698. — *Ricci*, † 1624. — *Rulfus*, Montis-Regalensis (ejus manuscripta extant in Bibliotheca seminarii novariensis in plurimos tomos distributa); rerum copia, ordine ac claritate commendandus.

Sœttler, probabiliorista moderatus; nitidus et concinnatus; ejus Theologiam illustravit Rousselot Theologiæ moralis professor in seminario grationopolitano. — *Sainte-Beuve*, doctor sorbonicus. — *Scarpazza,* dominicanus, cremonensis; casuista; † 1794. — *Schram*, benedictinus; pius et doctus. — *Sinnichius;* hibernus, doctor lovaniensis et Jansenii fautor; est auctor propositionis damnatæ quæ ajebat non esse licitum inter opiniones probabiles sequi probabilissimam; † 1666. — *Sylvester,* pedemontanus; primus calamum in Lutherum cœpit acuere; in jure versatus; † 1523. — *Speroni* (theorico-practicus). — *Staidel.* — *Stuardi;* Commentaria clarissimi Alasia contraxit, nonnihil addendo. Quod opus cum notis de novo præteritis annis edendum curaverat cl. archiepisc. Gastaldi recens rigidioris opinionis sectator. Verum hodie sub ejus auspiciis vel eo auctore in lucem venit nova hujusce Operis editio, in qua plures habentur adnotationes in fine cujuslibet Dissertationis ad modum Theologiæ moralis præclarissimi Scavini; imo ad ejus mentem, imo multoties per integras paginas ad literam transcriptas, quin de hoc mentio fiat in volumine hactenus edito *de Sacramentis.*

Taberna; belga e S. J.; † 1700. — *Tournely,* facilis eloquio; merito laudatus; Bullæ *Unigenitus* acerrimus defensor; † 1729. Ejus dogmaticam Theologiam multi faciebat s. Alphonsus.

Vatolus. — *Vernier*, gallus, in practicis doctrinis versatus; † 1834. — *Wigand,* germanus, dominicanus; sæc. XVI. — *Wendrochius,* jansenianus et rigidissimus; sæc. XVII. Prohibitus.

1077. B) **Auctores qui in dubio stant plus minusve pro libertate.**

Abelly, episcopus doctissimus et familiaris s. Vincentii e Paula; quemque suis commendabat s. Alphonsus; † 1691. — *Adrianus VI Papa,* belga; scripsit varias epistolas in *quatuor Sententiarum;* † 1523. — *Aichner;* accurate catholicam doctrinam edocet. — *Albertus Magnus,* dominicanus, natione suevus; episcopus sapientia singularis; † 1282. — *Alvarez,* hispanus, archiepiscopus; vir celeberrimus, dominicanus; † 1635. — *Abreu,* lusitanus (parochos maxime docet). — *Amicus;* † 1651. — *Amort,* bavarus; vir doctrina perspicuus, qui suam dogmaticam ac moralem theologiam non edidit nisi prius a Benedicto XIV recognitam; † 1775. — *Anacletus Reinfestuel,* bavarus, ordinis Minorum, eruditus; floruit sæc. XVII. — *Andreucci*, quem multi habet Benedictus XIV. — *Beatus Angelus de Clavasio;* auctor Summæ Angelicæ; † 1495. — *Anglius*, hispanus, episcopus, valde commendatur; † 1580. — *Anguirre,* cardinalis. — *S. Antoninus,* archiep.; *Angelus consiliorum;* † 1459. — *Aravius* vel *Arauxus*, dominicanus, archiepisc., docuit per 20 annos Salmanticæ theologiam; † 1664 in odore sanctitatis. — *Arsdek,* hibernus; † 1683. — *Aversa*, italus, minorita; sæc. XVII. — *Azorius*, e S. J., clarus ingenio, qui valde celebratur a Bossueto; † 1607.

Bannez, dominicanus, per annos triginta Theologiam docuit, a confessionibus s. Theresiæ, pietate et scientia eminet; † 1604. — *Barbosa* Augustinus, lusitanus (episc.) jurisperitus; † 1649. — *Barbosa* Petrus, lusitanus; † 1638. — *Bardus* Franciscus, siculus; † 1661. — *Bassœus* Eligius , capucinus; † 1650. — *Beatus Gabriel;* e S. J.; 1663. — *Becanus,* belga; e S. J., *Malleus Calvinistarum* nuncupatus; doctus et pius; docuit Herbipoli per 22 annos; † 1624. — *Berengo*, qui nuper Venetiis edidit *Enchiridion parochorum,* opus sane momentosum, in quo paucis multa perspicue et erudite ad illorum directionem tradit; nunc merito renuntiatus episcopus. — *Bersani*, episcopus: plures conscientiæ casus scite resolvit in sua perutili Ephemeride: *Il buon Pastore* Laude-Pompeja ed. — *Berardi*, qui in administrando Pœnitentiæ sacramento facilem pandit viam in Opere *De recidivis* et *occasionariis.* — *Bertagna,* taurinensis, moralium disciplinarum sapiens illustrator. — *Berteaut* Bartolus; † 1637. — *Blanchis*, venetus, dominicanus; † 1624. — *Bissus,* valde doctus (nomine academiæ Cassinensis scripsit contra Thyrsum Gonzales); † 1716. — *Bolgeni,* borgomensis, vir scientia et eruditione clarus; † 1811.

— *Bonacina,* mediolanensis, episcopus; rerum copia, eruditione et doctrinæ nitiditate inter summos; † 1631. — *S. Bonaventura,* card. episc., subtilis ingenio et clarus eloquio, *Doctor seraphicus* nuncupatus; † 1274. — *Bordonus,* ordinis s. Francisci. — *Bosco,* franciscanus; † 1666. — *Bossius,* barnabita; floruit sæculo XVII. — *Bouvier,* gallus, episcopus, pietate et doctrina clarus; Romæ decessit 1855, quo venerat occasione proclamationis Dogmatis de Immaculata B. M. Virginis Conceptione. — *Busembaum,* concinnitate admirandus, doctrina illustris; † 1668 (illlus methodum secutus est s. Alphonsus; a Croix, Zacharia et Franzoja commentariis donatus).

Candidus, siculus, ordinis Prædicatorum; scientia et meritis clarus; † 1653. — *Cardenas,* hispanus; † 1700. — *Carramuel,* episcopus viglebanensis; nonnullas propositiones damnatas expunxit in nova Edit. suæ *Theol. fundamentalis.* — *Cassinenses* (monaci Montis-Cassini); docti illi s. Benedicti filii nostro ævo, summo studio novam editionem *Bibliothecæ* Lucii Ferraris, emendatam et auctam publicarunt: qui Scavinianam *de Conscientia* disputationem contractam, iisdem ferme verbis reddiderunt, sub Litera *Opinio probabilis;* additiones Cassinenses. — *Caspensis,* franciscanus; † 1635. — *Catalani* Petrus; † 1728. — *Castelvetere* (Bernardus a); doctus. — *Charmes,* capucinus; doctus. — *Coninkius,* belga, omni politiori literatura ornatus, et magni Lessii non impar discipulus; auctor prudens ex Benedicto XIV; † 1763. — *Cornejus,* italus, floruit sæculo XV. — *Corradus* Pyrrus; canonicus neapolitanus; ejus *Praxis dispensationum* maxime commendatur; floruit sæc. XVII. — *Covarruvias,* episcopus; clarus; † 1577. — *Croix,* belga, e S. J. doctus et practicis rebus versatus (quem Benedictus XIV laudibus cumulavit); † 1714.

D'Annibale, auctor operis *Summula Theologiæ moralis,* Reati edita (eruditione et doctrina, non minus quam ingenii subtilitate celeberrimus). — *Dearriaga,* hispanus; † 1667. — *Delama,* a quo nuper *Tractatus de justitia et jure ad usum Seminarii Tridentini concinnatus est,* mira claritate. — *Delbene,* italus; librum edidit *De immunitate Ecclesiæ,* plurima doctrina; floruit sæc. XVII. — *De Lugo* Joannes, hispanus, cardinalis doctissimus: « qui post s. Thomam (ait s. Alphonsus, *Theol. mor.,* l. III, n. 552) non temere inter alios Theologos facile princeps dici potest; nam in dubiis discutiendis hic auctor sæpe, nullo præeunte, falcem ita ad radicem ponit, ut rationes quas ipse in medium adducit, difficulter solvi queant. » † 1660. — *De Lugo* Franciscus frater supradicti, Theologiæ professor, qui cum odore sanctitatis 1652 vitam finivit: quæ supersunt Opera ex naufragio magni æstimantur. — *De Varceno.* Compendium edidit ex Scavini, Gury et Charmes excerptum; rite, sed rerum dicendarum quæstionumque series nimis minute dividit. — *Diana,* siculus; eruditione insignis: aliquando benignior; sed a nota laxitatis vindicavit Zacharia; † 1663. — *Dicastillus,* pius et doctus; † 1653. — *Duarte,* hispanus; † 1601. — *Du Hamel,* professor parisiensis; † 1706. — *Duval,* Richerii infensus hostis; amicus et dux s. Vincentii; † 1638.

Elbel, germanus, minorita; sana nitidaque doctrina præstat; floruit sæc. XVIII. — *Escobarius,* hispanus, zelo et doctrina fulget; † 1669. — *Esparsa,* hispanus; † 1666. — *Eula* Stanislaus, novariensis episcopus, qui adhuc Monteregali collationum Theolog. director accurate, erudite et facili calamo scripsit resolutionem *Casuum de re dogmatica, morali et liturgica,* ab universo Clero merito summis laudibus cumulatam, et a Pontifice Papa Pio IX benegnissime exceptam.

Fagundez, hispanus, doctus et pius; † 1645. — *Farinaceus,* romanus jurisconsultus; habet Rotæ romanæ decisiones; † 1618. — *Fenek,* Romæ parochus. — *Faure* (ejus doctrinam multi faciebat Pius VI). — *Ferrari,* genuensis, a quo nuper edita sunt mira eruditione et perspicuitate tum *Summa Institutionum canonicarum,* tum *Theorica et Praxis regiminis diœcesani, præsertim Sede vacante.* — *Ferrarius* Lucius, patria Solero prope Alexandriam in Pedemontio; eruditione et doctrina eminens; ordinis Minorum; coætaneus Benedicti XIV, qui doctissimum auctorem doctissimus suis in Operibus non raro citat. — *Fragosa,* lusitanus; † 1639.

— *Fumarolinus*, italus; floruit sæc. XVIII: scripsit *De dolore ad sacramentum Pœnitentiæ requisito; Clericus contra minium riparum munitus.* — *Fillucius*, patria senensis; † 1622. — *Frassinetti*; † 1808. Non minus facilis doctrina quam eloquio: parochus genuensis. Plura edidit opuscula ad pietatem fovendam, spectatæ virtutis saperdos. Item *Manuale pratico del Parroco novello*, pluries edidit. Item *Compendio della Teologia morale*: consulenda tamen est tertia editio et subsequentes, cum nonnulla expunta fuerunt censura digna. Plurima ad praxim sapienter tradit, et optima consilia suggerit cl. Auctor; at pro Theologiæ moralis tyronibus non sufficienter ad illam totam et rite addiscendam; tum quia nimium non solum breviati, sed etiam aliquoties benignitati plus æquo indulget (cui studiosi jam satis proni sunt), præsertim ubi de recidivis; tum quia agendo de distinctione numerica et specifica peccatorum et nonnullis aliis satis momentosis quæstionibus novas contendit ponere regulas alienas a theologorum schola, et ab ipso d. Thoma: quod quidem in re morali injucundum venit, et incertitudinem ac confusionem parit (v. *Litera pastoralis ad Clerum* 31 dec. 1873 cl. episcopi Calatanisiensis: Berardi, *De recidivis et consuetudinariis* Ed. 1ª; Scavini, l. 1, n. 144).

Gallego, hispanus, dominicanus; † 1661. — *Garcias*, canonicus hispanus; scripsit summa laude *de Beneficiis* et *de dispensationibus*; sæculo XVII floruit. — *Gallus*, missionarius, qui pro missionariis opus practicum et pereruditum totidem casibus continuavit. — *Gamacharus*, turonensis; scientia, eruditione laudatur; † 1625. — *Gamot*, natione gallus; plura egregie dictavit circa morum doctrinam. — *Gaualdus*, franciscanus, pietate et doctrina egregius; sæc. XVI. — *Ghelardi*, concinne, sed satis et erudite nonnullos insectatur errores, et veritates catholicas edocet. — *Gibertus*, gallus; † 1756. — *Gioria*. Opus absolutissimum *De dispensationibus* evulgavit cl. episcopus; 1879. — *Gobat*, satis benignus; † 1679. — *Gordianus*, confessarius Ludovici XIII Galliarum regis; † 1641. — *Gomez*, hispanus; † 1545. — *Gousset* (cardin. archiepisc.) ingenio maximus, doctrina purissimus, operibus plenus; † 1867. — *Graffius*, natione italus. Theologus celeberrimus; floruit sæculo XVI (abbas Cassinensis). — *Granadus*, hispanus; † 1632. — *Graziana* Dominicus, dominicanus; † 1643. — *Grossi*, canonicus pœnitentiarius cathedralis Æsinæ, qui Theologiam moralem elaboravit juxta doctrinam sancti Alphonsi; claritate laudandus. — *Gury*, e S. J., brevis, sed lucidus; plurimos etiam festive resolvit casus conscientiæ; † 1866; illius Theologiæ Compendium a P. Ballerini S. J. Romæ professore pluribus adnotationibus est completatum; itemque illud exornarunt tum Dumas tum Cretoni. At cl. professor Ballerini non pauca circa doctrinam s. Alphonsi (etsi profiteatur se illam plurimi facere atque sectari) animadvertit. Sed impugnationes impugnarunt tum Promotor causæ pro concessione tituli *Doctoris* in honorem s. Alphonsi, tum Vindiciæ Alphonsiano iterum editæ. — *Gutierez*, hispanus, jurisconsultus; † 1596.

Harpertus, hibernus, dominicanus; Theologiam docuit Mediolani, Neapoli et Romæ sæc. XVII. — *Haunino*, flandrus, franciscanus; † 1650. — *Henriquez*, lusitanus, celebrem Suarez discipulum habuit; † 1608. — *Henrix*, belga; † 1608. — *Holzmann*, germanus, sæc. XVIII. — *Humbertus*, præpositus generalis Ordinis s. Dominici; † 1277. — *Hurtado* Gasparus, hispanus; † 1646.

Ildephonsus, dominicanus; hispanus; Opus suum edidit de præcepto sui Capituli; † 1699. — *Joannes a s. Thoma*, lusitanus, dominicanus; † 1664. — *Joseph a s. Joanne*; floruit sæculo XVII. — *Isambertus*, gallus; per multos annos cum laude Theologiam docuit; † 1642. — *Innocentius*; eruditus. — *Jeremia* P. Franciscus, qui sententiam suam methodo mathematica demonstrare aggressus est.

Kenrick, archiepisc. baltimorensis, eruditissimus ac spectatæ pietatis vir, qui pro suis dogmatica ac moralem Theologiam edidit; † 1863.

Lepsum, germanus e S. J., plurimi habendus ob rationum momenta ac doctrinæ perspicuitatem; imo ex Muzzarelli *doctissimus Theologus multi fere secundus*; † 1861. — *Lanfranconi* Nicolaus, polonus; sapientiæ et virtute clarissimus; † 1652. — *Leo* Andreas, dominicanus; sæc. XVII. — *Leandro*, hispanus; † 1679. — *Le-*

desma Bartholomæus, episcopus americanus, pereruditus; ÷ 1[illegible]4. — *Le[illegible]* Petrus, hispanus, dominicanus; ÷ 1616. — *Lessius*, belga; Theologus insignis tum pietate tum doctrina, quam per viginti annos Lovanii docuit; et a d. Salesio magnopere laudatus; s. Alphonsus eum inter classicos doctores enumerat; ÷ 1[illegible]. — *Lezana*, carmelita; Urbanus VIII, Innocentius X, et Alexander VII eum magni faciebant; ÷ 1659. — *Liberius a Jesu* ordinis Carmelitarum, cui patria Belliathacum in agro Novariensi; nomine a baptismate *Stephanus de Millis*. Per triginta octo annos scholasticam Theologiam Romæ docuit; Congregationis fidei propagandæ præfectus. Primo edidit *Controversias dogmaticas adversus hæreses orbisque orbis*, t. I; sed prohibitum librum 11 martii 1704, reformavit; et postea undecim volumina scripsit *Controversiarum scholastico polemico-historico-criticarum*; tanta erat ejus celebritas, ut *Liberium nominasse magna panegyris esset*: ÷ 1719. — *Lopez*, hispanus, dominicanus; ÷ 1596. — *Lott*, dominicanus; ÷ 1673. — *Lupus* Christianus, natione germanus, Lovaniæ professor, quem multi æstimaverat Clemens IX; ÷ 1681. — *Lyonnet*, doctus. — *Leroi* (De) Cisterciensis; ÷ 1612. — *Lungus*, italus, capucinus; floruit sæculo XVII.

Macadus, lusitanus; ÷ 1658. — *Mach*; permulta ad praxim hodiernam maxime quoad liturgiam ac pastoralem Theologiam scite edocet in suo *Thesauro sacerdotis*. — *Malderus*, belga, episc.; ÷ 1633. — *Mannhart*, qui maxima cum laude scientias professus est; ÷ 1773. — *Marchantius* Jacobus; ÷ 1630. — *Malattus*, doctor Sorbonicus; ÷ 1628. — *Mastrius*, italus; ÷ 1669. — *Martinez*, dominicanus; ÷ 1668. — *Mazzotta*, solida et perspicua eminet doctrina; ÷ 1748. — *Medina* Bartholomæus, dominicanus, hispanus, doctissimus: qui primus doctrinam de opinionibus probabilibus in systhema redegit; ÷ 1581. — *Medina* Joannes; ÷ 1546. — *Moya*, hispanus, per viginti annos Theologiam docuit; ÷ 1686. — *Molina*; pondere rationum et doctrinæ soliditate celebris; per viginti annos Theologiam docuit; ÷ 1600. — *Montesinos*, hispanus; ÷ 1621. — *Mosi*, qui summatim et accurate exhibet morum doctrinam in suo *Quantum satis ad Confessarios Opusculum*.

Navarrus Martinus a Benedicto XIV laudatus; excelluit inter antiquiores maxime causistas; ÷ 1586. — *Naldus*, italus, clericus Regularis; ÷ 1660. — *Neuser*, gallus; ÷ 1680. — *Nider*; dominicanus, claruit styli elegantia sæc. XV. — *Ninzotti*, nuper Theologiam moralem s. Alphonsi ordine logico digestam ita summatim exponit, ut jugiter sententiam s. Doctoris fidelissime tradat. — *Nuynus*; dominicanus; sæc. XVII.

Palaus (etiam *Castro-Palaus*); eruditus ac copiosus; scholasticam Salamanticæ magna eruditionis fama docuit; ÷ 1633. — *Pallavicini*, e S. J.; cardinalis insigniter clarus; ÷ 1667. — *Paludanus*, dominicanus; illustrior defensor doctrinæ s. Thomæ; ÷ 1333. — *Pelbartus*, franciscanus. — *Perez*, hispanus; *doctor mirabilis*; ÷ 1649. — *Pavone* (de Congreg. Ss. Redemptoris), dignus s. Alphonsi alumnus. — *Perrone* Joannes, e S. J., quem nominasse laudare est; ÷ 1876. — *Pichler*, germanus, scientia insignis; ÷ 1736. — *Pontius* Basilius, gravis theologus ex Benedicto XIV; ÷ 1629, 1645. — *Potestas* Felix, siculus; ÷ 1702. — *Posseuinus*, mantuanus, notis omnibus clarus; ÷ 1611. — *Prado*, hispanus, franciscanus; ÷ 1668. — *Præpositus* Joannes, belga, vir sinceræ pietatis; ÷ 1634.

Reginaldus, gallus; ÷ 1623; a d. Salesio valde laudatur. — *Reuter*, germanus (concinnitate et ordine rerum ac doctrina celebratur); ÷ 1762. — *Roncaglia*, italus (optimus consiliarius, quem s. Alphonsus Reuter sequitur); ÷ 1757. — *Rodriguez* Emanuel, lusitanus; ÷ 1619.

Sa Emanuel; ÷ 1596; S. Pius V eum magni habebat, et in nova Editione sacrorum Bibliorum adhibuit. — *Sabinus*, bononiensis, minorita; sæc. XVII. — *Salas*, hispanus; ÷ 1613. — *Salmanticenses*; patres Carmelitæ discalceati; theologi Collegii Salamanticæ in Hispania, qui *moralem scientiam communi æstimatione*, ex s. Alphonso, *diffuse et egregie pertractant, quoque ipse inter varios frequentius familiares habuit*. Quam mirabili luciditate ac optima methodo edideruut, medio sæculo XVIII, divi Thomæ vestigia prementes. — *Salonius*, hispanus, Or-

dinis s. Augustini, sæc. XVII. — *Santarellus*, italus; † 1649. — *Sayrus*, anglus, benedictinus; † 1602. — *Sanchez* Thomas, sapientissimus et piissimus; † 1649. — *Schitder*, belga; † 1667. — *Segneri* Senior; doctrina, pietate ac zelo excellens, eloquio autem princeps, e S. J.; † 1694. — *Serra*, italus; † 1775. — *Sfondratus* Cœlestinus (cardin.). — *Sylvius*, belga; magna pollet auctoritate, sapientissimus ex s. Alphonso, quem Benedictus XIV plurimi facit; † 1649. — *Sotus* Dominicus, dominicanus doctissimus, qui docuit per annos 30 Theologiam et interfuit Tridentino Concilio; † 1560. — *Sporer*, germanus, Minorita; claritate fulget ac plura pro praxi docet; sed interdum plus æquo benignus; † 1720. — *Stapf*, Ecclesiæ Cathedr. Brixin. canonicus; pietate, prudentia et consiliorum opportunitate mire clarescit. — *Stoz*, germanus; † 1678. — *Struggl*, egregius theologus; † 1758. — *Suarez* Joannes, lusitanus ex Ordine s. Augustini; episcopus; interfuit Concilio Tridentino; † 1580. — *Suarez* Franciscus, hispanus e S. J. (a Paulo V et Benedicto XIV *magnus theologus*, *doctor eximius et pius*; et a Bossueto *totius scholæ modernæ repræsentator* nuncupatus; † 1617. — *Schneier*, e S. J., qui in suo *Manuale* paucis plura nitide edocet.

Talento, in nicæensi seminario professor; luciditate clarus. — *Tannerus*, germanus; auctor acris ingenii; † 1632. — *Tappia*, archiep. dominicanus; † 1657. — *Teseda* dominicanus. — *Terillus*, anglus; † 1668. (Pro sua sententia notat biscentum auctores a se lectos.) — **Thomas** (S.) Aquinas. Quem nominasse laudare est; cæterum vide infra Encyclicam S. Pontificis Leonis XIII *Æterni Patris*, 4 aug. 1879. Neque hic omittere possum animadvertere rem, quæ singulariter commendat devotionem angelici Doctoris in Sanctam Virginem Deiparam atque Angelicam ejus Salutationem; identidem quippe in autographo ejus celeberrimi Operis *Summa contra gentiles* conspiciuntur margines his voculis adspersi: *Ave*, *Ave*, *Ave Maria* (1). Tanti porro Doctoris vestigia jugiter sequitur S. Doctor Alphonsus, qui in monito ad lectorem quod præmittit suæ probatissimæ Morali Theologiæ, fatetur: *Præsertim sedulam operam navavi in adnotandis doctrinis d. Thomæ, quas in suis fontibus observare curavi.* — *Toletus*, hispanus, card.; humilitate ac scientia insignis; erat in proverbio: *Toletus docet.* Illum studiosis commendat S. Episcopus et Doctor Salesius; † 1596.

Valentia, hispanus; adversus hæreticos acerrime dimicavit; doctrina illustris; † 1603. — *Vallensis* Andreas, vulgo De-Vaulx. — *Vasquez*, *Augustinus Hispaniæ* appellatus; † 1604 (a Mabillonio valde laudatur, et ex Benedicto XIV *clarissimum lumen*). — *Vecchiotti*, qui in suis *Institut. canon.* plures quæstiones morales practice resolvit. — *Velasco*, hispanus, dominicanus, episcopus; † 1765. — *Victoria*, hispanus, dominicanus; perdoctus magister qui discipulos habuit Dominicum Sotum, Bartholomæum Medinam et Melchiorem Canum; † 1549. — *Vidal*, italus, sæculo XVI floruit. — *Villalobos*, franciscanus, hispanus; † 1620. — *Villar*, hispanus, dominicanus; † 1650. — *Viva*, italus; *eximiæ sapientiæ* vir ex Benedicto XIV; † 1641. — *Voit*, germanus; doctrina et practicis resolutionibus commendandus; floruit sæc. XVIII.

Zacharia Franciscus, e S. J.; italus; doctus inter doctissimos; † 1795. — *Zerola*, italus, episc.; † 1663.

---

(1) D. Thomas hanc orationem quotidie genibus flexis devote recitare solebat: *Concede mihi quæso, misericors Deus, quæ tibi sunt placita ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte implere, ad laudem et gloriam Nominis tui. Amen.* Leo XIII rescripto 29 junii 1878 concedit indulgentiam tercentum dierum pro iis qui saltem corde contriti eam recitaverint ante studium vel lectionem.

APPENDIX XI.

1078. Epistola Encyclica Leonis Papæ XIII

De instauranda christiana philosophia
juxta S. Thomæ Doctrinam (1).

Æterni Patris Unigenitus Filius, qui in terris apparuit, ut humano generi salutem et divinæ sapientiæ lucem afferret, magnum plane ac mirabile mundo contulit beneficium, cum cœlos iterum ascensurus, Apostolis præcepit, ut *euntes docerent omnes gentes* (Matth. XXVIII): Ecclesiamque a se conditam communem et supremam populorum magistram reliquit. Homines enim, quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi: neque diu permansissent cœlestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, nisi Christus Dominus erudiendis ad fidem mentibus perenne magisterium constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui cum erecta promissis, tum imitata caritatem, sic jussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime voluerit, de religione præcipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc sane pertinent singulorum Episcoporum vigilati labores; huc Conciliorum perlatæ leges ac decreta, et maxime Romanorum Pontificum sollicitudo quotidiana, penes quos, beati Petri Apostolorum Principis in primatu successores, et jus et Officium est docendi et confirmandi fratres in fide. — Quoniam vero, Apostolo monente, *per philosophiam et inanem fallaciam* (Coloss. II, 8) Christifidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus corrumpi, iccirco supremi Ecclesiæ Pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari vigilantia providere, ut ad fidei catholicæ normam ubique traderentur humanæ disciplinæ omnes, præsertim vero *philosophia,* a qua nimirum magna ex parte pendet cæterarum scientiarum recta ratio. Id ipsum et Nos inter cætera breviter monuimus, Venerabiles Fratres, cum primum Vos omnes per Literas Encyclicas allocuti sumus; sed modo rei gravitate, et temporum conditione compellimur rursus Vobiscum agere de ineunda philosophicorum studiorum ratione, quæ et bono fidei apte respondeat, et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.

Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quæ publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet, fœcundam malorum causam, cum eorum quæ premunt, tum eorum quæ pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum jampridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet. — Equidem non tantam humanæ philosophiæ vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse judicemus: sicut enim, cum primum est religio christiana constituta, per admirabile fidei lumen *non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* diffusum, *sed in ostensione spiritus et virtutis*

(1) Cum philosophia, si rite, idest juxta doctrinam ab Aquinate sapientissime traditam, fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur, non abs re esse duxi hanc celeberrimam Encyclicam Sacrorum alumnis commendare et eorum oculis subjicere, ut intelligant quomodo valeant securam sternere viam ad sacras disciplinas addiscendas.

(I Cor. II, 4), orbi terrarum contigit ut primævæ dignitati restitueretur; ita etiam in præsens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu posthabenda sunt naturalia adjumenta, quæ divinæ sapientiæ beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adjumentis rectum philosophiæ usum constat esse præcipuum. Non enim frustra rationis lumen humanæ menti Deus inseruit; et tantum abest, ut superaddita fidei lux intelligentiæ virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad majora reddat. — Igitur postulat ipsius divinæ Providentiæ ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia præsidium quæratur: quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse præclarissimorum Ecclesiæ Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, *huic scientiæ tribuens... illud quo fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur* (De Trin. l. XIV, c. 1).

Ac primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter præparare: quamobrem a veteribus modo *prævia ad christianam fidem institutio* (Clem. Alex., *Strom.*, l. I, c. 16; l. VII, c. 3); modo *christianismi præludium et auxilium* (Orig. ad Gregor. Thaum.); modo *ad Evangelium pædagogus* (Clem. Alex., *Strom.*, l. I, c. 5) non immerito appellata est.

Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non eas tantum veritates lumine fidei patefecit, quibus attingendis impar humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit, rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erroris admixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est, ut quædam vera, quæ vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantum ratione prælucente, cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint. *Invisibilia enim ipsius*, ut Apostolus inquit, *a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (Rom. I, 20); et *gentes quæ legem non habent... ostendunt* nihilominus *opus legis scriptum in cordibus suis* (ib. II, 14, 15). Hæc autem vera, vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatæ doctrinæ commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur, humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianæ suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiæ Patribus sæpe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quandam ejus rei et prope figuram agnoscunt in Hebræorum facto, qui Ægypto excessuri, deferre secum jussi sunt argentea atque aurea Ægyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quæ prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocæsariensis *(Orat. paneg. ad Origen.)* laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianæ sapientiæ et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorserit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus *(Vit. Moys.)*, tum Gregorius Nyssenus *(Carm.* I, *Jom.* 3), in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato Apostolorum discipulo, in Aristide, in Justino, in Irenæo, aliisque permultis *(Epist. ad Magn.)*. Augustinus autem, « Nonne aspi-
» cimus, *inquit*, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto
» Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto
» Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci?
» *(De doctr. christ.*, l. II, c. 40) » Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinæ segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiorem certe

progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanæ mentis facultates instauravit et auxit. — Ecquis autem non videat, iter planum et facile per hujusmodi philosophandi genus ad fidem aperiri?

Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quæ ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinæ sapientiæ eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui *de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est; neque, operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex* (Sap. XIII, 1). Igitur primo loco magnus hic et præclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret: *a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri* (Sap. XIII, 5). — Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa justitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet. — Simili modo ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tanquam certis certæ veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse: atque ideo omnes, qui Evangelio fidem adjungunt, non temere adjungere, tanquam doctas fabulas secutos (II *Petr.* I), sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et judicium suum divinæ subjicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, Ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) « ob suam » admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus locis » fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quod- » dam et perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimo- » nium irrefragabile. » *(Const. dogm. de fide cath.*, c. 3.)

Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiæ usus, ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque veræ scientiæ suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multæ ac diversæ cœlestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quæque locis convenienter dispositæ, et ex propriis principiis derivatæ apto inter se nexu cohæreant; demum ut omnes et singulæ suis iisque invictis argumentis confirmentur. — Nec silentio prætereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quæ creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus *(Const. cit.)* fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consecuntur, qui cum integritate vitæ fideique studio ingenium conjungunt philosophicis disciplinis expolitum, præsertim cum eadem Synodus Vaticana doceat, ejusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam « tum ex eorum quæ naturaliter cognoscuntur, analogia; tum » e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo » peti oportere *(ibid.)*.

Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiæ laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. « Est quidem, *sicut Clemens Alexandrinus testatur*, per » se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. » Accedens autem græca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed cum » debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset do- » losas adversus veritatem insidias, dicta est vineæ apta sepes et vallus » *(Strom.* l. I, c. 20). Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerunque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiæ penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanæ rationis artibus ad

nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat. Quam speciem religiosi certaminis ab ipso gentium Apostolo usurpatam commemorat s. Hieronymus scribens ad Magnum: « Ductor christiani exercitus Paulus et » orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam » arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim a vero David extorquere » de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone » truncare » *(Epist. ad Magn.)*. Atque ipsa Ecclesia istud a philosophia præsidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam jubet. Etenim Concilium Lateranense V, posteaquam constituit, « omnem assertionem veritati » illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse, eo quod verum vero minime contradicat (Bulla *Apostolici regiminis)*, » philosophiæ doctoribus præcipit, ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur; siquidem, ut Augustinus testatur, « si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet » acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. » *(Epist.* 143, *ali.* 7 *ad Marcellinum*, n. 7 —.)

Verum ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet, ut ab eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quæ cujuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriæ infirmitatis conscia, majora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillæ et pedisequæ, famulari cœlestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere. — In iis autem doctrinarum capitibus, quæ percipere humana intelligentia naturaliter potest, æquum plane est, sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinæ sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet, ea quæ revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quæ fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis jura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatæ doctrinæ repugnare intellexerit.

Novimus profecto non deesse, qui facultates humanæ naturæ plus nimio extollentes, contendunt, hominis intelligentiam, ubi semel divinæ auctoritati subjiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis jugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiæque fastigium progrediatur. — Sed hæc plena erroris et fallaciæ sunt; eoque tandem spectant, ut homines, summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient, et divinum beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte rejiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus, et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiæ studium cum obsequio fidei christianæ conjungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. — Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quæ fidei repugnant, et in probandis, quæ cum fide cohærent, digne ac perutiliter rationem exercent: in illis enim prioribus, causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsæ fulciuntur, vitium dignoscunt: in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus

præclara beneficia, quæ per fidem rationi præstantur, his verbis commemorat: « Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione in- » struit *(Const. dogm. de fide cath. c.* 4). » Atque iccirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignæ potius Deo grates essent habendæ, vehementerque lætandum, quod, inter multas ignorantiæ causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quæ quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.

Quod si, Venerabiles Fratres, ad historiam philosophiæ respiciatis, cuncta, quæ paullo ante diximus, re ipsa comprobari intelligetis. Et sane philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam sæpe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis, æternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium. — Contra vero primi Ecclesiæ Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinæ voluntatis consilio, restitutorem humanæ etiam scientiæ esse Christum, qui *Dei virtus est Deique sapientia* (I Cor. I, 24), et *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (Coloss. II, 3), veterum sapientum libros investigandos, eorunque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere: prudentique delectu quæ in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, cæteris omnibus vel emendatis, vel rejectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiæ defensionem martyres fortissimos, magnæ animæ prodigos, contra tyrannorum sævitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut hæreticis viros sapientia maximos objecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanæ præsidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiæ primordiis, catholica doctrina eos nacta est adversarios multo infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio causaque caruisse, rerumque cursum cæca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinæ providentiæ consilio administrari. Jamvero cum his insanientis doctrinæ magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos *Apologetas* nominamus, qui, fide præeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent unum Deum, omni perfectionum genere præstantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri. — Principem inter illos sibi locum vindicat *s. Justinus* martyr, qui posteaquam celeberrimas græcorum Academias, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore nonnisi ex revelatis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum Imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca græcorum philosophorum dicta cum eis composuit. Quod et *Quadratus* et *Aristides, Hermias* et *Athenagoras* per illud tempus egregie præstiterunt. — Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est *Irenæus,* martir invictus, Ecclesiæ Lugdunensis Pontifex: qui cum strenue refutaret perversas orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines romani imperii disseminatas, *origines hærescon singularum* (auctore Hieronymo), *et ex quibus philosophorum fontibus emanarint... explicavit* (Epist. ad Magnum). — Nemo autem non novit *Clementis Alexandrini* disputationes, quas idem Hieronymus sic, honoris causa, commemorat: « Quid illis indoctum? imo quid non de media philosophia » est? *(loc. cit.)* » Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiæ historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima. — Hunc secutus *Origenes*, scholæ Alexandrinæ magisterio insignis, græcorum et orientalium doctrinis eruditissimus, perplura eademque laboriosa edidit volumina, divinis Literis explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna; quæ licet erroribus, saltem ut nunc

extant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et firmitate augentur. — Pugnat cum hæreticis *Tertullianus* auctoritate sacrarum Literarum; cum philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque objiciat: *Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, æquamur* (Apolog. § 46). — *Arnobius* etiam, vulgatis adversus gentiles libris, et *Lactantius* divinis præsertim Institutionibus, pari eloquentia et robore dogmata ac præcepta catholicæ sapientiæ persuadere hominibus strenue nituntur, non sic philosophiam evertentes, ut Academici solent *(Inst.* VII, c. 7), sed partim suis armis, partim vero ex philosophorum inter se concertatione sumptis eos revincentes *(De opif. Dei,* c. 21.) — Quæ autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quæstionibus, magnus *Athanasius* et *Chrysostomus* oratorum princeps, scripta reliquerunt, ita, omnium judicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur. — Et ne singulis recensendis nimii simus, summorum numero virorum, quorum est mentio facta, adjungimus *Basilium* magnum et utrumque *Gregorium,* qui, cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis, exiissent philosophiæ omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinæ opes inflammato studio pepererat, eas ad hæreticos refutandos, instituendosque christianos converterunt. — Sed omnibus veluti palmam præripuisse visus est *Augustinus,* qui ingenio præpotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suæ ætatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiæ locum non attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichæorum commentis deletis, humanæ scientiæ fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas persecutus? Quanta de Angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et æternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit? — Post id tempus per Orientem *Joannes Damascenus,* Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero *Boetius* et *Anselmus,* Augustini doctrinas professi, patrimonium philosophiæ plurimum locupletarunt.

Exinde mediæ ætatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnæ molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinæ fœcundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. — Quæ autem scholasticæ disciplinæ sit origo, indoles et excellentia, juvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Prædecessoris Nostri, Sixti V, fusius aperire: « Divino Illius » munere, qui solus dat spiritum scientiæ et sapientiæ et intellectus, quique Ec- » clesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, novis beneficiis auget, no- » vis præsidiis instruit, inventa est a majoribus nostris sapientissimis viris, Theo- » logia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus s. Thomas » et seraphicus s. Bonaventura, clarissimi hujus facultatis professores... excellenti » ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, » eamque optime dispositam, multisque modis præclare explicatam posteris tra- » diderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiæ cognitio et exercitatio, quæ ab » uberrimis divinarum Literarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et » Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiæ adjumentum af- » ferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretan- » das, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios » errores et hæreses detegendas et refellendas; his vero novissimis diebus, quibus » jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines bla- » sphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes et alios in errorem mit- » tentes, sane catholicæ fidei dogmatibus confirmandis et hæresibus confutandis » pernecessaria est (Bulla *Triumphantis*, an. 1588). » Quæ verba quamvis Theolo-

giam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de Philosophia ejusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem præclaræ dotes, quæ Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, « apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohæren-» tia, ille ordo et dispositio tanquam militum in pugnando instructio, illæ dilucidæ » definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimæ disputa-» tiones, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, hæreticorum mendacia » multis præstigiis et fallaciis involuta, tanquam veste detracta, patefiunt et de-» nudantur (Bulla cit.), » præclaræ, inquimus, et mirabiles istæ dotes unice a recto usu repetendæ sunt ejus philosophiæ, quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. — Præterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent.

Jamvero inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminet *Thomas Aquinas;* qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres *doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est* (2, 2, q. 148, a. 4). Illorum doctrinas, velut dispersa cujusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicæ Ecclesiæ singulare præsidium et decus jure meritoque habeatur. — Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitæ integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia prædives, Soli comparatus, orbe terrarum calore virtutum fovit, et doctrinæ splendore complevit. Nulla est philosophiæ pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quæstionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quæque explicandi facilitas desideretur.

Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quæ quamlatissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. — Præterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum jura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta, jam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adjumenta præstolari, quam quæ jam est per Thomam consecuta.

Has ob causas, doctissimi homines, superioribus præsertim ætatibus, Theologiæ et philosophiæ laude præstantissimi, conquisitis incredibili studio Thomæ voluminibus immortalibus, angelicæ sapientiæ ejus sese non tam excolendos, quam penitus imbuendos tradiderunt. — Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum jussisse constat sodales suos, doctrinis s. Thomæ studere et religiosius hærere, caute, ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut dominicanam familiam prætereamus, quæ summo hoc magistro jure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Jesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur.

Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quæ olim in Europa floruerunt, Academias et Scholas, Parisiensem nempe, Sal-

mantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Conimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen ætate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Jamvero compertum est, in magnis illis humanæ sapientiæ domiciliis, tanquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse.

Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Prædecessores Nostri sapientiam Thomæ Aquinatis singularibus laudum præconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI (Bulla *In Ordine)*, Nicolaus V (*Breve ad ff. Ord. Prædic.* 1451), Benedictus XIII (Bulla *Pretiosus)* aliique testantur, admirabili ejus doctrina universam Ecclesiam illustrari; s. Pius V (Bulla *Mirabilis)* vero fatetur eadem doctrina hæreses confusas et convinctas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII (Bulla, *Verbo Dei)* uberrima bona ab ejus scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiæ doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur; alii tandem s. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lyceis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur b. Urbani V verba ad Academiam Tolosanam: « Volumus et tenore præsentium vobis injungimus, ut b. Tho-
» mæ doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini, eamdemque studeatis
» totis viribus ampliare (Const. 5 die 3 aug. 1368 *ad Cancell. Univer. Tolos.).* »
Urbani autem exemplum Innocentius XII (Lit. in forma *Brevis* 6 *febr.* 1694) in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV (Lit. in forma *Brevis* 21 aug. 1752) in Collegio Dionysiano Granatensium renovarunt. — His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate judiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat: « Hujus *(Thomæ)* doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet
» proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nun-
» quam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam
» impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus *(Serm. de s. Thoma).* »

Ipsa quoque Concilia œcumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiæ, singularem Thomæ Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Concilii Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene præfuisse dixeris, adversus errores Græcorum, hæreticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. — Sed hæc maxima est et Thomæ propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinæ Scripturæ codicibus et Pontificum maximorum decretis *Summam* Thomæ Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.

Postremo hæc quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, præconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter hæreticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomæ Aquinatis, se facile posse *cum omnibus* catholicis doctoribus *subire certamen et vincere, et Ecclesiam dissipare* (Beza, Bucerus). — Inanis quidem spes, sed testimonium non inane.

His rebus et causis, Venerabiles Fratres, quoties respicimus ad bonitatem, vim præclarasque utilitates ejus disciplinæ philosophicæ, quam majores nostri adamarunt, judicamus temere esse commissum, ut eidem suus honos non semper, nec ubique permanserit: præsertim cum philosophiæ scholasticæ et usum diuturnum et maximorum virorum judicium, et, quod caput est, Ecclesiæ suffragium favisse constaret. Atque in veteris doctrinæ locum nova quædam philosophiæ ratio hac illac successit, unde non ii percepti sunt fructus optabiles ac salutares, quos Ecclesia et ipsa civilis societas maluissent. Adnitentibus enim Novatoribus sæculi XVI,

placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quælibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit, genera philosophiæ plus æquo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantes oriri etiam de iis rebus, quæ sunt in humanis cognitionibus præcipuæ. A multitudine sententiarum ad hæsitationes dubitationesque persæpe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat. — Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse; qui patrimonio antiquæ sapientiæ posthabito, nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex hæc ratio doctrinæ, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inveniri, ejus rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam. — Quæ cum dicimus, non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam afferunt: id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinæ pertinere. Sed magnopere cavendum est, ne in illa industria atque eruditione tota aut præcipua exercitatio versetur. — Et simili modo de sacra Theologia judicetur; quam multiplici eruditionis adjumento juvari atque illustrari quidem placet; sed omnino necesse est, gravi Scholasticorum more tractari, ut, revelationis et rationis conjunctis in illa viribus, *invictum fidei propugnaculum* (Sixtus V Bulla cit.) esse perseveret.

Optimo itaque consilio cultores disciplinarum philosophicarum non pauci, cum ad instaurandam utiliter philosophiam novissime animum adjecerint, præclaram Thomæ Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine Vestro, Venerabiles Fratres, eamdem alacriter viam esse ingressos, magna cum animi Nostri lætitia cognovimus Quos cum laudamus vehementer, tum hortamur, ut in suscepto consilio permaneant: reliquos vero omnes ex Vobis singulatim monemus, nihil Nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiæ rivos purissimos, ex angelico Doctore jugi et prædivite vena dimanantes, studiosæ juventuti large copiosæque universi præbeatis.

Quæ autem faciunt, ut magno id studio velimus, plura sunt. — Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cujusdam sapientiæ, christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiæ spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinæ pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi, et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, *parati semper*, secundum Apostolica monita, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe* (I Petri III, 15); et *exorthari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (Tit. I, 9). — Deinde plurimi ex iis hominibus qui, abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, præter supernaturale Dei auxilium, nihil esse opportunius arbitramur, quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

Domestica vero, atque civilis ipsa societas, quæ ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiæ conformior doctrina, qualem Thomæ Aquinatis volumina complectuntur

Quæ enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam habeuntis, de divina cujuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et æquo summorum Principum imperio, de obtemperatioue sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate; quæ scilicet de his rebus et aliis generis ejusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea juris novi principia, quæ pacato rerum ordini et publicæ saluti periculosa esse dignoscuntur. — Demum cunctæ humanæ disciplinæ spem incrementi præcipere, plurimumque sibi debent præsidium polliceri ab hac, quæ Nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a philosophia, tanquam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonæ artes mutuari, ab eaque, tanquam vitæ communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur, artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens judicium philosophiæ stetit; neglectas vero et prope obliteratas jacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita philosophia. — Quapropter etiam physicæ disciplinæ, quæ nunc tanto sunt in pretio, et tot præclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum præsidii sunt habituræ. Illarum enim fructuosæ exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturæ; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, et principiis, unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem, et opem est allatura, si sapienti ratione tradatur.

Qua in re et illud monere juvat, nonnisi per summam injuriam eidem philosophiæ vitio verti, quod naturalium scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Anthropologia passim tradiderint, humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt, nihil esse philosopho utilius, quam naturæ arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam s. Thomas, b. Albertus magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi philosophiæ dediderunt, ut non etiam multum operæ in naturalium rerum cognitione collocarint: imo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quæ recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Præterea, hac ipsa ætate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicæ conclusiones, et philosophica Scholæ principia nullam veri nominis pugnam existere.

Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicæ fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomæ sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomæ dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quæsitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris ævi doctrinis minus cohærens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est ætati nostræ ad imitandum proponi. — Cæterum, doctrinam Thomæ Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; ejusque præ cæteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eædem Academiæ a Vobis institutæ aut instituendæ illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. — Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomæ ex ipsis ejus fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

Probe autem novimus conatus Nostros irritos futuros, nisi communia cæpta, Venerabiles Fratres, ille secundet, qui *Deus scientiarum* in divinis eloquiis (I Reg. III) appellatur; quibus etiam monemur, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* esse, *descendens a Patre luminum* (Jac. I, 17). Et rursus: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo; qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei* (ibid. v. 5). — Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris angelici, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo; quique candide confessus est, quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse: ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiæ filios spiritum scientiæ et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinæ bonitatis fructus, etiam B. Virginis Mariæ, quæ sedes sapientiæ appellatur, efficacissimum patrocinium apud Deum interponite; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsum b. Josephum, et Petrum ac Paulum Apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et cœlestis sapientiæ lumine compleverunt.

Denique divini auxilii spe freti, et pastorali Vestro studio confisi, Apostolicam benedictionem, cœlestium munerum auspicem et singularis Nostræ benevolentiæ testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque Clero et populo singulis commisso, peramanter in Domino impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 4 augusti an. 1879, Pontificatus Nostri anno Secundo.

LEO PP. XIII.

APPENDIX XII.

1079. De Regula a Leone Papa XIII proposita in Encyclica *Æterni Patris* ad instaurandam, juxta d. Thomæ doctrinam, christianam philosophiam, quæ ad Theologiam viam sternat eamque famuletur (1).

Diarium *La Civiltà cattolica,* ser. 10ª, t. XII: La regola filosofica di Sua Santità Leone XIII proposita nell'Encyclica *Æterni Patris*, summatim, sed ea quæ sua est, doctrinæ soliditate ac perspicuitate, enumerat et explicat præcipua quæ a Summo Pontifice adnotantur ad hanc regulam assequendam.

Sunt I. *Episcopi*, ad quos R. Pontifex Literas suas misit, eos enixe hortando, ut ad catholicæ fidei tutamen et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream s. Thomæ sa-

(1) Philosophia, enim etsi longe inferior Theologia revelata (nam hæc antecellit ex Angelico tum ex præstantia sui objecti, tum ex infallibili sua certitudine, tum ob nobilitatem sui finis; I. p. q. 1. a. 5); tamen talibus famulatus officiis erga istam fungitur, ut ipsi quodammodo necessaria sit, ut notat Sanseverinus. Has famulatus partes idem d. Thomas sic paucis mire exponit: *In sacra doctrina philosophia possumus tripliciter uti. Primo ad demonstrandum ea, quæ sunt præambula fidei, quæ necessaria sunt in Fidei scientia, ut ea quæ naturalibus rationibus de Deo probantur, ut esse Deum, Deum esse unum et hujusmodi de Deo, vel de creaturis in philosophia probata, quæ fides supponit. Secundo ad notificandum per aliquas similitudines ea quæ sunt Fidei, sicut Augustinus in libris de Trinitate utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandam Trinitatem. Tertio ad resistendum illis, quæ contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria* (Super Boetium *de Trinit.* q. 2. a. 3),

pientiam restituant, et quam latissime propagent; advigilantes, ne supposita pro vera, corrupta pro sincera tradatur. Ipsorum enim est in Diœcesi doctrinam sanam docere et eos qui contradicunt arguere.

2) *Magistri* ab ipsis Episcopis pro suis scholis *intelligenter lecti,* qui studeant in discipulorum animos insinuare Thomæ Aquinatis doctrinam, ejusque præ cæteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponere. Qui si aliter agant, nec sincere huic præscriptioni se subscribant, id restat ut munus docendi deserant; nisi velimus scholas nostras scindere, et ad nihilum redigere Summi Pontificis conatus. Ajebat enim celebris quidam: *In meam redigite servitutem ludimagistrum, et ego in meam omnimodam redigam servitutem mundum universum.*

3) *Academiæ,* in quibus concors doctorum hominum caterva adlaborat, ut sinceram d. Thomæ sapientiam ex ipsis ejus fontibus hauriendo, tutam studiosis signet viam; ejus siquidem doctrina fidei veritati est apprime conformis. « Quo magis (verba sunt ipsius Leonis, Lit. 15 octobris 1879 ad Cardinalem sacro consilio studiis regendis Præfecto) hæc studia vigeant et floreant, curandum est, ut amatores philosophiæ scholasticæ in ejus gratiam sedulo, quod possunt, enitantur; maxime autem in societates coeant, cœtusque identidem habeant, in quibus studiorum suorum fructus singuli in medium adducant, et in communem afferant utilitatem. » Imo Summus Pontifex Leo XIII quod hic præscribit citatis literis Cardinali De-Luca quoad urbem Romæ, optat ut omnes per orbem Episcopi agere studeant pro suis diœcesibus quoad possunt, tum in philosophia tradenda, tum in academia thomistica erigenda; patet ex Lit. Cardinalis Nina ad Episcopatum 25 oct. 1879.

4) *Libri,* quos philosophiæ tyrones diu noctuque versare debent; qui porro tales sint oportet, ut doctrinam d. Thomæ Aquinatis illustrent ac tueantur *eam propugnando adversus recentiorum etiam piorum systemata* (verba item sunt Leonis XIII Brevi 11 sept. 1879 ad Episcopum Viglebanensem), *quæ jamdiu scindunt scholas catholicas.* Quæ porro sint hæc systemata abjicienda, Episcopatus pene universus satis abunde declaravit tum in literis ad clerum, tum in studiorum restauratione; at mentem Pontificis explicare et tueri nonne maxime Episcoporum est? Quanquam vel ipse R. Pontifex sat clare sententiam suam aperuit verba faciens ad Clerum et Episcopum Liciensem 18 sept. 1878, proponendo studiosis *Christianam Philosophiam* cl. Sanseverini (qui neapolitani Capituli et Collegii theologorum lumen et ornamentum extitit). Porro cl. auctor, refutatis tum veteribus tum recentioribus systematibus quoad ideologiam, id est Platonis, Leibnitii, Condillachii, Cartesii, Kantii, Giobertii, et Rosminii, probat ac invicte tuetur systema d. Thomæ supradictis systematibus omnino oppositum, nempe *Psychologismum rationalem,* quo statuitur originem nostræ cognitionis ita progredi, ut primo incipiat in sensu, secundo perficiatur in intellectu: *Naturale est homini* (ait d. Thomas) *ut per sensibilia ad intelligibilia veniat; quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet* (1. p. q. I, a. 9). *Intellectus humanus in principio est sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum* (q. 87, a. 3) (1).

(1) Egregie illud Aligherii, quod refertur ad instans quo primum incipit existere intellectus (Purgat. XVI):

L' anima semplicetta che sa nulla

nobis exhibet appellationem *tabulæ rasæ,* atque intellectus *possibilis,* quam hu-

Clarius item Pontifex et apertissime animum suum aperuit Brevi ad cl. Valdemari 19 maji 1879, eum summopere laudans eo quod sanam ac germanam d. Thomæ doctrinam tueatur contra impugnatores, nempe in Opusc. *Sull'Odierno conflitto tra i Rosminiani e i Tomisti*, in quo cl. auctor multis probat tantam esse pugnam inter duo systemata, ut vita unius sit mors alterius. Habes hic recens piorum systema, cujus impugnatio laudatur, ac firmatur a S. Pontifice.

Ex quibus omnibus satis palam fit quænam sit mens Leonis XIII publicando celeberrimam suam Encycl. *Æterni Patris;* et quid suadeat et quid cupiat ad philosophicas disciplinas instaurandas; neque enim sibi contradicere potest, adeo ut destruat in uno documento quod statuit in alio. Porro id satis esse debet ad docilitatem filiorum erga Patrem; ut quales vult, inveniat nos gaudium ejus implentes, unanimes idipsum sentientes, defendentes, docentes quod Ipse sentit, defendit, ac docet, verba ad alia non detorquendo, ne forte sint inter nos contentiones, æmulationes, animositates, dissentiones, detractiones, sussurationes, inflationes; tales enim criminationes non in nobis consistunt, verum ad magnum et venerandum nostrum Ministerium transeunt. Quod si non periclitatur fides, periclitatur reverentia, observantia, (ne dicatur) obedientia, quæ Romano Pontifici debita est; nonne Ipsius est pascua designare quibus pascamur? qui spiritum Christi habet, sequitur Ejus Vicarium quocunque ipse vuluerit. Ad rem cl. Cardin. Manning: « La prova dell'uomo spirituale è la sua conformità al sentimento della Chiesa. *Sentire cum Ecclesia* nel domma, nella disciplina, nelle tradizioni e divozioni, nelle costumanze, opinioni e simpatie, è sicuro indizio, che non è già lo spirito di Satana o del mondo; ma sibbene lo Spirito di Dio, che opera nel nostro cuore. » *(La missione interiore dello Spirito Santo;* pref.)

Quæ cum ita sint, omnia partium studia abjiciendo, nulli parcamus labori, ut Summi religionis Antistitis justa vota optato demum exitu potiantur. Cesset inter nos omnis zelus et contentio; id enim non sine mediocri veritatis et scientiæ detrimento evenire potest. Ne quis dicat: *Ego quidem sum Pauli; alius autem: ego Apollo;* Magister noster non est neque iste neque ille; sed qui in Cathedra Petri sedet infallibilis magister. Faxit igitur Deus, ut sapientissimis Illius documentis inhærentes omnes concorditer ac constanter auream propugnemus Doctoris Angelici sapientiam, juxta placita et mentem ejusdem Pontificis Summi, id est non subvertendo sensum aut diverticula quærendo; sed aquam bibentes de purioribus, qui ab Ipso indicantur, fontibus.

mano intellectui dedere veteres theologi. *Possibilem* enim hic intellectum nuncupando non intelligimus possibilitatem logicam, quæ in eo consistit ut non sit intrinseca repugnantia ad esse, sicut dicimus possibilem esse montem aureum; sed intelligimus eam possibilitatem, quæ reperitur in esse potentiali, seu in potentia quoad suum actum. Ita diceretur possibile esse lignum effici carbonem; igitur intellectus noster est in continua *essentiali* potentia, seu *possibilitate*. Cornoldi, *Instit. philos. speculativæ ad mentem s. Thomæ Aquinatis*. Bononiæ, 1878. It. vide Episc. Battaglini; Liberatore e S. J.; Imperatori Novariensis, Torino Bugellensis, etc. V. Scuola Catt. t. 14: *Discorso di M. Vescovo di Pavia per l'Accademia d'apertura agli studi nell'anno* 1879-80.

APPENDIX XIII.

1080. **Literæ Ss. D. N. Leonis Papæ XIII de operibus sancti Alphonsi Mariæ de Ligorio Ecclesiæ Doctoris** (1).

Dilectis Filiis Leopoldo Josepho Dujardin et Julio Jacques, Presbyteris e Congregatione Sanctissimi Redemptoris.

Leo PP. XIII.

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Licet universum jam orbem pervaserint non sine amplissimo christianæ rei emolumento, scripta sancti Doctoris Alphonsi Mariæ de Ligorio, dilecti Filii; ea tamen magis adhuc magisque vulgari desiderandum est et ad manus omnium traduci. Scitissime nam Ille catholicas veritates omnium captui accommodavit, omnium morali regimini prospexit, mirifice pietatem omnium excitavit, et « in media » sæculi nocte errantibus viam ostendit, qua, eruti de potestate te- » nebrarum, transire possent in Dei lumen et regnum. » Et sane firmissimis argumentis divinam revelationem munivit contra deistas, veritatem fidei nostræ strenue defendit; efficacissime asseruit immaculatum Deiparæ conceptum; nervosissime propugnavit romani Pontificis primatum et infallibile magisterium; divinæ Providentiæ consilia in comparanda per Jesum Christum hominum salute docte pieque illustravit; Psalmos et Cantica aptissimis ad fovendam clericorum pietatem commentariis exposuit; Ecclesiæ gloriam ostendit in triumphis martyrum; editis historia hæresum et opere dogmatico acriter perstrinxit hæreses omnes, sed præsertim jansenianos et febronianos profligavit errores tunc maxime gliscentes, et monstruosarum illa opinionum segete, *graves*, qua nunc religiosæ civilisque societatis fundamenta quatiuntur: et quam ipse jam tunc ea perspicacia fuit insectatus, et pleræque e *propositionibus* post sæculum in *Syllabo* damnatæ ab ejus scriptis nominatim refutatæ conspiciantur: imo « prædicari verissime possit, nullum esse nostrorum temporum er- » rorem, qui, maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refu- » tatus. » Et ne quid dicamus de Morali Theologia ubique terrarum celebratissima tutamque plane præbente normam, quam conscientiæ moderatores sequantur, frigescentem Ipse caritatem per crebras doctasque lucubrationes asceticas, veluti subditis igniculis, fovit, aluit, provexit; ac præsertim erga Dominum nostrum Jesum Christum ejusque dulcissimam Matrem, quorum amore, miro cum fidelium profectu rigentia quoque corda succendit. Et in hisce omnibus « illud » in primis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, » ejusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus » posse, post diligens institutum examen, perspectum fuerit. »

Gratulamur itaque, dilecti Filii, vos dogmatica omnia et ascetica

(1) Cum in toto hoc Compendio s. Alphonsi doctrinam fideliter ac jugiter tradere studuerim, opportunum duxi illud hisce pretiosissimis S. Pontificis Literis concludere; ex quibus habemus quanti facienda sint omnia scripta Sancti Doctoris Alphonsi M. de Ligorio.

sanctissimi et doctissimi parentis vestri Scripta, sive latine sive italice edita, in gallicam vertisse linguam, tum quia hæc omnibus ferme populis nota latius proferre poterit fructus laborum egregii Doctoris, tum quia vobis potissimum arduum id munus demandatum fuit, qui et alias jam de indole, doctrina, sanctitate eorundem Operum scribere debuistis, et, uti filii facilius et plenius aliis assequi poteratis spiritum parentis. Imo ipsi quoque gratulamur incœpto vestro, eo nomine, quod cum sanctus Auctor sæpe in scriptis suis Angeli scholarum doctrinam se sequutum fuisse glorietur; ex hujusmodi recentioris Ecclesiæ Doctoris erga illum obsequio nova sancti Thomæ doctrinæ laus accedat et gloria, quæ gravius etiam commendent instaurationem illam christianæ philosophiæ, quam Nos studiosissime per recentes Encyclicas literas nostras ad Angelici Doctoris mentem exigendam suasimus. Successum itaque nuperæ isti Operum sancti Alphonsi editioni ominamur amplissimum nostrisque et votis vestris plane respondentem; ac interim superni favoris auspicem vobis, dilecti Filii, ac toti Sanctissimi Redemptoris Congregationi benedictionem Apostolicam paternæ nostræ benevolentiæ testem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 28 augusti 1879, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

FINIS TOMI SECUNDI ET ULTIMI.

Si quid male dixi, totum relinquo correctioni Sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

INDEX GENERALIS ALPHABETICUS

(Numerus romanus tomum, arabicus numerum libri marginalem indicat.)

Tria sunt librorum ornamenta: primum et secundum *Præfatio* et *Adnotationes*; tertium, *Index*. Cancellieri, *Dissertazioni epistolari*.

A

Abbas. Quoad leges I, 109.
Abbatissa. Quæ, quid valeat I, 324. Quoad leges 110.
Abelly. Prohibitus II, 1077.
Abigeatus. II, 361.
Abominatio. I, 915.
Abortus. Pœnæ I, 621, Gravitas II, 320. Indirecta, et directa illius ejectio *ib*.
Abrogatio. Legis I, 178, consuetudinis, 187. Censuræ 512.
Absens an possit absolvi a censuris I, 515; a peccatis II, 672. A choro I, 262.264. Quoad hæreditatem II, 32.
Absentia. Parochi I, 268.
Absolutio. A censuris I, 513. Ab excommunicatione *ib*. A suspensione 550; ab interdicto 553. A pœnis ob simoniam 817. *Sacramentalis* II, 669; an possit dari absentibus 672. Cui danda 675; quoties devotis 743. Cui neganda 678; differenda 677. Qui est in occasione 683; recidivus 690. Sub conditione 693. An danda moribundo 694. Ei qui non vult sequi opinionem confessarii 679. Absolutio complicis 720.
Abstineniia. V. *Jejunium*. *Carnes*.
Academia. Præstat eam instituere sub auspiciis d. Thomæ I, 2. II, App. in fine *de Regula* etc. Item ad lauream rite consequendam II, 881. Ecclesiæ academias commendat Leo XIII *ib*. et 1079.
Acceptatio. Populi quoad legem I, 154. Hæreditatis II, 60. Personarum 238.
Accessio II, 40. Quotuplex *ib*. Per plantationem et ædificationem 41. Vi Cursus aquarum 42. Per adjunctionem, specificationem 43.
Accessus. Ad monasteria I, 312.
Acciuga. In jejunio I, 227.
Accrescendi jus. II, 69.
Accusatio. I, 344. An possit ecclesiasticus accusare 345.
Acedia. I, 492.
Acescens vinum. II, 507.
Acolitatus. II, 802.
Actio. Nullitatis, et rescissionis II, 98.
Actiones. V. *Actus*. In festis quæ prohibitæ I, 760. Deo referendæ 43 et seqq.
Actus. Quid, I, 5; quotuplex 6. Quæ principia 7. Externus an addat actui interno 42. Actus indifferens 43. Quid ut actus sit honestus et meritorius, 45.

An liceat eum ponere, si ideo prævideatur mälum 433. Actus conjugalis II, 1037. Fidei I, 834. Spei 879. Caritatis 889, etc.
Ad cautelam. II, 1056.
Ad Dominum Secretarium, etc. I, 120.
Adjunctio. II, 43.
Adjuratio. I, 748.
Ad mentem. I, 120.
Administratio. An sæcularis conveniat ecclesiasticis I, 256. Ecclesiæ bonorum 629; II, 16.
Admissio. Ad primam Communionem II, 497.
Admonitio. V. *Monitio.*
Adolescens. V. *Puer.*
Adoptio. II, 968, 1030.
Adoratio. I, 698. Sic facta electio II, 866.
Adrogatio. II, 968.
Adulatio. II, 277.
Adulterium Adulteri. I, 467. Quoad restitutionem II, 334. Quoad prolem 334. Si exponant Hospitali 336. An adulter teneatur se prodere 335. Privat jure petendi 1055. An solvat matrimonium 1058.
Advena. Qui I, 136. Quoad leges 137.
Adventitia bona. II, 22.
Adventus. I, 201.
Advertentia. Ad peccatum I, 412. Ad legem 156. Ad votum 704. Ad Sacramenta II, 389.
Advocatus. Obligationes I, 354. An clericus 256. Fiscalis 361. Societas advocatorum pro defensione jurium Ecclesiæ commendatur a Pio IX, et a Leone XIII I, 355.
Ædificatio. Ecclesiasticorum I, 244. Accessio per ædificationem II, 41.
Ægidius. Fundatissimus II, 1076.
Æquivocatio. I, 744, 745, 839.
Ætas. Ad majorem ætatem I, 380. Ad legem 133; ad jejunium 221. Ad Ordines II, 823; Matrimonium 975. Sponsalia 927. Confessionem 614. Communionem 497. Confirmationem 480. Irregularitatem 852.
Affabilitas. I, 937.
Affectio. In beneficiis II, 880.
Affinitas. II, 976. Affines quid sibi invicem debent I, 379. Regulæ ad dignoscendos gradus II, 978. Schema affinitatis *ib.*
Affirmative et amplius. Quid I. 120.
Aggressor. Vitæ II, 322. Pudicitiæ 324. Honoris 325. Bonorum 326.
Agnus Dei. II, 416.
Alasia. Merito celebratus II, 1076.
Albertus Magnus. Sapientissimus II, 1077.
Alba. II, 565.
Aleæ. V. *Ludus.*
Alienatio. Bonorum Ecclesiæ sine facultate, pœnæ I, 625; requiritur licentia *ib.* Bonorum fabriceriæ, Confraternitatum, locorum piorum I, 626.
Alibi. Quoad Missas II, 555.
Alimenta. Debentur parentibus I, 378, Filiis 375; fratribus etc. 379.
Alluvio. II, 42.
Alternativa. II, 879.
Alphonsus (S) de Liguori. Ejus auctoritas. *Præfat.* Ejus systema 76, 79. Quanti faciendum *ib.* Quæ vera ejus sententia *ib.* Mire celebratur a Leone XIII, *Appendix ultima.*
Altare. II, 565. Privilegiatum 581. Resolutiones *ib.* Fixum, portatile *ib.*
Alvei mutatio. II, 42.
Ambitio. I, 440.
Ambrosianus ritus. In Baptismo

II, 421; Confirmatione 484; Matrimonio 918.
Amentes. Quoad leges I, 132. Matrimonium II, 975, 1031. Baptismum 401. Confirmationem 480. Ordinem 816. Sacramenta in genere 401. Dominium 14. Sunt irregulares 849.
Amicitia. I, 933. Quotuplex *ib*.
Amictus. II, 565.
Amissæ res. II, 39. Amissio Beneficii 894.
Amor. V. *Caritas*. Platonicus I, 933. Patriæ 936.
Amore (Far all'). I, 456; II, 938, 1073.
Amort. Doctrina clarus II, 1077.
Amphibologia. I, 744.
Amplexus. V. *Aspectus*.
Amuleta I, 778.
Analysis fidei. I, 821.
Andreucci. Clarus II, 1077.
Angelus Custos. Invocandus I, 663.
Angustia loci. II, 1009.
Animalia. Capta cujus sunt II, 35. Qui ea commiscet I, 448. Qui cum illis peccat 477. Sævire in illa II, 9.
Animatio fœtus II, 320.
Animæ purgantes. An invocandæ I, 663. An habeant fidem 826; spem 877. Applicatio Missæ II, 580. Indulgentiæ II, 657. Altare privilegiatum 581. Votum 666. Non possunt animæ vocari hæredes II, 59. Anima quando corpori infunditur 320.
Animi defectus. Quoad irregularitatem II, 849.
Animus clericandi. II, 820.
Annates feræ. In jejunio I, 227.
Annus. Ad professionem religiosi I, 291. Qui per annum insordescit in censura 521. V. *Ætas*.
Anticipatio. Prandii in jejunio I, 216; Cœnulæ 217. Matutini 677.
Anticresis. II, 154.
Antifonarium. Nuper editum II, 567.
Antoine. Multa paucis, II, 1076.
Antoninus (S.). Vir consiliorum II, 1077.
Anulus. Ejus subarratio II, 927. Ejus benedictio 1023. In Missa deponendus I, 243.
Aperitio oris. I, 120.
Apes. II, 35.
Apostasia, Apostatæ. A religioso statu I, 321. Censura lata 563. A fide 859; si convertantur *ib*. Pœnæ 859.
Apostolatus precum. I, 661.
Apparitio. Mortuorum I, 771. B. M. Virginis I, 825.
Apparitor. I, 343.
Appellatio. Excusat a censura I, 511. Ad Concilium futurum 572. Ab abusu 577.
Applicatio. Missæ II, 576; I, 277.
Approbatio. Confessarii II, 697.
Aqua. In Baptismate II, 420. Vino miscenda in Missa 508. Benedictæ an non benedicta misceri possit, quando cum ea aspergitur; quando removenda 416.
Aravius. Doctus professor II, 1077.
Arbiter. I, 341.
Arcani disciplina. I, 844.
Argentarii. I, 366.
Aringa. In jejunio I, 227.
Arma. Ecclesiasticis an prohibita I, 248.
Arrhæ. II, 935.
Ars notoria. I, 778. Fotographica 757.
Artes. Quoad ecclesiasticos I, 255. Excusantes a jejunio 222. Si artifex dives 221.
Articulus mortis. II, 702.

Artifices. Obligationes I, 366. Quoad jejunium 222.
Ascetica. II, 730.
Aspectus. Tactus, oscula I, 447. In Ecclesia 471. Inter conjuges II, 1043.
Aspersio aquæ lustralis. II, 416.
Assecuratio. II, 218.
Asservatio. Eucharistiæ II, 491.
Assessor. Obligationes I, 360.
Assistentia. Ad divina Officia an permissa excommunicatis I, 531. Moribundi I, 279; II, 694. Matrimonii 981.
Associationes. V. *Societates.*
Asteriscus. Observandus I, 687.
Astrologia. I, 774.
Atheismus. I, 846.
Attentio. Ad Missam I, 194. Ad Horas 691. Ad Sacramenta II, 389.
Attentatio. Matrimonii II, 969.
Attestationes. Pro ordinandis I, 642; II, 812, 817. Quæ a parocho 819.
Attritio. II, 604. In baptizando adulto 433.
Auctarium. II, 171.
Auctarius. I, 358.
Auctor. Habet sui operis proprietatem II, 12. Sacramentorum 375. Auctor unus in re morali I, 75.
Auctores. In re morali qui stant pro libertate II, 1077; qui pro lege 1076.
Auctoritas. In re morali, theologorum I, 70. Ad solvenda sponsalia II, 951.
Auditio. V. *Missa, Concio, Horæ canonicæ.*
Auditor. I, 356.
Augmentum. Rei furtivæ II, 248.
Aurifabri. I, 366.
Auriga. I, 368.
Aurora. Quoad Missam II, 547.
Autorizabilis institutio. II, 872.
Avaritia. I, 441. Ecclesiasticorum II, 560.
Aves. V. *Occupatio.* Observare eas an superstitiosum I, 770.
Avulsio. II, 42.
Azorius. Clarus II, 1077.
Azymus. II, 504.

B

Bailly. Prohibitus II, 1076.
Balbutiens. Irregularis II, 851.
Baldachinum. Non benedicitur II, 566. In expositione Ss. Sacramenti 492.
Balsamum. II, 472.
Banna. V. *Denuntiationes.*
Bannez. Scientia eminet II, 1076.
Baptismus. II, 418. Necessitas 419. Materia 420. Quæ pars corporis abluenda 422. Infans in utero matris 423. Forma 424. Minister 427. Quando ministrandus 432. Quo loco 434. Subjectus 435. Quoties datur 436. Probatio *ibid.* Infans si monstruosus, vel abortivus, vel expositus 437. Si filii sint hæreticorum 442; si infidelium 444. Effectus 446. Cærimoniæ 450. Collatus ab hæretico 430. Si detur adulto ob dubium primi Baptismi, an ille debeat confiteri 592. Mala susceptio 841. Baptizare se ipsum; vel puerum ideo projicere in flumen; vel alteri eum supponere qui aquam infundit 424. Baptismus campanarum 435. Puer sine Baptismo defunctus I, 539.
Baptismus Joannis. II, 447.
Baptismus Flaminis. II, 448.
Baptismus Sanguinis. II, 449.

Baptisterium. II, 434.
Barbitonsor. Quoad jejunium I, 222. Festa 763.
Barbosa. Perdoctus II, 1076.
Beati. An habeant fidem I, 826. Invocandi 663, 699.
Becanus. Malleus calvinistarum II, 1077.
Bellum. Clericis prohibitum I, 248. Conditiones II, 309. Qui se substrahunt 313.
Benedictio. Paramentorum II, 566. Matrimonii 1023. De benedictionibus nonnullis, quæ superstionem fovent I, 779. In articulo mortis II, 791. Quid, quotuplex 416. Gulæ 567.
Beneficiatus. Quando tenetur ad Horas I, 673; etsi excommunicatus 529. Quoad Missas II, 555. Dotes 881. Jura 885. Onera 887. Taxa solvenda gubernio in ejus consecutione 885.
Beneficium. Privatur excommunicatus I, 532. Si per simoniam acquisitum 814 et seqq. Quoad Ordines II, 814; titulus 825. Quid 861. Divisio *ib.* Nominatio 864. Electio 865. Libera collatio et possessio 872. Per concursum 873. Reservatum 878. Devolutum 880. Dotes 881. Electio indigni 884; minus digni 884. Amissio 894. Resignatio 898. Renuntiatio 895. Permutatio 899. Regressio, subrogatio, transactio 902. Incompatibile 861. Beneficia impropria 863. Quid suppressio, divisio, unio 862. Reparatio 893.
Beneficium inventarii. II, 60. V. *Bona.*
Berardi. Doctus II, 1077.
Berengo. Clarissimus II, 1077.
Bertagna. Doctus II, 1077.
Bertrand. Doctor famosus II, 1077.
Bestialitas. I, 477.
Biblia. Qui edit sine licentia I, 628. In lingua vulgari 861, 870.
Biblismus. V. *Societates.*
Bigamia. Quoad irregularitatem II, 853. In matrimonio 913.
Billuart. Probabiliorista admodum moderatus II, 1076.
Binandi facultas. II, 559.
Biviratus. II, 913.
Blasphemia. I, 791. Divisio 792. Gravitas 794. Quæ explicanda 794. Qui consuetudine tenetur 794. Pœnæ 794. Variæ locutiones 795. Remedia 797.
Bolgeni. Eruditus II, 1077.
Bona. Filiorum II, 23. Ecclesiastica; qui usurpant, pœnæ I, 583, 588, 629; facultates tributæ 630, etc. Ecclesiasticorum quot II, 17. Uxoris 27. Derelicta, vacantia. Inventa 38. Ecclesiæ quoad præscriptionem 90. Aggressor bonorum 326.
Bonacina. Inter summos II, 1077.
Bona fides. Ad præscriptionem II, 82. Bonæ fidei possessor 243. In ea qui est ordinarie relinquendus 732.
Bonaventura (S.). Doctor seraphicus II, 1077.
Bonitas. Clericorum I, 283. Actuum humanorum 33. An duplex in uno actu 38. Bonum ex integro 41.
Bouvier. Pietate et doctrina clarus II, 1077.
Brevia, Bullæ. I, 115.
Breviarium. I, 680. Qui amittit 697.
Brindisi prout in usu. I, 485.
Bulla. I, 115. Cruciata 227. Nunc II, 872. Qui Bullas adulterat I, 579, 622.

Bursa. Non benedicitur II, 565.
Busembaum. Concinnitate mirandus II, 1077.

C

Cabassutius. Prudens II, 1076.
Caducitas. Testamenti II, 71.
Cæcus. Quoad Missam I, 190. Horas 697. Irregularis II, 851.
Cærimoniæ. Sacramentorum II, 414. Baptismi 450. Confirmationis 484. Missæ 567. In matrimonii celebratione 1022, 1023.
Cæsarea operatio. II, 464.
Cæsio arborum. II, 229. Beneficii 887.
Cafeum. Quoad jejunium I, 212.
Calendarium. Ad Horas I, 680.
Calix. Quomodo execratur I, 802. Qui requiritur II, 565. Ejus usus laicis interdictus 494.
Calotta. Deferendo Viaticum II, 500. In Missa 570.
Calumnia. II, 343.
Cambium. II, 158. Ecclesiasticis prohibitum I, 254.
Cammarus. In jejunio I, 227.
Campanæ. Quoad sonum, Baptismum, inscriptiones II, 435, 445. Ad vocandos acatholicos I, 929.
Cancellarius. I, 357.
Cancelleriæ. Regulæ I, 118; II, 878.
Candelæ. Ad Missam II, 565.
Candidus. II, 1077.
Canones pœnitentiales II, 640, 1069.
Canonicus. Obligationes I, 262. Pœnæ si admittunt ad sedem episcopalem ante exhibitionem Bullarum 590. Excusatur a residentia 264. Honorarius 265.
Cantores. Quoad jejunium I, 224.
Cantus. Colendus a clerico I, 243. Ne nimium protrahatur II, 567. In eo ne fœminæ adhibeantur *ib.* Novum Antiphonarium 567. Parochus illum in sacra liturgia curet I, 271.
Capellania. II, 863. Ad Ordines, 825.
Capellanus. Obligationes I, 280.
Capellanus militum. II, 311.
Capilli. Abluti in Baptismo II, 422.
Capite damnati. Communicandi II, 517.
Capitulum. Cathedrale quoad leges I, 109; quoad servitium Episcopi 263. Electionem Vicarii 261.
Caramuel. Doctus Episcopus II, 1077.
Carbonarii. V. *Societates.*
Carcere inclusi. An possint fugere I, 352. Quoad matrimonium II, 984. Quoad Pascha 497.
Carentia Breviarii. I, 697.
Caritas. I, 884. Divisio 886. Objectum 887. Erga Deum 889; erga se 891; erga proximum 892; erga inimicos 894. Ordo 899. Officia 901. Vitia opposita 914. Caritas ad martyrium II, 449. Ad contritionem 602.
Carnes. Abstinentia I, 200. Qui tribuit in die jejunii 215. Causa excusans 219.
Carnifex. An irregularis II, 854.
Carrière. Doctus et copiosus II, 1076.
Carta-moneta. II, 170.
Caseus. In jejunio I, 217.
Casse di risparmio. II, 150.
Cassiere. II, 200.
Cassinenses monaci. Doctissimi II, 1077.
Castitas. I, 934. V. *Cœlibatus.*
Castor. In die jejunii I, 227.
Castra. Deserere II, 312.
Castrare. An licitum II, 315.

Castrensia bona. II, 23.
Casula. II, 565.
Casus. Reservati II, 709 et seqq. Pauci sint 710. In Novariensi 773, Congregationes ad illos resolvendos I, 116. Casus occurrentes in Missa II, 584.
Catechismus catholicus. Quanti habendus I, 384.
Catechizare. Tenetur Parochus I, 274. Et alii clerici I, 282; quæ normæ 843.
Catholicismus liberalis. I, 872.
Caupo. Qui carnes tribuit die vetito I, 215.
Causa. Qui illam ponit I, 14. Excusans a lege 161. A Missa 198. A censura 506. Ab Horis 695. Qui se immiscet in causa sanguinis II, 854. Excusans a restitutione 296; famæ 352.
Celebratio Missæ. Quoad parochum I, 277. Quoad peregrinos et exteros sacerdotes II. 565. Celebratio matrimonii 1022.
Censura. Quid I, 494. Divisio 495. Quis ferre potest 496. An possint hæretici, excommunicati, suspensi 499. Materia 502. Subjectus 500. Causæ excusantes 506. An excuset ignorantia 507; metus 508; an appellatio 511. Absolutio 513. Impediti Romam adire *ib.* Quæ species 516. Justitia 522. Effectus 520. Ex Const. *Apostolicæ Sedis* 558. An quis ligari pluribus censuris 503, 515. Monitio præmittenda 504. Sobrie ferenda II, 710. Censuræ in Novariensi diœcesi II, 774.
Census. II, 147. Census animarum I, 276.
Cera. In Missa II, 565.
Certitudo. Requisita ad agendum I, 60. Fidei 830; spei 878.
Cervisia. Quoad jejunium I, 212.
Cessatio Legis. I, 178; dispensationis 177. *A divinis* 556.
Cessio bonorum. II, 297.
Character sacramentalis. II, 413.
Chartis ludere. Quoad ecclesiasticos I, 253. Quoad alios II, 213.
Chirographa. Vendere II, 128.
Chirographum. Gregorii XVI, II, 1070.
Chiromantia. I, 773.
Chirotecæ. Non induendæ in sacris functionibus I, 243.
Chirurgus. Obligationes I, 362.
Chocolatum. In jejunio I, 214.
Cholera. V. *Pestis.*
Choreæ. Quoad ecclesiasticos I, 252. In genere 458.
Chorepiscopi. I, 259.
Chorus. Canonici interessentiâ I, 262. Quoad Officium 676.
Chrisma. II, 472.
Cibus. Ante Communionem II, 527; sumere ob voluptatem I, 481. Prohibiti in jejunio 200.
Cingulum. II, 565.
Circumcisio. II, 374.
Circumstantia. Quid, quotuplex I, 39. An confitenda II, 619.
Civilitas moderna. I, 872.
Clandestinitas. II, 979.
Claudus. Irregularis II, 851.
Clausura. Regularium I, 306, 604.
Clementia. I, 942.
Clerici. V. *Ecclesiastici.* In odiosis non veniunt episcopi, dignitates, canonici II, 861.
Coadjutor. Obligationes I, 280.
Coadjutoria. II, 863, 877.
Codex. Civilis I, 124.
Cœlibatus. Ecclesiasticorum I, 240. V. *Virginitas* 935. Est melior quam matrimonium *ib.* Cœlibatus vitiosus *ib.*

Cœmeterium. Qui in sacro non sepeliendi I, 539. Si longi distet, 541; jurisdictio 541. Quoad Inscriptiones *ib.*
Cœnula V. *Collatiuncula.*
Cogitationes malæ. In ecclesia I, 471.
Cognatio. Quid, quotuplex II, 926. Cognatio naturalis, dirimens matrimonium 963; spiritualis 962; legalis 968.
Cohabitatio. Cum muliere I, 250.
Collatio. In hæreditatis divisione II, 63. Libera collatio 872.
Collatiuncula. In jejunio I, 217.
Collet. Doctus et perrigidus II, 1076.
Colloquia. V. *Conferentiæ.*
Color. Paramentorum II, 565.
Columbæ. II, 36.
Coma adscititia. II, 570.
Comitas. I, 942.
Commaternitas, Compaternitas. II, 1010.
Commenda. II, 861.
Commendatitia. I, 641; II, 814.
Commemorationes in Officio. I, 673. Quoad sponsos II, 1023.
Commixtio. II, 43.
Commodatum. II, 202.
Communicatio. Cum excommunicatis I, 519, 535. Cum suspensis 549. Cum excommunicato a Papa 614. Cum hæreticis 856; cum infidelibus 848.
Communio bonorum. II, 161. Inter conjuges II, 27. V. *Societas.*
Communio. Paschalis II, 496. Quomodo distribuenda 515. Qui eam in mortali distribuit 391. Quibus ministranda 516. An statim expuere licet post Communionem, bibere et manducare 529. Quoad reliquias cibi inter dentes 500. An dari possit non jejuno 531, 529. Quæ frequens 534; regulæ 538. Spiritualis 539. Ad Ordines suscipiendos 832. In Missa defuncti 515. Prima Communio 498.
Communismus. II, 8. *La Comune* I, 102.
Commutatio. Voti I, 723. Pœnitentiæ II, 646.
Comœdiæ. V. *Theatra.*
Compatibilitas. Beneficiorum II, 861, 881.
Compellere. Ad fidem I, 860.
Compensatio. II, 298.
Complacentia. Mala I, 430.
Complex. In peccato turpi qui absolvit, pœna I, 580. An valeat absolutio II, 721. Ejus manifestatio 723. Ejus inquisitio 725. Quoad restitutionem 261.
Compositio. II, 298.
Compromissum. I, 341.
Computatio. Civilis, canonica II, 78.
Conceptio. B. Mariæ Virginis immaculata I, 396. Fœtus II, 320.
Conciliatores. I, 342.
Concilium. Tridentinum et Vaticanum I, 114. Errores damnati in Vaticano 964; in Tridentino 963. In aliis Conciliis 943. Eorum auctoritas I, 109, 114.
Concina. Rigidissimus II, 1076.
Concionator. V. *Prædicator.*
Concordata. I, 577. Cum gaberniis usurpatoribus II, 864.
Concordia. Ecclesiasticorum I, 244.
Concubinarii. Absolutio et directio I, 461, 390. Reservatio I, 462; II, 773.
Concubinatus. I, 460 et seqq.
Concupiscentia. Quid I, 22. Amor concupiscentiæ 883.
Concursus. Ad Beneficia II, 873.
Conditio. Ad legem I, 140; orationem 660 juramentum 735; ad

votum 708; ad testamentum II, 72; ad præscriptionem 82; ad contractus 93; ad contritionem 597; ad confessionem 616; propositum 608. In Sacramentis 381; in absolutione 693; in matrimonio 911. Si turpis in conventione 94. In sponsalibus 937.

Conditionis impedimentum dirimens II, 960. Impediens 945.

Condonatio. Debiti II, 298. Missarum 563.

Conductio. V. *Locatio.*

Conferentiæ. Inter pœnitentem et confessarium II, 743.

Confessarius. Quoad jejunium, an dispenset I, 220. An dispensetur 224. Dotes II, 727, 737; ut pater 727; ut medicus 728; ut doctor 729; ut judex 734. Debet disponere pœnitentem 727; morbi causas agnoscere 728. Scientia pollere 730; si ignarus 731; docere 732; exquirere numerum peccatorum 734. Sit pius, fortis, cautus 737; cum pueris 739; mulieribus 740; sponsis 741; conjugibus 742; monialibus 744; devotis 743. Libertatem pœnitenti dare debet, ut alio confiteatur 738. V. *Confessio.*

Confessio. Quoad Regulares I, 301. Institutio II, 611; ejus præceptum 613; quoties et quos obligat 613; dotes 616. An omnia peccata sint confitenda 618; circumstantiæ 622; in dubio 624; si oblitum peccatum 626. Accusatio in genere 628. Excusantes causæ 630. Iteratio confessionis 632. Generalis 635. Effectus 674. Quoad vestem, locum, tempus, modum 726. Quoad sigillum 745. Errores corrigendi 759. Si interveniat sollicitatio 761.

Confessionale. II, 726. Quoad sollicitationem 769.

Confidentia. In simonia I, 805.

Confirmatio. II, 467. Materia 472. Forma 475. Minister 476. An Episcopus debeat confirmare 478. Quando, quomodo 479. Subjectus 480. Effectus 483. Necessitas 470. Cærimoniæ 484. Ad Ordines 821.

Confraternitas. A parocho sustinenda I, 271. Eorum bona 626.

Confusio. II, 43. Quoad extinctionem obligationis 98.

Congregationes. Sine votis solemnibus I, 329.

Congregationes Parochorum. I, 266. Laicorum 273.

Congregationes Romanæ. Quæ, quot I, 116. Auctoritas 117. Earum vocabula explicantur 120. Quare non semper concordes 120.

Coninchius. Præpolitus II, 1077.

Conjuges. Obligationes I, 385. V. *Maritus, Uxor, Mulier.* Si castitatem voveant 729. Quoad hæreditatem II, 58, 79. Directio 742. Baptizantes prolem 1056. V. *Divortium, Adulterium.*

Consanguinitas. II, 963.

Conscientia. I, 46. Obligatio 46. Divisio 47. Antecedens et consequens 48. Recta et erronea 49; an monendus pœnitens de erronea 50. Perplexa 51. Scrupulosa 53; signa, remedia scrupulosi 54. Laxa 58. Certa 60. Dubia 61; dubium practicum et speculativum 62 et seqq. Probabilitas 66, 72. Matrimonium *conscientiæ* II, 909. Suspensio *ex informata conscientia* I, 547. Conscientiæ libertas 46.

Conscripti. II, 313.
Consecratio. Ecclesiæ II, 550. Vasorum sacrorum 566. In Missa 511. In sacerdotis ordinatione 835.
Consensus. Ad peccatum I, 412. Ad contractum II, 104; ad matrimonium II, 910. In solutione sponsalitia 940. Parentum ad sponsalia filiorum 932.
Consentiens. Ad damnum II, 275.
Consiliarius. Regis I, 331.
Consilium. Damnosum II, 273. Semper in re gravi postulandum est 817.
Constitutio Apostolicæ Sedis. I, 558.
Consuetudinarii. II, 688.
Consuetudo. An habeat vim legis I, 183. An mala evellenda 188. Abrogatio 187.
Consulat probatos auctores. I, 120.
Contemplatio. I, 665.
Contemptus. Legis I, 145. Censuræ 502.
Continentia. V. *Cœlibatus.*
Contractus. In genere II, 99. Requisita 101. Subjectus 102. Materia 103. Consensus 104. Quæ adversantur 105. Si juramentum accedat 110. Absque solemnitate 111. Interpretatio 112. In specie 115. Aleatorius 211.
Contritio. II, 596. Conditiones 597. Necessitas 598. Divisio 600. Si perfecta 602. Ad Baptismum sanguinis 449.
Contumacia. I, 502.
Contumelia. II, 353. Quomodo reparatur 354. Quomodo toleranda 355.
Convalidatio. Matrimonii II, 1026.
Conventio. V. *Contractus.*
Conventionalis. Pœna I, 148. Simonia conventionalis 805.
Convicium. II, 353.
Convisitatores. II, 892.
Convivia sæcularia. Quoad clericos I, 267, 251.
Cooperatio. Quid I, 928. Quæ materialis et formalis *ib.* Quando non licet, et quando licet, resolutiones 929. Damnosa II, 261.
Cooperatores. An teneantur in solidum II, 267.
Copula. Sponsi cum alio, cujus speciei I, 459. An Ecclesiam polluat II, 551. Quoad matrimonii dispensationem 1009.
Coquus. Quoad jejunium I, 222.
Corpora moralia. II, 21.
Corporale. II, 565.
Corporis defectus. Quoad irregularitatem II, 851. Sponsalia 945.
Corpus. Juris canonici I, 112; civilis 124. Corpus tuendum 891; II, 316.
Corradus Pyrrus. Commendatus II, 1077.
Correctio. A parocho facienda I, 276. Parentibus 376; dominorum 388; magistrorum 382. Fraterna 907; conditiones 911. Ordo, regulæ 912.
Corvus marinus. In jejunio I, 227.
Covaruvius. Clarus I, 1076.
Craniotomia. II, 320.
Credibilitas. Fidei II, 831.
Creditores. Occisi I, 305. Ordo solutionis 288.
Creditum. Si vendatur I, 128.
Crematio. I, 541.
Crimen. Quando deductum ad forum contentiosum I, 561; II, 1017. Quando occultum I, 561. Quoad irregularitatem II, 844. Ad solvenda sponsalia 942. Impedimentum criminis 969.

Croix. A Benedicto XIV laudatur II, 1077.
Cruciata (Bulla). I, 227.
Crux. Ad Missam II, 565. An benedicenda 416. Pastoralis Episcopi 806.
Culpa. Ad censuram I, 502; restitutionem II, 253. Juridica 257.
Cultus. A parocho curandus I, 271. Deo debitus 653. Sanctorum Reliquiarum 699; publicus, privatus 700. Eucharistiæ II, 490.
Cultus disparitas. II, 970.
Cuniculi. II, 35.
Cuniliati. Concinnus II, 1076.
Curator. I, 380.
Currus. Ducere in festo I, 755. In funere I, 541; II, 580.
Cursus aquarum. II, 42.
Custodes. I, 370.

D

Dæmon. Possessio, obsessio dæmonis I, 782. Tentat 399. Fidem an habeat 826. Ei maledicere 795. Concubitus con dæmone 477.
Damnati. An habeant fidem I, 826. Spem 877. Non diligendi 892.
Damnificator. V. *Damnum*.
Damnum. Qui illud causat II, 241, 253. In mutuo II, 176. Excusans a restitutione 293, 296.
D'Annibale. Perdoctus et eruditissimus II, 1077.
Darwinianum systema. I, 847.
Dataria. I, 118, Circa dispensationes II, 1008, 1015.
Debita. Quo ordine, cui, quando solvenda II, 285 et seqq.
Debitum conjugale. An impediat Communionem II, 536. Quid agendo de hac materia 1036. Honestas 1037. An præceptum 1038. An negandum ob moltiplicatos filios vel aliud damnum *ib*. Si petitio peccaminosa 1038, 1044. Si sponsus amens, ebrius, excommunicatus 1038. Tempore prægnationis, fluxus menstrui, purgationis, lactationis *ib*. Finis pravus 1041. Locus, tempus, modus conveniens 1039. Actus turpes 1043. Amissio juris 1050.
Decentia. Ad Communionem II, 525.
Deceptio. V. *Simulatio*.
Decimæ. I, 229. Qui non solvit 629.
Decreta. V. *Congregationes*, II, 369.
Decretales. I, 112.
Decretum Gratiani. I, 112, 113.
Dedicatio Ecclesiæ. V. *Consecratio*.
Defectus. In Missa occurrentes II, 584. In Confessione quomodo corrigendi 759. Quoad irregularitatem II, 847 et seqq. Ad solvenda sponsalia 943.
Defensio. V. *Aggressor*.
Deflorator. V. *Stuprum*.
Deformitas. In sponsa II, 943; quoad irregularitatem 847.
Defunctus. Orare pro defunctis I, 662. Illis detrahere II, 347. Apparitio I, 771. An utiliter invocentur 663. Missa pro illis II, 580.
Degradatio. I, 557.
Deismus. I, 846.
Delama. II, 1077.
Delator (spia). I, 344.
Delbene. Doctus II, 1077.
Delectatio. De malo I, 431. Venerea 445. Sensibilis 446.
Delegatio. I, 105, 173; II, 698, 986.
Delegatus. An subdeleget I, 106, 173. Ad matrimonium II, 988.
Deliberatio. Ad peccatum I, 412. Ad votum 704.
Delictum. II, 114.

De-Lugo. Magnæ auctoritatis auctor II, 1077.
Dens. Pius et doctus I, 1076.
Denudatio. V. *Aspectus, Mulieres.*
Denuntiatio. I, 344. Pœnæ in eum qui omittit denuntiare massonos I, 600. Sollicitantes 627. Hæreticos 855. Sollicitatoris II, 766. Matrimonii 995. Pro Ordinibus 819. *Supertitiosi* I, 766.
Depositio. I, 557.
Depositum. II, 197.
Deputati. Electio I, 332. Seminarii 283.
Derelicta bona. II, 38.
Derisio. II, 353.
Desertores. A militia II, 312.
Desiderium. Malum I, 428. Possidendi Deum an caritas 885. Bonum præmio dignum 42.
Desperatio. I, 880.
Desuetudo. I, 185.
Detorri. Elegans II, 1076.
Detractio. II, 343. Detrahere in pluribus II, 338; coram pluribus 339. An aliquando liceat crimen revelare 345. Resolutiones 347. Audiens 348. Restitutio famæ 349.
Detur Decretum generale. Quid I, 120.
De-Varceno. Concinnus II, 1077.
Devolutio. II, 880.
Devoti. Quoad directionem II, 743.
Devotio. I, 654. Mensis Maji 663.
Diabolus. V. *Dæmon.*
Diaconatus. II, 804.
Diaconus. Quoad Baptismum II, 429. Eucharistiæ distributionem 514. Officia 804.
Diana. Eruditus II, 1077.
Diaria. Mala I, 569, 862 et seqq. Bona promovenda 873.
Dicastillus. Doctus II, 1077.
Differentia. Peccatorum I, 408.
Difficultas. Quoad leges I, 143. Missam 198; jejunium 221; Officium 697.
Digestum. I, 124.
Digitus. Qui adhibendus in Eucharistiæ distributione II, 515. Qui caret, an irregularis 851. In Unctione 781.
Dignus, Dignior. Quoad Beneficia II, 884. In electione deputatorum I, 332.
Dilata. Quid significat I, 120.
Dilatio. Absolutionis II, 677. Debiti solutionis 289.
Dilectio. V. *Caritas.*
Dimissoriæ. I, 642.
Diodati. Ejus Biblia I, 566.
Directio. V. *Confessarius, Confessio.*
Director. V. *Confessarius, Confessio.*
Discessus. Sponsi, an solvat sponsalia II, 947.
Disciplina. Ecclesiæ est illam statuere et immutare II, 796. Arcani I, 844.
Discipulus. Obligationes I, 383.
Discordia. Inter patronos II, 870. Ecclesiasticorum I, 244. Quoad opiniones 933.
Disparitas. Conditionis in sponsis II, 945; stupro 329; nuptiis 960.
Dispensatio. In lege naturæ I, 98. Legis generatim 169. An dispensari possint peregrini 174. Si vitiosa 175. Quando cessat 177. A jejunio 220. A Missa 198. Ab Horis 695. Voto 717. Juramento 747. In festis 763. — *Impedimenti matrimonii* II, 1004; in impetratione, quid exponendum 1009; ejus executio 1015. Formulæ variæ 1019. A bannis 1001. *In forma pauperum* 1008. Concessa et concedenda 1018.

Dispersio. Regularium I, 322.
Dispositio. Ad Sacramenta suscipienda II, 401. Baptismum 432. Confirmationem 482. Pœnitentiam 598. Ordinem 816. Matrimonium 1022. Communionem 518.
Disputatio. Cum hæreticis I, 857. Methodus 2.
Dissimulatio. In Sacramentis II, 398. Fidei I, 839.
Dissolutio. Sponsalium II, 939. Matrimonii II, 1057. Contractus 98.
Distantia. Excusans a Missa I, 198.
Distinctio. Peccatorum I, 406 etc.
Distractio. In Missæ auditione I, 195. In Horis 691. In oratione 660.
Distributio. Eucharistiæ II, 515.
Distributiones. Canonicales I, 262.
Divinatio. I, 769.
Divisio. Hæreditatis II, 63. Beneficii 861.
Divites. An laborando excusentur a jejunio I, 221. An frui possint reditibus Beneficii II, 17.
Divortium. II, 1057; quoad vinculum 1058. Quoad thorum et habitationem 1062. Monita 1064. Ex lege civili, qui effectus 79, 1035.
Doctrina. An aliquid accipere liceat pro ea tradenda I, 811. Fidem probat 832. Pueris tradenda 274, 843.
Dolor. V. *Contritio.*
Dolus. In contractu II, 107.
Domicilium. Quoad leges I, 136. Quoad Ordines II, 813. Ad matrimonium 984. Civile non sufficit *ib.*
Dominium. II, 5; divisio 6; origo 7; objectum 9; hominis in hominem 11. In ea quæ sunt proprii ingenii 12. Peccatorum 15; parvuli 14; Ecclesiæ 16; Ecclesiastici 17. Filii 23. Uxoris 27. Modi illud acquirendi 33.
Dominus. Obligationes I, 388. Si mandet famulis operari in festis 762. Quoad vota famuli 728.
Domus. Parochialis habitanda I, 269; reparanda II, 893. Quoad jus habitationis 232. Locare eam meretrici I, 929.
Dona. Data judici I, 337.
Donatio. II, 184. Manualis 189. An liberet a debito 295.
Dos. Quoad moniales I, 304, 815.
Dotes. Magistri, studiosi I, 4. Ecclesiasticorum omnium I, 237. Clericorum 283. Confessarii II, 726 et seqq. Beneficiati 881.
Dubitatio temeraria. II, 340.
Dubium. I, 61; conscientia dubia *ib.* Quotuplex *ib.* Si speculativum 62; si practicum 63. An satisfeceris obligationi 65. An consenseris 434. Circa Officii recitationem 674. De voto 710. Circa fidem 851. Possessor dubiæ fidei II, 236, 246. In dubio prolis II, 334. Dubia an in meliorem partem accipienda 341. In dubio vomitus quoad Communionem 500; in dubio an aliquid comederis post mediam noctem 530. An morbi status sit mutatus quoad Extremam-Unctionem 792. De matrimonii validitate 1050. In dubio usus rationis quoad leges I, 133; quoad absolutionem II, 693. An tunc possideat præceptum I, 64.
Duellum. Pœnæ I, 598; quid II, 318.
Dulciola. In die jejunii I, 213.
Dulia cultus. I, 698.
Duratio. Prandii in jejunio I, 211. Missæ II, 557.
Duities. Avaritiæ filia I, 441.

Duval. S. Vincentii dux II, 1077.
Dux exercitus. II, 311.

E

Ebrietas. Peccatum I, 482. Mala in ea admissa 484.
Ecclesia. Ad audiendam Missam I, 196. Si polluatur II, 551. Si execretur *ib.* Furtum in ea I, 800. An capax dominii II, 16. Reparatio 887, 893.
Ecclesiæ vetitum. II, 955.
Ecclesiastici. Quoad studium Theologiæ moralis I, 4. Juris canonici 119. Civilis 126. An teneantur legibus civilibus 134. Quæ prohibentur illis 247. Quæ præscribuntur 237. Qui eos percutit, pœnæ 596. Capaces dominii II, 17. Qui indiscretis benedictionibus superstitionem favent I, 779. Dotes 237, 283.
Educandæ. In monasterio I, 327. Quoad nuptias II, 984.
Effectus, Efficacia. Quando imputatur I, 13. Si ex causa sequatur duplex effectus 14. Peccati mortalis 435; venialis 438. Excommunicationis 520. Suspensionis 545. Originalis peccati I, 397. Sacramentorum II, 409. Baptismi 446. Confirmationis 483. Eucharistiæ 540. Pœnitentiæ 674. Extremæ-Unctionis 777. Ordinis 808. Matrimonii 908. Sponsalium 929.
Ejectus. A religione I, 320. Pœna 644.
Elbel. Nitidus II, 1077.
Electi. An multi sint I, 882.
Electio. Deputati et Municipalis I, 332. Ministrorum Ecclesiæ II, 796. Ad Beneficium 865. Status melioris in sponsis 949.
Electores. V. *Deputati.*
Electuaria. In die jejunii I, 213.
Eleemosyna. Facienda I, 903. Fictus pauper II, 252. V. *Superflua.*
Embriotomia. II, 320.
Emphyteusis. II, 145.
Emptio. V. *Venditio.*
Emptor. Obligationes II, 121. Rei furtivæ 245.
Energumeni. An communicandi II, 517. Irregulares 849.
Epikia. I, 167.
Epileptici. An communicandi II, 517. Irregulares 849.
Episcopatus. II, 806. An illud liceat appetere 807.
Episcopus. Leges fert I, 109. Quoad monasterii visitationem 325. Quoad censuras ferendas 499. Facultas ex cap. *Liceat* ei tributa 561. Dispensat a lege 172; a jejunio 220. A juramentis 747. In votis 717. — Obligationes I, 258. Tenetur Missam applicare 277. Casus reservat II, 714. Et passim suis locis. — Quæ potestas 806. Si agat ut *apostolicæ Sedis delegatus* ib. Episcopi *fratres* a Papa vocantur *ib.* Quomodo excipiendus Diœcesim visitans II, 892.
Erectio Viæ Crucis. II, 666.
Error. In persona damnificata II, 260. In voto I, 705. In Horis 686. In matrimonio II, 959; contractu 106. In confessione, an corrigendus a confessario 759. Errores contra fidem damnati I, 963 et seqq.
Escobar. Doctus II, 1077.
Estius. Fundatissimus II, 1078.
Eucharistia. II, 485. Uti Sacramentum 486. An sit unum vel duplex Sacramentum 487. Cultus 490. Necessitas 493. Per Viati-

cum 500. Materia 503. Panis *ib.* Vinum 506. Forma 511. Minister 514. Distributio 515. Subjectus 516; amens, delirans; surdus, mutus, capite damnatus, epilepticus, obsessus *ib.* An sumenda sub utraque specie 494. Dispositiones ad illam suscipiendam 518. Præparatio remota 520. Præparatio proxima 522. Jejunium requisitum 527. Frequens susceptio 534. Effectus 540. An pollutio illam impediat 521; an actus conjugalis 536. An prosit eam non sumentibus 541. Uti sacrificium 542. Ubi Eucharistia servanda 491. Visitanda 439.

Eunuchus. II, 315, 851.

Eutrapelia. I, 941.

Evictio. II, 117.

Evidentia. Fidei I, 831.

Examen. Conscientiæ II, 620. Testium in matrimonio 1070. Confessorum et Ecclesiasticorum 697.

Examinatores. Si quid accipiunt I, 815. Eorum munus II, 880.

Excommunicatio. Quid I, 517. Quotuplex 518. Effectus 521. Justitia 522. *Apostolicæ Sedis* 558.

Excommunicatus. Vitandus, non vitandus privatur Sacramentis I, 523; suffragiis 526; officiis divinis 527; beneficiis 532; communione forensi; civili; jurisdictione; sepultura ecclesiastica 435. An teneatur curare absolutionem ad implenda præcepta 542. Si velit esse patrinus II, 457.

Execratio. Calicis I, 802.

Executor. Testamentarius II, 70. Dispensationis 1015.

Exemptio. Regularium I, 297.

Exequatur Regium (Pareatur). Pro legibus Ecclesiæ non requiritur I, 107, 577. Neque ad censuras ferendas 495. Pro beneficiis II, 885.

Exhæredatio. II, 59.

Exercitia spiritualia. Pro professione religiosa I, 319. Pro ordinandis II, 826. Pro ecclesiasticis I, 239.

Exercitium. Ordinis II, 822.

Exorcismus, Exorcistatus. I, 732; II, 802.

Expensæ. Ad restitutionem II, 291.

Experientia. Triennalis quoad conjuges I, 85; II, 992.

Expositio. Eucharistiæ II, 492, 567.

Expositus. Qui prolem exponit I, 375; II, 336. An baptizandus 440. An irregularis 847. Ejus jura 77. Matrimonium 984.

Exteri. Quoad testamentum II, 46; quoad matrimonium 984, 1072. Quoad censuras I, 500; absolutionem 513. Quoad dispensationes 174.

Extrema-Unctio. Regulares, si præsumant eam ministrare I, 611; II, 784. — Quid 775. Necessitas 776; effectus 777. Materia 778. Quomodo unctio fit 779. Forma 282. Minister 784. Subjectus 787. Vestes et alia requisita 791. Dispositio infirmi 789. Quoties ministrari possit 792. Quando 791. In dubio an morbus sit mutatus 791. An Oleum possit domi retineri 778.

F

Fabrica. S. Petri I, 118.

Facto verbo cum Sanctissimo. I, 120.

Factum usurpationis. II, 8.

Facultates. S. Pœnitentiariæ I, 969. Pro Episcopis 970.
Fagnanus. Ex rigidioribus II, 1076.
Falsificatio. Literarum Apostolicarum I, 579. Illis utentes 622.
Fama, II, 337. Restitutio 349. Causæ excusantes 352. Ejus defectus quoad irregularitatem II, 855.
Familiares. Ordinatio ratione famulatus II, 815.
Famula. Ecclesiasticorum I, 250.
Famuli. Obligationes I, 389. Si peccant cum hero. Si ægrotent. Si damnum afferant 390. Quoad cooperationem 929. Quoad compensationem II, 300. Furtum 370.
Faure. Commendatus II, 1077.
Feniani. I, 600, 603.
Feriæ autumnales. Pro clericis I, 283. Sacrarum Congregationum Romæ II, 1019.
Ferrari. Genuensis, eruditus II, 1077.
Ferrarius. Doctissimus II, 1079.
Festa. Observatio I, 749. Institutio 750. Obligatio 752. Opera tunc prohibita; permissa 754. Materia gravis 761. Causæ excusantes 763. Solemniora quænam sunt II, 555.
Feudum. II, 145.
Fiber. Quoad jejunium I, 227.
Fideicommissum. II, 68.
Fidejussio. II, 194.
Fides. I, 820. Divisio 822. Objectum 823; subjectus 826. Fides catholica et divina 822. Fontes 824. Analysis 831. Scientiam non timet 829. An creverit 824. Præstantia 828. Obscuritas. Certitudo. Credibilitas 830. Necessitas 833. Actus fidei internus 834; externus 837. Negatio, occultatio 839. Quæ fidei opponuntur 845. An ad eam liceat compellere 860. Ad præscribendum II, 82. In ministro Sacramentorum II, 390.
Fiduciarius hæres. II, 68.
Filius. Obligationes I, 378. Bona II, 23. Si extraordinarie laboret in domo patris 26. — Quoad hæreditatem parentum 57. — Si naturalis 59, 79. Legitimus, adulterinus, incestuosus, etc., adoptivus, agnitus, legitimatus 77. — Capax dominii 14. Quoad statum religiosum I, 376. Furtum II, 369. — Hæreticorum et infidelium an baptizandus 441. Quoad matrimonium 922.
Finis. Quid I, 37. Quotuplex *ib.* Dat actui moralitatem 38. In matrimonio II, 915; in usu conjugii 1041.
Fiscus. Quoad bona derelicta II, 38; vacantia 79.
Flores. In altari II, 565.
Fluxus menstruus. II, 1040.
Fœtus. Quoad Baptismum II, 437. An expelli possit 320.
Fontes. Moralitatis I, 33.
Forma. Pro absolutione a censura I, 515; ab irregularitate II, 860. Sacramentorum II, 378. Baptismi 421. Confirmationis 475. Eucharistiæ 511. Pœnitentiæ 669. Extremæ-Unctionis 782. Ordinis 802. Matrimonii 919. Dispensatio *in forma pauperum* 1011.
Formulæ. Pro impetranda dispensatione matrimonii II, 1019; et ea exequenda 1021. Pro absolvendo a peccatis 670; ab irregularitate 860; a censuris I, 515.
Fornicatio I, 459. Inter sponsos *ib.* An solvat sponsalia II, 942.

Fortitudo. Quid I, 939. Confessarii II, 737.
Fotographia. An licita in festis I, 759. An ecclesiasticis 258.
Fourierismus. II, 8.
Fragmenta. Hostiæ consecratæ II, 532.
Franzoja. Perrigidus II, 1078.
Frassinetti. Pius II, 1077.
Fratres Quid sibi debent I, 379. Qui II, 76. Societas 164.
Fraudatio. V. *Tributum.*
Fraus. In contractu II, 107. In ludo 213. In venditione 119.
Frequentia. Dispensationis in matrimonio reprobatur II, 1007. Communionis 534.
Fructus. Missæ II, 571. Percepti a possessore rei 215, 248. Fructuarii 226. Civiles etc. 41.
Fuga. A carcere I, 352; a Religione 321. Tempore persecutionis 838.
Fulices. In jejunio I, 227.
Functiones. Curandæ a parocho I, 271. Si agantur in mortali II, 396.
Funera. V. *Sepultura.*
Fungibiles. Res II, 9.
Funus. Cum curru, cum musica I, 582. Plura decreta II, 582.
Fur. V. *Possessor malæ fidei, Furtum.*
Furiosi. An communicandi II, 517. Ungendi 788. Baptizandi 401.
Furtum. In ecclesia I, 800. Gravitas II, 360. Minuta furtula 363. In sylva 365. Uxoris 366. Filiorum 369. Excusans causa 371. Resolutiones 372. Famulorum 370.

G

Gabella. V. *Tributum.*
Gallus. Expertus missionarius II, 1077.
Gastaldi. Doctus Archiep. II, 1076.
Gaudeat impetratis. I, 120.
Gaudium. De malo I, 430.
Gaume. Multa et bene II, 1077.
Genuflexio. II, 567.
Gestio negotiorum. II, 113.
Ghelardi. Eruditus II, 1076.
Giovine. Perdoctus II, 1077.
Glacies. Ad Baptismum II, 420.
Gonetus. Pius et doctus II, 1076.
Gossipium. In paramentis II, 565.
Gotti. Scientia illustris II, 1076.
Gousset. Operibus plenus II, 1077.
Graduales Psalmi. An præcepti I, 675.
Graduatio. Creditorum II, 288.
Gradus. II, 78, 963. Hierarchiæ 795.
Grando. Ad Baptismum II, 420.
Grassi. Commendandus II, 1076.
Gratia. Sacramentorum II, 410; et de singulis Sacramentis. Concessa vel concedenda II, 1018.
Gratiani Decretum. I, 112.
Gratitudo. I, 941.
Gravitas. Peccatorum I, 408. In furto II, 362. In voto I, 709; in jejunio 211; in opere servili 761.
Grex. Ejus ususfructus II, 229.
Gula. I, 480. Benedictio gulæ II, 567
Gury. Brevis sed lucidus II, 1077.
Gutta. Olei ad Unctionem II, 783. Aquæ in calice 508; in Baptismo. 422.
Gymnasia. Hodierna II, 817. V. *Scholæ.*
Gymnastica. I, 449.

H

Habert. Rigidissimus II, 1076.
Habitatio Ecclesiastici cum muliere I, 250. Mariti et uxoris 385. Ex jure civili II, 232.
Habituatus. Clericus, si Ordines petit I, 284. An absolvendus II, 689.
Habitus malus. Quid I, 25. Ecclesiastici habitus 245.
Hæreditas. Quid, quotuptex II, 44. Testamentaria 45. Ab intestato 74. Acceptatio 60. Divisio 63. Superveniens, an solvat sponsalia 946.
Hæres. Qui vocandus II, 55. Qui incapaces 59. Jura et onera 62. Ne ab ecclesiasticis vocetur propria famula I, 251.
Hæresis. I, 850. Divisio 852. Gravitas 853. De illa judicare *ib.* Pœnæ 564, 854. Fautores, receptatores, etc. 564.
Hæreticus. An denuntiandus I, 855. Prohibetur cum illo communicare 856. Hæresiarca et dogmatizans 563. An habeat jurisdictionem II, 704. Si baptizet 390. Quoad matrimonium 925. Ne patrinus sit I, 856.
Hasta. Venditio (sub), II. 135.
Heroismus. An possit imperari I, 128.
Hierarchia ecclesiastica. II, 794.
Historia. Probat fidem I, 1; Theologiæ moralis 3.
Holographum testamentum. II, 47.
Homicidium, Homicida. Ad quid tenetur II, 304. Si offensus omnia remiserit 304. Si homicidium imputetur innocenti 306. An incurat irregularitatem 845, 854. Quoad matrimonium 969.
Homo. Non a brutis originem habet I, 847.
Honestas. Publica quoad matrimonium II, 974.
Honor. II, 337. Læditur 353; reparatur 354. Aggressor honoris 325.
Hora. Refectionis in jejunio I, 216. Officii divini 676; Missæ II, 547.
Horæ canonicæ. Quoad religiosos et moniales I, 296. Quænam 669. Obligatio 672. Dubitans an dixerit 674. Tempus recitationis 676. Locus. Ordo 669. Breviarium 680. Modus. Cum sociis. Qui mutilat 687. Interruptio 680. Intentio, attentio 691. Distractionis remedia 691. Causæ excusantes 995. Qui erravit 686. An recitans debeat se audire 687.
Horologia. Si variant II, 531.
Hospitale. Parentes qui exponunt prolem I, 375; II, 336. Qui in eo sunt, cui subduntur 984. Erigendum 336.
Hostia II, 504.
Humilitas. I, 941.
Hypotheca. II, 155.

I

Idioma. In Missa II, 568.
Idololatria. I, 767.
Ignis. Inferni et Purgatorii I, 437.
Ignorantia. Quid I, 21. Quotuplex *ib.* An detur in lege naturali 96. In obligationibus proprii status 50. An peccatum 401. Excusat a censura 507. In simonia 816.
Illegitimitas. Illegitimus II, 87. An irregularis 847.

Illusio. II, 353.
Imagines. SS. colendæ I, 699. Novæ in ecclesia 271. Qua forma esse debent ut exponantur 825.
Immemor. Debiti si donet II, 295.
Immersio. In Baptismo II, 421.
Immobilia. II, 9.
Immunitas. Congregatio I, 116. Qui eam violat 602. A censura et irregularitate ad Ordines II, 828. Ecclesiasticorum I, 132.
Impediens. Exercitium jurisdictionis I, 574. A bono II, 255.
Impedimenta. Ad solvenda sponsalia II, 941. — Matrimonii 952; impedientia et dirimentia 956. Eorum denuntiatio 995. Dispensatio 1004. Recursus pro dispensatione 1008. Executio dispensationis 1015. — *Civilia* 1030; impedientia, dirimentia, dispensatio *ib.* 1031. Quis constituere 956.
Impeditus adire Romam. I, 513.
Impensæ. Pro rei conservatione II, 292; translatione 292; pro rei venditæ traditione 118.
Impotentia. Excusat a Missa I, 198; a jejunio 221; ab Horis 697; a restitutione II, 297, 371. *Impotentiæ* impedimentum II, 989.
Imprecatio. V. *Blasphemia.*
Impressio librorum. Si mali I, 566. Sine licentia 864.
Improperium. II, 353.
Impubes. Qui I, 380. Quoad censuras 500. Quoad sponsalia II, 927; matrimonium 975; ordines 823, 852.
Imputatio. Homicidii II, 306.
Inalphabetus. II, 49.
Incapacitas. Ad hæreditatem II, 59. Ad solvendum 296.
Incestus. Quid I, 468. Privat jure petendi II, 1052. Exprimendus est in dispensatione 1009. Absolutio 1018.
Incisio matris. V. *Operatio cæsarea.*
Incola. Qui I, 136.
Incompatibilitas. Ecclesiastici Beneficii II, 861, 879.
In decisis. I, 120.
In decretis. I, 120.
Indifferens actus. I, 43.
Indifferentismus. I, 872.
Indignus. Quoad hæreditatem II, 59. Quoad Sacramenta II, 404. Quoad Beneficia 884. An liceat eligere indignum ad excludendum indignissimum I, 332.
Indissolubilitas. Matrimonii II, 914.
Indulgentiæ. Pœnæ in quæstum de iis facientes I, 607. Quid II 654; divisio 655. Thesaurus indulgentiarum 657; potestas eas conferendi *ib.* Per *modum suffragii* ib. Requisita 658. Quas concedere potest Archiepiscopus 657. *Portiuncula;* et plura decreta 666.
Industrialia bona. II, 17.
Infallibilitas. R. Pontificis I, 109. Opportunitas definitionis 964.
Infamatus. Irregularis II, 855.
Infans. Qui I, 380.
Infernus. Pœna peccati I, 435.
Infidelis. Si velit converti I, 858; cum illo communicatio 848. An cogi possit ad fidem 860. Quoad matrimonium II, 924; quando solvitur ejus conjugium 1060. Quoad sepulturam I, 538.
Infidelitas. I, 845.
Infirmitatis peccata I, 402.
Infirmus. Infirmitas. Quoad jejunium I, 221. A parocho juvandus 279. An debeat parere medico

364. Quoad Horas 697. Peste laborans 968.
Informata conscientia. Censura (ex) I, 547.
Infusio. In Baptismo II, 421.
Ingressus. In religionem I, 290. In claustra 310. Simoniacus 805.
Inhabilitas. Quoad bona II, 29.
Inimicus. Ejus dilectio I, 894. Signa danda 895. Regulæ *ib.* Non vindicta suscipienda de eo 896. Non malum ei optandum 897.
Innocens. An possit occidi II, 308.
Inquisitores. Qui eos lædunt I, 624. Omnes inquirunt 116.
Inscriptiones. In cœmeteriis I, 541; ecclesia 279; campanis II, 435.
Insignia. Non concedit illa Episcopus II, 1005.
Inspiratio. Sic facta electio II, 866.
Institutio. Beneficii II, 872. Hæredis 59.
Instrumenta. Conficere in festis an liceat I, 760.
Insula in flumine nata. II, 42.
Insurrectio. V. *Revolutio.*
Integritas. Confessionis II, 617.
Intellectus. I, 8. — *Possibilis, et agens* ib.
Intensio. Contritionis II, 603.
Intentio. Ad legis implementum I, 156. Ad Missam 192. In ministro Sacramentorum II, 386; in subjecto 401. Ad Ordines suscipiendos 816.
Interdicti. II, 28.
Interdictum. Quid I, 551. Effectus 552. Absolutio 553. Qui illud violant 554. Pœnæ *ib.* et 649. Ab ingressu Ecclesiæ 555.
Interesse. Quando legitimum II, 97. In mutuo 175. Interesse de ipso interesse 181.
Internationale. I, 102.
Interpres. An adhibendus in Confessione II, 630. Quoad sollicitationem 766. Quoad sigillum 751.
Interpretatio. Legis I, 163. Voti 718. Juramenti 746; contractus II, 112.
Interrogatio. Circa res fidei I, 842. Judicis 349. Fieri debet a confessario II, 734.
Interruptio. Refectionis in die jejunii I, 211. In Officio 688. Actuum ad multiplicationem 419. In præscriptione II, 88. In Missa 548.
Interstitia. II, 829.
Interventum. (Non interventum) I, 961.
Intrusus. Pœnæ et normæ I, 591; II, 796.
Inventarium. Ejus beneficium II, 60. V. *Ususfructus.*
Inventio. II, 34. Res inventæ 39.
Invidia. I, 490.
Invocatio. Sanctorum I, 663, 699.
Involuntarium. I, 15.
Ira. I, 488.
Irregularitas. II, 837. Divisio *ib.* Effectus 838. Requisita 839. Ex delicto 840. Ex defectu 846. Quomodo aufertur 858. Quis eam tollit 859. Formula 860. Impedit Ordines 828. An inducatur ex matrimonio civili 930.
Irreligiositas. I, 788.
Irrisio. II, 353.
Irritatio. Legis I, 150. Voti 725; juramenti 747.
Isambertus. Doctus II, 1077.
Iter. Quoad jejunium I, 223. Quoad leges implendas 161. In festo 753.
Iteratio. Baptismi II, 436. Sacramentorum 382. Confessionis 632.
Ituriaga. Eruditus II, 1077.

J

Jactantia. De peccato I, 430.
Jaculatoria. I, 667
Jansenistæ. Versipelles semper et falsi; de hominis libertate I, 31. Eorum tergiversationes 919.
Jejunium. Ecclesiasticorum I, 200. Præstantia 207. Dispensatio 220. Responsa 227. Ad Eucharistiæ sumptionem II, 527; an illud frangant reliquiæ cibi inter dentes, si transglutiantur 529; an possit aliquando Communio dari non jejuno 500, 532. Quatuor Temporum II, 826.
Jeremia (P.). Ingeniosus II, 1077.
Jubens. V. *Mandans.*
Jubilæum. II, 661. Opera præscripta 663. Privilegia 664; decisiones 668.
Jubilatio. Canonici I, 264.
Judæus. Communicatio cum illo I, 848. An filii possint baptizari II, 444. Si velit converti I, 849. Judaismus 845.
Judex. Obligationes I, 337. Quoad pœnas *ib.* An aliquando possit damnare innocentem 338. An sententia injusta obliget 339.
Judices synodales. II, 874.
Judicia Dei. I, 789.
Judicium. In juramento I, 737. Temerarium II, 342.
Jura. Stolæ I, 231. Hæredis II, 62. Beneficiati 885. Naturalia, civilia, politica quæ 31. Ususfructuarii 227.
Juramentum. I, 730. Locutiones *ib.* An licitum 732. Quomodo ab ecclesiasticis fit 734. Veritas in eo 736; judicium 737; justitia 738. Perjurium 739. Res promissa præstanda 740. Si ex metu 741. Politicum 742. Si fictum 743. Cum restrictione 744. Interpretatio 746. Extinctio, mutatio, commutatio, irritatio, dispensatio 747. An liceat illud petere a pejeraturo 740. Probat obligationem II, 96. In contractu 110. Suppletorium 996.
Jurati. Obligationes I, 340.
Jurisdictio. Generatim, quid, quotuplex I, 104; cessatio 106. Ea privatur excommunicatus I, 537. Qui ecclesiasticum impediunt 574 et seqq. — *Ad absolvendum* II, 697; quotuplex 698; ordinaria, delegata 701; in mortis periculo 702; si probabilis tantum 705; præsumpta 706.
Jusculum. In jejunio I, 227.
Juspatronatus. II, 867. Acquisitio 869. Amissio 871. Præsentatio 870. Si patroni discordes *ib.*
Jus Romanum. I, 124. Canonicum 111. Civile modernum 124. Jus quid, quotuplex II, 4. Jura quæ competunt in societate hominibus 31. Jus accrescendi 69.
Justitia. In juramento I, 738. Virtus II, 1; divisio 2.
Juvenes. V. *Puer.*
Juveninius. Prohibitus II, 1076.

L

Labor. Excusans a jejunio I, 222.
Lac. In jejunio I, 213.
Lacrymæ. Ad Baptismum II, 420. Ad contritionem 597, 617.
Lactatio. An ad eam teneatur mater I, 375. An excuset a jejunio 221. An impediat redditionem debiti II, 1038.

Lacticinia. I, 206.
Læsio. In bonis supernaturalibus II, 301. In naturalibus 303.
Lana. Planeta ex lana II, 565.
Lanfrancus. Clarissimus II, 1077.
Lanifices. I, 366.
Laridum. In die jejunii I, 204.
Latriæ cultus I, 699.
Laudans. Quoad restitutionem II, 277.
Laudatio funebris. I, 279, 541.
Laudes. V. *Matutinum.*
Laudimium. II, 145.
Layman. Doctissimus II, 1077.
Lectio. V. *Libri.*
Lectoratus. II, 802.
Lectores. V. *Magister.*
Lectum. Quid I, 120.
Ledesma. Eruditus II, 1077.
Legatum, Legatarius. II, 64. Si desunt ad legatum pium solemnitates a lege requisitæ 53. Quid potest legari 64. Qui legare possunt *ib.* Jura et onera 66. Reductio, commutatio 65. Resolutiones 67. Ut ab Ecclesia acceptetur quid lex civilis II, 21.
Legislator. V. *Lex.*
Legitima. Cui debetur II, 57.
Legitimatio. II, 77, 847.
Lenitatis defectus. Quoad irregularitatem II, 854.
Leo XIII, Pontifex Maximus. I, 3. Adhuc Perusiæ episcopus Academiam sub d. Thomæ auspiciis instituit *ib.;* principatus civilis romanæ Ecclesiæ necessitatem probat 234, 589. Contra ontologismum insurgit 967. Laicorum societates et operariorum commendat 273. Contra humanum respectum gravia verba facit 940. Tria maxime Episcopis urget 258. Syllabum tuetur 874. Matrimonii sanctitatem defendit II, 1028. Pro eligendis Italiæ Episcopis Cardinalium cœtum constituit 824. Religionem in scholis tuetur 384. Pœnas statuit in eos qui sectis hæreticis nomen dant, vel eorum intersunt concionibus, etc. 593, 930. Apostolatum precum commendat 661. Falsam libertatem impetit 46. Hortatio ad Romanos ut catholicam fidem servent 930. Multam doctrinam in clero requirit 243; II, 824. Principes hortatur si velint prosperari, ut religionem tueantur I, 102. Agit de principum privilegio præsentandi Episcopos II, 864. Academias ecclesiasticas laudat 881. Novam pro Bullis formam statuit II, 872. Jubilæum universale indicit 664. Festorum dierum sanctificationem promovit I, 751. Novum Antiphonarium approbat II, 567. Commendat advocatorum societatem pro tuendis Ecclesiæ juribus I, 355. Catholici catechismi præstantiam notat 843. Confirmat Chyrographum Gregorii XVI, quoad matrimoniales dispensationes II, 1070. S. Thomam, summis laudibus commendat, ejusque doctrinam veram et sinceram in theologicis et philosophicis disciplinis propagandam hortatur I, 3; II, 1078; erigendo item academias 1079. Indulgentiis cumulat quandam d. Thomæ orationem 1077. Festa ss. Joachim et Annæ ad majorem ritum elevat II, 908. Doctrinam s. Alphonsi commendat 1080. Encyclica *Æterni Patris* II, 1078.

Leonina societas. II, 163.
Leprosus. Irregularis II, 851.
Lessius. Insignis II, 1077.
Lex. Quid I, 89; differt a præcepto 90. *Naturalis* et *æterna* 93, 94. *Divina* 99.
Lexana. Commendandus II, 1077.
Lex humana. I, 101. Auctor ecclesiasticæ 107; Auctor legis civilis 121. *Objectum* 127. *Legis subjectus* 132; quoad pueros, ecclesiasticos 132. De excommunicatis, hæreticis 134; peregrinis 136. Obligatio 139. *Lex pœnalis* 146; irritans 150. Causæ a lege excusantes 161. Cessatio 178. An obliget cum gravi incommodo 143. Ad ejus implementum quid requiritur 156. An pro omnibus æqualis 135.
Libellus. Infamatorius II, 343.
Libera collatio. II, 871.
Liberalis. Sacerdos I, 872.
Liberalismus modernus. I, 871.
Liberalitas. I, 942.
Liberi cogitatores. Privantur ecclesiastica sepultura I, 539. Veri apostatæ 859. Pœnæ 564.
Liberius a Jesu. Celebris II, 1077.
Libertas. Quid, quotuplex I, 28. In quo sita est 30. An admittenda 31. Impedimenta 32. Conscientiæ 46.
Libertatis defectus. Quoad irregularitatem II, 850.
Liberum arbitrium. V. *Libertas*.
Libri. Pœna in legentes libros hæreticorum et apostatarum I, 566. Qui sine licentia imprimunt, si de rebus sacris tractant 628. Quis prohibet 862. Pœnæ 866. De romaniensibus 867. Qui habet libros prohibitos 868. Qui scit suum librum esse prohibitum 863. Qui libri prohibentur 861. Libri negotiatorum II, 96. Libri famosi 347. Libri parochorum I, 267. De libris prohibitis plura ad praxim 863, etc.
Licentia. Quoad libros prohibitos I, 862. Differt a dispensatione 254.
Licitatio. II, 135. Quoad bona Ecclesiæ usurpata I, 629; II, 135.
Ligamen. Quoad matrimonium II, 973.
Ligna. In sylva cædere II, 365.
Liguori (S.); vide *Alphonsus (S.)*.
Limacæ. In die jejunii I, 227.
Linea. II, 76. Ascendentalis, descendentalis quoad hæreditatem 79. Quoad cognationem 963.
Lingua. In Missa II, 568.
Linum. In paramentis II, 565.
Lis. Inter patronos II, 870. V. *Discordia*.
Litaniæ. An præceptæ I, 675.
Literæ. Qui legit alienas II, 358. Colligit laceratas 358. Apostolicæ. V. *Bulla*.
Liturgia. V. *Cærimoniæ*.
Livello. II, 145.
Lixivium. Ad Baptismum II, 420.
Locatio. Locare domum meretrici, usurario I, 929. Locatio-conductio II, 140; quomodo solvitur 144. In usufructu 227. Bonorum Ecclesiæ I, 625; si usurpata I, 631.
Locus. Ad præceptum Missæ I, 196. Ad Missæ celebrationem II, 549. Ad Ordines 831. Ad restitutionem 291. Ad Baptismum 434 Ad Confessionem 726. Loci sacri violatio I, 799.
Locusta. In jejunio I, 227.
Lotio. Corporalium, pallæ, etc. II, 566.
Lotteria, Lotto. II, 217.

Lucra dotalia. II, 27.
Lucrum. An excuset a Missa audienda I, 199. A servilibus 763. In ludo II, 214.
Luctus. Unius anni quoad viduam II, 232. Sede vacante I, 648.
Ludus. Quoad ecclesiasticos I, 253. Contractus II, 213. Lucrum ex ludo 214. Fraus 216.
Lumen. Ante Sacramentum II, 491; ex quo *ib.* In Missa 565.
Lunula Ostensorii. II, 565.
Lutra. In jejunio I, 227.
Luxuria. I, 442. Divisio 444. Gravitas, an in ea detur ignorantia *ib.* Filiæ 478. Remedia 479.
Lyonnet. Doctus II, 1077.

M

Macerationes. II, 317.
Mach. Plura ad praxim II, 1077.
Magister. Obligationes I, 382.
Magnetismus. I, 783.
Magus, Magia. I, 780.
Mahumetismus. I, 846.
Major. Qui I, 380.
Maledicere. Defunctis I, 795. Mundo, rebus, diabolo *ib.*
Malefactores. Occidere II, 307.
Maleficium. I, 781.
Malitia. Peccata I, 403.
Malum. Optare sibi, aliis I, 795. Etiam a specie mali abstinendum 927.
Mandans. Quoad restitutionem II, 270.
Mandatum. II, 206.
Manipulum. II, 565.
Manifestans (Non). II, 283.
Manifestatio. Complicis in Confessione II, 723. V. *Denuntiatio.*
Mannhart. Doctus II, 1077.
Mansuetudo. I, 942.
Manuscripta. Religiosi I, 302. Aliorum quoad proprietatem II, 12. Hæretici I, 568. Qui aliena legit domino invito II, 358.
Manutentio. II, 555.
Mappæ Altaris. II, 565.
Mare. Navigantes quoad absolutionem II, 707.
Maria Virgo. Exempta ab originali peccato I, 396. Invocanda 663. Matrimonium II, 911.
Maritus. Obligationes I, 386.
Martyrium. Se exponere I, 789. Probat fidem 832. Supplet Baptismum II, 419.
Massonismus. V. *Societates.* In funere I, 541.
Mater. Obligationes I, 373. An debeat lactare filium 375.
Materialismus. I, 846.
Maternitas. II, 1010.
Matrimonium. Religiosi et ecclesiastici qui illud attentat, pœnæ I, 619. Qui cogunt ad illud, pœnæ 635. Quid II, 903; honestas 905; institutio 907. Effectus 908. An Sacramentum a contractu separari valeat 906. Divisio 909. Legitimum, ratum, consummatum, verum, canonicum, politicum 909. Consensus 910. Unitas 913. Per procuratorem 912. Indissolubilitas 914. Finis 915. Minister 918. Subjectus 920. Materia, forma 919. Filiorum 922. Infidelium 924; hæreticorum 925. Mixtum 926. An sit præceptum 920. Assistentia parochi et testium 980 et seqq. Si delegatio fiat 986. Denuntiationes 995. Celebratio 1022. Benedictio nuptiarum 1023. Si obstet impedimentum 998; si sponsi sint in peccato 1024; si publici peccatores

1025. Dissolutio quoad vinculum 1058; quoad thorum et habitationem 1062; quoad thorum 1064. Quid princeps sæcularis hic valeat 957. Matrimonium inter fratres et sorores I, 469. Ad morganaticum et conscientiæ II, 909. Per literas 912. Ope telegraphi *ib.*

Matrimonium civile. Quid parochus si illud obtineat II, 1027. Impedimenta 1030. Conjugum separatio 1035. Dispensatio 1032. An inducat aliquod canonicum impedimentum 930. Normæ, instructiones 1075.

Matrina. II, 454, 484, 965.

Matutinum. An possit a Laudibus separari I, 682. An dicendum ante Missam 684. Quando 676. Anticipatio II, 530.

Mauro. II, 1076.

Mazzota. Doctus II, 1077.

Media. Ad peccatum I, 421.

Medicina. Quoad clericos I, 255.

Medicus. Obligationes I, 362. An possit esse clericus 255. Ei obtemperandum 364, 968.

Medina. Doctissimus II, 1077.

Meditatio. I, 664.

Mediums. I, 786.

Medium tempus. II, 530.

Meliorationes. In usufructu II, 230.

Mendacium. Quid I, 932. In Confessione II, 616.

Mendicare. An prohibitum I, 906.

Mendicus. Differt a paupere I, 902.

Menstruus fluxus. II, 1038.

Mentalis. Oratio I, 664. Simonia 805. Usura II, 172.

Mercatus. In festis I, 760.

Meretricium. I, 460. Locare meretrici domum 929. Pretium an retineri ideo acceptum II, 95.

Meritum. Quid ad ipsum I, 45. De congruo, de condigno 6.

Merx. Ultronea II, 126. Ad creditum 127.

Mesmerismus. V. *Magnetismus.*

Methodus. Theologiæ moralis I, 2.

Metus. Quid I, 18; quotuplex *ib.* Reverentialis 19. An tollat voluntarium 20; an excuset a peccato 20. A censura 509. In voto 706. In juramento 741. In contractu II, 108. In sponsalibus 933. In matrimonio 971. In Ordine 816.

Miles. Quoad jejunium I, 221. Si clericus 248. Vigilantia parochi quoad milites II, 310.

Militia. V. *Bellum.*

Minister. Regis I, 331. Sacramentorum II, 384. Baptismi 427. Confirmationis 476. Eucharistiæ 514. Missæ 546; ejus inserviens 565. Pœnitentiæ v. *Jurisdictio.* Extremæ-Unctionis 784. Ordinis 809, 811, 833. Ministri Ecclesiæ a quo eligendi 796. Matrimonii 918.

Minor. Qui I, 380

Miracula. An liceat petere I, 789. Firmant fidem 832.

Misericordia. Officia I, 901.

Missa. Audienda I, 190. Quæ intentio, attentio 193. Locus 196. Causæ excusantes 198. An ejus obligatio præscribatur II, 90. Minister 546. Tempus 547. Interruptio 548. Locus 549. Duratio 557. An celebranda per se 556. Obligatio 555. Illam binare 559. Stipendium 560; an totum dandum 562, 1066. Reductio et condonatio 563. Requisita 565. Cærimoniæ 567. Qua lingua dicenda 568. Omissio rubricæ præscriptæ 570. Casus occurrentes 584. Orationes dicendæ 567, 589.

Valor et fructus 571. Pro quibus offertur 575. Applicatio specialis 576. Privata 578. Votiva 579; defunctorum 580, 582. Quoad altare privilegiatum; plures decisiones 581. Inserviens 565. Est verum sacrificium 542. Impositæ ordinatis 836. Pro sponsis 1023. Plures resolutiones quoad eleemosynam II, 1066. Si diruta ecclesia ubi celebrandum 551. A parocho applicanda I, 277; aliquando dispensatur II, 563, 1065.

Missale. II, 565.

Missiones. A parocho curandæ I, 275.

Mixta matrimonia. II, 926.

Mobilia. Quoad præscriptiones II, 87. Quæ *mobili*, *Casa mobiliata ib.*

Modestia. I, 941.

Modus. Diligendi Deum I, 889.

Mohatra. II, 134.

Molere. In festis I, 755.

Molina. Celebris II, 1077.

Mollities. V. *Pollutio.*

Monachus. V. *Religiosus.*

Monialis. Quoad leges ferendas I, 110. Quoad novitiatum 290. Quoad paupertatem 302. Clausuram 306. Quoad monialium abbatissas 324. Quoad Officium 296. Directio II, 744. Quoad Jubilæum 664.

Monitio. A parocho facienda I, 276. Delinquentis I, 907. An semper præstet monere I, 50; II, 732. Ad censuram I, 504.

Monitorium. I, 543.

Monopolium. II, 136.

Monstra. Quoad Baptismum II, 438.

Montazet. Prohibitus II, 1076.

Montes Pietatis. II, 183.

Mora. In adimplendo vota I, 712. Ad sponsalia solvenda II, 948.

Moralitas. Quid I, 33. Species 35. Sine religione 384, 654.

Morganaticum (ad) II, 909.

Moribundus. A parocho adjuvandus I, 279. Quoad confessionem et absolutionem II, 630, 694.

Mors. Eam sibi optare I, 795, 891.

Mortale peccatum, I, 410. Regulæ pro illo dignoscendo 415.

Mortificatio. II, 317.

Mortuus. V. *Defunctus. Civiliter* mortuus qui II, 31. Nuntium mortis 694.

Motus. Concupiscentiæ quomodo vincendi I, 26. An peccata 402.

Mulcta. An debita I, 372.

Mulier. Quoad jejunium I, 221. Quoad habitationem cum ecclesiastico 250. Si compellatur ad religionem, vel injuste retrahatur 636. Qui vestit inhoneste 921. Directio II, 740. Quoad cantum 567. Quoad scientiam I, 387; II, 917. Domum curet *ib.*

Multiplicatio. Peccatorum I, 420.

Munditiæ. Ad Eucharistiam ministrandam II, 515; ad illam suscipendam 520, 524. In sacra supellectili II, 565.

Munera. Ab amasio I, 479. A prætore accepta I, 337. Sponsalitia II, 927. In mutuo 172. In simonia I, 810.

Munus. A manu, a lingua, ab obsequio I, 810.

Murmuratio. V. *Detractio.*

Musica. In funeribus I, 542.

Mustum. Ad Missam II, 507.

Mutatio. Alvei II, 42. Materiæ et formæ in Sacramentis 383. Satisfactionis 646. Ad solvenda sponsalia 945. In voto I, 715; juramento 747.

Mutilatio. Sui II, 315; 845, 851.

Mutus. Quoad damnum II, 283. In testamentis 49.
Mutuum. II, 167. Quoad restitutionem rei mutuatæ 168. Si detur pecunia papiracea pro aurea 169. An ideo liceat aliquid exigere 176. Ob periculum sortis 178. Ob legem civilem 179.
Mysteria. Fidei credenda I, 840.
Mystica Theologia. II, 730.

N

Natalis Alexander. Eruditissimus II, 1076.
Natalium defectus. Quoad irregularitatem II, 847.
Natantes. I, 449.
Nativitas D. N. J. Christi. Quoad jejunium I, 200. Missas II, 559.
Naturalismus. I, 846.
Naufragorum bona. II, 38.
Navarrus. Laudatur a Benedicto XIV, II, 1877.
Necessitas. Excusat a censura I, 510; a lege 160; a Festis 763. Necessitas fidei 833. Restitutionis II, 239. Excusans a restitutione 300. Sacramentorum 375. Baptismi 419. Confirmationis 470. Eucharistiæ 493. Pœnitentiæ 598. Unctionis 776. Moralis Theologiæ I, 4. Matrimonii II, 921.
Neessen. Pius et doctus II, 1076.
Negatio. Fidei I, 837. Si Pœnitens neget peccatum II, 736.
Negative et amplius. Quid I, 120.
Negotiatio. I, 254.
Negotiorum gestio. II, 113.
Nepotismus. II, 18.
Nider. Elegans II, 1077.
Nihilismus. I, 102.
Nihil; transeat. I, 120.
Nigrorum commercium. II, 12.
Ninzatli. Theologiam s. Alphonsi summatim et accurate exponit II, 1077.
Nitor. In sacra supellectili II, 565.
Nix. Ad Baptismum II, 420.
Nocturni. An separari possint in Officio. I, 682. Nocturnum impositum ordinatis II, 836.
Nomen. In Baptismo II, 458. Complicis inquirere 725. Dei usurpare I, 790.
Nominatio. II, 864.
Non congruere, non expedire. I, 120.
Non impediens, Non manifestans. Non obstans II, 283.
Non interventum. I, 906.
Non proposita. I, 120.
Notarius. Obligationes I, 358.
Novatio. II, 98.
Novitiatus. I, 290.
Nuditas. In muliere I, 921.
Nullitatis actio. II, 98.
Numerus. Peccatorum I, 418. Exquirendus a confessario II, 734. Qui numeros somniat I, 779. Ordinum II, 798,
Nundinæ. In festis I, 760.
Nuntius. Si accipit a duobus I, 369. Sic facta restitutio II, 293. Nuntium mortis quomodo dandum II, 694.
Nuptiæ. V. *Matrimonium.*

O

Obedientia. Votum I, 313. Episcopo debita ab Ecclesiasticis 243. Papæ debita 916. Scrupulosi 55. Filiorum 378.
Obitus conjugis. Probandus II, 1071.
Objectum. Quid I, 36. Et objectum dominii II, 9. Moralitatis I, 35.

Oblationes. I, 233.
Obligatio. Ecclesiasticorum in genere I, 235. In contractu II, 91; quotuplex 92; sub conditione inita 94; quomodo probatur 96; effectus 97; extinctio 98. Celebrandi II, 555. Ordinatorum 808. Sponsorum 938. Clericorum in specie I, 283.
Obolum S. Petri. I, 234.
Obreptio. I, 175.
Obscuritas. Fidei I, 829.
Observantia. Vana I, 777. Sanitatum I, 778. Eventuum *ib.* et seqq.
Obsessus, Obsessio. I, 782.
Obstaculum. Ponere legi I, 161.
Obstans (Non). II, 283.
Obstetrix. Baptizans II, 436.
Occasio, Occasionarii. An liceat malam aliquando præbere I, 926. Quid II, 681. Divisio 682; an absolvendus qui in ea est 683 et seqq.
Occisio. V. *Homicidium.*
Occultatio. Fidei I, 837, 839.
Occultum. Crimen I, 561; impedimentum II, 1005.
Occupatio. Rerum II, 34.
Oculus. Qui caret II, 851.
Odium. I, 915. Extinctio 895.
Officia. Ecclesiasticis quæ prohibita I, 256. Privatur excommunicatus divinis Officiis 527. Caritatis 901.
Officium Defunctorum. I, 675.
Officium B. V. M. I, 675.
Officium divinum. V. *Horæ canonicæ.*
Oleum. Pro Extrema-Unctione II, 778. Ante Ss. Sacramentum 491. In Missa 565. Per Ecclesiam 491.
Omissio. I, 13. Peccata 423. Quæ ob scandalum omittenda 925.
Onanismus. II, 1045.
Onera. Hæredis II, 62. Beneficiati 887.
Ontologistæ. Damnati I, 967.
Opera. Quæ in festis prohibita, permissa I, 754. An omittenda ob scandalum 925.
Operarius. Quoad cooperationem I, 929. Societates operariæ I, 273. Obligationes 366.
Operatio cæsarea. II, 464.
Operum susceptores. I, 367.
Opinio. I, 66. Ejus usus 67. Quotuplex 71. Temeraria II, 340. An confessarius possit suam pœnitenti imponere 679. Discordia opinionum stat cum caritate I, 933.
Opportunitas. Definitionis de infallibilitate Pontificis I, 964.
Optare. Sibi mortem I, 891. Malum inimico 897. Plura mala 795.
Optio. II, 876.
Opus operatum, operantis. II, 410.
Oratio. I, 655. Necessitas 657. Conditiones 660. Efficacia 661. Pro quibus 662. Qui invocandi 663. Dominica 666. Jaculatoria 667. Orationes in Missa dicendæ II, 570, 583. Pro studioso I, 4, 658. Apostolatus orationis 661. Imposita ordinatis II, 836. Oratio divi Thomæ 1077.
Orator rem deferat ad Ordinarium. I, 120. An conciones scribere debeat 274.
Oratorium privatum. Quoad Missam de præcepto I, 196; II, 549.
Ordinandus, Ordinatio, Ordines. Qui male habituatus vult suscipere I, 284. Quoad Regulares 299. Qui ordinat sine titulo, sub pacto, etc. II, 825. Alienum subditum 814, 833. Qui Ordines suscipit ab excommunicato nomi-

natim I, 615. Preces et Missæ impositæ ordinatis II, 836.
Ordinatio per gradum. II, 827.
Ordinis impedimentum. II, 972.
Ordo. Caritatis I, 899; correctionis 912; legis servandæ 159. Restitutionis II, 285.
Ordo sacer. II, 793. Ordinum numerus 799. Requisita 816. Minister 809. Subjectus 816. Impedimenta 837. Effectus 808. Preces impositæ 836; suscipiens et exercens quando irregularis 842.
Organa. An pulsari possint in Baptismate II, 1028. In templis infidelium, etc. I, 929.
Origo. Dominii II, 7. Hominis non est a brutis I, 847.
Ornatus. V. *Mulier.*
Oscula. V. *Aspectus.*
Ostensorium. An benedicendum II, 565; in expositione 492.
Ostiariatus. II, 802.
Otium. Fugiendum I, 479. An liceat laborare in festo ad illud vitandum 762.
Ova. In jejunio I, 206, 217.

P

Pacificus (Beatus). II, 1076.
Pactum. In simonia I, 811. In mutuo II, 177. In contractu 93. Sociale 8.
Paganismus. I, 846.
Pagella. S. Pœnitentiariæ I, 559 et 969.
Palaus (Castro). Copiosus II, 1077.
Palla. II, 565.
Pallavicini. Insignis II, 1077.
Palpo. II, 277.
Paludanus. Perdoctus II, 1077.
Panata. In collatiuncula I, 218.
Pandecta. I, 124.
Panis. Materia Eucaristiæ II, 504.
Panormitanus. II, 1076.
Pantheismus. I, 846.
Paramenta. II, 565.
Paraphernalia bona. II, 27.
Parato. Doctus II, 1076.
Parentes. Obligationes I, 373. Quoad filiorum corpus 375; quoad animam 376. Qui prolem hospitali exponunt 375; II, 336. Jus in bona filiorum 23. Quoad damna filiorum 284. Quoad sponsalia filiorum 931.
Parochus. Qui I, 267. Obligationes *ib. et seqq.* Zelus et prudentia 267. Residentia 268. Quoad ecclesiæ cultum 271. Prædicationem 274. Missam 277. Sacramenta 278. Scholas 275. Ne se immisceat in rebus Communitatis neque in matrimoniis 267. Ne facile quid novi agat in ecclesia 271. Tempore pestis 968. Quoad milites II, 310. Domus parochialis reparationem II, 887. Ejus remotio ob scandala 902. Quoad visitationem Episcopi 892. Quoad operariorum associationes I, 273. Quoad pauperes, surdosmutos, infirmos I, 279 et 285. Quoad extraordinarias et civiles functiones 272. Quoad correctionem 276. Quoad sepulturam negandam 538. Quoad documenta custodienda 271. Quoad missiones 275. Quoad Baptismum II, 463. Quoad matrimonium 981. Si obtineat civile matrimonium 1027.— Novus parochus quoad modum se gerendi I, 267; quoad Regium Placitum et Beneficii denuntiationem II, 885.
Parrucca. II, 570.
Pars. Pars legis implenda, si non potest tota I, 160. Item de Horis

canonicis 676, 697; de voto 710. Pars disponibilis in testamento II, 57.
Parsimonialia bona. II, 17.
Participans. Ad damnum II, 281.
Particulæ. Consecrandæ II, 505, 509. An pro Missa celebranda liceat illam adhibere 510.
Parvitas materiæ. V. *Materia.*
Pascha. Communio II, 494.
Passio. In Missa II, 570.
Patena. II, 565.
Paternitas. II, 1010.
Pater noster. Præstantia I, 666.
Patientia. Confessarii II, 727.
Patres Ecclesiæ. I, 1; et 415.
Patria potestas. II, 22. Patriæ amor I, 936.
Patrimonium. Ad titulum II, 825. Conferendum in divisione 63.
Patrinus. In Baptismate II, 454, 965. Si hæreticus I, 856.
Patronus, Patronatus. II, 867.
Patronus Ecclesiæ. II, 583.
Patutius. Mordax II, 1076.
Pauper. Qui talis I, 902. Illius advocatus 354. A parocho succurrendus I, 279. Fictus II, 252.
Paupertas. Regularium I, 302.
Pavone. Doctus II, 1077.
Peccator. An capax dominii II, 15.
Peccatum. I, 391. Originale 394. Actuale 399. Ignorantia 401. Item infirmitatis 402. Malitiæ 403. Gravitas 408. Commissionis et omissionis 423. Interna, externa 426. Effectus 435. Philosophicum 392.
Pectus. V. *Aspectus.*
Peculatus. II, 361.
Peculium. Filiorum II, 23.
Pecunia. Adulteratam an liceat expendere II, 159. In mutuo 170.
Pensio. An quæ superest danda pauperibus II, 20. Ad titulum 825. Quid, quotuplex, mensura 889.
Percussio. Cardinalis, Episcopi, etc. censura I, 573. Clericorum 596. Inquisitorum 624.
Peregrinus. Quoad leges I, 136; a quo ab iis dispensandus 174. Quoad censuras 513. Pœnitentiam II, 702. Quoad absolutionem a reservatis 717.
Perez. Doctor mirabilis II, 1077.
Perfectio. I, 654. Regularis 295.
Periculum. In mutuo II, 178. Peccandi, qui in eo se exponit 683.
Perinde valere. I, 175.
Perjurium. I, 739.
Permutatio. II, 131. Beneficii 899.
Perplexus. I, 51.
Perrone. Omni laude dignus II, 1077.
Persecutio. V. *Fuga.*
Perseverantia. In oratione I, 660.
Persona. Moralis quoad dominium II, 21. Sacræ violatio I, 799.
Pestis. Quid tunc Episcopi, parochi I, 258, 268. Cautelæ et remedia 968. Alii Ecclesiastici quid debent 968. Tunc conditum testamentum II, 51.
Petra. Doctus II, 1076.
Petrolium. V. *Oleum.*
Pharmacopola. Obligatio I, 365.
Philosophia. Errores emendati I, 965. Thomistica commendatur 2, 1078 et 1079.
Pictura. I, 452. Pingere in festis 757. Rite fiat 271. An pictor excusetur a jejunio 222.
Pietas. Excusans a Missa I, 198. A jejunio 224. Quoad laborandum in festo 763. Quid sit 936.
Pignus. II, 153. In mutuo 177.
Pikler. Scientia eminet II, 1077.
Pileolum. In Missa II, 570. In deferendo Viaticum 500.

Piscatio. In festis I, 759. An clericis prohibita 249. Per eam acquisita cujus sunt II, 35.
Pisces. Quoad jejunium I, 203, 217, 227.
Pius IX. V. *Pontifex.*
Placitum Regium. V. *Exequatur.*
Plagium. II, 362.
Planeta. II, 565.
Plantatio. Accessio per illam II, 41.
Platonicus amor. I, 933.
Pluvialia. II, 565.
Pœna. In lege I, 146. Conventionalis 148. Contra superstitiosos 766. In simoniacos 813. In hæreticos 563, 854. In apostatas 859, 563. In contractu II, 93. Per Constit. *Apostolicæ Sedis* I, 558. In sponsalibus II, 934. Mortis 307.
Pœnalitates. I, 437.
Pœnitentia. Virtus II, 586. Sacramentum 587. Institutio 588. An omnia peccata dimittat 593. Ejus gravissimum præceptum 610. Forma 669. Effectus 674. Minister 696. Dotes ministri et directoris 726. De speciali directione 737; quoad moniales 744; quoad pueros 739; mulieres 740; sponsos 741; devotos 743; conjuges 742. De fidelitate secreti 745. De defectibus corrigendis 759. Conditiones 616.
Pœnitentiaria (S.). Auctoritas I, 118. Responsa quoad jejunium I, 227. Quoad matrimonium II, 1008, 1015; et suis locis.
Pollicitatio. II, 191.
Pollutio. I, 472. An liceat de ea gaudere 433. In somno 433, 474. Quoad Communionem II, 522.
Polygamia. II, 913.
Polytheismus. I, 846.
Ponatur in folio. I, 120.
Ponens. Obligationes I, 356.
Pontifex. S. Alphonsi doctrinam commendat I, 79; II, 1080. Potestas quoad leges 109 Bulla, Brevia, Rescripta 115. Ejus Tribunalia et Congregationes 116, 118. Obolum ipsi tributum 234. Censuras moderat 558 et seqq. Syllabum promulgat 874, 961. Ipsi adhærere et obedire necessarium omnino est 916. Propositiones plures damnat 962. Errores proscribit in Concilio Vaticano 964. Theses nonnullas approbat, alias damnat 966. Legata reducit II, 66. Indulgentias elargitur 657. Casus reservat 712. Cætera videantur propriis locis.
Pontius. Gravis II, 1076.
Portiuncula. II, 666.
Possessio. Ad præscribendum II, 82. Quando stat pro lege et libertate I, 64. Beneficii II, 872. Valet pro utroque foro 244. Jus certum tribuit in dubio II, 236, 245 et seqq. Dæmonis possessio I, 782.
Possessor. Bonæ fidei II, 243. Dubiæ fidei 246. Malæ fidei 248. Cum quo damno debeat restituere 294.
Possevinus. Clarus II, 1077.
Postulatio. II, 865.
Potiones. In die jejunii I, 212.
Præceptum. Differt a lege I, 90. An uno actu pluribus fiat satis 157; qui non potest totum implere, an debeat partem 160. Præcepta Decalogi 95. Ecclesiæ 189
Præcursores. II, 892.
Preces. Impositæ ordinatis II, 836. V. *Oratio.*
Præda. Qui simul capit II, 36. Qui de furtivis participat 281.
Prædicatio. Quoad jejunium I, 224.

Quoad Parochum 274. An audienda in festis 752. Hæretici an possit audiri 856. A laico in ecclesia 541.
Præparatio. Ad Communionem II, 520. Ad Missam 567.
Præpositus. Pius II, 1077.
Prammaggiore. II, 1076.
Præscriptio. II, 80. Capacitas 81. Conditiones 82. Generalis 83. Media 84. Particularis 85. Rerum mobilium 87. Interruptio 88; suspensio 89. Quoad bona Ecclesiæ 90. Excusat a restitutione 298.
Præsentatio. V. *Juspatronatus.*
Præsentia. In Missa I, 191. Christi in Eucharistia II, 487; Confessarii ad absolutionem 672. Parochi ad matrimonium 981.
Præsumptio. Ex qua parte stat I, 64. Lex fundata in præsumptione 142. Præsumptio peccatum 880. Quoad obligationem II, 96.
Prætor. V. *Judex.*
Prandium. Quando in die jejunii I, 210, 216. Qui multum protrahit 211; qui illud interrumpit *ib.* Si sæcularia frequentant clerici 267, 272.
Precarium. II, 205.
Presbyteratus. II, 805.
Pretium. Meretricii II, 95. Simoniacum I, 810. Qui accipit a duobus 360. In venditione II, 121; quotuplex 122. Acceptum pro re jam debita 251. In mutuo 173.
Primitiæ. Quæ I, 232.
Princeps. Obligationes I, 331. Quoad matrimonii impedimenta II, 957. Bellum 309. A quo censurandus I, 500.
Principia. Actuum humanorum I, 7, Reflexa 64, 84.
Privilegium. I, 179. Extinctio 128. Exemptionis 297. Ecclesiasticorum 135; II, 801.
Probabiliorismus. I, 74, 79.
Probabilismus moderatus. I, 76, 79.
Probabilismus purus. I, 78.
Probabilitas. I, 66. Ejus usus 68 Intrinseca 69. Extrinseca 70. Systemata 74.
Probabiliter agere. I, 69.
Probatio. Obligationis II, 96. Baptismi 436. Ad dignoscenda delicta I, 789.
Probitas. Ecclesiasticorum I, 283. In ministro Sacramentorum II, 391. Ad Ordines 819.
Processiones. II, 490. An permissæ *ib.*
Proclamationes. V. *Denuntiationes.*
Procuratio. II, 892.
Procurator. I, 354. Matrimonium per procuratorem II, 912.
Prodigus, Prodigalitas. II, 29; I, 441.
Profanatio. Ecclesiæ II, 550.
Profectitia bona. II, 23.
Professio religiosa. I, 292. Quoad sponsalia II, 950; matrimonium 1059. Irregularitatem 858.
Progressismus. I, 871.
Prohibitio librorum. V. *Libri.*
Proles. Si hospitali exponatur I, 375; II, 336. Ex stupro II, 333.
Promissio. Sub juramento I, 740. Contractus II, 191.
Promotor fiscalis. I, 361.
Promulgatio. Legis I, 152. Non est necessaria quoad dogmata fidei ac morum I, 824. Legis naturalis I, 84. Necessaria, ut lex obligat 152.
Pronuntiatio. In Officio I, 688. In consecratione II, 513.

Propaganda. V. *Congregationes.*
Prophetia. Probat fidem I, 832.
Propositiones damnatæ. Qui eas defendunt I, 595. Quomodo damnantur 943. Quomodo accipiendæ 874. Quæ sub excommunicatione damnatæ 595. Propositiones Wiclephi 944. Huss 944. Petri Ozomensis 945. Lutheri 946. Baji 947. Damnatæ ab Innocentio X, 948. Cornelii Jansenii 949. Damnatæ ab Alexandro VII, 950. Ab Innocentio XI, 951, 952. A Clemente VIII, 953. De Molinos 954. Ab Alexandro VIII, 955, 956. Ab Innocentio XII, 957. A Clemente XI, 958. A Benedicto XIV, 959. A Pio VI, Const. *Auctorem fidei* 960. A Pio IX in *Syllabo* 961. Aliæ propositiones damnatæ a Pio IX Enycl. *Quanta cura* I, 962. Errores contra fidem in Tridentino damnati 963; et in Vaticano Concilio 964. Propositiones emendatæ et approbatæ 965, 966. De ontologismo 967.
Propositum. II, 607. Quale requiratur 608. Differt a voto I, 701.
Proprietas. V. *Dominium.*
Protestantes V. *Hæreticus.*
Protestantismus. I, 873. Non refert quod sit illi bene in hoc mundo I, 6. In Italia 873.
Protestatio. Emittenda I, 928. Clerici in causa sanguinis 345, 734.
Protutor. I, 381.
Provicarius generalis. I, 260.
Providebitur in casibus particularibus. I, 120.
Proxeneta. II, 132.
Proximus. Diligendus I, 892. Juvandus 913. Corrigendus 907.
Prudentia. Parochi I, 267. Quid, necessaria 938.
Pruina. Quoad Baptismum II, 420.
Psalmi. Interruptio in Officio I, 687. Pœnitentiales ordinatis impositi II, 836.
Puber. V. *Impuber.*
Publica honestas. II, 974.
Publicitas. Quoad delictum II, 345. Quoad Sacramenta deneganda 404. Quoad matrimonii impedimentum 1017. Quoad censuras I, 561.
Pudicitia. Ejus aggressor I, 935; II, 324.
Puella. An prægnans inhoneste a Missa excusetur, vel item si non habet vestes convenientes, vel si promulgetur ejus matrimonium I, 198. Quoad matrimonium II, 741, 938.
Puer. Quoad leges I, 133. Quoad jejunium 221. Dominium II, 26. Confessionem 614. Viaticum 501. Extremam-Unctionem 787. Ordinem 816, 823. Absolutionem 693. An capax dominii 14. Ejus directio 739. De Communione paschali 498. Si moriatur sine Baptismo I, 539. Eorum orationes ad Deum 663.
Puerperium. II, 1038.
Purgantes animæ. An pro iis orandum I, 663. An pro nobis orent 663. Votum pro illis II, 666. Applicatio Indulgentiæ 657.
Purgatio. Vulgaris et canonica quid I, 789.
Purgatorii ignis. I, 435.
Purificatio. Mulieris post partum cui neganda II, 1028. In Missa 570.
Purificatorium. II, 565.
Pyxis. II, 565.

Q

Quadragesima. I, 201, 206.
Quarta funeralis. I, 231.
Quasi-castrensia bona. II, 23.
Quasi-contractus. II, 113.
Quasi-delictum. II, 114.
Quasi-domicilium. I, 136; II, 984.
Quasi-patrimonialia bona. II, 17.
Quatuor Tempora. I, 201; II, 826.
Questua. I, 303, 906.

R

Radicalismus. II, 8.
Radices restitutionis. II, 240. Dispensatio in radice 1016.
Rana. I, 203, 227.
Rapina. II, 361.
Raptus. Quid I, 466. Pœnæ 634. Impedimentum matrimonii II, 993.
Ratihabitio. II, 262; I, 596.
Rationalismus. I, 846.
Ratum. Matrimonium II, 909. An dispensabile 1061.
Rebaptizans. V. *Iteratio.*
Receptator. II, 278.
Recidivus. An absolvendus II, 690.
Reconciliatio. Inimicorum I, 895.
Recursus. II, 278. Qui præstat in malo *ib.* Recursus ad romanas Congregationes I, 116.
Redemptio. Vexationis I, 811.
Reductio. Missarum II, 564. Legati 66. Donationis 190.
Refectio. In jejunio I, 210.
Referentes. Obligationes I, 356.
Reflexio. Principia reflexa I, 64.
Reginaldus. Laudandus II, 1077.
Regium Placitum. V. *Exequatur.*
Regressus. I, 805; II, 902.
Regula. Religiosorum I, 316. Regulæ morum 33. Pro scrupulosis 56. Interpretationis legis 165; contractus II, 112. Pro recidivis 690. Pro absolutione conditionata 693. Regulæ fidei I, 823. Ad philosophiæ instaurationem II, 1079.
Relatio. Actuum in Deum I, 43, 44.
Relatum. Quid I, 120.
Religio. Virtus I, 653. Quid adversatur 764. Qui actus 654. V. *Cultus.* Status religiosus 286.
Religiosaprofessio. An solvat matrimonium II, 1059.
Religiosi. Novitii I, 290. Quoad officium 296. Quoad funera et sepulturam 298. Quoad Ordines 299. Quoad Confessionem 301. Quoad profectionem 295. Quoad paupertatem 302; ex lege civili 305, 906. Quoad clausuram et castitatem 306. Obedientia 313. Ejecti, apostatæ, sæcularizati etc. 319, 320, etc.
Reliquiæ. Qui extrahunt e catecumbis I, 612. Declarationes 699. Quæ insignis *ib.* Non potest vendi 806. Super altare II, 565.
Remedia. Scrupulosi I, 55. Contra ebrietatem 486. Blasphemias 797. Luxuriam 479. Superbiam 440. Iram 489. Acediam 493. Avaritiam 441. Invidiam 491. A confessario suggerenda II, 728.
Remissio. Creditoris II, 298.
Remissoriæ. I, 642.
Remotio. A Beneficio II, 902.
Renuntiatio. Legis I, 162. Beneficii II, 894, 895, etc.
Reparatio. Ecclesiæ II, 887, 893.
Reportare rescriptum. I, 120.
Reponatur. Quid I, 120.
Repudiatio. Hæreditatis II, 61.
Requisita. Ad Missam II, 565. Ordinationem 811 et seqq.

Res. Inventa II, 39.
Resalutatio. I, 519. Inimici 895.
Rescissio. II, 98.
Rescriptum. I, 115.
Reservatio. Casuum II, 709. Casus Pontifici reservati 712; Episcopis 714; Regularibus I, 301. Qui absolvit II, 715. Quoad peregrinos 715. Quomodo recurrendum pro facultate absolvendi 719. Qui reservati obliviscitur 717. Quoad Beneficia II, 878.
Residentia. Quoad Episcopos I, 258. Canonicos 262. Parochos 268. Præcisa et causativa II, 861.
Resignatio. Beneficii II, 898. Quando simoniaca I, 805.
Respectus humanus. I, 939.
Responsa S. Sedis. Quoad jejunium I, 227. Usuram II, 180. Obligationem celebrandi pro populo I, 277; II, 555. Stipendia Missarum 560; et *Append.* in fine. Quoad Bona Ecclesiæ usurpata I, 583, 588, 629. Indulgentias II, 666. Jubilæum 668.
Restitutio. II, 237. Radices 240. An debeatur ex culpa juridica 257. An ex mala officii distributione 259. Ex damnosa cooperatione 261. Circumstantiæ 285. Excusantes causæ 296. De restitutione in specie 301. Ordo 288; tempus 289; locus 292.
Restrictio mentalis. I, 744.
Retrovenditio. II, 133.
Reus. Obligationes I, 351. An a carcere fugere possit 352.
Revalidatio. Matrimonii II, 1026.
Revelatio. Criminis I, 344. Secreti II, 356. Sigilli sacramentalis 747.
Revelationes. Privatæ I, 825.
Reverentia. Parentibus debita I, 378.
Reversibilitas. I, 632.
Reviviscentia. Meritorum II, 674.
Revocatio. Testamenti II, 71. Donationis 190.
Ricchezza mobile. An solvenda pro oblationibus et Missis I, 906.
Rigorismus. V. *Tutiorismus.*
Ritus. V. *Cærimoniæ.*
Rituum Congregatio (S.). I, 116, 117; II, 567, et 582 pag. 362.
Rixa. I, 917; II, n. 319.
Romanienses libri. I, 867.
Roncaglia. Optimus consiliarius II, 1077.
Rosarium. Præstat recitare quotidie II, 539.
Rubrica. In Missa II, 567.
Rulfus. Doctus II, 1076.

S

Sa. Magni habebatur II, 1077.
Sacerdos. V. *Ecclesiasticus.*
Sacerdotium. V. *Presbyteratus.*
Sacramentalia. II, 416.
Sacramentum. Privatur excommunicatus I, 523. Quid, quot II, 373. Veteris legis 374. An omnia paria 375. Materia et forma 378. Administrare cum probabili opinione 380. Iteratio 382. Mutatio materiæ et formæ 383. Minister 384. Simulatio 398. Subjectus 399. Effectus 409. Cærimoniæ 414. Sub conditione 381. An administranda 397. An suscipi possit sine gratia 412. Defectus Sacramenti quoad irregularitatem 853.
Sacrarium. II. 453.
Sacrificium. II, 542. An Missa sit verum sacrificium 514. V. *Missa.*
Sacrilegium. In re luxuriosa I, 470. In genere 798. Personale, locale,

reale *ib.* Furtum in ecclesia 800. Pœnæ 803.

Sæcularizatio. Regularis I, 319.

Sagimen. In jejunio I, 204.

Salarium. Debitum famulis I, 388.

Salmanticenses. Tractatores egregii II, 1077.

Salutatio. Inimici I, 895.

Sanchez. Sapientissimus II, 1077.

Sancti V. *Invocatio, Cultus.*

Sanctificatio. Festorum. V. *Festa.*

Sanctio legis. I, 103.

Sartores. I, 366. Si fraudant II, 132.

Satisfactio. An uno actu satisfit pluribus præceptis I, 157, Sacramentalis II, 637. Quæ imponenda 640. Quæ gravis 642. An minui possit 643. Mutari 646. Oblivio 649. Quando implenda 651. An per alium 652; cum alio *ib.* Si fiat in mortali 653. Varia opera 640.

Scamna. In Ecclesia II, 220.

Scandalum. Quid I, 918. An ideo omittenda opera 925. An dans teneatur restituere II, 274.

Schedula. Confessionis II, 750.

Schemata. Consanguinitatis II, 964. Affinitatis 978.

Schisma. I, 916. Censura lata 571.

Scholastica. Ejus utilitas I, 3.

Scholæ. Curandæ a parocho I, 275. Nullus ecclesiasticus sine permissione hoc munus suscipiat 256. Oportet ut religiosæ sint 384. Qui irreligiosas frequentant 930. In iis formantur cives; scholæ mixtæ *ib.*

Schram. Pius et doctus II, 1076.

Scientia. Clericorum I, 243, 283. Ordinandi II, 824. Confessarii 730; ad casus reservatos 711; ad censuram I, 507; irregularitatem II, 839. Non pugnat cum fide I, 829. Si parva sit *ib.* Scientiam fidei non timet *ib.*

Sciopero. I, 273; II, 139.

Scriba. I, 357. Scribens sententiam sanguinis II, 854.

Scripta. V. *Manuscripta.*

Scriptura (S.). In vulgari I, 870. Edens 628. Scriptura in contractu II, 96. Ad confessionem agendam 631.

Scrupulus. I, 53. Signa 54. Remedia 55. Regulæ 56. V. plura *propriis locis.*

Scutatum romanum. II, 890.

Secretaria Brevium. I, 118.

Secretarius. Obligationes I, 357.

Secretum. Quid II, 356. Violans 356. Vix hodie servatur 344.

Secta V. *Societates.*

Sede vacante. I, 647.

Seditio. I, 917.

Seductio. V. *Stuprum, Raptus.*

Segneri. Elegans II, 1077.

Seminaristæ. Quoad servitium ecclesiæ I, 243. Qui admittendi in Seminarium 282. Quoad ferias autumnales *ib.* Dotes 238, 283.

Seminarium. I, 283. Quoad clericos et ferias autumnales 283. An religiosæ sorores in illud sint introducendæ, ut curam habeant et administrationem temporale I, 329. Deputati 283.

Semirationalismus. I, 846.

Senex. Quoad jejunium I, 221.

Sententia. Si injusta I, 339. Quot circa probabile 74. An pœnitens teneatur sententiam confessarii sequi II, 679.

Separatio. Conjugum II, 1035, 1062.

Sepultura. Quoad Regulares I, 298. Privantur excommunicati et

alii 538. Cautela in ea deneganda 540. Qui cogunt tradere 623, 649. Ex lege civili 541. Signa massonica in exequiis 541. Sepulturæ electio, venditio 806. Cum musica 542.
Sequestrum. II, 201.
Serum lacti. I, 212.
Servi. Quoad matrimonium II, 960. V. *Famuli.*
Servitus. II, 219. Prædialis, realis 221. Quoad matrimonium 960.
Sexagenarii. Quoad jejunium I, 221. Si illud voverint II, 680.
Sigillum. Sacramentale II, 745. Stricte obligat 746. Quomodo violatur 747 et seqq. Qui ad illud tenetur 751. An etiam pœnitens ad illud teneatur 752. An aliquando licita sit notitia confessionis 755. Si de ea confessarius rogetur 757. Pœna in violatores 745.
Signa. Doloris II, 690. Moribundi 694; ad conceptus mentis indicandos 104. Vocationis sacræ 817. Scrupulosi I, 54.
Signum crucis. Non amplius valet in contractibus II, 96.
Silentium. In Sacrario II, 567. Jansenistarum I, 949. *Arcani* I, 844.
Siligo. In Eucharistia II, 504.
Simia. An ab ea descendat homo I, 847.
Simonia. I, 804. Gravitas 806. Divisio 803. Pœnæ 806, 813. Simoniace accepta 818. Absolutio a pœnis 817. Casus II, 871.
Simplicitas. I, 942.
Simulacra. V. *Imagines.*
Simulatio. Circa fidem I, 837, 839. In Sacramentis II, 398.
Socialismus. II, 8.
Societas, Societates. Massonica, pœnæ I, 600. Clerico-liberales 871. Biblicæ 870. Contractus II, 162; inter fratres 164. Pro christianismo uniendo I, 871. Laicorum fovenda 273, 933.
Sodalitas. V. *Confraternitas.*
Sodomia. I, 475.
Sœtler. Nitidus II, 1076.
Solemnitas. In testamentis II, 52; contractu 111; donatione 188, 189.
Solidum, Solidaria obligatio. II, 267.
Sollicitatio. In Confessione II, 764. Gravitas 764. Pœnæ 765. Sollicitator denuntiandus 766. Clausulæ ad sollicitationem 769. Decreta quoad locum confessionis 769. Dubia sollicitatio 770. Instructio S. Officii 771; aliæ plures decisiones 772; si difficilis denuntiatio 771.
Somniloquium. V. *Magnetismus.*
Somnia. Ex his an liceat futura conjicere I, 772.
Sorbetti. In jejunio I, 213.
Sortes. An licitæ I, 776. V. *Lotteria.*
Sotus. Doctissimus II, 1077.
Specie mali (a). An sit abstinendum I, 927. Species peccatorum 406.
Specificatio. II, 43.
Spectacula. V. *Theatra.*
Spectare ad Episcopum. I, 120.
Spes. I, 875. Objectum 876. Subjectus 877. An certa 878. Necessitas 879. Quæ sunt contraria 880.
Spia. I. 344.
Spiritismus. I, 786.
Spirituali adnexum. I, 808.
Sponsalia. II, 927. Divisio 928. Effectus 929; ex matrimonio civili *ib.* An parentes illa contrahant pro filiis 931. An sine

consensu parentum 932. Per metum 933. Si apponatur pœna 934. Si arrhæ 935. Quando implenda 936. Si conditionata 937. Quando et quomodo dissolvantur 939 et seqq. Matrimonium impediunt 955; et etiam dirimunt 974. Honestatis nempe impedimentum inducunt 974.

Sponsi. Directio II, 741. Obligationes 938. Interrogandi, instruendi, visitationes ad invicem 938, 1074.

Sponsio. II, 212.

Spontaneum. I, 11.

Sporer. Plura ad praxim II, 1077.

Spurius. V. *Illegitimus.*

Stapf. Piissimus II, 1077.

Statua. V. *Imagines.*

Status animarum. I, 276.

Stearina. II, 565.

Stipendium. Famuli I, 388, quando præscribitur II, 85. Missæ 560.

Stipes. Quoad hæreditatem II, 75.

Stola. Quæ jura I, 231. Usus II, 567; assistendo Episcopo in Missa privata *ib.*

Strugel. Egregius II, 1077.

Stuardi. II, 1076.

Studiositas. I, 942.

Studium. Huic dent operam ecclesiastici I, 243. Confessarii II, 729. Theologiæ I, 2. Juris canonici 119; juris civilis 126. An studiosi excusati a jejunio 224.

Stuprum. I, 465. Quoad restitutionem II, 329; prolem 333.

Stylus Curiæ. I, 173, 183.

Suadere. Malum II, 273; minus *ib.*

Suarez. Magnus theologus II, 1077.

Subarrhatio anuli. II, 927.

Subdelegare. I, 173, 105; II, 988.

Subdjaconatus. II, 803.

Subreptio. I, 175.

Subrogatio. In Beneficio II, 902.

Substitutio. II, 68. Quotuplex *ib.*

Successio. Ab intestato II, 74. In capite, in stirpe *ib.* Ascendentium, descendentium, collateralium, filiorum naturalium, conjugis, fisci 79.

Succus. Pro Baptismo II, 420.

Sudor. Pro Baptismo II, 420.

Suffragia. Quoad excommunicatos I, 526. Ad malum II, 275.

Suicidium. II, 314.

Summaria precum. I, 120.

Superadulta sponsa. II, 1009.

Superbia. I, 440. Filiæ, et remedia *ib.*

Superflua. Ecclesiasticorum II, 18. Quoad eleemosynam I, 904; II, 680.

Superstitio. I, 765. Quæ cautelæ in populo instruendo *ib.* Pœnæ 766. Variæ resolutiones 779.

Supellectilis. Sacra; ejus nitor II, 565; I, 271.

Suppressio. Beneficii II, 862.

Surdus, Surdaster. Quoad chorum I, 264. Officium 687; confessionem II, 630. An irregolaris 851.

Surdusmutus. A parocho curandus I, 279. Quomodo instruendus, adjuvandus quoad Sacramenta, etc. 285. Quoad bonorum administrationem II, 30; testamentum 49; irregularitatem 851.

Susceptores Operum. I, 367.

Suspectus. De hæresi I, 855.

Suspensio. Quid I, 544. Effectus 545. Ad cautelam 546. Ex informata conscientia 547. Qui eam violat 548. Communicare cum suspensis 549. Absolutio 550. Quæ ex Const. *Apostolicæ Sedis* 638; ex Tridentino 648.

Suspicio. Temeraria II, 340.

Susurratio. II, 343.

Syllaba. Mutilans in Horis I, 690.
Syllabus. Pii IX, I, 874; 961.
Sylva. Usufructus II, 226. Qui in ea ligna cædunt 229.
Sylvester. In jure versatus II, 1077.
Sylvius. Magnæ auctoritatis II, 1077.
Symbolum. Ejus scientia I, 842; explicatio 844.
Syndacus. Obligationes I, 333.
Synderesis. I, 46.
Systemata. In re morali I, 74.

T

Tabernaculum. II, 490.
Tabacum. Quoad ecclesiasticos I, 257. Ante Communionem II, 529.
Tabernæ. Quoad ecclesiasticos I, 251.
Tabulæ semoventes. I, 785.
Tactus. V. *Aspectus* — Vasorum sacrorum II, 566. Instrumentorum in Ordinatione 834.
Talento. Clarus II, 1077.
Tangere. Eucharistiam in mortali II, 396. Vasa sacra 566.
Taurus. Cum eo luctare II, 316.
Taxa. Gubernio solvenda in Beneficii possessione II, 885. In legati et hæreditatis aditione 65. In matrimonii dispensatione 1012.
Telephonum, *Telegraphum.* Ad matrimonium contrahendum II, 912. Ad Confessionem *ib.*
Temperantia. I, 942.
Tempus medium. II, 530.
Tentatio. Quomodo repellitur I, 26, 405. Dei 789.
Tepiditas. I, 492.
Tertiarii. I, 330.
Tesseræ. Ad probationem II, 96.
Testamentum. II, 45, Quotuplex 46. Holographum 47. Publicum 48. Secretum 49. Speciale 51. Qui testes 50; quæ solemnitates 52. Testator 55. Executor 70. Caducitas 71. Conditionatum 72.
Testator. II, 55.
Testiculus. Qui amputat II, 851. Qui eo caret quoad matrimonium 990.
Testis. Obligationes I, 347. Quando legitime interrogatur 349. Qui falsum deponit, vel veritatem celat 350. In testamento II, 50. Probatio per testes 96. In matrimonio 980; examen 1072.
Testudines. In jejunio I, 203, 227.
Theatra. Quoad ecclesiasticos I, 253. In genere 457.
Theologia moralis. Notio I, 1; historia 3; methodus 2; præstantia et necessitas 4.
Theologorum auctoritas. I, 1, 75. Notantur præcipui II, 1076.
Thesaurus. II, 37. Meritorum 657.
Theum. In jejunio I, 212.
Thomas (D.). Sequendus omnino in philosophia I, 2. Orationem dictavit pro studiosis 4. Ejus laudes II, 1078. Oratio, quam usurpabat 1077.
Thronus. In expositione Sanctissimi II, 492.
Timor. Quotuplex II, 604. V. *Metus.*
Titularis ecclesiæ. II, 583.
Titulus. Ad præscriptionem II, 82; auctarium in mutuo 175; confessionem 702. Ordines 825.
Tolerantia. V. *Indifferentismus.*
Toleratus. V. *Excommunicatus.*
Toletus. Doctissimus II, 1076.
Tonsura. Gestanda I, 246. Quid, effectus II, 801. Requisita 820, 821, 824, 825, 827.
Tournely. Merito laudatus II, 1076.

Tractus. Inter sponsos II, 1021. Inter alios I, 447.
Traditio. I, 1, 111. In contractu II, 117.
Traditionalismus. I, 873.
Transactio. II, 160. In ecclesiastico Beneficio 902.
Transcriptio. In festis I, 756.
Transitus Regularis. Ad aliam religionem I, 318.
Transubstantiatio. Quid II, 487. Declaratio, 1064.
Tributa. An solvenda I, 335, 339.
Tridentinum. V. *Concilium.*
Triennalis experientia. I, 84; II, 992.
Trinitas. Ejus fides I, 841.
Trinus contractus. II, 166.
Tutela. I, 381. Quoad clericos 256.
Tutiorismus. I, 74.
Tutoris officium. I, 381. Quoad clericos I, 256.
Tussis. Quoad Viaticum II, 500.
Tyrannus. I, 123.

U

Unctio. In Extrema-Unctione II, 779. In Confirmatione 474.
Unitas. Matrimonii II, 913.
Urbanitas. I, 942.
Unio. Beneficiorum II, 862. Societas de christianismo uniendo I, 871.
Urina. Ad Baptismum II, 420.
Usuarius. II, 225.
Usufructuarius. II, 226.
Usura. II, 171. Divisio 172. An licita 173. Cooperatores; restitutio 174. Qui tituli eam permittunt 175. Quid de lege civili 179. Responsio S. Sedis 180. An possit exigi a paupere 181. An usura de usura 182.
Usurarius. Locare ei domum I, 929. V. *Usura.*
Usurpare. Dei Nomen I, 790.
Usurpator. I, 123. Bonorum Ecclesiæ 583, 588, 629. Facultates tributæ 631, etc. quoad emptionem mobilium et immobilium, census redemptionem, conductionem et enphyteusim 629 et seqq.
Usus, Ususfructus. In bona filiorum II, 23, 226. Ususfructus gregis, agri, sylvæ 229.
Utatur jure suo. Quid I, 120.
Uxor. Obligationes I, 387. Bona II, 27. Furtum uxoris 366. Si in familia habeat filium adulterinum 334. Quoad debitum conjugale 1038 et seqq.

V

Vacantia bona. II, 38.
Vagus. Qui, quoad leges I, 136. Quoad matrimonium II, 984.
Valentia. Doctrina illustris II, 1077.
Valor. Missæ II, 571.
Vana observantia. I, 777.
Vanagloria. I, 440.
Variatio. Formæ et materiæ in Sacramentis II, 383.
Vasa sacra. Convertine possunt in usum profanum I, 801. Benedictio et consecratio II, 566. Nitor 565. Execratio I, 801.
Vasquez. Doctissimus II, 1077.
Vaticanum. V. *Concilium.*
Vecchiotti. Commendandus II, 1077.
Vectigal. V. *Tributum.*
Vectores. I, 368.
Vegezzi. Doctus II, 1077.
Velocipedes. I, 257.
Venatio. Quoad clericos I, 249. In festis 759. Venatione capta II, 36.

Venditio. II, 115. Obligationes venditoris 117. Emptoris 121. Variæ species 132. Resolutio 131. Pretium 121.
Venenum. Qui clerico præbet I, 596. Qui illud vendit 929; II, 116.
Veniale peccatum. I, 416.
Veracitas. I, 931.
Verba turpia. I, 454.
Verecundia. I, 942.
Verificatio Causarum. II, 1015.
Veritas in juramento. I, 736.
Vernier. Doctus II, 1077.
Versiones. V. *Biblismus.*
Vestis. Sacra an converti in usum profanum I, 801. In Missa II, 565. (V. *Habitus).* Confessarii II, 726.
Veteres catholici. I, 576.
Vetitum Ecclesiæ. II, 955.
Vexatio. Redemptio ab illa I, 811.
Via-Crucis. Indulgentia II, 666. Erectio *ib.*
Viaticum. Regularis si præsumit administrare I, 611. Qui tenentur suscipere II, 500. Quomodo deferendum 501. Qui ministrat *ib.*
Viator. V. *Iter, Peregrinus.*
Vicarius capitularis. Electio, facultates I, 261. Et passim suis locis. Non applicat Missam pro populo 277. Fert censuras 499. Fert leges 109. Judicat de hæresi 853. Indulgentias non concedit II, 657. Dispensat in bannis 1001. Quoad dimissorias I, 642. Interstitia II, 829. Quoad benedictiones paramentorum, Campanarum, etc. 566.
Vicarius foraneus. I, 266.
Vicarius generalis Episcopi. Quæ ejus facultates I, 260. An approbet ad confessiones II, 700. Dispensare valeat in bannis 1001. An plures I, 260.
Viceparochus. Obligationes I, 281. Quoad Regium Placitum II, 885.
Victoria. Perdoctus II, 1077.
Vidua. Si velit contrahere matrimonium II, 973. Ex lege civili 1029. Conditio de non nubendo 72.
Vigilia. Quoad jejunium I, 201.
Vindicta. De inimico suscipere I, 896.
Vinum. In jejunio I, 213. In Missa, II, 506. An dari sine mensura I, 485. In merce II, 119.
Violatio. Voti an sacrilegium I, 713. Censuræ facit irregularem II, 843.
Virginitas. Præstantia I, 935.
Virga divinatoria. I, 775.
Virgo. An possit occidere invasorem suæ pudicitiæ II, 324. An ad eam servandam possit se exponere mortis periculo I, 935. Si defloretur II, 329. An debeat clamare si oppressa, vel potius pati occidi I, 935.
Virgo Maria, V. *Maria Virgo.*
Virtus. I, 652. Quotuplex 652. Moralis, theologica *ib.* Pœnitentiæ II, 586.
Vis, Violentia. I, 16. Dirimit matrimonium II, 971.
Visitatio. Diœcesis ab Episcopo II, 892; I, 258. Monasterii 325. Infirmi 279. Ss. Sacramenti II, 539. Sponsorum ad invicem 938, 1073.
Vita. An tuenda medicina I, 364. Quomodo II, 316. Aggressor 322.
Vitalitius. II, 152.
Vitia. Vitia capitalia I, 439. In merce II, 119.
Viva. Sapiens II, 1076.
Vocatio. Ad religionem I, 287. Ad statum ecclesiasticum II, 817.
Volitum. I, 11.

Voluntarium. Quid I, 10; quotuplex 12. Impedimenta 15.
Voluntas. I, 9. Efficacia *ib.*
Voluptas. Comedere ob voluptatem I, 481.
Vomitus. Quoad Viaticum II, 500.
Votum. I, 701. Regularium I, 302. Divisio 703. Conditiones 704. Metus in voto 706; ex errore 705. Si est impossibile ex parte 707. Obligatio 709. Violatio an sacrilega 713. Si dubium 710. Votum alienum an liget *ib.* Extinctio 714. Votum castitatis conjugum 728. Omnia peccata vitandi 704. Impedit matrimonium II, 955. Dirimit 961. Votum reservatum I, 719. Non nubendi, castitatis, religionem ingrediendi, Ordines suscipiendi 729.
Votum pro animabus Purgatorii emissum. II, 666.
Vox. In Missa II, 569.

W

Wendrok. Prohibitus II, 1076.

Z

Zacharia. Doctissimus II, 1077.
Zelus. Fidei dilatandæ I, 860. Parochi 267.
Zingari. I, 773.

INDEX

TRACTATUS SEPTIMUS

De Justitia et Jure.

DISPUTAT. I. De justitia et jure . . . . . *Pag.* 5
CAP. I. De dominio proprietatis . . . . . » 7
» II. De dominii objecto et subjecto. . . . . » 9
ART. 1. De dominio parvulorum, infidelium, peccatorum, Ecclesiæ, ecclesiasticorum et personarum moralium . » 12
» 2. De patria potestate, de filiorumfamilias et uxorum bonis » 17
» 3. De interdicto, inhabilitato, surdomuto, cæco, mortuo et absente . . . . . » 20
DISPUTAT. II. De dominii acquisitione . . . . . » 22
CAP. I. De occupatione et accessione . . . . . » *ivi*
» II. De hæreditate . . . . . » 30
ART. 1. De Testamento et hæreditate testamentaria . . . . » *ivi*
§ 1. De testatore, de legitima et hærede . . . . . » 37
§ 2. De Legatis, Substitutionibus, Jure accrescendi, Executore testamentario et testamenti caducitate . . » 44
ART. 2. De Hæreditate ab intestato et Hæreditate jacente . . » 51
CAP. III. De præscriptione . . . . . » 56
DISPUTAT. III. De obligationibus et contractibus . . . . . » 63
CAP. I. De obligationibus generatim erga alios . . . . . » *ivi*
» II. De contractibus in genere . . . . . » 70
ART. 1. De requisitis ad contrahendum . . . . . » 71
» 2. De Contractus interpretatione, de Quasi-contractu, Delicto et Quasidelicto . . . . . » 77
CAP. III. De Contractibus in specie . . . . . » 79
ART. 1. De Venditione-emptione . . . . . » *ivi*
§ 1. De Venditoris obligationibus . . . . . » 80
§ 2. De obligationibus Emptoris . . . . . » 84
§ 3. De Venditionis Resolutione et Permutatione . . . . » 88
§ 4. De Venditione per Proxenetas, de Retrovenditione, de Mohatra, de Venditione sub Hasta et Monopolio . » 89

Art. 2. De Locatione, Emphyteusi, Censu et Vitalitio . . . Pag. 94
» 3. De Pignore, Antichresi, Hypotheca, Cambio et Transactione . . . . . » 99
» 4. De Communione bonorum, de Societate et Contractu trino . . . . . » 102
» 5. De Mutuo et Usura, ac Montibus Pietatis . . . . . » 105
» 6. De Donatione, Promissione et Fidejussione . . . . » 116
» 7. De Deposito, Sequestro, Commodato, Precario et Mandato » 122
» 8. De Contractibus aleatoriis . . . . . » 126
Disputat. IV. De servitutibus realibus et personalibus . . . . . » 131
Appendix. De Possessione . . . . . » 136

TRACTATUS OCTAVUS

De Restitutione.

Disputat. I. De Restitutione in genere . . . . . » 138
Cap. I. De Radicibus restitutionis . . . . . » 140
Art. 1. De Acceptatione et Retentione rei alienæ . . . . » 141
» 2. De Actione damnificativa immediata . . . . . » 147
» 3. De Damnificatione mediata per alios, seu de injusta Cooperatione . . . . . » 152
§ 1. De Mandante et Consulente . . . . . » 155
§ 2. De Consentiente, Palpone, Receptatore et Participante » 158
§ 3. De Cooperatoribus negativis, seu de Muto, Non obstante et Non manifestante . . . . . » 161
Cap. II. De Circumstantiis Restitutionis . . . . . » 162
» III. De Causis a Restitutione excusantibus . . . . . » 170
Disputat. II. De Restitutione in specie . . . . . » 175
Cap. I. De læsione in Bonis Animæ et Corporis . . . . . » *ivi*
Art. 1. De Bello, Suicidio, Mutilatione, Duello et Abortu . . » 180
» 2. De Vitæ, Pudicitiæ, Honoris et Bonorum aggressore » 189
» 3. De restitutione propter Stuprum et Adulterium . . » 192
Cap. II. De læsione bonorum Famæ et Honoris . . . . . » 199
Art. 1. De læsione et reparatione Famæ . . . . . » 200
» 2. De læsione et reparatione Honoris, ac Secreti manifestatione . . . . . » 208
Cap. III. De læsione in Bonis fortunæ seu de Furto speciatim et Rapina . . . . . » 213
Resolutiones ac Monita pro praxi quoad furtum . . . . » 220

TRACTATUS NONUS

De Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione et Eucharistia.

Disputat. I. De Sacramentis in genere . . . . . » 222
Cap. I. De Materia, Forma et Ministro Sacramentorum . . . » 226
Art. 1. De Requisitis ad Sacramenti confectionem seu de Intentione, Attentione, Fide et Probitate Ministri . » 232
» 2. De Sacramentorum administratione et simulatione . . » 240
Cap. II. De Sacramentorum Subjecto . . . . . » 242
» III. De Sacramentorum Effectibus . . . . . » 247
» IV. De Sacramentorum Cæremoniis et Sacramentalibus . . » 251
Disputat. II. De Baptismi sacramento, ejusque necessitate . . . . » 253

Cap. I. De Baptismi Materia et Forma . . . . . Pag. 255
» II. De Baptismi Ministro . . . . . » 261
» III. De Baptismi Subjecto . . . . . » 265
» IV. De Baptismi Effectibus et Cærimoniis . . . . . » 271
Appendix. De Operatione cæsarea . . . . . » 277
Disputat. III. De sacramento Confirmationis . . . . . » 278
Cap. I. De Materia, Forma et Ministro Confirmationis . . . . » 280
» II. De Subjecto, Effectibus et Cæremoniis Confirmationis . » 283
Disputat. IV. De Eucharistia . . . . . » 286
Pars Prima. De Eucharistia prout est Sacramentum . . . . . » 287
Solvuntur objectiones . . . . . » 291
Cap. I. De Cultu, Asservatione, Expositione et Necessitate Eucharistiæ . . . . . » 293
» II. De Materia et Forma Eucharistiæ . . . . . » 304
» III. De Ministro et Subjecto Eucharistiæ . . . . . » 312
Art. unicus. Dispositiones ad suscipiendam Eucharistiam » 316
Cap. IV. De Communione Frequenti, Spirituali et Eucharistiæ Effectibus . . . . . » 324
Pars Secunda. De Eucharistia prout est Sacrificium . . . . . » 329
Cap. I. De Missæ Sacrificio, Essentia ac Ministro . . . . . » 331
» II. De Tempore, Hora, Loco, Obligatione Missas celebrandi et applicandi . . . . . » 332
Art. 1. De Missarum Stipendio, Dilatione, Condonatione et Reductione . . . . . » 340
» 2. De Missæ Requisitis, ac Cæremoniis de lingua et voce » 344
Cap. III. De Valore, Fructibus et Applicatione Missæ Sacrificii . » 353
Appendix I. De Missis Privatis, Votivis et Defunctorum . . . . . » 357
Appendix II. De Altari privilegiato . . . . . » 360
Appendix III. Rubricæ generales quoad Missas . . . . . » 362
Appendix IV. Defectus et casus in Missa occurrentes . . . . . » 369

TRACTATUS DECIMUS

De Pœnitentia et Extrema-Unctione.

Disputat. I. De sacramento Pœnitentiæ . . . . . » 371
Cap. I. De Materia sacramenti Pœnitentiæ . . . . . » 374
Art. 1. De Contritione et Proposito . . . . . » 376
» 2. De Confessionis Præcepto . . . . . » 387
Solvuntur objecta . . . . . » 388
§ 1. De Requisitis ad Confessionem, et præcipue de Integritate . . . . . » 393
§ 2. De Confessionis Iteratione ac Confessione generali . » 406
Art. 3. De Satisfactione, Indulgentiis et Jubilæo . . . . . » 411
Appendix I. Responsa S. Congr. Indulgentiarum quoad Indulgentias . » 430
Appendix II. Responsa S. Pœnitentiariæ, occurrente Jubilæo Anni sancti 1875 . . . . . » 432
Cap. II. De Pœnitentiæ Forma et Effectibus . . . . . » 433
Art. 1. De Absolutione Concedenda, Differenda, Neganda . . » 438
§ 1. De Occasionariis, Consuetudinariis seu Habituatis et Recidivis . . . . . » 442
§ 2. De Absolutione conditionata, de Confessione et Absolutione Moribundi . . . . . » 452
Cap. III. De Pœnitentiæ Ministro ejusque Approbatione et Jurisdictione . . . . . » 456

Art. 1. De Reservatione . . . . . Pag. 463
» 2. De absolutione Complicis, de Manifestante et Requirente Nomen Complicis . . . . . » 471
» 3. De Dotibus Confessarii . . . . . » 474
§ 1. De Officio Patris, Medici, Doctoris ac Judicis . . . » 475
§ 2. De specialibus requisitis in Confessario ac Directore » 486
Corollarium. De Confessario et Directore Monialium . . . . . » 494
Art. 4. De Sigillo sacramentali . . . . . » 496
» 5. De Defectibus corrigendis in Confessione commissis . » 504
» 6. De Sollicitatione . . . . . » 507
Appendix. Casus reservati ac Censuræ in Diœcesi Novariensi . . . » 515
Disputat. II. De Extrema-Unctione . . . . . » 520
Cap. I. De Materia et Forma Extremæ-Unctionis . . . . . » 522
» II. De Ministro et Subjecto Extremæ-Unctionis . . . . » 526

TRACTATUS UNDECIMUS

De Sacramento Ordinis et de Beneficiis.

Disputat. I. De Sacramento Ordinis . . . . . » 532
Cap. I. De Ordinum Numero, Materia, Forma et Effectibus . . » 536
» II. De Ordinationis Ministro et Subjecto . . . . . » 543
» III. De Ordinum Impedimentis, seu Irregularitate . . . . » 554
Art. 1. De Irregularitate ex delicto . . . . . » 557
» 2. De Irregularitate ex defectu . . . . . » 560
» 3. De Irregularitatis Cessatione . . . . . » 566
Disputat. II. De Beneficiis ecclesiasticis . . . . . » 567
Cap. I. De Nominatione, Electione et Præsentatione, seu Jurepatronatu . . . . . » 569
» II. De libera Collatione, de Concursu, Optione, Coadjutoria, Reservatione et Devolutione . . . . . » 574
» III. De Beneficiatorum Dotibus, Juribus, Oneribus, de Pensionibus et Procuratione . . . . . » 580
» IV. De Modis Beneficii reparandi et amittendi . . . . . » 587

TRACTATUS DUODECIMUS

De Sacramento Matrimonii.

Cap. I. De Matrimonii natura, honestate, institutione, effectibus, divisione, consensu . . . . . » 591
» II. De Matrimonii Unitate, Indissolubilitate et Fine . . . » 599
» III. De Ministro et Subjecto Matrimonii . . . . . » 603
» IV. De Matrimonii præparatione seu de Sponsalibus . . . » 610
Art. 1. De Effectibus Sponsalium . . . . . » 612
» 2. De Sponsalium dissolutione . . . . . » 618
Cap. V. De Matrimonii impedimentis . . . . . » 624
Solvuntur objecta . . . . . » 627
Art. 1. Error, Conditio, Votum, Cognatio . . . . . » 628
» 2. Crimen, Cultus disparitas, Vis, Ordo . . . . . » 634
» 3. Ligamen, Honestas, Ætas, Affinis . . . . . » 638
» 4. De Clandestinitate . . . . . » 642
» 5. Impos, Raptave si mulier . . . . . » 650
Cap. VI. De Matrimonii Denuntiationibus seu Bannis . . . . » 653
» VII. De Dispensatione a Matrimonii Impedimentis . . . . » 658

Art. 1. Impetratio Dispensationis . . . . . » 661
» 2. De Dispensationis executione . . . . . » 671
Appendix I. Formulæ ad dispensationes postulandas . . . . . » 678
Appendix II. Formulæ ad exequendas Dispensationes . . . . . » 681
Cap. VIII. De Matrimonii Celebratione et Convalidatione . . . . » 682
Appendix. De Matrimonio vulgo *civili* . . . . . » 687
Cap. IX. De Debito conjugali . . . . . » 692
Art. 1. De Debiti conjugalis honestate, obligatione, circumstantiis . . . . . » *ivi*
» 2. De pravo Fine, actibus Turpibus et Onanismo . . . » 696
» 3. De Juris amissione ad Debitum conjugale . . . . . » 699
Cap. Ultimum. De Matrimonii dissolutione . . . . . » 703
Monita quoad divortia . . . . . » 708
Casus singularis, nec tamen hypotheticus . . . . . » 709

APPENDICES.

I. Decisio quoad explicationem Transubstantiationis in Ss. Eucharistiæ Sacramento, factam per quatuor propositiones . . » 710
II. S. Sedis declarationes super reductione et celebratione Missarum earumque oneribus suscipiendis. Anno 1697 . . . » *ivi*
Aliæ resolutiones S. Concilii Congregationis 25 julii 1874, quoad Missarum eleemosynam . . . . . » 713
Novæ resolutiones S. C. C. 9 sept. 1874, probante Pio IX, circa eleemosynas Missarum . . . . . » 714
Alia novissima declaratio quoad Missas . . . . . » 715
III. Antiqui Canones pœnitentiales . . . . . » *ivi*
IV. Chyrographum Gregorii XVI circa gradus consanguinitatis et affinitatis propinquiores confirmatum a Leone XIII, aliæque præscriptiones . . . . . » 716
V. Instructio S. Officii anno 1868 ad probandum obitum alicujus conjugis . . . . . » 717
VI. Instructio S. Officii 21 aug. 1676 probante Clemente X, et confirmata 25 dec. 1827 pro examine testium ad status libertatem probandam in contrahendis matrimoniis . . . » 719
Dubia et resolutiones S. Officii quoad supradictam Instructionem pro examine testium . . . . . » 721
VII. Resolutiones S. Officii quoad matrimonia exterorum anno 1819 » 722
VIII. De agendi ratione cum sponsis quoad scientiam fidei et visitationes ad invicem . . . . . » 723
IX. Instructio S. Pœnitentiariæ circa contractum quem vulgo *civile matrimonium* appellant; 15 januarii 1866 . . . . . » 727
X. Catalogus Auctorum qui magis prædicantur in re morali . » 728
XI. Epistola Encyclica *Æterni Patris* Leonis Papæ XIII . . . » 735
XII. De Regula a Leone XIII proposita in Encyclica *Æterni Patris* ad instaurandam, juxta d. Thomæ doctrinam, christianam philosophiam, quæ ad Theologiam viam sternat eamque famuletur . . . . . » 745
XIII. Literæ Ss. D. N. Leonis Papæ XIII de operibus sancti Alphonsi Mariæ de Ligorio Ecclesiæ Doctoris . . . . . » 748
Index Generalis alphabeticus . . . . . » 751

Finis.

ERRATA				CORRIGE
Pag. 27	linea	42	tu	ut
» 206	»	1	v. g.	est superior, v. g.
» 231	»	penult.	*ideo* (ordinarie)	*ideo*
» 347	»	53	turrit	currit
» 362	»	21	I	582-I
» 462	»	11	XIV	XIV; vel approbatus sit censuratus vitandus
» 485	»	25	vocasti	vacasti
» 636	»	38	persosonas	personas
» 640	»	28	inclusive	ex copula illicita ad secundum gradum inclusive;
» 647	»	3	parochus	parochus ruralis
» 747	»	49	Torino	Tarino.

Mediolani, die 2 Januarii 1880
ADMITTITUR
Pro Exc.mo et R.mo D. D. Aloysio Calabiana
Archiepiscopo Mediolanensi
Presb. Joseph Marinoni Cens. Eccles.

BX
1758
S33
1880
t.2

Scavini, Petrus
Theologia moralis universa
Editio nova locupletissima

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 12 22 08 011 6